L.22 ζ. C

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
10 C
31
FONDO EBORENSE

Digitized by Google

PARTIS

MERIDIONALIS SERMONVM

F. FRANCISCI AB OSSVNA BETHICI

Ex Ordine Minorum

In Euangelia Dominicalia totius anni

Tomus I.

AD ILLVSTRISSIMVM
ET REVERENDISSIMVM
CONSTANTIVM SARNANVM
S. R. E. Cardinalem.

SVPERIORVM PERMISSV.



B A

ROMÆ

Apud Dominicum Baſam. M. D. XC.

31 10 c 31

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC SVMMOPERE
REVERENDISSIMO
F. CONSTANTIO SARNANO,

Pontificij Senatus Patri, & patrono Ampliſsimo,

D. HIERONYMVS VICECOMES Mediolanenſis,

Canonicus Regularis, Lateranenſis profeſſus, & Euangelicus Orator, in Domino ſalutem & obſequium.

QVAM primum a ſuperis gratiſſimo mihi dono collatum eſt, vt coram te noſſem, præſensq. venerarer (iampridem vero celleberima de fama, illuſtriſſimoq. de nomine te cognoſcens, tuiq. factus obſeruantiſſimus, votis id præcipuis exoptabam) natum eſt in me viuax, ardensq. deſiderium vt ſe ſe mihi commoda facultas extimo quopiam documento declarandi, exprimendiq. intimos cordis & animi mei ſenſus affectusq. quibus vehementiſſimis propenſus erga te forem, tibiq. deditiſſimus.

Quod plane deſiderium inſtar incentiui cuiuſdam æthnæi, poſtmodum diuerſis a cauſis, vt eſcis ab opportunis ſingulis momentis incrementa ſuſcipiens, diuq. magis ac magis perurens donec eius fierem compos, immaniter me torquebat. Nam ſtatus tui ſublimitas & celſitudo, conditionis vero meæ paruitas & humilitas, ingenij mei pauperies, occaſionum ſterilitas, extremaq. demum illorum cunctorum inopia quibus maxime mihi opus erat in id propoſitum, & obſequium aduerſariorum inſtar potentium in horas interponebant ſe ſe, iuſtosq. & honeſtos cogitatus, & conatus meos remorabantur. Tandem (caſu & quo pacto neſcio) mihi venit ad manus Franciſci Oſſunæ, Bethici Hiſpani, ſodalitij voto minoris, ſed doctrina & eruditione maioris, non ſolummet maximi, & eminentiſſimi operum tomus, quem vocitant Meridionalem, quo accurate lecto, diſcuſſoq. ad calcem a vertice perdiligenter miratus ſum, primum ingenium viri, mentis acumen, inuentionis ſubtilitatem, varietatem & nouitatem ſenſorum, & myſteriorum, & arcanorum, quæ in eruditiſſimam lucem ex adytorum tenebris profert quàm profundiſſimis, admiratus inquam ſum hominis huius & ingenij felicitatem, quippe qui de ea re ſcribendi pondus ſuſceperit, quæ a plurimis & pene infinitis eſt pertractata ſcriptoribus: quamplurimi enim libri concionibus & ſermonibus referti paſſim reperiuntur, ita vt illis in ſcribendo æquari videatur difficile, ſuperare vero penitus impoſſibile; ipſe tamen ſic prouinciam hanc opusq. feliciter abſoluit, vt iudicio quidem meo in hoc docendi & ſcribendi genere omnibus priorum temporum ſcriptoribus merito æquari,

multis

Digitized by Google

multis præferri, a nemine ſuperari poſſe videatur. Quocirca dum mecum diu multumq. animo cogitarem quid potiſſimum efficere potuiſſem, quo & Eccleſiæ Sanctæ Dei vtilitati, & ſtudioſis diuinisq. litteris incumbentibus conueniret, & tibi grati animi, ſi non modo luculentam expreſſamq. formam, adumbratam ſaltem imaginem quandam exhiberet, tandem vtrumque cenſui me conſecuturum & facile exactum in opus perducturum, ſi clariſſimi viri huius opus admirabile indecoro ſilentio, indignisq. pene ſuffuſum tenebris, & paucorum in manibus conſtitutum quacumque ratione id poſſe melius, prouiderem, vt quàm maxima diligentia de integro cenſorie legeretur, cenſorie corrigeretur, Vaticanaq. in Officina opere Dominici Baſæ calcographi pontificij artis peritiſſimi & oculatiſſimi daretur typis, tuumq. nomen illuſtriſſimum iuſſu meo gerens in fronte, omnibus demum prodiret in lucem: atque hac re prudentis ſimul & grati viri nomen vno tempore me ipſo conſecuturum. Prudentis quidem ſi opus ipſum, ſi operis auctorem ſpectemus, ſi eius cui denuo a me nuncupatur, rationem habeamus. Opus namque inſcribitur Pars Meridionalis. Eſt profecto plaga meridiana ceteris omnibus clarior, ſplendidior, atque feruentior, minusq. vmbrarum habet, quæ quidem meridiano tempore ſunt breuiſſimæ: ſimili ratione hoc opus inſtar orbis meridiani clariſſimo doctrinæ ſplendore ſtudioſorum mentes illuminat, calefacit, accendit, & denſiſſimas errorum, hæreſumq. tenebras ex animis noſtris diſcutit, atque diſpellit. Cuinam igitur potiſſimum hæc Meridiana Pars deſtinanda erat, niſi tibi, in quo lux, claritas, doctrinæ atque ſapientiæ ſubtilitas, calor,

Impreſſoris diligentia.

Auctoris laudes.

& feruor charitatis exardeſcit? Quippe qui vſque ab ineunte ætate illius amore diuino flagratiſſimi, ac vere ſeraphici, glorioſiq. patris tam numeroſæ prolis S. Franciſci inſtituta profeſſus es, hæcq. Meridiana pars minus vmbris, aut tenebris obnoxia eſt, quàm tu princeps ſacratiſsime, qui nondum in ampliſſimum ordinem purpuratorum patrum lectus, in celebrioribus optimarum artium palæſtris, nobilioribusq. doctrinarum, & ſummis hominum ingenijs affluentibus academijs, atque etiam in templis, & ſacris ædibus totius Italiæ florentiſsimis concionando, docendo, & nunc etiam ſcribendo ſexcenties diſiecisti, atque adeo errorum, & vanitatis, ac potius hæreticæ impietatis vmbras ex hoc myſtico catholicæ Eccleſiæ mundo tuæ ſapientiæ ſplendore paulatim concinentur, diſſipas: ad ſummam te eum licet affirmemus, quem S. Bernardus eximia doctrina, & ſanctitate vir in quodam ſermone de S. Ioanne deſcribit his verbis: Meridies eſt plenitudo feruoris, lucis, & ſolis ſtatio, vmbrarum exterminatio, paludum exiccatio, fœtorum expulſio: circulis meridianis hoc eſt proprium & peculiare munus, vt mundi latitudinem metiantur, illiusq. longitudinem diſterminent, atque vbi circulum hunc, aut lineam meridianam ſol eſt ingreſſus, tunc ille ſummum altitudinis faſtigium tenet, & meridiem efficit ſuper Orizontem, & ex meridiano punctum illud notatur, quod aſtronomi Zenith aut verticale vocant, ex quo ſiderum, & parallelorum interualla facile dignoſcuntur. Quæ omnia Cardinalitiæ dignitatis ſtatum mihi penitus referre videntur. In his enim tanquam in meridianis circulis, ſol aut ſaltem ſolis inſtar Pontifex noſter, qui Dei Optimi

S. Bernard. pro meridie.

Sixtus V. Pont. Max.

maximi

maximi, Chriſtiq. perſonam in terris ſuſtinet, in celſiſſima ſedet maieſtatis celſitudine cum nullum in Eccleſia honoris culmen exiſtat, quod non dico ſuperare, ſed ne quidem adæquare poſſit Cardinalium amplitudinem, quippe quæ eſt tanquam membrum ac pars præcipua myſtici corporis patris Beatiſſimi, ſupremæq. pontificiæ dignitatis. Huius igitur meridiani poli inſtar hic liber videbatur, qui antea in obſcuro deliteſcens, nec niſi paucis cognitus, nullius ſermone, aut commendatione celebrabatur. Hunc vero cum tibi nunc dicare voluerim, qui in ſumma prope totius orbis ſpheræ parte ſedens, tamquam ex altiſſima ſpecula proſpicis in omnes partes, efficies vt meridianus hic polus, hic inquam liber, qui ad hoc vſque tempus iacuit in tenebris, & in hominum ignoratione verſatus eſt, ad omnium qui nunc ſunt, totiusq. poſteritatis vtilitatem edatur, & in conſpectum omnium proferatur. Cui ergo baſi & fundamento huius ſtatuæ pedes melius affigere poteram quàm tibi, qui vera es baſis, fundamentum, & cardo? Si autem operis auctorem, eiusq. ſtatum & conditionem ſpectauerimus, ſpero fore vt ego numquam quòd opus tibi hoc dicauerim inconſulte feciſſe videar, & imprudenter: cum auctor fuerit ex nobiliſſima S. Franciſci familia, cum eandem quam tu Cardinalis ampliſſime ſanctiſſimam viuendi rationem, & diſciplinam fuerit conſectatus. Cuiuſnam ego tutelæ hoc opus tutius committere poteram, quàm tuæ in cuius quaſi præſidio a maleuolentiſſimis inuidorum obtrectationibus tutum appareret? Vt tanquam res & opus tui fratris, atque vterinus fœtus a te ſummo ſtudio & beneuolentia complexus, conſeruaretur, & ab omnibus iniuria-

rum quaſi telis, te cuſtode, te iudice conſeruaretur.

Res quomodo conſeruantur.

Nota eſt illa communis philoſophorum regula, immo celebre & peruulgatum axioma, res quibus ex cauſis efficiuntur, iiſdem etiam conſeruari. Alter ex S. Franciſci familia hunc librum conſcripſit, ac protulit, eiuſdem etiam familiæ alter ſe illius patronum & tutorem præbere debet, vt hic tam nobilis partus, a tam nobili matre genitus, ſit a nobiliſſimo viro in perpetuum ad æternam illuſtriſsimæ & inclitæ religionis Franciſcanæ gloriam omnium ſæculorum memoria cuſtodiretur, ac vigeret. Quæ alterius inſtar terreſtris paradiſi, vndiq. riuulos, fontes, & flumina doctrinæ, & ſanctimoniæ diffundit, plantasq. progignit, & arbores, quæ toti Chriſtianæ Reipublicæ & vberrimos, & ſuauiſſimos fructus afferant. Quæ veluti nauis locupletiſsimis onuſta mercibus, & tanquam commune emporium ab omni Europa, ceterisq. mundi partibus numquam deſiſtit variarum, & pretioſiſſimarum mercium vim pene infinitam ad Chriſtianæ vitæ vſum exportare. Quæ inſtar exercitus integris armatorum turmis atque phalangibus refertiſſimi incredibili animi robore, diuinisq. confirmati præſidijs multa fortiter, ac ſtrenue bella geſſit, nec tam pro libertate quàm pro Chriſtiana fide, & religione tuenda ſe hoſtium telis ac furori obijciens, vitam ipſam, & ſanguinem in omnibus noſtri Hemiſperij, atque etiam alterius partibus trans æquatorem Tropici & Capricorni, & ad eas vſque nationes, quæ nobis aduerſa vrgent veſtigia profundere non dubitauit. Quaſi firmamentum cæli tot doctiſsimis viris huius mundi noſtri quibuſdam quaſi ſolibus, ſtellis, ac luminibus diſtinctum, atque refertum. Quaſi ſtabile

Religio S. Fráciſci & eius laudes

columen

columen ac fundamentum, quo hæc omnis Chriſtianæ Eccleſiæ moles, & admiranda fabrica nititur ac ſuſtentatur, quemadmodum Innocentio, hoc nomine tertio, Pontifici maximo a Deo in ſomnis fuit indicatum. Quòd vero Deus immortalis fundamentum non ex fœno, aut paleis inanium titulorum, eorumve bonorum quæ temporis ſpatio conſeneſcunt, aut fæce rerum humanarum poſuerit: ſed ex puro, puriſſimo, ac purgatiſſimo auro, quo Euangelicæ dignitatis perfectionem declaramus, atque ex pretioſis gemmis, hoc eſt Euangelicis, & Apoſtolicis conſilijs: quæ ab omni ventorum vi, aquarum impetu, perturbationum fluctibus, ab hoſtium tempeſtatibus ſartum tectum cuſtodiunt, ac tuentur. Quaſi denique parens, & aluus grauida, quæ iam inde ab annis fere quadringentis ſemper edidit, & nunc etiam plurimos edit filios atque illuſtres fœtus; Parens inquam tot Heroum, tot Epiſcoporum, tot Antiſtitum, paſtorum Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ patrum, tot ſacrorum doctorum, quorum virtus ſingularis & ſapientia omnes fere Orientis, Obeuntisq. ſolis, Aquilonis, Auſtriq. partibus falſis hæreticæ impietatis opinionibus, quaſi tenebris obcæcatas ab errore, & vana ſuperſtitione, ad veritatis lucem reuocauit. Omitto huiuſcæ familiæ infinitam pene martyrum multitudinem, qui in omni Europa, atque etiam extra Europæ fines extiterunt, licet non eo tempore quo decem, aut ex Auguſtini ſubductione, quattuordecim, vigebant Eccleſiæ inſectationes, fuerit inſtituta. Sileo purpuratorum patrum numerum ex quibus vnus tu es, & is quidem, quem omnes ſuſpiciunt, & admirantur, qui ante in Cardinalium cœtum adſcriptus es quàm ad hoc animum appelle-

ves ; antequam eum honoris gradum appeteres, non antequam mereris,es conſecutus . Quæ tua eſt animi demiſsione , non ſtudio aliquo, & principum gratia, non aliorum eblanditis ſuffragijs , non adumbrata ſimulatæ probitatis commendatione ad ſummam huius honoris amplitudinem obrepſiſti , verum ad illam per quoſdam tuorum meritorum & virtutum gradus iure optimo aſcendiſti . Quod ſi liceret ex

Philoſophicum præceptum.

philoſophiæ præceptis effectum poſitiuum neganti cauſæ , vt ita cum philoſophis loquamur , tribuere , vt aliqua tamen ratione , & ſenſu fas eſt aſciſcere , te ad iſtum honoris gradum omni ſtudio contendiſſe , atque vt ad eum peruenires, diu, multumq. laboraſſe, & præſauiſſe dixerim : non enim quęrendo , non expectando , non ſperando , non optando , nec cogitando quidem hunc honorem conſecutus es , & credo fore , vt ſi cogeret neceſsitas , Pontifex Maximus , qui te ad iſtum dignitatis locum erexit , iureiurando affirmaret , ſe numquam ex quo ſedet in throno pontificiæ maieſtatis , motu proprio , tam proprio quidquam effeciſſe , quàm cum te Cardinalem creauit : cum nullo cuiuſquam hortatu , nullius oratione commotus fuerit , aut precibus adductus ; ſed ſua ipſe ſponte , aut quaſi diuino impulſus numine , immo ſi verum fatendum eſt , non ſua ipſius voluntate , ſed a te ipſo promotus eſt , a probitate tua , ab animi demiſsione , a morum & vitę integritate , a laboribus, quos pro Dei Opt. Max. cultu , pro tuenda , & augenda Eccleſiæ dignitate ſuſcepiſti , æque ac iuſtus princeps ob iuſtitiam diſtributiuam ad mercedem , & præmia pro ſuis cuique meritis deferenda adducitur . Verum ſi ab his ad ſummos Pontifices , qui ab hoc fæcundiſsimo Franciſcanę familię vtero

exierunt

exierunt gradum facere, eorumq. ſigillatim nomina perſequi vellem, quem finem vnquam, aut modum noſtra inueniret oratio? Sed ne altius repetamus, ſatis habuerim de vno verba facere, & in eo maiores omnes concludere: de beatiſsimo inquam Pontifice Sixto V. omnium gentium principe, Rege, ac parente, ſane quàm legitimo tantæ matris filio, ac partu vere Felici, vereq. Sixto, quod nomen palæſtram ſignificat, vbi athletæ, & gladiatores, hoc eſt virtutes omnes inter ſe exercent, & quaſi contendunt cuinam ipſarum in hoc fortunato campo primæ deferantur. Vere Sixto quod apud Græcos valet haſtam teliq. genus valde in longitudinem extenſi; facit enim excelſi animi præſtantia vt ſe omnes Europæ principatus metuant, ſibi obtemperent, ſuæq. morem gerant voluntati. Vere Sixto, quod Latine ſonat hortum, & viridarium, omni genere arborum, plantationum, ac virgultorum, e quibus omnibus vigentibus ſemper, ac virentibus admirabilis odorum ſuauitas afflatur, maximaq. fructuum copia, & vbertas effunditur: illum namque omni nobiliſsimarum virtutum genere moralium, intellectualium, cardinalium, theologicarum, & earum etiam quas purgati animi virtutes nominant ornatum, & illuſtrem ab omni parte ſplendere conſpicimus. Sixto denique quem S. Petri principis Apoſtolorum ſucceſſorem, in illius ſolio tamquam in aurato curru, & triumphali ſedentem, non quattuor inſignibus equis, ſed quattuor ſingularibus & præclariſsimis rebus in ſuo quaſi regno collocatis, omniumq. vel claudorum oculis patentibus, hoc eſt abundantia, pace, iuſtitia, & religione vectum intuemur. Adfuit primùm & ingreſſa

Sixti V. Pōtif. Max. laudes.

eſt omnium rerum affluentia, quæ quidem opportune peruenit, cum videlicet Roma vna cum Eccleſiæ imperio acerba funeſtaq. fame ab omni fere parte obſeſſa, & oppreſſa vehementiſsime iam ad extremam inopiam & egeſtatem, ad communem miſeriam pene redacta videbatur. Huic tantæ inopiæ, & calamitati Sixti V. a Deo miſsi aduentus præſto fuit, & huic iam ingraueſcenti morbo eam attulit medicinam, quæ vnicum & certiſſimum in tam graui diſcrimine, tam propinqua communi peſte supereſſe remedium apparebat: ex quo tanta repente cibi copia, & vtilitas annonæ ex ſumma inopia & caritate rei frumentariæ conſecuta eſt, quanta multis ab hinc annis Romæ numquam fuit, nec fortaſſe conſequentibus ætatibus exiſtet. Poſt hanc vno eodemq. tempore iuſtitia, pace comite, tamquam mater & filia, cauſa & effectus, fons & riuus, radix & fructus, vna pariter conuenere, & fuit aliquando cum zizania lolium & dumi, quorum nomine improborum & nefariorum hominum genus ſignificamus, ſicariorum, & prædonum, qui aperta quadam & profligata audacia, & temerario quodam impetu, quaſi nulla eſſent impijs ſupplicia conſtituta, illisq. ſcelera impune fas eſſet patrare, tenue & exiguum proborum hominum ſemen opprimere, conculcare, ac penitus eſtinguere conarentur. Verum prudentis & naui agricolæ inſtar, Sixtus V. vbi primùm huius myſtici Eccleſiæ agri præſes, & cultor factus eſt, cœpit noxias & pernicioſas herbas euellere, ſtirpesq. omnes impreſſas altius, & infixas radicitus, extirpare conatus eſt, vt illum ad virtutis ſemina concipienda, ad meliores fructus efferendos idoneum redderet. Itaque paucíſsimorum menſium

ne dicam

ne dicam dierum interuallo, nullo fere ſumptu, ſine armis, ſine militum copijs, ſine pecunia, ſola tantum firmæ, ſolidæ, ac ſtabilis æquitatis animi virtute iuſtitiam, quæ iniuria temporum, ac viciſſitudine ſceleſtorum, & facinoroſorum hominum peruerſitate proſtrata, & funditus euerſa videbatur, erexit: illam in ſua ſede, ex qua deiecta fuerat, reſtituit, capiti coronam, gladium manibus & lancem reddidit, ipſorumq. inimicorum expiatam ſanguine immortali Deo conſecrauit: quo facto maximam Italiæ partem adeo ab omni perditiſſima piratarum & ſicariorum fæce, & colluuione purgauit, atque a peſtifera contagione, nefarioq. prædonum ore, ac faucibus ereptam indicauit, vt nunc homines, & populi ſint nocte in medijs rupibus, in denſiſſimis ſyluarum tenebris tutiores, quàm antea in ſole, in media luce, in vijs publicis, & in medijs plateis viderentur. Te quidem omnes, Pater Beatiſſime, te inquam omnes collaudent ac prædicent, hanc tuam ſeueritatem pari iuſtitia, & comitate conditam ſummis laudibus exornent, qui capite amputando centum ſeruaſti, & centum obtruncandis mille, & decem millia, atque adeo innumerabilia ex cæde miſera atque internecione liberaſti. Quare tibi dilecti populi, ac gentes tum ad ſuam fidem, gratum animum, tum ad perpetuam in te obſeruantiam declarandam quàmplurimis officijs Romæ, & in illa ſancta & felici vrbe Lauretana æneas tibi ſtatuas erigere, marmorea trophæa, præclara tuæ virtutis inſignia, & monumenta decernere, teq. tuumq. nomen, & gloriam quàm maxime poſſunt linguis, ac litteris ad cælum vſque contendunt extollere. Ad has tandem, hoc eſt ad iuſtitiam, & pacem, pietas

accedit,

accedit, atque religio, cuius tam ardenti ſtudio efflagrat, vt nihil optet, curetve magis, quàm vt fides, religio Chriſtiana, & Catholica diſciplina, vbi nulla ipſius apparent veſtigia, inſtituatur, & vbi iam inſtituta eſt, integra, & illibata conſeruetur: ad quam non verbo tantum omnes & Chriſtianos, & ethnicos hortari & inuitare ſolet, verum ſuo etiam exemplo eandem ipſis conatur comprobare. At vero quantus eſt in tuenda Eccleſiæ dignitate? quid non efficit, quid non molitur, quam non inijt rationem, ad religionem, & morum integritatem conſeruandam? Ad illuſtrandam veritatem quot leges aliquanto obſcuriores, quot locos non ſatis apertos, & cognitos, quàm multa, in quibus aliquid inſit difficultatis, aperit, explanat, interpretatur? ne quiſquam ignorationis excuſatione purgare ſe aliquando poſſit, aut ne quid ſuperſit dubitationis, quod imperitorum animos obiecta falſæ doctrinæ ſpecie poſſit inficere. Quot nouas leges? quot edidit diplomata, quot motus proprios? quot decreta, & ſanctiones promulgat? quot minas iactat? quæ ſupplicia in impios, perfidos, & contumaces ſeruos, & vno verbo complectar omnia, interpoſitæ fidei deſertores conſtituit, atque ferociſſimi cuiuſdam Leonis inſtar, quem ipſum antiquum ipſius gentis ſtemma adhuc retinet, cum principibus ac regibus potentiſſimis, qui ex mitiſſimis, ac leniſſimis ſanctiſſimi gregis ouibus, ex dicto aſſidentibus filijs de repente tanquam rapaciſsimi lupi facti ſunt, ſeq. vniuerſæ Eccleſiæ hoſtes immaniſsimos præſtiterunt, confligari, & dimicare non veretur, quod ipſum Leoni proprium a natura tributum eſt, vt religionem colat, & veneretur: a quo etiam quamuis

uis inter cetera animantia vnus excellat fortitudine, tamen candidi coloris gallum, apud veteres religionis, & diuinitatis ſymbolum vehementer timeri S. Ambroſius teſtatur. Leo quidem tum ob corporis, & animi robur, tum ob curam, & vigilantem cuſtodiam, qua hunc numeroſiſsimum, & pene infinitum animarum gregem illi a Deo tantopere commendatum tuetur, ac regit. Ita priſcos illos admodum antiquos, ante ſuarum ædium, maximeq. phanorum portas, leonum ſtatuas, & imagines ſtatuere, conſueuiſſe accepimus, quæ adeo increbuit conſuetudo, vt ad nos etiam permanarit: in quorum more ſimiliter poſitum eſt, vt ad maiores ſacrorum templorum fores, leonum ſimulacra, ad cuſtodiam, & vigilantiam ſignificandam erigantur: cum hæc propria ſit Leonis natura, vt raro, aut fere numquam ſomnum capiat, & ſtatim atque in lucem editus eſt, apertos habeat oculos: quorum aciem ad omnia perſpicue intuenda, facillime intendat. Res profecto ſingularis inter ceteras omnes, curuatis, & aduncis vnguibus animantes! & licet aliquando ſe quieti tradat, illius tamen oculi tanquam duo lumina adeo collucent, vt multi, & in primis Manetho ille, cuius ad Herodotum extant præclare ſcripta, credunt, & affirmant Leonem numquam dormire, quamuis apud philoſophos nullum prorſus animal, quod non aliquando quieſcat, reperiatur. Non hic commemorabo huius ſanctiſsimi & beatiſsimi Principis erga humiles, demiſſos corde, & pœnitentes, manſuetudinem, clementiam, & benignitatem, Leoni maxime propriam, & congruentem, cui hoc vnum ſatis eſt, hoſtem ſuperaſſe, vt præclare quidem, & ſapienter vates ille, quem Lactantius ſummo & acerrimo ingenio poetam

tam

tam commendat , cecinit aliquando:

Lactantius Poeta. Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.

De huius autem mira , & incredibili Leonis excellentia , & animi magnitudine , quid me attinet in præſentia dicere? ſatis ſuperq. declarant id præclaræ res geſtæ , egregia facinora , mirabiles aquarum ductus , vaſtiſsimæ antiquorum obeliſcorum moles , ex imis terræ partibus erutæ , atque aliò translatæ , erectæ, & in medijs plateis , tanto labore , tanto opere , tot tantisq. ſumptibus poſitæ , & firmatæ , vt omnium cernentium animos , in maximam rapiant admirationem . Teſtantur hoc idem ampla ſatis , & præclara ædificia , palatia , ſplendide & magnifice conſtructa, tam breui tempore exædificata , præſertim in templo Lateranenſi , & Vaticano , quod non amplius ſperamus , ſed iam plane videmus , & pro certo ducimus breui , id quod antea fere numquam nobis in ſpem venerat , fore confectum . Teſtatur denique pulcherrimum illud pretioſiſsimum , & auguſtiſsimum in Sanctæ Maioris æde ſacellum, in quo neſciunt ſpectatores quid maxime admirentur ; an auri , & marmorum optimorum opulentiam, aut ſignorum , pictarumve tabularum pulchritudinem , & venuſtatem , an ſanctiſsimi Chriſti Saluatoris noſtri præſepis religionem , an ſingularem illam grati animi ſignificationem erga ſuum beneficum Sixti Pontificis, qui Pij Quinti felicis recordationis cadauer eo transferre , ibiq. e regione condi iuſsit : vbi cum honorum , & annorum onere oppreſſus ſupremum diem obierit , ſuum ipſe corpus reponi vult , & aſſeruari : quaſi vel poſt mortem eius, quem ſemper in ſe tam humanum , & benignum expertus eſt , ſibi ante oculos verſari velit imaginem . O animum

vere

vere magnum & excelſum. Magna igitur in hoc Principe ſunt omnia, grandis eſt animus, ampliſsimæ res geſtæ, fortis Leo, Mons altiſsimus, Stellæ in ſummo cælo infixæ collucent, ſic ab illo etiam cæleſti rerum omnium maximarum, & admirabilium effectore ſummam illi, & perpetuam optamus in rebus omnibus felicitatem, vt eo præſente quàm diutiſsime perfruamur, vt æternam ſui nominis gloriam, & immortalitatem conſequatur, & petimus a Deo ſupplices, & futurum pro infinita eius erga nos clementia confidimus, quando ab eius creatione recreatio noſtra, ab eius vita, noſtra ſalus, ab eius gloriæ ornamentis, bonorum noſtrorum ſemina proueniunt. Quare Princeps ampliſsime, vt me tibi huius magnanimi, & excelſi leonis, & fratri, & filio quàm gratiſsimum probem, tuo nomini hoc opus inſcribendum putaui, quo ipſe tamquam a ſtrenuo, clementi, & pio Leone procreatus, & operis, & mei patrocinium ſuſcipias. Vale, vtq. ſoles me ama: ſed mihi pluſquam ſoles impera; ipſe vero interea dum legis genua ad manum exoſculandam ſubmiſsiſsime tibi flecto.

Datum Treuij in Aedibus Beatæ Virginis Mariæ Lacrymarum dicatis, Calendis Ianuarij. M. D. X C.

D. HIE-

D. HIERONYMVS VICECOMES MEDIOLANENSIS,

CANONICVS REGVLARIS Lateranenſis, & Euangelicus Orator,

CANDIDO LECTORI ſalutem.

QVICVMQVE ad aliquid ſcribendum, dilucidandumve animum applicuerunt, Chriſtiane lector, ſi mordaces pertimeſcerent linguas, nihil vmquam ſcribere, in lucemq. promere auderent. Tanta eſt enim quorundam temeritas, inuidia, ac peruicacia, vt bona quæcumque, vel ab optimo ædita animo damnent, mordeant, dilacerent: nec mirum ſi noſtra hac tempeſtate late patet hoc vitium, cum nec antiquorum præclariſsima ſcripta detractorum aculeos effugere vmquam potuerint: nam & Platonem ipſum non diſcrete, electeq. diſputaſſe dixerunt multi; Ariſtotilemq. ipſum philoſophiæ parentem vt nimis obſcurum lacerarunt; Demoſthenem,

moſthenem , Ciceronem , alioſq. quampluri-
mos ſapientes temerè arguere multi ſunt auſi;
& Zeuſim illum pictorem, alioquin diligentiſ-
ſimum, in capitibus & articulis pingendis gran-
diorem fuiſſe reprehenderunt. His inuidorum
aculeis neglectis Reuerendus admodum Pater,
Euangelicus Doctor Frater FRANCISCVS ab
Oſſuna, Hiſpanus, ex Seraphica Familia, an-
tiquæ tempeſtatis inſignis verbi Dei præco, Ser-
mones, ſiue vt vocant, Conciones innumeras
per totum anni circulum, tum pro Feſtis, tum
pro ferijs, clariſsimo ingenio pollens in pu-
blicum, iam multis elapſis annis in Cæſaraugu-
ſtana Typographia exponere non dubitauit;
quas diuerſis, myſticiſq. inſigniuit ac exorna-
uit titulis. Aliquas quæ, vt ego exiſtimo, pri-
mæ fuerunt inſcriptione partis Orientalis, alias
partis Meridionalis, quaſdam Occidentalis, Se-
ptentrionalis alias: aliquas vero nomine Abe-
cedarij vocitauit, poſtremas vero ni fallor ſub
titulo Euangelici Trilogij, vt his omnibus Ca-
tholici Oratores & pij omnes ſtudere, Chri-
ſtianoq. populo exponere valerent. Cum au-
tem multis Doctoris iſtius, quæ diximus ſcri-
ptis doctiſsimis Hiſpania tantum extet decora-
ta, illud vnum ac ſingulare extat, quod Diui-
num potius quàm humanum vere liceat ap-
pellare, pars videlicet Meridionalis ab ipſo Au-
ctore inſcripta, quæ in explanandis Euangelijs
Dominicis diebus, ac plurimorum Sanctorum
Feſtis, meridie ipſo clarior apparet, atque lu-
cidior, quæ etſi multis ab hinc annis publicum
in Hiſpaniæ partibus acceperit locum; in Italia
tamen

tamen multis inuoluta tenebris, in obſcuro latitabat. Sed cum ad manus noſtras Meridionalis hæc Pars iam duo ſunt anni peruenerit, & diligenter tanti acutiſsimi Doctoris animaduertiſſem iniuriam, ſtatim in animum induxi meum, opereq. pretium fore exiſtimaui, è tenebris illum eripere, & multum laboris & vigiliarum impendere, & ſi quid erroris in prima æditione Hiſpanica extitiſſet, delere & emendare, poſtillationibus inſuper, ac Scripturæ ſacræ auctoritatibus, & Doctorum Catholicorum notulis inſignire, & quod omnibus iucundiſsimum fore iudicaui, nouo decorare indice: quodq. præcipuum extimari etiam debet, ſub accuratiſsimo, & caſtigatiſsimo ſacri Vaticani prælo, licet multis expenſis, opus ædendum curaui, vtq. commodius vti poſſent omnes, neque priſtinæ impreſsionis magno volumine grauarentur, in duos Tomos ſecandum diuidendumq. a Magnifico Dominico Baſa S. D. N. Typographo ſolertiſsimo, & perſpicaciſsimo curaui: Cuius primus Tomus a prima Dominica Aduentus vſque ad ſacratiſsimum feſtum Pentecoſten, Secundus reliquum anni ſpatium optimo iure locum tenet. Auctor vero & ipſe Doctor nil aliud quàm Scripturæ claritatem, hæreſum abolitionem, Fideiq. Catholicæ ſinceritatem & veritatem, & poſtremo ſpiritus feruorem hoc opere exoptauit. Perlege igitur, pie lector, totam hanc meridionalem plagam, ſi Sacræ ſcripturæ ſenſum & intellectum luce ipſa meridiana clariorem aſſequi deſideras, die noctuq. in hanc inuigila; centies enim perlecta placebit, &

quantum

quantum vtilitatis ſacrarum litterarum ſtudioſis ſit allatura , iudicio relinquam tuo . Poſt hanc fauente Deo , & fortuna non aduerſante ad Euangelicum Trilogium , ceteraq. iſtius Doctiſsimi Viri ſcripta non tantum dilucidanda , verum & commoditati publicæ tradenda me conuertam . Vale igitur , & pro tanto ætati noſtræ collato beneficio, Deo Optimo Maximo gratias age immortales . Ex terra Treuij Vallis Spoletanæ in Aedibus Diuæ Mariæ Virginis lacrymarum dicatis,Calendis Martij. M. D. X C.

REVERENDI PATRIS
D. PAVLI MALCHIODI
PLACENTINI

Canonici Regularis Prædicatoris,

ET SANCTI SEPVLCHRI in Ciuitate Parmæ Abbatis.

EPIGRAMMA.

HVNC qui conſcripſit librum, cui nomina fecit
Hora, poli medius, qua coquit arua calor.
Inter purpureos Pater, o clariſſime, Patres
O Franciſcani ſplendor, honosq. chori.
Ingenio hic Graios ſuperat, priſcosq. Quirites
Et lato vt medius ſplendet in orbe dies:
Sed tibi qui inſcripſit doctiſsime præſul eundem,
Iudicij hic Cretem vincit honore ſenem.
Nam tenebras veluti laxans pars illa diei
Lumine purgato veſtit vtrumque polum:
Et voce, & ſcriptis tua ſic ſapientia terras
Illuſtrat, quaſquas lambit amara Thetis.
Ergo trium liber hic reddet venientibus annis
Nomina vel medio ſplendidiora die.

EIVS-

EIVSDEM.

QVAM bene lux luci, ſplendori ſplendor adhæret,
Huic media eſt libro quàm bene iuncta dies;
Irradiat medio terras ſol lampade cælo.
Doctrinæ mentes, lumine luſtrat opus.
Ille fugat mundo nebulas, hoc mente tenebras,
Arua illinc feruent, hinc pia corda calent.
Ergo hic Franciſco ſit honos, hæc gloria, lausq.
Vtile qui cunctis inuigilauit opus.

EIVSDEM.

LVCE die media, ſi lucet Delius alta
Lucet & Oſſunas, luceq. iure præit,
Hic hominum mentes, oculos ſi illuſtrat Apollo
Serpētum, ac hominū, quadrupedum, volucrū.
Cumq. die media reſplendet Phœbus, eadem
Splendet & Oſſunas, clarior ore Deo.
Nocte at concubia, cum ſol niger omnia fuſcat,
Splendidus Oſſunas, ſplendida cuncta facit,
Fulgens effulget corde a fulgente dicatus
Conſtans illuſtris, nocte dieq. tibi.

SERMO

SERMO MYSTICVS EX EVANGELIO *primæ Dominicæ Aduentus:*

QVO FILIVS DEI ex Patre ad ſuam venit humanitatem.

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi. Mat. 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NON mediocris generatur amor inter regem & ciuitatem, quam primitus adeptus eſt: aut ſi plura regna habeat, ad primum regnum maiorem habet amorem. Tunc rex Aſſuerus plus dilexit Suſan ciuitatem, quàm alias, quia regni eius exordium fuit. Proptereaq. ibi grande celebrat conuiuium. Et ſimiliter Dauid plus dilexit Sion, eamq. peculiari amore vocauit ciuitatem ſuam, quia eam prius adeptus eſt: & ad eam contulit arcam Dei, ob eius benedictionem ciuitati obtinendam. Nam vbi maior eſt amor maiora acquirere & conferre dona ſolemus. Iam ergo beata virgo Maria fuit primum Chriſti regnum, habet enim plurima, ſed Maria eſt primum iuxta Prophetam dicenté: Veniet poteſtas prima regnum filiæ Ieruſalem. Maria filia Ieruſalem poteſtas Chriſti eſt prima, quia citius

Regnum prius adeptum multum diligitur.

Eſth.1. a

1.Parali. 11. a

2.Reg.6.c

Maria primum Chriſti regnum.

Mi.4. c

ceteris ſe contulit & venit huic Regi: primo regnauit ibi Deus, quàm quodcumque peccatum, quia nulli vmquam locum dedit beata Virgo: de qua dicitur Chriſto: Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum. Sicut dixit Ioannes Chriſtum fuiſſe factum ante ipſum, quia citius eo & in inſtanti conceptus eſt, quamuis poſterior tempore: ſic & nos dicemus, quòd Maria citius ceteris ſanctis ſe contulit Chriſto, quamuis vltimis temporibus concepta ſit, quia citius ceteris ſanctis gratiam habuit in vtero matris, qua ſe Chriſto ſubiecit. Quia ergo in hac primò regnauit Chriſtus: ideo eam ciuitatem ſuam vocat peculiariter per prophetam dicentem: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Si ergo Aſſuerus fecit grande conuiuiũ in Suſan, prima ciuitate ſua: & Dauid in Sion arcã contulit, vt ſuam primam benediceret ciuitatem: quantum gratiarum conuiuium, & quàm largam benedictionem in Maria putatis filium Dei feciſſe? Ipſemet quaſi iuge conuiuium ſe ei contulit, eamq. fecit arcam benedictionum Domini. Ad quam ideo quotidie prædicatores accedunt, vt benedictionibus repleantur per adiutricem manum ſuam, & linguam eucharem: ſcientes quòd quia diffuſa eſt gratia in labijs ſuis, aliquam ſaltem guttam obtinere valebunt: quam vt nos pro ſermone præſenti conſequamur, ei præſentemus. Aue Maria, *& cet.*

Pſalm. 144. c

Io.1. c

Pſal.86.a

Pſ.44. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Primus Aduentus in carnem.

REpræſentat nobis hodie mater Eccleſia qualiter Chriſtus venit a Bethania in templum Ieruſalem: in quo Aduentu omnes Aduentus Chriſti figuraliter exprimuntur. Nam ſicut ipſemet Chriſtus, quamuis ſit vnum verbum, quod ſemel locutus eſt Deus: omnia tamen continet, omnia comprehendit, ad cunctaq. diſtenditur. Sic in iſto ſuo Aduentu ſignat omnes quos fecit, & facit, & facturus eſt: qui etſi ſint quattuor Aduentus tantum, iuxta quattuor Dominicas huius temporis, in explicatione huius nominis Bethania, a qua Chriſtus nunc litteraliter venit, omnes quattuor Aduentus, tactos aut incluſos reperies. Primo namque Bethania interpretatur domus obedientiæ, & eſt pectus paternum, a quo per obedientiam

Pſal.61.c

Aduentus quattuor.

Bethaniæ interpretatio.

etiam miſſus eſt Dei filius, vt veniret ad templum corporis ſui, de qua miſsione dicit ipſe pater nobis per prophetam: Propter vos emiſi in Babylonem. Propter nos homines & propter noſtram ſalutem miſſus eſt de cælis filius Dei: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto. Nec mirum quòd in Babylonem dicatur miſſus, quamuis interpretetur confuſio: nam eſt confuſio Chriſti adducens gloriam noſtram, & eſt Babylon amata, de qua pater ait: Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. Noſtra igitur humanitas, quæ hactenus confuſa erat in ſe: iam quia miſſus eſt ad eam Dei filius, poſita eſt chariſsima in miraculum: maxime dum vixit Chriſtus mortalis, quando propter dilectionem noſtram continue miraculo fiebat in eo, ne animæ gloria redundaret in corpus. Mirabilis enim eſt Aduentus iſte, de quo ad ſeriem Euangelij totus erit ſermo.

Iſa.43. b

Babylon quid.

Iſa.21. a

Vt ergo videamus quo modo ex paternali obedientia venit Chriſtus in templum corporis ſui, in Ieruſalem, quæ eſt Maria, fabricatum non manu hominis ſed manu Dei. Aduertendum eſt, quòd hic Aduentus vt fiat homo verbum, eſt optimus: ideoq. magis pacificus eſt ingreſſus Ieſus ad ſuos: vnde propterea venit in aſina vectus, non autem in equo rixante amatore diſcordiæ: & hæc aſina communis eſt: quia pax iſta, quam facere venit, omnibus prodeſt. Ante incarnationem Deus ipſe pacem in ſe tenebat, id eſt Chriſtum in pectore, aiebat enim: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Hæc autem pax tantum erat ſurſum. Quia ideo dicitur: Domine in cælo miſericordia tua: & veritas tua, id eſt, filius verbum vſque ad nubes, ideſt ſanctos tuos. Non enim plus deſcendit nec implebatur illud: Rorate cæli deſuper: & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorem. Cum autem venit plenitudo temporis, voluit Deus hanc ex cogitatione ad opus extendere pacem. Iuxta illud: Ponam fructum labiorum meorum pacem: pacem his qui prope: pacem his, qui longe. Duo labia æterni patris ſunt eſſentia eius, & intellectus, horum fructus diuinus, eſt Verbum ibi genitum & natum. Hic Dei filius ante incarnationem erat his, qui prope, ſcilicet Angelis, eo fruentibus vbi eſt lumen oculorum & pax.

3.Reg 2.c Chryſoſt.in opere imperf. Matth. c. 21. hom. 37.to.2.

Iere.29.c

Pſal.35.b

Iſa.45. b

Iſa.57. d

Dei labia quæ ſint.

Sed poſt incarnationem fuit his, qui longe, videlicet ho-
Pſ.118.u minibus, de quibus antea dicebatur: Longe a peccato-
Iſa.14. a ribus ſalus, ideſt Chriſtus Ieſus. Iam autem prope eſt vt veniat tempus eius: quia ſic incipit Euangelium hodiernum.

Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis, quæ viſio pacis interpretatur. Nam antea non erat talis viſio manifeſta, ſed ſolum in Deo erat viſio pacis, nunc autem ipſemet ad pacem nos inuitare venit, non qualicumque modo ſed mirabili. Nam mirabile eſt, quòd cum ipſa pax inuiſibilis ſit, iam fiat viſio pacis. Hoc certe non venit niſi ex abundantia pacis, quia omnia quæ videntur pacem præſeferunt, nihilq. eſt in proceſsione hac quod pace non redundet. Si Dei filius inuiſibilis, iam viſibilis fit ob noſtræ pa-
Epheſ.2.c cis confirmationem. Nam teſte Paulo: Ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum: deitatem & humanitatem vnum ſuppoſitum: quia pax plurimum gaudet vnitate & magis maiori. Hanc autem vnitatem non fecit Chriſtus
Tit.3. b ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos. ideoq. dicitur ipſe appropinquare Ieroſolymis, quia opus incarnationis non cadit ſub merito: ſed ſub miſericordia Dei, quæ
Pſ.144. b eſt ſuper omnia opera eius: & hinc eſt quòd Bethania ſita eſt in monte oliuarum ex quo venit Chriſtus ad templũ: Pater æternus dicitur mons olìueti, quia eſt pater miſe-
2.Cor.1. a ricordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: quamuis quælibet perfectio in Deo ſit mons, tamen altior mons eſt miſericordia, immo in vertice montium: ideo enim dicta eſt, ſuper omnia opera Dei, & in oleo figuratur, quod alijs ſupernatat liquoribus, vt oſtendatur ſuper alias Dei perfe-
Auguſt. ctiones aſcendere & eis eminere. Vlterius aduerte quòd
lib. 13.de cum altera miſericordia ſit altera maior, & hæc miſeri-
Trinitate cordia incarnationis ſit omnibus altior, teſte Auguſt. in
cap. 19. rebus per tempus ortis: optime ſequitur quòd eſt altiſsi-
80.8. mus mons Olìueti, ex quo Chriſtus venit, de quo dici-
Ephe.2. a tur: Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, Deus filium ſuum, miſit natum ex muliere, qui antea ex patre ſolo natus erat. Viſa igitur obedientia Bethaniæ: quærere libet, an qui a monte venit oliuarum veniet abſque oleo? Si vacuus miſericordia apparebit ante nos? non

certe

terte. Nam Chriſtus vnctus dicitur oleo lætitiæ: ita vt nemo ei adhæreat, quin etiam vngatur ab eo qui præ participibus dicitur vnctus vt ab eo vnctionem participent. Vis hoc noſſe? Audi ipſum Chriſtum dicentem: Non miſit Deus filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum: ecce vnctus totũ mundum venit vngere: quod mire figuratur in columba quæ venit ad expectantes ex monte Oliueti non ſine oliua: quia portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Viridis eſt miſericordia Redemptoris, quam in ſua plantauit Eccleſia, ne vmquam deſit: quia miſericordia eius vſque in æternum ſuper timentes ſe. Et ſicut oliua in domo Dei. Et vt modus miſerēdi eius declararetur, Scriptura dixit in ore allatā oliuam, quam pedibus afferre poterat: quod enim ore præſtatur, dulcius datur & abundantius: primum refertur ad oſculum: ſecundum ad verbum quod ſimul datur ſingulis. Per oſculum ergo pacis verbum Dei Chriſtus, & per verba ſuorum Sacramentorum ſeipſum miſericorditer plantat in cordibus noſtris, vbi optat nidificare. Ad hoc enim affert ramum oliuæ vt nidum videlicet conſtruat in nobis, immo & templum ſibi: cuius oſtia non ſine magno myſterio fecit Salomon de lignis oliuarum, quia primus aditus Dei ad nos eſt per multitudinem miſerationum ſuarum. *Io. 3. b* *Columba Chriſtus eſt* *Gen. 8. b* *Pſ. 102. c*

O ſi nos peccatores veluti Noe faceremus, de quo dicitur: Extendit manum & apprehendit columbam: & apprehenſam intulit in arcam. Vis o peccator vndis mundanæ tempeſtatis agitatæ, aliquantulum quieſcere? aridam manum extende ad retribuendum pauperibus, & columbinum Chriſtum apprehendere poteris in arcam pectoris tui collocandum, qui ſedeat ibi: vt tu tamquam miſericordiam conſecutus ab eo eam alteri non deneges, ſed præſtes, quia propterea dicitur: Si gratis accepiſtis, gratis date. Tibi nunc venit Chriſtus, non expectes, vt veniat contra te. Extende iterum manum armatam contra teipſum ad opera pœnitentiæ, & appræhendes etiam illum: qui ad eleemoſynam extendit manum, accipit columbam, id eſt, gratiam Spiritus ſancti. Si autem manum extendis ad opera pœnitentiæ, capies columbam gemebundam contritionis cum ramo remiſsionis. Extende *Gen. 8. b* *1. Timot. 1. c.* *Mat. 10. A*

etiam ad noſtram columbam capiēdam manum apertam vt hoc ſacro tempore, ſacratam hoſtiam accipias viaticū tuum, & nauticum panem ad te quotidie venientem, de quo ſequitur in Euangelio.

Betphage eſt vetus teſtamentum

Et veniſſet Betphage ad montem Oliuarum. De Ieroſolyma iam dixi. dicam de Betphage, quod interpretatur domus oris vallium, & ſignat vetus teſtamentum, quod factum eſt non ſolum in ore duorum, vel trium, ſed in ore vallium omnium prophetarum, de quibus dicitur: Et valles abundabunt frumento, quod eſt Chriſtus. Hæ valles, ad quas ob humilitatem ſemen Dei venerat, vnum os ſolummodo habent, quia non a ſe, ſed ab illo inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines: ab illo inquam qui locutus eſt per os ſanctorum, quamuis plures ſint fere per vnū os, id eſt vnanimiter locuti ſunt vbique terrarum, ex quo in quæſtione prologi ſententiarum probat Scotus veritatem fidei: quia non potuit niſi ſupremus Deus concordare illos. Domus igitur oris vallium fuit vetus teſtamentum, ſicut gymnaſium prophetarum, ad quod cum veniſſet Chriſtus, ibi promiſſus, ibiq. reuelatus, ſicut promiſerat per prophetas ſuos, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. Sed quia ibi venerat ſpiritualiter, quia eis fuerat repromiſſus. *Cum ergo ibi veniſſet, miſit duos diſcipulos ſuos.* O Dei clementiam quæ non vult inſperate venire nec ſubito, ſed præmittere adhuc alios, ne ſit imparatus locus eius: non vult venire in primo Aduentu, quo iudicari venerat, ſicut in ſecundo, quo veniet iudicare. Non vult venire nunc ſicut rete iactum in paſſeres ſecuros ſubito capiundos, quando in operibus manuum ſuarum comprehenſus erit mundus peccator totus, ac ſi eſſet vnus homo ſolus, hoc ideo: Quia dies Domini ſicut fur de nocte veniet, quando non putatis. Sed in pacis Aduentu præmittit duos immediatos ſibi laterales, vt pacis compleant conſilia, & ſequatur eos gaudium, vtpote illos qui ex terra promiſsionis racemum detulerunt ad filios Iſrael, vt eius fertilitatem contemplarentur ibi: & ſic allicerentur ad eam capiendam, pro qua merito certandum. Duos ergo præmittit qui bona recepturo afferant nuncia Aduentus ſui. Primus fuit Gabriel de quo ait pater filio: Mittam Angelum meum, qui præcedat te.

Pſ. 64. c — 2. Pet. 1. d — Luca. 1. g — Quaſt. 4. — Pſal. 9. c — 1. Theſſa. 5. a — Nu 13. d — Duo diſcipuli miſsi, qui fuerint. — Exo. 23. d

Secundus

Secundus fuit Spiritus ſanctus de quo ipſe Angelus dixit Mariæ: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Nec mirum quòd iſti dicantur diſcipuli, quamuis interpretentur diſcentes plena. Nam Gabriel plena didicit, quia ideo eſt magni conſilij Angelus: & Spiritus ſanctus ſcrutatur etiã profunda Dei. Sed videamus ad quid mittantur, quoniam eis dicitur: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*. Scimus equidem fuiſſe Mariam caſtrum Domini, de quo poteſt intelligi: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. Hoc erat contra eos, id eſt e regione quaſi obuia occurrés Deo ſuo. Non erat a dextris nec a ſiniſtris: ſed ante faciem Domini. Vbi aduerte quòd peccantes in illata aduerſitate dicuntur cadere a ſiniſtris Dei: quando autem peccant ſuccedentibus proſperis, cadunt a dextris. Plures autem peccant in proſperis: ideo dicitur: Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis. Plures in proſperitate per blanditias, quàm in aduerſitate per minas: quia plures aues capit aucupis dulcis ſibilo, quàm agricola eas carpens meſſem ſuam comedentes. Alter dulciter inuitat: alter aſpere proijcit ictibus lapidem. Nos ergo nunc a dextris, nunc a ſiniſtris cadimus: Maria autem vtroque tempore immobilis columna fuit, nullo modo a recto tramite deuians: In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus ſuis. Patet in filij ſui paſsione, vbi & ſtare dicitur iuxta crucem inflexibilis: quia ſicut ex agno ſuo os non comminuerunt Iudæi, ſic ex Maria muliere forti, os forte conſtantiæ non eſt fractum. Non te frangat iſta res, o Maria ſicut nec in illo honore maximo lapſa es, quando tibi Angelo magna nuncianti dixiſti: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ancillari volebas in omnibus, non dominari. Elicite fratres hoc ex Maria Virgine documentum, & cauete vt in aduerſis conemini eſſe domini omnibus dominãtes illatis: ne vos deijciat vlla res. In proſperis autem ſerui eſtote quia ſic docet nos Maria: domina in paſsione, ancilla vero in incarnatione, de qua dicitur: Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. Nubes non lucida, ſed obumbrata fuit Maria in incarnatione. Sed columna ignis ad alta ducentis in paſſione ſeruans lumen fidei, & ſic oportet, quia contraria

Luca. 1. d *Iſa. 9. b* *1. Cor. 2. c* Maria dicitur caſtrum Domini. *Luca 10. g* *Pſal. 90. b* *Luca 1. g* *Io. 19. e* *Exo. 12. g* *Luca 1. d* *Exo. 13. d*

contrarijs vincere decet, vt fuſca ſit anima in clara mundi pompa, & lucida inueniatur, quando ei occidit ſol proſperitatis. Hucuſque de caſtri locatione vidimus: nunc de ipſo caſtro videndum eſt.

Iſtud caſtellum laudabile apparet ex nomine, venerabile ex opifice, mirabile ex ſchemate, amabile ex officio, terribile ex habitatore. In libris Regũ dicitur quòd cepit Dauid arcem Sion & vocauit eam ciuitatem Dauid. Sion ſpecula, & Maria illuminatrix, idem, quia caſtellũ altum eſt: cuius artifex Deus, quia ipſe fundauit eam Altiſsimus. Nec tantum fundauit, ſed ædificauit: quoniam ædificauit Dominus Sion, immo & firmauit quia ei dicitur: Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarũ tuarum. Sic etiam firmatam elegit Dominus Sion in habitationem ſibi. Ideo pſallite Domino, qui habitat in Siõ: annunciate inter gentes ſtudia eius, erga caſtrum iſtud, quia ipſe dicit: zelatus ſum Sion zelo magno, ita vt eam faceret vas caſtrorum in excelſis, hoc eſt illud mirum ædificium quaſi ciuitatis vergentis ad auſtrũ, quod oſtenſum eſt prophetæ, cuius viſionis theſauros occultos neminem ſanctorum, aut doctorum exiſtimo adhuc percepiſſe: quoniam officium huius caſtri eſt multiplex, quia eſt ibi aula, vbi rex moratur: quoniam in Sion habitatio eius, & eſt mater ciuitatis, ſcilicet eccleſiæ quæ ſæpe dicitur filia Sion, id eſt Mariæ. Vnde in hoc Euangelio dicitur Ieruſalem filia Sion, & eſt aſilum refugij peccatorum, & terror hoſtium: quia vt caſtrorum eſt acies ordinata. Et eſt gloria regni noſtri Aſſueri, vt dixi in ſalutatione. Item eſt terribile caſtrum ex habitatore, quia dicit propheta: Dominus de Sion rugiet, quoniam terribilis eſt locus iſte, vbi leo de tribu Iuda rugit contra hoſtes ſuos.

2 Reg. 5. b · *Pſal. 86. a* · *Pſ. 147. a* · *Pſ. 131. c* · *Pſal. 9. b* · *Zach. 8. a* · *Eze. 40. a* · *Cant. 6. c* · *Eſter. 1. a* · *Amos. 1. b*

De munitione huius caſtri audire libeat: quoniam ſicut tripliciter exponitur caſtrum periculo, ſic tripliciter peccatur. Capitur caſtrum vel per vim fortiorem ſuperuenientem, vel per famem, aut per deceptionem: & ſic triplici medio dæmon capit peccatores. Nonnulli enim peccant per impotentiam, alij per malitiam, alij per ignorantiam: contra hæc tria pericula muniuit caſtrum ſuum Deus: contra fragilitatem ſtatuit ibi Pater æternus ſuam potentiam, quia Dominus in Sion magnus & excelſus

Pſal. 98. a

ſus

ſus ſuper omnes Deos: dicit Angelis ſuis: Circumdate *Pſal.47.b*
Sion & complectimini eam, narrate in turribus eius,*&c.*
Filius autem Dei contra ignorantiam ſtatuit ibi gymnaſium ſapientiæ ſuæ: quoniam benedictionem dabit legiſlator, & videbitur Deus deorum in Sion: quia de Sion exibit lex & verbum Domini, ſcilicet carne indutum ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ſuæ. Spiritus autem ſanctus in hoc caſtro poſuit dulcedinem gratiæ omnimode: quia Dominus ipſe ait: affluent ciuitates meæ bonis & conſolabitur adhuc Dominus Sion, ſcilicet ſuper quaſcumque creaturas declinans ſuper ipſam quaſi flumen pacis & quaſi torrentem inundantem melle ſuauiſsimo. De hoc igitur caſtro tam munito dicitur præmiſsis diſcipulis, ſcilicet Gabrieli & Spiritui ſancto. *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*, ſcilicet directe vobis rectum. O quàm directe ibat virginalis puritas ad angelicam puritatem: & eius bonitas ad Spiritus ſancti clementiam! vterque repetit eam ſecundum cor ſuum. Si autem quæritis ad quid venerint, audite quæ iniuncta ſunt eis: *Et ſtatim inuenietis aſinam alligatam.* O quot ipſe Deus venit quærere in nobis aliquid ſibi: & nihil in tentorio noſtro reperit, quia ſumus vt ficus ſine fructibus reperta, & propterea maledicta. Statimauté inuenit in Maria Deus quidquid volebat: nec Deus tantum ſed populus eius, quia Mariæ tamquam ditiſsimæ dicitur: Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: quaſi dicat pro omnibus habes. Alit Maria & nutrit aſellam & pullum: quid ergo inde? nec tot expenſis eos cibat. Aduertite fratres, aduertite rem mirabilẽ, nec putetis aſellam iſtam quaſi vnam de filiabus animalium: nam eſt cunctorum viuentium mater in ſua ſignificatione. Aſina ſiquidem iſta pluſquam propheta eſt. Nam & reprehendit prophetam cupidum eam verberantem, & Angelum, quem ille non cernebat: iſta vidit, illumq. docuit & a via peruerſa reduxit, liberatq. illum ab Angelo percutiente: & a gladio euaginato & argumentata eſt cũ Domino ſuo: ſeq. innoxiam oſtendit, angelumq. habuit defenſorem, qui Balaam dixit: Cur tertio verberas aſinam tuam? felix aſina cui Angeli patrocinantur: & liberatrix Domini ſui extitit, & ſufficienter loquitur allegans

Pſal.83.b *Mich.4.a* *Luca.1.g* *Zach.1.d* *Luc.13.b* *Prou.3.a* *Nu.22.d*

omne impenſum beneficium prophetæ. Iam ergo aſina hæc humanitas Chriſti eſt, quæ neminem iuuat malam peragere viam: omnesq. defert in humeris ſuis per viam bonam, magni conſilij Angelum vidit, ſcilicet Verbum & Deum trinum: quia Trinitas ſibi nota eſt & homini aſ-
Pſ. 72. d ſumpto, quia Chriſtus ait: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Hanc aſinam interimere
Balaã quid. volebat Balaam qui interpretatur inueteratus vel turbatus: & eſt Iudaicus populus, in cuius perſona dicit Da-
Pſal. 6. b uid: Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. Turbatur oculus rationis eorũ
Pſ. 106. c quia turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & ſapientia eorum deuorata eſt, ſcilicet ab ira. Inueteratus etiam erat ſcilicet in occidendo eos, qui ad ſe miſsi erant: & ideo heredem apprehendunt inter anguſtias velut inter duas maceries inter poteſtatem eccleſiaſticam, & ſæcularem, inter Herodem & Pilatum; aut Annam, & Caypham vrgentes aſinam mitem & humilem; ita Chriſtum vrge-
Nu. 22. e bant, quòd ſicut aſina dixit prophetæ, quid feci tibi? cur percutis me? ſic mitiſsimus Chriſtus inter anguſtias
Io. 18. d comprehenſus dixit percuſſori: Cur me cædis? Si male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo. Et ſicut Angelus compatiebatur aſinæ, ſic etiam Chriſto afflicto compatiebatur in horto, quando apparuit ei confortans eum. Denique ſicut illa concidit ſub pedibus ſedentis, ſic mi-
Luc. 22. e tis Ieſus concidit in Cruce, inclinato capite, quando eum ſuppeditare volebant & conculcare acriter. Humanitas
Humanitas Chriſti qd. ergo Chriſti eſt aſella Ieruſalem omnium pauperum peccatorum ſuccurſui deputata, & viribus non habentiũ
Sap. 6. b condonata: & eſt in oſtio, quia præoccupat qui ſe concupiſcunt: immo & volentibus iter paradiſi agere ſe
1. Pet. 2. d offert promptiſsima, & portabit peccata noſtra ſuper
Pſ. 128. a crucem: quia ipſa dicit: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. Hic autem aduerte quòd inſipientior beſtia tunc eſt ſapientibus ſapientior, quando doctiſsimum Dominum ſuum humeris defert, quia vtitur ſenſu Domini ſui: ſicut ille, qui dum ſupra ſe haberet Dominum ſuum, dixit:
1. Cor. 2. d Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Ex hoc infer quantæ ſapientiæ poterat eſſe anima Chriſti dum ſuper eam

ſedit omnipotens ſermo Dei. Nam ſpiritus Chriſti habenis verbi Dei agebatur. Verbum ergo communicauit humanitati vires ſuas ſicut ſeſſor equo ſuo, cui ſua bona præſtat. Pullus aſinæ eſt populus Dei, membra Chriſti, corpus Eccleſiæ, congregatio prædeſtinatorum, quæ adducta eſt etiam filio Dei dicenti: Conglutinaui mihi omnem domum Iſrael. Aſina dicitur ligata, quia in viſceribus Mariæ fuerat caro Chriſti vnita, tempore autem incarnationis opere Spiritus ſancti ex purioribus Mariæ ſanguinibus portio quædam ſeparata eſt, ſubitoq. diſpoſita filio Dei vnienda, qui ait ſecundum Hæbraicam veritatem: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, hoc dicitur a Spiritu ſancto. Gabriel & Spiritus ſanctus ſuper humanitatem poſuerunt veſtes ſuas: quia omnis diuinus & angelicus ornatus homini Chriſto datus eſt, & eum filium Dei deſuper ſedere fecerunt: quādo exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, tunc quaſi ſe incuruauit Deus ſedens ſuper aſinam humanitatis, & filium eius populum electorum, quem ex tunc aptat ſibi ſub iugo fidei ducendum. Si autem hæreticus quiſque perquirat & ſciſcitetur cur iſta fiunt, cur tam diſtantia iunguntur, cur Deus noſter & aſina. Sic inſtans reſpondebo tibi, quòd Dominus his opus habet: hoc iuſsit Chriſtus reſpondendum. Si autem nolens me dimittere amplius inſiſtas, dicam cum Euangeliſta: Hoc totum factum eſt vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Filia Sion eſt beata Maria, quæ in Sion inter puellas nobiles nutrita eſt, & ibi a parentibus oblata, vbi adeo didicit mores domus, vt ipſamet Sion vocari mereretur, de qua plura diximus. Si autem Sion dicatur Maria inquantum mater, tunc filia Sion vocabitur, quia conſentaneam maternitati vitam agebat. Ei ergo dici iubetur prophetia: ei Angelus & Spiritus ſanctus dixerunt quomodo fieret iſtud: & qua de cauſa ei cælorum Rex veniret. Sibi prius venit tamquam matri, vt ex ea ſurgat regere gentes. Suus eſt Chriſtus: filius enim eſt portio viſcerum maternorum: ei venit, quoniam ampliori gratia donanda eſt: eiq. venit, vt per eius manus omnibus communicetur: quia

Hier.13.b *Pſal.39.b* *Phil.2.a* *Zach.9.b* Filia Sion, quæ ſit. *Luca.1.d*

Iud.16.a quia ſcriptum eſt: Dediſti ſalutem in manu feminæ. Manſuetus venit Mariæ ne vmquam timeat pro nobis intercedere: ideo Dei manſuetudo auſum præbet orandi. Venit inſuper ſedens, quia nobiſcum manſurus eſt vſque ad conſummationem ſæculi, nec deeſt Chriſtus, quoniam adhuc manet in altari. Sed videamus quibus inſedet: quia ſuper aſinam & filium ſubiugalis. Super humanitatem tui verbum inſedit, Filius Dei ad nos vſque peruenit Rex hominum factus. Nec mirum quòd tam humili iumento in-
1. Reg.9. ſedere placeat: quoniam primus Hebræorum rex, vnctus
& 10. a eſt dum patris quærebat aſinas, & ſic Dei filius nunc rex prædicatur ductus aſellis. Primum dicitur quòd aſinæ inſedit, quia maiori vnione humanitati erat iunctus quàm pullo, qui populi ſui figuram tenet, quamuis ne a nobis ſepararetur, eius animam a carne ſeparari permiſit. Nec mirum quòd ſubiugalem vocet pullum qui eſt populus Chriſtianus: cum quo ſimul ipſe Chriſtus iugum leue ducturus erat & crucem. Euntes ergo diſcipuli iumenta ornant: quoniam maximus ille Archangelus per actus hierarchicos, & Spiritus ſanctus per infinitam gratiæ infuſionem Chriſti humanitatem præparant, ornantes eam habitibus optimis, qui ſunt animæ indumenta atque ſingularibus donis, vt aptior eſſet filio Dei præparata: nec nos, qui pullus dicimur, caremus his donis: quoniam dona quæ pater ipſe recipit, hereditatem faciunt ipſis poſteris filijs. Daturus eſt nobis quod ipſe accepit. Vnde non
Gen.24.f ſolum Rebecca, ſed ſui acceperunt dona, quæ miſerat Patriarcha pro ſponſalibus. Ideo ac ſi tu ipſe perſonaliter illud recepiſſes regratiare: quia propterea ſequitur in Euangelio.

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.

Tren. 1.b Hucuſque viæ Sion lugebant: Sed iam viæ eius viæ pulchræ: & omnes ſemitæ eius pacificæ, quia venit ipſa ſol-
Lucæ.1.d lemnitas incarnationis, vbi Maria etſi turbata eſt in ſermone Angeli: veſtimenta ornatus ſui ſubiecit pedibus filij ſui dicens: Ecce ancilla Domini. Veſtes Angeli, & Spiritus ſancti ſunt in Chriſto: noſtræ autem & Mariæ ſub Chriſto ſternuntur, ad eius honorem datæ: nam ſi
Iſa.61.d ornatam monilibus filiam Sion Dominus concupiuit: ad eius fuit honorem, quia de Chriſto ad patrem dicitur.

Gloria

Gloria & honore coronaſti eum: & conſtituſti eum ſuper *Pſal.8. b*
opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti ſub pedibus
eius. Gloria coronatur homo Chriſtus, quoniam ab in-
ſtanti conceptionis ſuæ fuit totius gloriæ comprehenſor:
Ita vt de ſanctis Angelis dici queat: *Alij cadebant ramos
de arboribus, & ſternebant in via:* quando Ieſus factus eſt,
quamuis eſſet viator, etiam angelici ſpiritus ramos gloriæ
ſuæ, & obtentas palmas victoriæ Chriſto ſubdere non
verebantur, adorantes ſcabellum pedum eius & humani- *Pſal.98.a*
tatem ſuam verbo vnitam: ex tunc enim cæleſtium, ter- *Phil.2. b*
reſtrium, & infernorum Dominus erat quamuis abſcon-
ditus, ſed plurimum honoratus. Honor autem ſtat in
omnium inferiorum ſibi facta ſubiectione: ex tunc enim
fuit rex vniuerſæ creaturæ, ita vt non indigeat vlteriori
electione: quia propterea natus eſt rex Iudæorum
non infans, aut Princeps: Sed rex gentes recturus a pue- *4. Regum*
ritia ſua, donec reſtituat regnum Iſraeli, quia ſcriptum *14. f*
eſt: Puer paruulus minabit eos. Non ſolum puer recen- *Iſa.11. b*
ter natus, ſed paruulus recenter conceptus minabat An-
gelos, ſecrete tamen donec aperte dicat: Data eſt mihi *Matth.*
omnis poteſtas in cælo, & in terra. Nam & proceſsio *28. d.*
iſta illam ſignificat, qua ſupernam Ieruſalem aſcendere
debet in templum gloriæ magni Dei, quando curiæ cæle-
ſti Angelus Michael dicet verba thematis: *Ecce rex tuus
venit tibi:* ex peregrinatione qua ad regnum mundi de-
ſcenderat ad vtilitatem tuam, vt impleret ruinas tuas,
quoniam ipſe repromiſit dicens: Congregatione congre- *Michea.*
gabo Iacob totum te: & in vnum cōducam reliquias Iſra- *2. d*
el, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, quaſi pe-
cus in medio caularum, tumultuabuntur a multitudine
hominum: Aſcendet enim pandens iter ante eos: diui-
dent, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: &
tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eo-
rum: hæc ille de proceſsione Aſcenſionis, qui correſpon-
det huic deſcenſioni, qua nunc ſe humiliauit. Nam in hoc
Aduentu etiam incipit reuerſio quæ annexa eſt ei ſicut
humiliationi exaltatio: nam etſi a ſummo cælo egreſsio *Pſ.18. a*
eius, occurſus eius eſt vſque ad ſummum eius: & primo
annectitur ſecundum. Si ergo deſcendit, eſt, vt congre-
get Iacob totum & etiam reliquias Iſrael, quę ſumus nos:

duas

duas ergo gentes debuit congregare in proceſsione ſuâ Chriſtus : de quibus ſequitur in Euangelio. *Turba autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur clamabant dicentes : Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*. Turbas domus Iacob, ſcilicet quæ præcedebant, & turbas domus Iſrael, ſcilicet quæ ſequebantur, expreſsit Euangeliſta : quoniam Chriſtus dixit ſe venturum vt congregaret totum Iacob & reliquias Iſrael, nec diuiſionem aliquam aut ſchiſma arbitreris in hac Domini proceſſione : quia ſicut Iacob ipſe eſt Iſrael vna eademq. perſona : ſic vnus eſt populus Dei, quia vnus idemq. Deus nobis & illis, non enim eſt nobis Deus recens, nec adoramus Deum alienum : tamen aliquo modo differt, ſicut Iacob ab Iſrael primo tempore quãdo filius Iſaac erat peregrinus, quando ibat quærere ſibi vxorem, vocabatur Iacob : quando autem reuertitur duabus vxoribus aſſociatus vocatur Iſrael, quaſi in fine proceſsionis ſuæ quam fecit ex terra ſua ad Meſopotamiam, quæ interpretatur conjunctio ſcilicet duarum naturarum. Venit enim ſe conjungere humanitati noſtræ vt eſſent ſimul in vnum ſuppoſitum diues & pauper : & ſicut habuit duas naturas, ſic duo nomina: primum laboris, ſecundum altæ contemplationis. Laborat vt Iacob : contemplatur vt Iſrael, ſic etiã habuit duas vxores, Lya & Rachel, quæ ſunt Sinagoga & Eccleſia, harum erant turbæ quæ præcedebant & ſequebantur : quoniam & ſorores fuerunt. Præeuntes parum vident de ſequente eos rege : & propterea lippa erat Lya ſinagogæ figuram tenens, quæ parum de Chriſto cognouit, qui tunc vocabatur Iacob, ideſt planta ſeu veſtigium: per veſtigia enim figurarum inueſtigabat eum : ſed Rachel quę eſt Eccleſia cũ ſuis, nunc ſequitur Redemptorem claris oculis & viſu perſpicaciori, de quo dicitur : Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & propterea nunc Dominus eſt Iſrael, nos fideliter Deum incarnatum videre faciens. Attende tamen quòd turba ſequens non videt faciem regis, ſed poſteriora eius : & ſic nos etſi Deum incarnatum videamus, non tamen facie ad faciem, ſed ſolummodo ſua exempla poſteriora nobis imitanda & ſequenda : ſi turba ſequens eſt felicior in eo quòd regem videt : turba præcedens in hoc præualet quòd ſi caput vertat

Pſal. 80. b
Gen. 28. a
Pſ. 48. a
Matth. 13. b
Luc. 10. d

tat, videbit faciem eius ſemper. Turba patrum præceſsit Chriſtum, quæ iam nobis eſt felicior: quoniam poſt redemptionem ſemper vident faciem eius: & ideo Meſopotamia, alia interpretatione dicitur redemptio: poſtquam turba præcedens videt faciem Chriſti ſui in cælo. Si autem turba ſequens, quæ ſumus nos, eam videre cupimus: oportet ei clamare cum patre ſuo Dauid: Reſpice in me, & miſerere mei: quia vnicus, ideſt deſtitutus, & pauper ſum ego: tribulationes cordis mei, *& cet.* In die proceſſionum pauperes clamando poſtulant vitam ſuam, & totũ victum ſuum. Si autem rex miſericors fuerit, tunc eleemoſynas ampliores elargitur: quapropter vnicuique veſtrum dico fratres: *Ecce Rex tuus venit tibi*, nec ad Virginem matrem ſuam venit filius Dei, niſi propter nos homines & propter noſtram ſalutem: & vt nobis viam faceret accedendi ad eum: & vt ſic natus de muliere manſuetior eſſet nobis & cognatus: quoniam caro noſtra & frater noſter eſt. Ideo aſellam ſuam accommodauit nobis, vt poſt eum aſcendamus in ſupremam Ieruſalem matrem noſtram, quæ ſurſum eſt. Fugite fratres equum luciferinum ſuperbiæ, qui per ſaltum ambitionis præcipitat ſeſſores ſuos, ſicut & angelos deiecit in profundum laci. Aſellam Domini quęrite ad iter verum ducens ad vitam peragendam. Docta enim eſt humiles ad cælum vſquę perducere. Ex hoc enim plagata eſt: de quo miratus quidam dixit: Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & reſpondit: His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Nec miremini quòd clauis plagas ſuſcipiat: quia tenera eſt caro Saluatoris: ſicut tenerrimus ligni vermiculus. Dum enim hæc aſella portaret lignum Crucis ad noſtrum amorem nutriendum, cum illo manſit plagata: nihilominus ducite eam, quoniam aliter aſcendere non poteritis: quia nec ouis ad ouile peruenit, niſi in humeris boni paſtoris. Nec vulnera timeatis, quia vulnera iam non vulnerant, ſed ſanant vlcera: etenim propheta dicit: Liuore eius ſanati ſumus. Dicamus ergo ei: *Oſanna.* ideſt ſalua obſecro: ſalua deprecor nos o fili Dauid, memor eſto patris tui qui ſibi commiſſos ſaluare ſolebat. Memento Domine Dauid & omnis manſuetudinis eius. Nec ſolum terreni Dauid ea parte, qua es homo, venis; ſed

Matth. 18. b

Meſopotamia quid.

Pſal. 85. a

Habetur in ſymb. miſſę

Gen. 37. f

Gal. 4. d

Zac. 13. b

1. Pet. 2. d

Pſ. 131. a

Mar.11.b nis: ſed ex parte Dei. Qua propter: Benedictus qui venit in nomine Domini benedicere nos in pace: quia qui be-
Gen.27.e nedixerit tibi benedictionibus replebitur, eritq. benedictus. O Domine Ieſu quis te in humili aſella videret in modum crucis dextera tua benedictionem conferre his qui præibant & ſequebantur! qui velut Pontifex fu-
Heb.9. b turorum bonorum ſancta & æterna redemptione inuenta, ducere decreueras tuos in Sancta ſanctorum: hic per gratiam, & in futuro per gloriam, *& cetera.*

SECVNDÆ DOMINICÆ SERMO DE ADVENTV AD IVDICIVM.

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

PRO gratia obtinenda, nota, vt dicit Philoſophus, quòd natura determinatur ad vnum modum agendi: ſed vt addit Commentator, bene poteſt ad plura determinari diuerſis reſpectibus, ſicut patet in diuiſione maris ru-
Exo.14.f bri: quæ duobus contrarijs deſeruiuit, ſcilicet euaſioni iuſtorum & naufragio impiorum. Nam illi tranſierunt per ſiccum: & iſti in illo ſuffocati ſunt. Patet etiam in Ad-
Ioſue.8.a uentu arcæ Domini ad ciuitatem Hay: cuius muri non volentes aduentum arcæ ſuſtinere, corruerunt: tamen He-
Pſal.19.b bræi hoc videntes econtra dicunt: Surreximus & erecti ſumus, ſcilicet nunc qui antea cecidimus, non putantes nos poſſe obtinere vrbem. Sed forte quiſpiam dicet quòd hæc duo exempla non tantum ad naturam, quantum ad fortiorem vim attinent. Nec enim in illis duobus ſola operata eſt natura: quin auctor naturæ partem fortitudi-
Exemplũ. nis ſuæ adderet. Attamen eſt exemplum mere naturale in ſo-

in ſole qui operatione vna duo facit, ſcilicet exſiccare pannos madidos, & niuem liquefacere, quæ duo contraria videntur. Sed ad moralem intelligentiam nimis conferunt iſta duo, ſcilicet exſiccatio, & madefactio: vbi attende quòd ſol iuſtitiæ Deus noſter, qui ſicut ſol regit mundum, animas regit. Materialis ſol regit hominum tempora: Deus autem ſol cæleſtis, ſpiritus & animas iuſtorum moderatur. Duo tamen præcipua nunc in aduentu ſuo facit. Primum exſiccare pannos madidos, ideſt tepidos peccatores. Nam ideo dicitur: Areſcentibus hominibus præ timore, *& cet.* Sicut enim fidelis gaudet dum audit regem venire, & pro redemptione ſua leuat caput: ſic delator præ timore ait: Aruit tamquam teſta virtus mea, ideſt iucunditas mundialis, & lingua mea adhæſit faucibus meis, quia non audeo allegare pro me, ideo in puluerem mortis, ideſt in pœnam peccati deduxiſti me. Sed inſolitum eſt, quòd eueniat hoc illis, qui aduocatam habent matrem Dei, quoniam Ieremias ait: Filij Sion incliti & amicti auro primo: quo modo reputati ſunt in vaſa teſtea? Attendite ergo fratres, quia Deus non ſolum habet vnum modum agendi ſcilicet iuſtitiæ, quin miſceat modum miſericordiæ. Dum enim te exſiccat, dum aufert a te, quæ tibi placita erant, liquefacit niuem, ideſt Mariam matrem ſuam, vt ſiccitati tuæ ſubueniat, & abluat puluerem mortis tuæ, pęnasq. diluat peccati tui: ſcriptum eſt enim de ipſa, & de peccatoribus: Niue dealbabuntur in ſelmon, mons Dei mons pinguis. Hiſpani dicunt, annus niuium annus bonorum eſt, nix liquefacta ad nos vſque decurrens beata Maria eſt, qua dealbabuntur peccatores in monte Eccleſiæ, qua & pinguis fit mons Dei: quoniam adipem ſuum Maria, & peccatores Eccleſiæ filios deſtinare non ceſſat, maxime dum ſupplices ei ſe tradunt genibus flexis dicentes, Aue Maria.

Luc. 21. e

Pſal. 21. b

Tre. 4. a

Pſal. 67. b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

EX Bethania venit Ieſus in templum, & Bethania etiam interpretatur domus cantici, & eſt Eccleſia triumphans, vbi cantatur quaſi canticum nouum, alleluia: ex illa domo veniet ad iudicium, quod ſuper templum

Ieruſalem faciet Chriſtus a cælo egreſſus in aera directe ſuper templum Ieruſalem, vbi ſæpius prædicauit, templo igitur dico: *Ecce rex tuus veniet tibi.* In toto ſermone iuxta ſeriem Euangelij agam de vniuerſali iudicio.

Aduẽtus regis Dei multiplex.

Ad varia diuerſimode conſueuit rex ad ciuitatem ſuam venire: nunc venit viſerereginam, & ſic Deus venit ad Mariam: nunc venit, vt rebellem ciuitatem ſibi reſtituat, & ſic venit quotidie ad peccatorem, & animam peccatricem: nunc ad congratulandum ciuibus, & ſic Deus venit ad iuſtos: nunc vt aliquid nouum in ſua condat ciuitate, & ſic Deus ad recenter prelatos in quibus dignitatem condit: nunc ad ſubueniendum patientibus vim, & ſic Deus venit ad tentatos: nunc venit ad haſtiludia, & ſic venit ad contemplantes: nunc venit fugiens, & ſic Deus videtur facere, quãdo vel hæreſibus, & alijs peruerſitatibus vndique inundantibus, ſolet quemdam ſanctũ efficere ad tuendum eccleſiam ſuam: immo & temporibus noſtris dum apud nos frigeſcit fides, in indos videtur Deus fugiſſe, vbi reperitur: nunc venit punire mala, & ſic Deus venit ad peruerſos: nunc denique ſolet venire ad ſubuertendum radicitus vrbem rebellione inueteratam, & ſic Deus veniet ad mundum in vniuerſali iudicio, de quo incipit Euangelium. *Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis:* vt aiunt Deus illo tempore ad mortis iudicium particulare venit, quo iudicandus homo paratior eſt, hoc ego dubito, tamen habeo pro certo, quòd ſaltem eo tempore venit iudicium mortis, quo ſi in reliquo temporis fiat comparatio, minus male ſe gerunt peccatores: vnde ſi ſtatum mortis tuæ conferas ad reliquum temporis in meliori ſtatu te apprehendet mors, quæ ideo eſt reſecatio malorum noſtrorum ne deterius eis aliquid eueniat: immo arbitrandum eſt ſic etiam iuſtis euenire mortem ſtatuto a Deo tempore: ne ſi amplius viuant eorum ſanctitas minoreſcat: vtriſque igitur conuenit illud Ionæ: melius eſt mihi mori quàm viuere: quemadmodum ergo particulare iudicium meliori tempore venit, vt probaui, ſic iudicium generale: tamen ſciri minus poteſt tempus iudicij quàm aliud: quoniam vt ait Scotus: Minus poteſt ſcire homo iudicium generale quàm reſurrectionem generalem. Et ſanctus Thomas tenet quòd de lege non eſt iudicium reuelabile: ideo dicitur quòd Ieſus appropinquat, ſcilicet ad iudicium

Iona. 4. c

Scot. 4. ſent. diſt. 47. q. 1.

iudicium non eo modo, ſed occultius quo cetera diſponit, quia de hoc ſignanter dicitur: quando non putatis filius *Luc.12.e* hominis veniet. Sane quidem: Nam quis poterit cogitare diem aduentus eius? nemo equidem: vnde repente audies. *Ecce rex tuus venit tibi*, ſcilicet iudicare: tamen quamuis occultiſsime veniat, appropinquare non ceſſat Ieroſolymis ad iudicandum veniens. De hoc aduentu *Soph.1.e* ait ipſe Dominus: Et erit in tempore illo: Scrutabor Ieruſalē in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis, non faciet bene Dominus, & non faciet male, ſcilicet in tēpore iudicandi: quod ſolus Deus nouit. Scrutabitur Ieruſalem in lucernis: ſcrutans corda, & renes Deus. Nam vt alibi aſſeritur: A domo ſua & a ſanctuario ſuo incipiet iudicare Dominus: *Pſ. 7. b* nec ſolum iudicare, ſed ſcrutari, nec ſolum ſcutari, ſed *1.Pet.4.d* in lucernis: tamen cum hoc propterea quando ſilenter atque tardus venit Dominus: viri defixi in fæcibus ſuis dicunt: Non faciet bene Dominus, & non faciet male ſcilicet in iudicio: cum ſcriptum ſit: Dicite iuſto quoniā *Iſa.3. b* bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet: væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. Multi ergo quaſi per ſomnium cogitant iudicium, & fere putant quòd non faciet Dominus bene, ideſt non benedicet iuſtos: nec faciet male, ideſt non maledicet malos: qui malos male perdet. Ad bonos denique ac malos *Matth.* iudicium Dei pertinet: quoniam ideo Ieruſalem inter- *21. d* pretatur viſio perfecta vel conſummata, cum Dominus ad iudicandum venerit, appropinquabit viſioni perfectę & cōſummatæ: & ideo dicitur afferre lucernas. Nam Deus qui tunc erit verus ſol iuſtitiæ, quando iuſtitia orietur ſimul, nec malos nunc perfecte videt, nec bonos conſummate: quia nec illos perfecte punit, neque hos conſummate præmiat. In iudicio enim de prauis hominibus dicet Ieſus: Perfecto odio oderam illos & inimici facti ſunt *Pſ.138. d* mihi: nunc imperfecte quodammodo eos odit Deus: & imperfecte videt peccata eorum: quoniam interea charitas, & miſericordia diuina operit multitudinem peccatorum, quem Deus diſsimulat vſque dum ipſe ad iudicandum veniat: quia tunc de relapſis, & malis dicetur: nudus erit infernus coram illo: & non erit operimentum *Iob. 26. b*

perditioni : operimentum quo mali ſe nunc poſſunt tegere eſt illud de quo dicitur: Confeſsionem & decorem, ſcilicet verecundiæ induiſti. Ecce igitur quo modo tunc perfectæ viſioni appropinquabit Dominus: quoniam iota vnũ aut vnus apex non præteribit a lege: de quo non quærat optimam rationem: quam ſi non inuenerit totaliter, in anima & corpore, caſtigabit æternaliter iniquos ſecundum vites ſuas. Nunc qui habet aurem non audit vocem delictorum hominum: & qui habet oculum non conſiderat eorum crimina: quia non ſecundum peccata eorum retribuit eis.

Pſ.103.a Mat.5.b Pſal.93.b Pſ.102.b

Secunda interpretatio ad bonos pertinet, quos Deus quodammodo conſummate nunc non videt, quia ſemiplene, & ſolum in anima præmiat eos, nam in iudicio cantabunt: Omnis conſummationis vidi finem: Paulus etiam connumeratis ſanctorum laboribus & erumnis, ait: Hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſsionem: Deo pro nobis melius aliquid prouidente: vt non ſine nobis conſummarentur. Appropinquat ergo Chriſtus, & venit malos perfecte punire, & bonos con ſummate vtraque ſtola præmiare: quod faciet in iudicio de quo ſequitur. *Et veniſſet Betphage*: quæ interpretatur domus buccæ vallis. Hic aduerte quòd in diuerſis domibus diuerſa operatur Deus, qui multiplicem domum habet ſecundum eius varias operationes, immo pro vno quoque membro ſuo habet Chriſtus peculiarem domum. Domus capitis Chriſti eſt anima contemplantis: vbi caput ſuæ diuinitatis reclinat. Domus oculorum Chriſti eſt Maria de qua dicitur: Domine dilexi decorem domus tuæ: de hac domo ait Chriſtus: Permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus: domus aurium Chriſti eſt fides quæ dicitur domus orationibus apta: In qua qui quæris inuenit, & pulſanti aperitur, ſi poſtulat in fide nihil hæſitans. Domus autem oris Ieſu domus buccæ ſuæ, ſita eſt in valle Ioſaphat, quoniam per prophetam dicit: Congregabo omnes gentes, & ducam eas in vallem Ioſaphat: & diſceptabo cum eis ibi. Non dicitur ibi ſita domus oris Chriſti ob aliud, niſi quia nunc videtur tacere. vnde in Pſalmo, vbi agitur de vniuerſali iudicio dicitur: Deus manifeſte veniet: Deus noſter & non ſilebit. Hoc videtur

Pſalm. 118. m Heb.11.g Domus Dei multiplex. Pſ.25.b 2. Paral. 7. c Mat.7.b Ioel.3.a Pſal.49.a

videtur eſſe reſponſum ad prophetam quærentem: Quare *Abac.1.d*
non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? In domo igitur oris ſui, quæ ſita eſt in valle Ioſaphat, aperiet os ſuum Chriſtus, & iudicium gentibus proferet, quale numquam fuit: quoniam Iſaias dicit: Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator *Iſa.42.e*
ſuſcitabit zelum: vociferabitur & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur: tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſsipabo, & abſorbebo ſimul. Mirum eſt quòd ipſe Deus dicat ſe ſiluiſſe ſemper, cum per infirmitates, & peſtes, & fames, & etiam tempeſtates e cælo ſæpiſsime locutus ſit: tamen duriori lingua vtetur in iudicio, qua numquam hactenus locutus eſt. Nec ſolum dura erit, ſed acuta. Vnde Ioannes ait: De ore eius *Apoc.1.d*
gladius ex vtraque parte acutus exibat. Gladius iſte diuinæ ſententiæ viuus & efficax erit, quoniam alius propheta dicit: Ardens furor eius & grauis ad portandum: labia *Iſa.30.f*
eius indignatione ſunt plena, & lingua eius quaſi ignis deuorans. Ecce quo modo lingua ferrea, & acuta omnia concremante vtetur Deus in iudicio vniuerſali: quæ dicitur ex vtraque parte acuta, quoniam vndique feriet etiã corpus & animam, pro commiſsis & omiſsis homines & dæmones crucians. Hoc mire figuratur in Geneſi, vbi dicitur: Cæpitq. Noe vir agricola exercere terram, & plan *Gen.9.d*
tauit vineam: bibenſq. vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo. Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaam, verenda ſcilicet patris ſui nudata: nunciauit duobus fratribus ſuis foras. At vero Sem & Iaphet palliũ impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris: facieſq. eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorũ erit fratribus ſuis. Dixitq. Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaam ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq. Chanaam ſeruus eius: hæc ibi. Noe interpretatur requies, & eſt filius Dei, qui nondum ad ple- *Noe quid.*
num requieuit ab opere redemptionis. Nam de iſto opere dicitur: Cæpitq. Noe vir agricola exercere terram, quando per incarnationem egreſſus eſt ad agrum mundi, terre-

nus factus cæpit exercere in ſe quod alios docturus erat ? immo & iudicium incæpit dum dixit : Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ? Noſter igitur Noe plantauit eccleſiæ vineam, quorum palmites primi fuerunt apoſtoli : vinum eſt amor : cuius ardor tantum apprehendit Chriſtum, vt ſe nudari permiſerit in tabernaculo crucis, immo & ibi ex ardore charitatis ebrius, patiebatur ſitim dilectionis noſtræ. Peccatores tamen ignorantes myſterium, derident nuditatem Chriſti per quem verenda eius apparent. O fideles Chriſti attendite Chriſtum calice paſsionis ebrium, & nudatum etiam a propria vita : vbi pudenda eius apparent. Nonne pudenda, & verenda ſunt paupertas, humilitas, pœnitentia, mititas, fames, ſitis, labor & afflictio ? hæc ſicut verenda deridet filius minor, cœtus ſcilicet malorum, & a dæmonibus minoratus, qui non derident : ſed credunt, & contremiſcunt. Superbus nonne deridet humilitatem Chriſti, & pudet eum ſimilia ſequi ? Auari nonne derident Chriſti paupertatem, & pudet eos pauperes fieri ? Luxurioſi nonne derident abnegationem voluptatum, & pudet eos opera pœnitentiæ inchoare ? Guloſi nonne derident inſipida cibaria Chriſti ſui, & pudet eos aquam bibere ? Irati nonne derident manſuetudinem Redemptoris, eosq. pudet tacere dum iniuriam patiuntur ? Ocioſi nonne derident laborioſa opera Chriſti, & eos tædet ſimilia ſequi ? Væ fictis chriſtianis deridentibus ea, ex quibus nati ſunt Deo: ex virtutibus enim virilibus Chriſti, quas dixi, nati ſumus omnes nos, ſi has vilipendimus, degeneres comprobamur : ideoq. maledictioni ſubiacebimus paterna hereditate orbati, & etiam ſubſannationi expoſiti dicente Deo : ego quoque in interitu veſtro ridebo. Sed mirum eſt, quòd vir ſanctus Noe Cham & filiũ ſuum Chanaam maledixerit, cum ipſe Cham crimen ſolus videatur perpetraſſe : ſed nos docemur in hoc, qualiter odio eſt Deo impius & impietas eius, quæ eſt velut proles. Vnde ſecundum Iſidorum Chanaam interpretatur motus eorum, ideſt opus : in hoc etiam quòd vidit, & annunciauit foras, duplex notatur iniquitas, ſcilicet interior in corde, & exterior in opere. Nam qui ex induſtria ſe iactans nunciat in opere, aut verbo malitiam cordis, intus & extra committit

Luc. 23. e

Verẽda quę ſint.

Iac. 2. d

Prou. 1. c

Sap. 14. b

committit peccatum, ſcilicet duplex, quod eſt tamquam pater & filius, qui ſigillatim ſunt maledicendi: vnde ſequitur: Euigilans autem Noe ex vino cum didiciſſet, quid fecerat filius ſuus minor, ſcilicet Cham, dixit: Maledictus Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. In filio maledicitur & pater, quoniam Deus in opere malo, & per opus malum maledicit peccatori tamquam factori ſuo. Nunc tamen dormit noſter Noe: at tenetur amore ſponſæ ſuæ eccleſiæ tamquam vino vineæ ſuæ: tamen in reſurrectione generali euigilabit, ſicut ille vigilauit, qui miſſus fuit e cælo ad arborem deſtruendam. In hoc ſcilicet ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis, exprimitur tota maledictio iudicialis, qua peccatores ſerui dæmonum fratrum ſuorum erunt miſsi in ignem paratum diabolo & angelis eius: vel damnati deſeruient gloriæ beatorum. In quorum damnatione vario reſpectu poterunt gloriari. Sãctus Noe in benedictione Sem, & Iaphet expreſsit benedictionem, quam Chriſtus ſuis aptabit, non ſolum angelis & hominibus, ſed animabus, & corporibus, in quibus dilatabitur gloria beatitudinis: eritq. amplior quàm nunc eſt in cælo: vnde ſequitur in Euangelio. *Matth. 25. d*

Ad Montem Oliueti. Quemadmodum tribus ſtationibus vtitur Deus in omni alio aduentu, ſic etiam in iſto: quapropter iam oſtenſo quo modo venit appropinquans Ieroſolymis, & Betphage, operepretium erit quaſi tertio loco innuere ſtationem montis Oliueti. Non mireris candide lector me de monte Oliuarum velle aliquid ingerere auribus tuis, quoniam etſi Ioel dicit: Aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes: non propterea mons Oliuarum carebit iudicio vniuerſali, quoniam Chriſtus iudicaturus non deſcendet ad terram, immo nos aſcendemus obviam Chriſto in aera: exiens autem a cælo per eãdem partem qua ingreſſus eſt, exiet, angelo dicente: Quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum ita veniet: iniqui erunt in terra nolentes nec oculos ad iudicem leuare, ſed clamabunt alter ad alterum: Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo a facie timoris Domini, & a gloria maieſtatis eius: quin & teſte Iob ab ipſo inferno exire minime vellent, ſed ibi protegi donec tranſeat furor Dei. Sancti autem per gra- *Ioel. 3. c* *1. Theſſa. 4. d* *Act. 1. b* *Iſa. 2. c* *Iob. 14. c*

dus gloriæ ſuæ eo altiores erunt ſub iudice, quo beatiores ſunt in cælo. Soli ergo impij remanebunt in terra nō ſolum Ioſaphat, & monte oliuarum, ſed alia circum circa loca implentes. Nec ergo mirum quòd in monte oliuarum dicam iudicium fore, quia ibi vt ait gloſſa: fulminabitur antichriſtus per Michaelem deijciendus: & ab illo loco videtur proferendum iudicium vindictæ a quo recepimus ampliora dona, ſcilicet apertionem cæli, quæ ex monte olìueti fuit incœpta in aſcenſione, & perfecta dum Chriſtus ex eo directe ingreſſus eſt cælum. In ſigno huius cæli apertionis numquam deinceps potuit lapidibus claudi locus ille quo Dominus aſcendit: ſed in medio Eccleſiæ quam ibi conſtruxit Helena, manet altum foramen, vel potius cæli feneſtra, vel porta gloriæ Chriſti: immo & in hoc monte maximum peccatum perpetratum eſt, quando rex Salomon in eo ædificauit delubra excelſa. Vnde vocatus eſt mons offenſionis, quia ſcilicet in illis idolis offendit Salomon Deum ſuum. A loco ergo idolatriæ adorandus iudex decentius poterit idolatras, & auaros damnare, & omnes peccatorum ſtatuas comminuere. Nec tibi ſit durum quòd iudex ſtet ſuper hunc montem: nec tibi Ioel obſtet. Nam Ioſaphat interpretatur Dominus iudex: cum ergo iudicium dicitur in valle Ioſaphat futurum, ſenſus eſt. Iudicium erit in valle Domini iudicis. Reſpectu autem Dei totus iſte mundus vallis eſt, & locus (in quo iudex viuorum, & mortuorum maiorem dominationem oſtendit,) eſt mons oliuarum, ideoq. ibi videtur futurum eſſe iudicium: tamen aduerte quòd vt ait doctor illuminatus, tria reperiuntur loca in quibus dicitur futurum eſſe iudicium. Primus mons Sion erit in nouiſsimis diebus præparatus mons, *& cet.* Secundus locus eſt mons olìueti de quo dicitur: Egredietur Dominus & pedes eius ſtabunt ſuper montem olìueti. Tertius aer: quia exibimus obuiam Chriſto in aera, rapti in nubibus. Sed iſta concordantur, quia Chriſtus erit in aera propinquo omnibus illis locis. Perfecti erunt in monte Sion: alij in monte olìueti: vulgus in valle Ioſaphat horum montium medio. Mons ergo denotat iuſtitiam: nam propterea dicitur: Iuſtitia tua ſicut montes Dei, ſcilicet ſicut mons oliuarum, & mons Sion circumdantes vallem Ioſaphat,

Gloſſa in 2. Epiſto. ad Theſſ. cap. 2. tomo. 6.

4. Reg. 23. c

Ioſaphat quid.

Act. 10. g

Scot. 4. ſent. d. 47. q. 1.

Iſa. 2. a

Zac. 14. a

1. Theſſa. 4. d

Mons denotat iuſtitiā.

Pſ. 35. a

Ioſaphàt. Iuſtitia futuri iudicij confertur montibus iſtis, qui montes trium luminum vocantur. Primo ſcilicet illuminabantur a luminaribus templi Salomonis. Secundo a ſole ibi maturius refulgente. Et tertio ab oleo oliuarum ibi exiſtentium. Sic ergo iudicium Dei triplici claritate decorabitur: prima erit a ſole iuſtitiæ Chriſto nudante omnia: Qui manifeſtabit conſilia cordium. Secunda vero *1.Cor.4.a* a proprijs conſcientijs hominum, ibi patulis. Nam te ipſum ibi damnabis dicente Iob: Si iuſtificare me voluero: *Iob.9.e* os meum condemnabit me. Tertio illuminabitur iudiciũ Chriſti ab omnibus creaturis, quæ apoſtolis ſedentibus ad iudicandum Iſrael, acclamabunt contra impios, qui eis abuſi ſunt: & ideoq. dicitur Deus vocare cælum deſurſum & terram deorſum, vt diſcernat populum ſuum. *Pſal.49.a* In iudicio etiam Dei neceſſarium erit oleum, quo ſi careas dicetur tibi: Clauſa eſt ianua vitæ quam intrare non valét, *Matth.* niſi afferentes oleum ſecum, vt prudentes virgines: ibi *25. a* de operibus miſericordiæ exigetur ratio: & ideo nunc *Miſericordia iudicio neceſſaria.* oleum miſericordiæ præpara tibi pro monte olíueti, quia ibi lucebit: ibiq. euidenter patebit miſericordiæ ſublimitas dicente iudice: Eſuriui & dediſtis mihi, *&c.* Apta ſe- *Ibid. d* ptem opera miſericordiæ ſeptem partibus beatitudinis, & videbis quàm confortata eſt miſericordia mons Dei mõs *Pſal 67.c* pinguis: interea tamen de antecedentibus iudicium ſequitur.

Miſit duos ex diſcipulis ſuis. Iſti duo communiter dicitur, quòd ſunt Helias & Enoch præmittendi ante iudiciũ. In Helia zelum Dei poteris intelligere terribilem. Nam ſicut Helias fecit ignem deſcendere ſuper iniquos, ſic Deus præmittet ignem conflagrationis: de quo cum Sophonias propheta vellet prophetare, & totum capitulum primum conſumpſiſſet, loquendo de iudicio concluſit dicens. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra. Si de hoc *Soph.1.d* igne latius loqui placet, vide Scotũ in quarto. Enoch præ- *Scot.4.ſent. d.47.q.2.* ſefert clementiam Dei, quæ pariter iudicium antecedet: iſtum arbitror deſtinandum ad conſolationem bonorum, ſicut alterum ad terrorem malorum: quoniam Enoch ſine morte per totius fere ſæculi tempus remotus ab hominum conuerſatione cuſtoditur, vt in eo, qualiter homines, ſi non peccarent generata prole, commutarentur in

cælum,

cælum, ſine morte oſtenderetur. Iſti denique Apoſtoli duo præmiſsi ante iudicium, deſignant zelum Dei, & clementiam eius, quæ iudicio non deerit: quia propter ea: *Pſ. 57. b* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: & ſtabunt iuſti *Sap. 5. a* in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Sunt & iſti duo diſcipuli cœtus angelorum, & cœtus beatorum, qui tamquam virtutes cælorum mouendi ſunt ante iudicium. Nec mirum, quia de primis dicitur: *Matth. 24. e* Mittet filius hominis angelos ſuos. De alijs autem ſcilicet ſanctis ſatis liquet. Nam citiſsimi deſcendent ad propria corpora reſumenda ſibi. Iſtis denique duobus dicitur: ***Ite in caſtellum quod contra vos eſt.*** In Euangelio dicitur, quòd *Luc. 17. c* dum intraret Ieſus in quoddam caſtellum occurrerunt ei decem viri leproſi, omnes equidem ſæculi ſtatus præſignãtes, quos viſitare veniet acrius in iudicio vniuerſali: ergo caſtellum eſt mundus habens tria, ſcilicet turres ſuperbiæ, quibus ſe putat ad cælum vſque pertingere. Et ſecundo habet murum obſtinationis, quo etiam Deo reſiſtit. Habet tertio foſſam concupiſcentiæ, quæ numquam ſatiatur. Tria præcipua iudicia feciſſe legitur Deus. Primũ in cælo contra ſuperbos. Secundum in ſulphure igneo quinque ciuitatum, & hoc fuit contra obſtinatos. Tertium in diluuio contra deditos voluptati. Hæc tria ſimul reperiuntur in iudicio vniuerſali: vbi & ſuperbia, & obſtinatio, & concupiſcentia omnimoda regnabit, quæ tria ſunt contra beatiſsimam Trinitatem: contra Patrem ſuperbia: contra Filium auaritia: contra Spiritum ſanctum obſtinatio, claudens viam veniæ.

Mundus quare dicatur caſtellũ

Superbia, auaritia, & obſtinatio aduerſãtur Trinitati.

Scot. 1. ſent. d. 8. q. 4. & d. 31. q. vni. Profundius hic etiam aduerte, quòd vt ait Scotus inter attributa Dei eſt ordo: quia quæ prius emanant prius manifeſtantur. Hic autem ordo non aſsignatur in eo quòd ibi ſit aliquid, hoc poſt hoc, ſed hoc ab hoc, quæ quidem origo ſufficit ad ordinẽ. Iam ergo in rebus ad extra, quod prius nobis apparet eſt creatio, quæ, quia Pater eſt, prima perſona ei attribuitur: Filio autem redemptio: & Spiritui ſancto iuſtificatio. Ratione igitur creationis Patri debetur humilitas: ratione redemptionis Filio debetur liberalitas: ratione iuſtificationis debetur Spiritui ſancto munditia. Contra iſta tria, quæ nunc perlucent in ſanctis inuenies in mundo maiori, & minori, ſuperbiam contra Patrem:

Patrem : auaritiam contra Filium : immunditiam contra Spiritum ſanctum. Superbus irrogat iniuriam Patri Creatori : nam deberet eſſe homo inter duo nihil : ex primo factus eſt : & ſecundum eſt id ad quod tendis, niſi manu Dei tenearis : auarus fuiſti in iniuriam Filij, te ſolum amans, qui cum eſſes inimicus te reconciliauit ſecum, ſuumq. ſanguinem tibi præſtitit : carnalia ſecutus es in iniuriam Spiritus ſancti te iuſtificantis. Quid ergo manet niſi quòd te Pater annihilaret Creator? vt te de medio ſublato ſe vendicaret. Sed quia miſericordia ſuper exaltat iudicium, non conſumeris tamen, quia miſericordia non debet iudicio derogare : quodammodo annihilatur peccator, dum liberum arbitrium ſuum impeditur, ne exeat in opera de genere bonorum ſicut ficus maledicta, quæ etſi manſit, non potuit deinceps dare fructum, ideoq. velut annihilata manſit : in hoc autem durius fit iudiciũ Dei per huiuſmodi miſericordiam, quia melius eſſet ex toto annihilari : nam ideo quærent homines mortem : tamen fugiet mors ab eis. Quia contra Filium auarus es, dabitur tibi ſumma paupertas, ſic vt careas gutta aquæ : quia etiam immundus es contra Spiritum ſanctum, dabitur tibi pœna damni per omnes ſenſus tuos, ita vt ſtatim obliuiſcaris omnium voluptatum præteritarum: habet ergo caſtrum tria mala, ſcilicet ſuperbiam turrium contra Patrem : duritiam auaritiæ figuratam in muro contra Filium : immunditiam foſſæ contra Spiritum ſanctum. Primo tamen dabitur tanta deiectio, vt nec bonum valeas cogitare, nec placidum. Secundo autem dabitur pęna damni, pœna omnimodæ carentiæ. Tertio dabitur pœna omnium ſenſuum. Tamen vidẽdum eſt cur eis dicitur. *Iac.2.c* *Apoc.9.a*

Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi. Aſina ligata ſacramentis & fide, Eccleſia eſt : pullus autem aliqua libertate ſolutus, eſt poteſtas ſæcularis. Si ante iudicium omnis Iſrael ſaluus fiet : & plenitudo gentium intrabit ad fidem, ſatis liquet quòd in illis duobus intelligitur totus mundus. Eccleſia igitur eſt aſina, quæ nunc tenetur ſacramentis ligata, & conſilijs Chriſti : pars autem, quam ſæcularem vocamus, eſt pullus libertate ſolutus. Manet tamen iuxta matrem ſuam, ideoq. dictum eſt : *& pullum cum ea.* Nam qui cum Eccleſia *Rom 9. f* *Ro.11. e* *Io.3. e*

Io.3.e clesia non eſt, iam iudicatus eſt ſecundum apoſtolum. Tamen quia multi ſunt animalium ſolutionem vetantes, addidit Christus: *Si aliquis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet*. Dicunt ſane hæretici ſuperuacaneum eſſe iudicium Dei, quid enim iudicabit Dominus, iam omnia iudicata ſunt. Num faciet Dominus aliquam Iac.1.c transmutationem cum apud eum non ſit transmutatio? aut chaos illud iam diu firmatum inter cælum, & infernũ poterit violari? Si ergo ex inferno nemo tranſibit ad cælum: nec etiam econtra, quid oportet eſſe iudicium? nam & ſcriptum eſt, quòd non iudicabit Dominus bis in idipſum. Iam præterijt particulare iudicium quo omnia diſcernuntur, ideo non eſt opus expectare iudicium gene Iob.22.b rale. Item deteriores hæretici dicent: Deus circa cæli cardines ambulat, nec noſtra conſiderat. Nam vileſceret intellectus eius ſi nenias noſtras, & ocioſa verba iu- Rationes iudicij vniuerſalis. dicaret. Negantes etiam reſurrectionem pariter negabunt eſſe iudicium generale. Sed nos angelo credimus dicenti: Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cæ Act.1.b lum, ita veniet, vt peracto vniuerſali iudicio totus Christus cum membris ſuis iterum aſcendat. Dominus ergo Scot.4.ſent. d.47.q.1. habet opus iudicio. Primo, vt ſit poſt iudicium totus Chriſtus in cælo. Secundo, vt finem habeat peccatum. Tertio, vt integrum beatis præſtet præmium. Quarto, vt mali etiam in corpore, & anima puniantur. Quinto, vt quemadmodũ generaliter in mũdi creatione egreſsi ſumus a Deo, & particulariter dum ſigillatim quotidie per natiuitatẽ veniũt homines in mundum, ſic & ſolus quiſque reuertatur moriens, & ſimul omnes reuertantur poſt iudicium. Sexto, vt fiat omnimoda ſeparatio malorum & bonorum, quia iam nec mali conuertentur, nec boni poterunt exerceri. Septimo, vt impleantur ſcripturæ. Octauo, vt ſe vindicent boni per manũ Dei, qui dum viuerent ſe vindicare noluerunt. Nono, vt vnicuique detur locus ad ſuam quærelam, ibi re- Act.25.c ctiſsime iudicandam. Nam dixit Paulus: Ad Cæſarem appello: & ſic plurimi appellant ad vniuerſale iudiciũ. Decimo, vt ibi Deus oſtendat ſe rectiſsime particularia feciſſe iudicia, & ſic dum quiſque viderit ibi, cur Deus hoc malũ vel illud permiſerit, cognoſcet ſua temeraria iudicia. Opus ergo habet Deus omnibus quæ ad iudicium pertinent

aent, vt ſaltim ibi oſtẽdat ſe rectiſsime iudicaſſe quotidie. Vnde ait ſanctus Dauid: Illuminans tu mirabiliter a mõtibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde: vnde optime dixit Chriſtus: Cum accepero tẽpus ego iuſtitias iudicabo, ſcilicet meas, oſtendens eas fuiſſe rectiſſimas. Ergo vt cognoſcamus noſtra temeraria iudicia, opus eſt iudicio vniuerſali: de quo & ſequitur. *Abierunt diſcipuli, & fecerunt ſicut præceperat Chriſtus: Adduxeruntq. aſinam, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Scitis fratres mei, quòd apoſtoli aſſeſſores iudices erunt, eiq. præparant ſedem, aut tribunal. Sedebit Dominus in iudicio ſuper animalia prædicta non ob aliud, niſi propterea quòd habebit omnia ſibi ſubiecta per coadiutores aſſeſſores ſuos apoſtolos, quos in partem iudicij ſumere decreuit, vt eos honoraret. Sed in hoc aliquod myſterium latet, quòd apoſtoli ſuper animalia poſuerunt veſtimenta ſua, & Chriſtus ſuper ea ſedit: vbi plurimum aduerte, quòd & apoſtoli aliquo modo etiam ſederunt ſuper animalia propter onus veſtimentorum ſuper ea proiectum. Super totum mũdum in animalibus figuratum apoſtoli ſedebunt, immo & viri iuſti, quia ſcriptum eſt: Illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Nuſquam audiuimus quòd ſedes ſederent: ſed quòd ſeſſores ſederent ſuper ſedes: tamen in iudicio Dei ſedes dicuntur ſedere: quia boni ac iuſti viri qui fuerunt in hoc mundo conculcati, ac pedibus malorum ſubiecti, iam in iudicio vice verſa ſedebũt ſuper ſeſſores ſuos, & onera imponent eis maiora: quia iam non conculcabit impius iuſtiorem ſe: ſed iuſtus impium ſubiugabit. Nam iudicium non fiet niſi ad laudem & præmium, & exaltationem pauperum ſpiritu, & beatorum: vnde recte ſequitur in Euangelio. *Hoc totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem* Dicite filiæ Sion: *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens.* Hoc iam totum pertinet ad cæleſtem Ieruſalem, vbi etiam hodie dicit Paulus: Noſtra conuerſatio in cælis eſt: vbi etiam Saluatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, corpori claritatis ſuæ configuratum, ſecundum operationem virtutis ſuæ: qua etiam poſſet ſubijcere ſibi omnia. Poſt primam aſcenſionem vidit Stephanus dominum aſtantem: ſed poſt ſecundam, quæ

finito

Pſ. 55. a

Pſal. 74. a

Apoſtoli in iudicio quo modo ſedebunt ſuper totum mũdum.

Pſ. 121. b

Abac. 1. d

Phil. 3. d

Act. 7. g

finito iudicio celebrabitur ſemper erit ſedens ſubiectis ſibi ad plenum, mundo, & etiam aereis poteſtatibus. *Dicite igitur filiæ Sion:* id eſt cæleſti Ieroſolymæ, quæ eſt filia Trinitatis, filia prædeſtinationis, filia lateris Saluatoris, filia beatæ Mariæ, filia regni perennis, dicite ei: *Ecce rex tuus*, Dominus meus Ieſus a iudicio rediens: iã ira agni depoſita quæ infinita erat, venit tibi ſponſus ſempiternus, & manſuetus inter vbera tua commoraturus: vt tibi theſauros abſconditos & archana ſecretorum conferat, & menſuram bonam, & confertam, & coagitatam & ſupereffluentem in ſinum tuum.

Cant.5.d

Luc.6.f

In hac litterali proceſsione fratres mei, veſtimenta & ramos viri deuoti ſternebant per viam: & ſic aſella Ieſu expedite non poterat pergere: & ipſe Dominus a turba prætereunte, præcedente, & ſubſeqnente non videtur facie ad faciem. Tamen in proceſsione ex iudicio ad cælum oppoſito modo fiet: quoniam ſancti propterea dicuntur amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum: quia in manibus operum, deferre videbuntur ramos victoriæ a ſuperiori palma, ſcilicet Ieſu excerptos: & veſtimenta corporum ſuorum iam renouata eleuabunt a terrenis ſepulchris. Et ipſi optimo diſpoſiti modo videbunt facialiter regem in decore ſuo in capite eorum ſedentem melius quàm in curru igneo: & ſic procedent cum magna gloria. Hæc profecto ſolemnitas, & aduentus hic bonorum e cælo ad iudicium, & ab eo reuerſio ad cælum figuratur in eo loco vbi dicitur: Prædicent & diuulgent vocem, ſcilicet iudicij, *& cet.* vſque in finem cap.

Apoc.7.c

2.Eſd.8.d

Victoria quo modo acquirenda ſit.

Sed hac figura, quia optima eſt & maxima, pro altero ſermone repoſita: nunc aduerte quòd haud inconſulto, & non abſque myſterio diximus, & oſtendimus quòd in præſentiarum ſternuntur veſtes, & palmæ Chriſto in via. Poſtea vero iam in termino reſumuntur. Quo modo vos putatis fratres ad animæ victoriam, & corporis gloriam peruenire, niſi prius in via pœnitentiæ corpora veſtra veluti veſtes conculcetis, & victorias ſternere curetis atque deicere? Nam Chriſtianus dum mactatur, dum patitur, dum inhonoratur, dum plectitur & ſubijcitur, ſi manet chriſtianus ſemper uincit: vnde palmam ſternis quando dans locum iræ, te vinci permittis. Poſtea vero iam iuxta terminum

Ro.12. d

terminum iudicij incipies eleuare, & eleuatam oſtendere palmam victoriæ tuæ, quam putrefactam credebat hoſtis: & non ex induſtria ſed ex puſillanimitate ſubiectam fuiſſe putabat, immo totus malorum cœtus mirabitur, & vociferabitur dicens: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ac ſi eſſent victi. Sed ecce quo modo computati ſunt intra filios Dei, ſcilicet angelos victores: & inter ſanctos, ſcilicet Apoſtolos, ſors gloriæ, & coronæ illorum eſt. Ecce quo modo virga qua percuteris, & iaculum quo transfigeris, erunt tibi palmæ victoriæ, ſicut Domino Ieſu fuit crux: vnde & hoc ſignant pueri ſancti, dum perſonant: *Oſanna in excelſis*. Non exoramus vt hic in hoc mundo ſalues: ſed hic vre, ſeca & crucia: tamen in excelſis ſalua: o fili Dauid qui nunc ideo diceris accipere ſedē patris tui Dauid etiam in æternum: vt oſtendatur quòd quemadmodum ille fugiens inimicum Saul, & eum venia præueniens, obtinuit regni ſedem in ſua miſericordia quam etiam inimico exhibuit: ſic optimus chriſtianus patiens & multæ miſericordiæ obtinebit regnum gloriæ. Si patientiam habet vſque dum impleatur illud Iſaiæ: Conſolabitur Dominus Sion, *& cet.* vſque vox laudis: ibi de ſalute exhibita in ſempiternum erit gratiarum actio regi gloriæ, quam mihi, & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Sap. 5. a

Luc. 1. e

Iſa. 51. a

SER-

SERMO IN CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ

ſuper Euangelium prætactum.

THEMA.

Ecce rex tuus venit tibi. Matth. 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Ex cõceptio ne Mariæ oritur eius miſericordia.

SI Mariæ recenter conceptæ ingerere cupimus verba thematis audire forſitan renuet: immo nec poterit, quoniam aures non audiunt ſine aere: ideo enim referente Iſidoro aſpis naturaliter docta alteram aurem in terram præmit, alteram vero cauda obturat, & operit ne incantantis audiat vocem: peruiæ igitur, & expeditæ aures audiunt, & non occluſæ, ſicut modo ſunt aures virginis. Sed ſi Ioannes vtero matris incluſus Mariæ vocem audiuit, ne in peccatis naſceretur, quid ſentiendum eſt de illa quæ nomen gratiæ dedit præcurſori, & eſt mater gratiæ? Si maior illo non ſurrexit inter natos mulierum: iſta de qua

Cant.6.c

loquimur numquam cecidit: quia etiam hodie eſt quaſi aurora conſurgens, ideſt ſimul cum gratia ſurgens ad ma-

Pſal.90.c

iora: quoniam ei recenter conceptæ dicitur: Non accedet ad te malum, ideſt animæ tuæ: nam de corpore ſequitur: & flagellum alicuius ſententiæ non appropinquabit tabernaculo tuo, & cauſa ſubinfertur, cum dicitur: quoniam angelis ſuis Deus mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, tam veniendo ad mundum, vt originali peccato careres, quàm exeundo ne incinerationé incurreres. Sed de prima cuſtodia ſequitur: in manibus, ideſt actibus hierarchicis portabunt te: ne forte, ſicut & ceteri: offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem, *& cet.* angeli ergo in Mariam ſicut & in angelos in-

feriores

ſeriores actus hierarchicos exercentes, hodie dicunt Virgini: *Ecce rex tuus venit tibi:* & antequam tu venias tibi ipſi, antequam tu venias illi, ante omne tempus tuum: vt hic perpendas, quòd citiſsime tu debes peccatoribus ſubuenire: nam ſicut recte dicitur: Quod gratis recipiſtis, gratis date. Sic etiam recte dici poteſt, quod citiſsime recepiſtis, citiſsime date. Maria vero ſe aqueductum cognoſcens nil ſibi reſeruat. Sed totum in quemlibet petentem tranſmittit: & obuiat illi quaſi mater honorificata: de qua propterea cuilibet egeno dico: Ecce regina tua venit tibi ſcilicet gratiam præſtare: quoniam vacua venire non poteſt. Si ergo tanta eſt munificentia tua virgo, vt te ipſam ad nos conferas vltro: nil reſtat niſi quòd procidentes tibi præſentemus. Aue Maria gratia plena.

Matth. 10. a

Eccli. 15. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

NEc mirum, quòd rex gloriæ veniat Mariæ, quæ Deũ exquiſiuit manibus ſuis tot modis, quot nos quærimus res mundi. Secundum quattuor virtutes Cardinales quattuor modis poſſumus acquirere: primo per fortitudinem in bello: ſecundo per prudentiam in lucratiua negotiatione: tertio per iuſtitiam in matrimonio acquirendo, & generando filios, qui ſeruiant nobis ac pareant: quarto per temperantiam ieiunãdo: nam qui amouet cibaria delicata non parum acquiret, maxime ſi cauet ne exeat per os, niſi ſedula oratio. His ergo modis quibus homo res mundiales acquirit, Beata Virgo Deum exquiſiuit: primo per fortitudinem charitatis ſuę. Nam ſicut, & regnum cęli rex cælorum vim patitur: & Beata Maria contra Deum fortis fuit, quando Filium Dei ex ſinu Patris deſcendere fecit in vterum ſuum minuens eum Paulominus ab Angelis, & faciens eum ſibi ſubditum. Secundo, quia Mater Dei prudentiſsima erat, guſtauit, & vidit, quia bona eſt negotiatio eius: & melior negotiatione auri primi, & puriſsimi. Tertio in diuino illo conſenſu Deo exhibito Deum filium generauit, fecitq. ſuum. Quarto per temperantiam eundem acquiſiuit, amouens delicias à carne ſua: nam quanto glorificauit ſe in penuria, tanto ſecurius, ac certius Deum acquiſiuit: Mariæ igitur tanquam melius poſsidẽti

Pſ. 76. a

Quibus modis acquiritur Deus per Mariam.

Pſal. 8. b

Prou. 31. b

dicitur: *Ecce rex tuus venit tibi*: ſcilicet tanquam poſſeſſori, oſtendam in toto ſermone qualiter Mariæ recenter conceptæ venit Deus. Per caſtigationem Deus incipit ad
Pſa.93.a nos vſque venire: Deus vltionis venit priuſquam Mariam
Pſal.61.d præſtet: quoniam propterea dixit propheta: Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi domine miſericordia: Prius de poteſtate puniente fecit mentionem quàm de miſericordia leniente. Nec mirum quia per iuſtitiam rigidam præeuntem cognoſcitur quantæ dulcedinis ſit miſericordia ſuperueniens: vnde omnes Dei perfectiones miſericordiæ deſeruiunt tanquam reginę. Quamuis ergo generaliter verum ſit, quòd ad omnes prius Deus venit vltor quàm miſericors: in ſola Maria reperitur prius miſericors quàm vltor: nec vnquam vltoré veniſſe, ſed pium: vbi aduerte, quòd quia omnes naſcimur filij iræ teſte Paulo. Satis cõſtat Deũ prius nobis iraſci quàm arrideat, priuſq. nos damnare quàm ſaluet: nec mirum quia prius nobis inſunt ea quæ ſunt naturę quàm gratiæ, & hereditate poſsidemus pœnam: vbi aduerte. C. ad l. Iuliam maieſtatis. l. Quiſquis. Nam ibi iubetur peccans in regem interfici: & [illegible]os ſuos hereditate, ac dignitate, & omni præeminentia ſpoliari, ſic vt eorum vita magis ſit ſuplicium quàm vita: hac eadem lege per inquiſitores puniuntur hæretici: qua & ipſe Deus videtur vſus cum homine primo, qui eſt pater orbis terrarum, duplici morte punitus: omnes enim filij eius hereditate originalis iuſtitiæ priuantur, nec ad angelorum dignitates admittuntur, ita vt vita noſtra ſupplicium iudicetur: tamen ab iſta lege pœnali Maria excipitur: non enim propter te, o Maria, ſed primo omnibus hæc lex conſtituta eſt: tu nunquam peccati mortem incurriſti, nec bonam hereditatem amiſiſti, quia tibi dicitur: In
Ecc. 24.b Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices: & habes maternitatis dignitatem, & vita tua nullo peccati ſupplicio punita fuit: ideo enim de te incipit euangelium: *Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis*. Viſibilem pacem
Cant. 8.c voluit Deus facere cum ea, quæ ait: Ego murus, & vbera mea ſicut turris ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem co-reperiens: ex quo facta & concepta eſt Maria reperit coram Deo pacem, immo pax Dei eam reperit, ideo enim dixit: Ex qua facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.

Margin notes: *Deus ante præmium punit.* (beside "ſericordia leniente"); *Epheſ 2.a* (beside "uerte, quòd quia omnes"); *Maria an incurrerit peccati mortem.* (beside "pitur: non enim")

in

In pace ſit, in pace concipitur, & fundatur ſicut turris Dauid, quæ ſimul cum propugnaculis dicitur fundata. Inſuper ſe dicit murum ne bellum peccati originalis noceat ei. Nam & rex pacificus de Maria dixit in eodem loco: Si murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, ſcilicet puritatis omnimodæ contra quodcunque vitium. Vnde cum beatus Ioannes vellet ſibi oſtenſam deſcribere Ieruſalem, eamq. dixiſſet a Deo paratam: & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo nimis ornata, quæ noctem peccati non vidit: quia nox non erat illic, agno ibi lucente. Denique eius puritatem attendens concluſit dicens: Afferent gloriam & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum: nullus eſt honor nec gentium gloria quam Mariæ non deferamus, vt ciuitas Dei honoretur ſicut decet. Nam & ſi primus homo dum erat in ſtatu innocentiæ dicitur gloria, & honore coronatus: quia gratia & puritate omnimoda ornatus erat: omnia hæc afferamus ciuitati nouæ Ieruſalem, quæ veteris peccati veſtigium ignorauit, nec eius vidit corruptionem: quoniam vt eam ſic præpararet, dicitur Ieſus appropinquaſſe Ieroſolymis: vt eam amplius & prius ſaluaret quàm nos, quoniam nobiſcum poſt guerram conſtituit pacem. Sed cum matre nullum permiſit bellum: quoniam in pace factus eſt locus Dei, & cõceptus. Si huius negocij vis notare figurã lege librum Exodi, vbi iubetur omne maſculinum in flumen proijci, ne vincere poſsint hebræi adueniente bello contra Aegyptios: tamen liberatur Moyſes dux futurus & victor: vide figuram in ſermone illo Beatæ Mariæ, qui ſub hoc themate ſit. Tria ſunt mihi difficilia, ibi ſub typo nauis liberationis eſt quàm optima figura. Sed totam Mariæ pacem videamus de qua ſequitur. *Et veniſſet Betphage*, quæ interpretatur domus oris volentis pacem, domicilium eligit in ore alterius, cui dat pacem: vnde domus oris Dei eſt os Mariæ cui optatam pacem dedit. Dicebat enim: Oſculetur me oſculo oris ſui. In hac pace Maria incipit cantica ſua: quoniam ab initio ſuo habuit pacem ad Deum. Pax enim eſt prima petitio Mariæ, quæ inimicitias peccati originalis non habuit: nam Deo amica & aduerſario inimica ſemper fuit: in ore Dei cuius domus eſt os

Mariæ puritas.

Apoc. 21. 21. a

Ibid. g.

Pſal. 8. b

Pſ. 75. a

Exo. 1. d

Prou. 30. c

Cant. 1. a

Mariæ magnum latet myſterium huic negotio accommo-
Ier. 15.d dum, ait enim Deus: Si ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. Væ illis qui Mariam (cuius precium procul eſt a nobis) non ſeparant ab aliorum vilitate, & peccato cum os Dei eam ſeparauerit, ac ſegregauerit a peccatoribus, ſicut lucem a tenebris quæ eam non comprehenderunt. Os ergo Dei dum ſententiam protulit contra primos parentes Mariam prius excepit, dum dixit ſerpenti:
Gen. 3.c Inimicitias ponam inter te, & mulierem & ſemen tuum, & ſemen ipſius. Maria & ſemen eius Chriſtus ſeparãtur a quacũque vilitate peccati in prꝭallegatis verbis oris Dei:
Ezec. 22.f ne igitur dicatur de nobis: Inter ſanctum, & prophanum non habuerunt diſtantiam: & inter pollutum, & mundum non intellexerunt, coinquinabar in medio eorum ſcilicet qui neſcierunt quantum diſtabat mater mea beata, & ſanctiſsima ab eorum prophana conceptione. De Betphage venit Ieſus ad Montem oliuarum, vbi etiam pax relucet. Nam vt ait Iſidorus antiqui ramo huius arboris firmabãt pacem ſuam: inſtar quorum Deus finito diluuio miſit ad
Gen. 8. b Noe columbam cum viridi oliuæ ramo quo innuere voluit ſe pacem ei dare, nec vindictam de cetero ſumere ſicut fecerat prius. Iam ergo Maria eſt Mons olíueti: in monte notatur dignitas maxima: quoniã virgo eſt Mons olíueti. In monte notatur dignitas maxima: quoniam
Iſa. 2. a virgo eſt mons domus domini præparatus in vertice montium. Mons humanitatis Chriſti præſeruatione præparatus in vertice omnium ſanctorum ne aquæ diluuij eum attingant: quoniam eius puritas altior vniuerſis, a luto peccati originalis non potuit inquinari. Nec mirum quia Ma
Pſal. 67.c ria eſt mons Dei: cuius cuſtos eſt Deus mons pinguis internis donis: mõs coagulatus Deo, qui coagulauit Deum, qui antea liquidus & pure ſpiritualis erat. Sed iam teneri poteſt & amplecti, poſtquam coagulatus eſt in Monte Mariali. De olíueto quòd altam ac multiplicem pacem denotat: quid vultis iam tertio audire? vt communiter di-
Pax triplex. citur triplex eſt pax, ſcilicet temporis, pectoris & æternitatis. Prima notatur in eo quòd Ieſus appropinquauit Ieroſolymis. Secunda in eo quòd venit Betphage. Tertia in aduentu ad Montem oliuarum. Vnde triplex hæc pax reperitur in Maria ob cuius meritum Deus dedit pacem

tempori

tempori ſuo. Nam ſi dum Maria vixit viſio viſibilis pacis fuit in mundo. Sane quidem ob eius merita fuit, quæ nō ſolum coram Deo, ſed coram mundo pacem reperit. In Betphage notatur pax pectoris data Virgini, quæ nobis dicit cum apoſtolo: Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra. Tanta fuit virginei pectoris pax, vt ad omnem ſenſum exteriorem ſe extenderet pacandū. Non ſolum intus, ſed extra habuit pacem, quia eius ſpiritus dominabatur ſenſibus: quoniam nobilis in portis vir eius. Sedens & pacatus erat in foribus ſenſuum: nihil enim eam inquietabat. Militia & malitia ſenſuum exteriorum contra ſpiritum inſurgens ortum habuit ab originali peccato: quia ex quo ratio rebellis fuit Deo, ipſa caro rebellis fuit rationi, tantum vt mors per feneſtras noſtras valeat intrare. Sed Maria mater vitæ, quia caruit originali peccato nullum rebellem motum carnis ſentiebat: ideo pax eius integra fuit ad ſuburbana Ieruſalem: nec in hac ciuitate ſine rationis imperio quiſquam mouebat manum aut pedem, hoc eſt, nec effectum nec affectum. Tertia pax ſcilicet æternitatis data eſt Mariæ. Nam Chriſtus eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum Deum, & hominem. Et hic datur virgini: quoniam ipſa interueniente illa maxima vnio ſuprema copula, & æterna pax in Chriſto facta eſt: nam per fiat Mariæ, æterna pax facta eſt: quæ in æternum vſque durabit: propter hanc triplicem pacem in Maria repertam totalis munditia inuenitur in ea, & omnimoda quietudo non ſolum corde, & ore & opere ſtabilita, ſed ei datum eſt, vt careat triplici bello triplicis peccati: nam caruit peccato originali, veniali & actuali: nā ideo Ieſus dum per gratiam veniret ad Mariam matrem ſuam primo venit appropinquans Ieroſolymis. Secundo Betphage. Tertio Monti oliuarum. Et vltra ſequitur: *miſit duos diſcipulos ſuos*. Hæc duplex miſsio duplicem gratiam deſignat ſcilicet præuenientem, & concomitantem. Prima præcedit: Secunda concomitatur. Prima eſt retro: ſecunda eſt ante: vel prima eſt a ſiniſtris: a dextris vero altera. Harum gratiarum figura eſt, vbi dicitur: Bracchiola duo altrinſecus. Hæc brachia argentea ſolio regis adhęrebant: quia Mariæ adheſerunt gratia præueniens, & concomitans. His ergo dicitur: *ite in caſtellum, quod contra vos eſt.*

Phil. 4. b

Prou. 31. c

Epheſ. 2. c

Miſſio ſignificat duplicem gratiā.

2. Paral. 9. c

vos eſt. Hic aduerte, quòd ſi frater qui adiuuatur a fratre, eſt quaſi ciuitas firma: vxor quæ iuuatur a marito caſtrum erit ex ambobus cõſtitutum: Qui iam nõ ſunt duos ſed vna caro. Hoc ſane caſtrum fuit Ioachin, & Anna mutuo ſe adiuuantes & coherentes ſibi ſicut caſtri parietes. Sed non mireris propterea quòd referantur contra Deum eſſe. Nam eſt contrarietas & reluctatio bona, dum precibus inſtantes ſummus non deficientes. Nam orationis improbitas facit ſurgere Deum vt poſtulata concedat, velut victus: & ſic precibus gaudet vinci, & mittit fauorem in contrarios dicens: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*. ite ad Ioachin, & Annam charitate vnitos, & fortes ac precibus inſtantes: & inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, aſina eſt caro, & pullus anima: nec mirum quòd inferas animam eſſe carni ſubiectã ſicut pullus matri: quia nunc pro ſtatu iſto animæ ſequuntur corpora, vt ait philoſophus, & ſecundum corporis diſpoſitionem operatur anima. Si organa ſunt bene diſpoſita bene: ſi mala, habent male. Poſtea tamen in gloria erit aliter: nam corpus animam ſequitur vſque dum fiat ſpirituale, quia ſurget incorruptibile. Caro ergo eſt aſina, & pullus eſt anima, in quibus ſedit Ieſus, prius in pullo, quia prius in anima virginis ſedit quàm in eius carne: nam ſicut ſucceſsiue ſedit Ieſus ſuper animalia, ſic ſucceſsiue inſedit animę, & corpori Mariæ: quæ ſucceſsio vt notat Richardus figuratur in eo quod ros in vellere Gedeonis reperitur, & poſtea inuenitur in ſola terra. Virginis anima fuit vellus a carne ſeparatum. Et eius corpus fuit terra benedicta. Ros cęli Verbum Dei prius menti Mariæ inſedit ſolum, & poſtea ſolum in eius carne inuenitur: quia ei defecit fides dum ventre Verbum concepit. Quid enim oportebat credere quod experimento ipſa didicerat? Sola caro Mariæ dum in lumbis parentum erat, aliquomodo videbatur ligata, ſed pullus ſemper fuit a lege peccati ſolutus: quia eius anima nullo peccato ſubiacuit. Ideo enim ait: *ſoluite & adducite mihi*. Soluite ſcilicet a debito habendæ iuſtitiæ originalis ne teneatur eam habere, & ſic libera erit: nam iſto modo potuit Deus matrem ſuam immunem facere, vt ait Scotus. Nam ſi peccatum originale eſt debitum iuſtitiæ originalis habendæ: ab hoc debito Maria ſoluitur.

Matth. 19. a — *1. Cor. 6. d* — *Ephe. 5. g* — *1. Cor. 15. g* — *Scotus. 3. ſent. diſt. 3. q. 1. ibi ad quaeſt. igitur.*

ſoluitur. Nec mirum quòd tanta mala inducat carentia iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe: quia carentia ducis, ac nauis gubernatoris plurima inducit mala. Ab hoc ergo debito liberatur Maria, quæ non tenetur habere ducem iuſtitiam originalem: quoniam ipſe Deus ductor eius, & ſeſſor fuit, qui ait: *Et adducite mihi:* quia nullo alio indiget rectore. Vnde aduerte quòd Mariæ commutatur debitum habendæ iuſtitiæ in debitum habendi Deum qui rector eius fuit: ideoq. plus tenetur diligere, & magis debitrix eſt quàm omnes alij infantes: quia maior ac pretioſior eſt gratia quàm iuſtitia. Nam etſi iuſtitia originalis, & gratia ducebant ad Deum, & cuilibet dicit dominus: *Adducite mihi:* tamen gratia meliori tramite ducit habentem ad Deum quàm iuſtitia originalis: quia iuſtitia originalis reſpicit Deum tamquam bonum delectabile, gratia verò eum reſpicit directè tanquam bonum honeſtum: ratio autem honeſtatis potior eſt. Deus autem preſcius futurorum ſciens non deeſſe in poſterum qui non æquo animo ferrent exemptionem ac immunitatem Mariæ non ſolum vetantes ſolutionem eius, ſed aſſerentes eum illis teneri, de quibus dicitur: Væ trahentibus reſtem longam, ſcilicet reatus primi parentis, qua ligantur filij Adam. Hac reſte ſcilicet peccati originalis ligamur, & detinemur ne bonum exequamur, & ne incœptum proſequamur, aut proſecutum feliciter conſummamus. Maria vero ab his impedimentis ſoluta manet, vt pote nõ ligata aliqua ſententia, nec reatu: Quia mater noſtra Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, teſte apoſtolo, libera reperitur; *Gal. 4. d* tamen ſunt qui dicant: quid facitis ſoluentes aſinam? *Mar. 11. a* Hic aduerte, quòd pœna peccati eſt reſtis, qua etiam baptizatus ligatur. Nam etſi poſt baptiſmum non manet peccatum originale in nobis, manet eius pœna. Maria vero, vt aiunt iſti non videtur ab iſta pęna multum aliena, nam dolebat, & flebat, & ſitiebat, & denique obijt, quæ omnia ſunt pœna peccati, quæ non datur niſi habentibus peccatum, ſicut reſtem aut funem non portat niſi qui ligatus fuit, aut qui debet ligari. Animali namque non apponitur funis niſi vt ligetur, aut quia ligatum fuit. Cum ergo Beata Virgo funem, ideſt pœnã peccati habeat, videtur quòd fuit ligata, aut in omniũ opinione liganda venit,

Quid ergo facitis ò ſcotiſtæ ſoluentes eam? aut ſolutam demonſtrantes. Fatemur equidem beatam Virginem habere funem, ideſt pęnam peccati, tamen non ideo peccato fuit obnoxia. Nam & filius eius pœnas habuit atque humanas miſerias, alioquin non diceret: Saturati ſunt pœnis meis. Tamen propterea non ſequitur eum habuiſſe peccatum: & vltra quamuis ſtatus innocentiæ ſtaret, non tollitur quin corpus innocentis nō poſſet ſcindi, aut comburi ſi proijceretur in ignem. Tamen illa pœna tunc non fuiſſet ſibi pęna peccati: quia non omnis pœna ſanctorum eſt pęna peccati, nec ex quocunque fune ſequitur ligatio: igitur vetantes immunitatem Mariæ, audiant id quod ſequitur in euangelio præſenti.

Iob. 16. d

Dicite quia dominus his opus habet. Diſcant quia dominus opus habet præuenire Mariam, & ei magna exhibere beneficia, quia futura eſt mater ſua, & filius tenetur omnino ſuam honorare matrem, quoniam ei cedit honor maternus. In longum ſermo procederet ſi omnes rationes ob quas opus eſt honorari ac præſeruari Mariam oſtenderē: opus enim eſt Patri, & opus eſt Filio, & opus eſt Spiritui ſancto, ac Angelis eius, & iuſtis, & peccatoribus, & toti mundo, quòd Maria oſtendatur ab omni labe ſemper ſuſcepta fuiſſe, & exempta ex quo a parentibus fuit deciſa & concepta: ſed quia dixi omnibus attinere virginis conceptio: Nota quòd aſella commune bonum erat omnibus deſeruiens, & vſibus omnium deputata: ergo ad omnium honorem concipi debet tantum bonum: nonne Patri attinet filiæ moralitas, & ad Filium attinet honor matris, & Spirituiſancto opus eſt decus, & honor ſponſæ? De angelorum congruentia quid referam cum eorum regina nulli debeat ſubiectionem? Iuſti etiam volunt Mariam omni iuſtitia pleniſsimam: & peccatores cupiunt reconciliationis medium ſingulare & mediatricem, cui nunquam dici valeat: Medice cura te ipſum. Omnia igitur opus habent, quòd Maria ſoluta ſit ab omni peccato, vt inueniat omnium ſolutionem. Nam ligatus fere nihil inuenit præter ſolutionem ſuiipſius, pro qua ſolicitus eſt ſui anxius. Qui autem ſolutus manet, omnibus intendere poteſt, & omnium curam gerere, o Beata Virgo quantam ſolicitudinē videbis incumbere tibi, & intereſſe tua;

Mariam eſſe conceptā ſine peccato originali ex neceſſitate probatur.

Luc. 4. d

dum

dum te conſpicis ab omnibus malis ſolutam, vt omnibus intendas neceſsitatibus filiorum. Aduertamus ergo quòd immunitas Mariæ neceſſaria fuit ex ſuppoſitione: decreuerat namque Ieſus Dei filius corporaliter non habitare in corpore ſubdito peccatis, ad quod neceſſe fuit præſeruare Mariam: vt ſic præſeruata ſibi adduceretur in habitationem, & ſeſsionem gratiſsimam, & ſecuriſsimam ſibi. Ex hoc ergo & vt implerentur ſcripturæ dominus opus habuit præſeruare Mariam, cuius præſeruatio mire figuratur in Geneſi. Vbi & huius præſeruationis neceſsitas his verbis innuitur: Non potero facere quidquam donec tu ingrediaris illuc, ſcilicet in Segor. Narra hiſtoriam dicens, quòd cum dominus vellet propter peccatum perdere illam regionem quæ eſſe ſolebat ſicut paradiſus domini, contra eam miſit tres angelos quibus dixit Loth: Quæſo domine mi. *&c.* vſq. ibi Loth ingreſſus eſt Segor. Tres angeli figuram tenent totius Trinitatis ob meritum Chriſti præuiſum, Mariam præſeruantis. Nam Loth interpretatur reſina precioſa: & eſt Chriſtus homo reſina arboris virginei, qui videns originali peccato regionem mundi perire, orat pro matre ſua dicens: Quæſo domine mi, quemadmodum Abraam tres vidit, & vnum adorauit, ſic tribus ait: Quæſo domine mi: nec mirum quòd Chriſtus de matre locuturus dirigat verba ad vnitatẽ Trinitatis: quia vnica eſt Maria Trinitatis ancilla. Quam ſolus præcedit Chriſtus qui de ſe ſubiunxit: quia inuenit ſeruus tuus gratiam, ſcilicet ſummæ puritatis coram te, & magnificaſti miſericordiam, quam feciſti mecum: vt ſaluares animam meam, ſcilicet ſalute æterna. Vbi attende quàm aſſertiue de ſe loquatur Chriſtus: quia non dedit Deo oblationẽ pro anima ſua. Sed quia in terra terrenus acquiſiuit diuinam ſalutem, ſubiunxit: nec poſſum in monte ſcilicet arrogantiæ ſaluari, vbi lucifer appetiuit aſcendere: nam quia tibi omnia poſsibilia ſunt: forte ſi rapinam arbitrarer, in malum eius caderem: tamen quia exinanire me volo, attende domine, quòd eſt ciuitas hæc iuxta ſcilicet me. Ciuitas Maria eſt fere iuxta me in puritate, quia qualis filius talis mater: nam ſimilem ſibi eam acquiſiuit, & fecit. Ideo enim dixit. Eſt ciuitas hæc iuxta ad quam poſſum confugere parua, & ſaluabor in ea:

Sap. 1. a

Gen. 19. d

Figura præſeruationis Mariæ.

Mar. 10. d

Phil. 2. a

mun-

mundiſsimus Chriſtus immunda fugit, ſicut ille caſtus Io
Gen. 39.c ſeph qui ab immunda muliere domina ſua fugit. Reddens autem rationem cur ad Mariam confugit gratia onuſtus, ſubintulit: Numquid non modica eſt, & viuet anima mea? immunditia, & muſcæ perdunt ſuauitatem vnguenti, & ſic peccatum Deum perdit, facitq. originale peccatum, ne Deus viuat in anima, ſed ipſe dęmon. Chriſtus ergo qui ſolus primo ſemper vixit in Maria ex quo illa fuit: allegat pro ea humilitatem dicens: Numquid nō modica eſt? magna quidem ratio: quoniam & ipſa Virgo dixit: Reſpexit humilitatem ancillę ſuę, quaſi dicat nemo aliam quęrat rationem præſeruationis meę, niſi quòd reſpexit humilitatem meam. Et vt ait Anſelmus, fuit dum Maria conciperetur: vt ex tunc eam ſuper omnes in ſua exaltaret conceptione, vnde & Beatæ Virgini dici poteſt illud Ioannis:
Luc. 1.e
Apoc. 3.b Ecce dedi coram te oſtium apertum: quia modicam habes virtutem, & ſcient, quia ego dilexi te: & ſeruabo te ab horæ tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare omnes habitantes terram. Humilē aſinam elegit Chriſtus ſeſsioni ſuæ, & dum Maria humilior erat, ſcilicet tempore conceptus, electa eſt. Tunc ei dedit oſtium innocētiæ apertum, ne per lutum obuoluta vt nos, intraret ſub oſtio: & vt nemo miretur, addidit: Sciant omnes quia ego dilexi te, & ſeruaui ab hora tentationis, ideſt cōceptionis qua parentes tentari ſolent, & quotidie illa hora tentat terrenos: tentatio venit ab originali peccato in quo fecerunt ſibi perizomata ob turpem verecundiā, quæ in omnes præter Mariam tranſit, de qua Chriſto dicitur in principali figura: Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt nō ſubuertam vrbem pro qua locutus es, quaſi dicat non ſolū te ſeruabo ſegregatum a peccatoribus, ſed etiam vrbem tuam ab omni cuſtodiam incendio, vt illæſa permaneat, & ſtet ſine originali ſubuerſione, quæ omnes oppreſsit præter Mariam, quam tibi ſeruaui: vnde ſequitur. Feſtina (quia nullum eſt obſtans) & ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Incarnatio feſtinâter, in inſtanti facta eſt, in qua & ob quam totus Chriſtus ſaluatur: & ſine ea Deus de lege ordinata non potuit facere aliquid gloriam noſtram concernens: vnde ſicut in creatione mundi nihil Pater, ſine Filio fecit, ſic nec in eius reparatione

paratione nihil fecit ſine verbo incarnato in Maria de qua ſequitur: Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor. Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Loth ingreſſus eſt Segor, quæ interpretatur parua, & eſt mihi recenter concepta, cui ſol gratiæ citius ac ſolito maturius oritur, vt in ſplendoribus gratiæ generetur, quatenus poſsit Loth, qui eſt Chriſtus, decentius in ea manere ſecurus ab incendio cuiuſcumque peccati. Ex his ergo quæ in hac figura expoſita ſunt, valebis intelligere quo modo conceptioni Marię conſentaneum eſt illud. *Dominus his opus habet.* Quo audito, & intellecto confeſtim opinio altera eſt dimittenda, quæ ſi inſtet: audiat id quod ſequitur in euangelio præſenti.

Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictũ eſt per prophetam dicentem: Dicite filia Sion &c. Sion interpretatur ſiccitas, aut aceruus, vnde Maria eſt filia ſiccitatis aut acerui: nos in luto, & labe peccati concepti ſumus, vt ait Iob, quòd dæmon habitat in locis humentibus, ſed Maria filia ſiccitatis eſt terra inuia, & inaquoſa, vbi dęmon nullam requiem inuenit, ſed omnis plenitudo gratiæ ſe in ea imbibit, cui ſicut terra ſine aqua debet ſe obijcere anima: & quia mater Dei hoc citius ceteris fecit, ideo aceruus gratiarum filia dicitur in conceptione ſua, quæ futura eſt dum Deum concipiet aceruum diuinarum, & humanarũ rerum: huic ergo dicitur: *Ecce rex tuus venit tibi.* In hoc ſe tuum oſtendit, vt ad te veniat ipſe, antequam tu venias nec ad teipſam: venit te regere: Ne regnet peccatũ in mortali corpore tuo, ne tibi inſedeat extraneus ſuperbiæ rex. Nam ſi filiæ Sion exultant in rege ſuo, & tu tãtum eas antecellis, vt dicatur, filias regum in honore tuo eſſe honoratas, pediſſequas principalis reginæ, & ipſemet rex Dei filius dicat iactanter: Ego autem ſcilicet ſolus conſtitutus ſum rex ab eo, ſcilicet Patre ſuper Sion montem ſanctum eius, qui eſt Maria dicta filia Sion, dum cõcipitur, dum autem concipit fit Sion. Nam filia matris familias ſucceſſu temporis fit mater familias. Rex autẽ Deus, & filiæ Sion, etiam ipſi Sion venire non ceſſat. Nam & Mariæ valeo dicere: In virtute tua lętabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer: deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius nõ fraudaſti eum. Virtus mea a ſalutari conceptione ſua incœpit, vbi deſideriũ naturale

Rom. 6. b
Pſalm. 149. a
Pſal. 44. b
Pſal. 2. b
Maria dicitur Sion.
Pſal. 20. a

Chriſti fuit vt pura conciperetur. Naturaliter enim expetunt filii puritatem matris, quam & labiis ſuis filius Dei in ſacra pagina expreſſerat prophetando, & figurando, & promittendo eam, vnde: O beata mater arca deifera per artificem pluſquam humanum fabricata de lignis imputribilibus, aureo tecta mundiſsimo intus & foris. Sicut balſamum non mixtum odor tuus puriſsimus ab ori-
Sap. 7. d ginali. Candor es lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula
Cant. 4. b peccati. Tu es domus Dei ſimul ædificata: & concepta cum propugnaculis gratiarum. Electa es vt ſol in quo macula non poteſt cadere vlla: quia tu non es peregrinarum
3. Reg. 6. a impreſsionum ſuſceptiua. Ferramentum peccati non auditur, dum tua ædificaretur conceptio: gladius vltor flagi-
2. Reg. 24. c tii non te ferit: quia nec Angelus percutiens auſus eſt ferire in area Iebuſei, vbi templum ædificandum erat. Et quia templum humanitatis in Maria conſtruendum erat, non debuit lædi vllo peccato, quæ futura erat peccatorum refugium. Honor regis qui iudicium diligit, adimpleuit tecum legem de honorandis parentibus, quam prius dedit filijs hominum, quoniam qui corpus tuum vermibus non reliquit, minus relinqueret animam peccato. Tu es vera Iahel quæ aſcendens interpretatur: quoniam abſq.
Cant. 6. c nubibus peccati rutilas, vt aurora conſurgens. Quæ dæmonem dormientem interfeciſti lacte puritatis tuæ, & clauo crucis. Tu es lux quæ in tenebris peccatorum luces non valentibus te comprehendere. Tu Maria non ſolum mane, vt Ioannes in vtero, ſed etiam diluculo primeuo
Prou. 8. c conceptionis adiuta diceris. Nec dum erant abyſsi tenebroſi, & tu iam in mente Dei concepta eras, quando te
Gen. 3. c excepit dicens: Ipſa conteret caput tuum. Nec te nec fi-
Iob. 3. b lium tuum vidit dæmon, quia ei dicitur: Expectet lucem, & non videat: nec ortum ſurgentis auroræ, ne ſuo vos viſu contaminaret. Tu es paradiſus deliciarum ad quem non attingit peccati diluuium, quia ſupergreſſa es vniuerſas. Luci comparata inuenitur prior Maria, quia in Maria nihil ſeparandum eſt. Prior ſemper reperitur Maria etiam ſi luci Angelicæ compararetur: quia ex ea nihil
Pſal. 9. d cecidit, de qua dicitur: Quæretur peccatum, & non inue-
Cant. 7. a nietur, ideo quàm pulchri ſunt greſſus tui filia principis Patris, mater principis Filij, ſponſa principis Spirituſſan-

cti! Pulchri namque in calceamentis ſicut filij tui in corrigia calceamenti: nam vterque mundis pedibus mundum intraſtis, immo calceati iacinto, quia gratia cæleſti concepti. Tu Maria es roſa inter ſpinas, ideſt inter patres, patres peccatores reperta ſine ſpinis vllis. Tu es reclinatorium aureum, media charitate conſtructum & conceptum. Tu es Suſanna iam liberata a falſo crimine ſeniorum doctorum, qui te in peccato conceptam dixerunt. Tu es terra benedicta domini, a qua ipſe auertit captiuitatem Iacob: terra ſacerdotis Chriſti libera, in quam nec tempeſtas aut grando cecidit, nec fulminatio ſententiæ, quamuis percuſſa fuerit omnis terra Aegipti. Tamen terra noſtra nulli tributo ſeruit, quin & in ea ac per eam omnes liberamur. Tu es virgo virginum anima & corpore ſemper integra, nulli corruptioni dans viam. Tu es Chriſti viui ſepulchrum nouum in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. O Maria introitum per conceptionem, & exitum per mortem cuſtodiuit dominus, dum nec in conceptione peccatum nec in morte cinerem permiſit te incurrere. Nam ianitor tuus Deus ſicut portam Ezechielis ſemper te clauſam ſeruat: zelus ergo domus domini, & zelus domus eius comedit me, dum lego, quòd nec maculatum ſacerdotem intrare permittebat in domum ſuam, ideo quantominus permitteret in Mariam intrare peccatum! In hanc & ipſe ſolus ſummus ſacerdos intraturus erat ſanguinem ſumere, quem pro ſalute omnium obtulit Deo Patri, vt nobis gratiam nunc præſtaret: & poſtea gloriam, quam mihi. *& cet.*

Cant. 2. a
Cant. 3. c
Dan. 13 g
Luc. 23. g
Eze. 44. a
Pſal. 68. b

¶ Sub prædictum thema quære alterum ſermonem in noſtro ſanctuario biblico impreſſo Tholoſæ.

SER-

SERMO DOMINICÆ TERTIÆ ADVENTVS,

De aduentu Mariæ ad templum Ieruſalem.

THEMA.

Ecce rex tuus venit tibi. Matth. 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVAMVIS Dominus Ieſus ſit rex vniuerſæ creaturæ Angelos, cæloſq. regat, & mundi habenas manu teneat: Rex regum, & dominus dominantium, qui transfert regna atque conſtituit: hæc eſt tamen potiſsima differentia quando dicitur dominus Ieſus rex omnium ſæculorum, aut rex Mariæ matris ſuæ: quia primum capitur actiue, ſecundum autem paſsiue. Actiue omnia regna poſsidet Chriſtus, poſsidetur tamen etſi ditiſsimus ſit a matre ſua, a qua & factus eſt rex, quia dyademate regni coronauit eum mater ſua. Si Ieſus Filius eſt Mariæ, per conſequens inuenitur heres regni materni, quoniam Mariæ dicitur: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã. Fructus ventris Virginis Chriſtus poſitus eſt ſuper ſedem regni materni. Nam ſi Dei Filius a regalibus ſedibus venit per naturalem generationem: & venit a regina Maria immediatius quàm a rege Dauid. Et cum ipſa prius in Iſrael hereditatem accepit regni, de iure optime ſequitur, quòd ſi iure ſucceſsionis Chriſtus fuit rex, hoc habuit a Maria matre ſua regina Dauidica de domo, & familia Dauid. Nec ſimile eſt inter Salomonem, & Berſabee matrem ſuam: quamuis multi dicant quòd ſcilicet Berſabee obtinuit regnum Salomoni filio ſuo, ſic Maria Chriſto. Sed hoc non quadrat: quia illa alienum regnum obtinuit filio, iſta vero proprium atque legitimum contulit Filio Dei

Apoc. 19.

Cant. 3. d

Pſ. 131. c

Dei regnum : quã propter figuratur Chriſtus in rege Aſſuero de quo dicitur : Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſa ciuitas regni eius exordium fuit. Solium regni Chriſti vbi ſedet, humanitas eius eſt. Suſa eſt hui⁹ regni exordiũ, quæ interpretatur roſa & eſt Maria, cuius odor attulit filium Dei, vt regnaret in regno hominum. Sic ergo Chriſtus habet in femore ſuo ſcriptum: Rex regum: oſtendens quòd per lineam regiam hoc a femore habuit Mariæ, de qua per generationem venit rex. De quo ait thema Beatæ Virgini præſentatum: *Ecce rex tuus:* quem feciſti, conſtituiſti, atque genuiſti : *venit tibi*, quia tuus eſt. Exorabilis erit tibi: nec enim fas eſt, vt auertat faciem ſuam. Ideo ſecura poteris ab eo pro nobis gratiam impetrare, quod vt facias tibi genibus flexis offeramus. Aue Maria.

Heſter. 1. a

Apoc. 19. c

Pſal. 9. f

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Secundus Chriſti Aduentus, ex ſecunda interpretatione Bethaniæ poteſt elici, interpretatur enim domus gratiȩ Dei, & eſt Maria in qua ſcimus, quòd gratia Dei inuenit ſibi domum, quoniam ipſa dicere valet : Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed gratia eius ſemper in me manet. In me omnis gratia viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Si domus denominatur ab eo de quo plus habet : & a meliori fit denominatio, & ab eo quod eſt prædominans : optime liquet quàm bene Maria dicatur domus gratiȩ Dei, quam ideo Angelus prima fronte vocauit gratia plenam a planta pedis vſque ad verticem capitis. Non ergo vocemus Mariam domum aromatum, nec domum ſaltus, ſed domum gratiæ Dei, vbi cõſtitutum eſt hoſpitium Filio Dei, de quo ait thema. *Ecce rex tuus venit tibi*.

Maria domus gratiæ Dei dicitur.

Pſa. 83. a

1. Corint. 15. b

Ecc. 24. c

In hoc ſermone agam de ſecundo Aduentu Chriſti.

Primus Aduentus eſt de pectore patris ad templum corporis Chriſti: quoniam de ſinu patris in vterum dignatus eſt deſcendere matris : de qua ad templum Ieruſalem peruenit, de templo ad templum. Nec enim incarnatus eſt, vt ibi eſſet theſaurus inuſus, atque inutilis: ſed egreſſus inde de templo Dei, non ſemel ſed ſæpius præſentauit: hodie tamẽ magis ſolemniter. Prius quærendum videtur

cur

cur Maria meruit eſſe prima, cui ſe præſentat Chriſtus; cui venit filius Dei: multi namque vocauerunt illum, multi clamarunt, ita vt quidam dicat: Laboraui clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Poſt raucitatem, ſignis dilectum vocare ſolemus, & deficiente voce clamamus opere, per nutus & ſigna. Sic videntur feciſſe prophetæ, qui poſt multas prophetias addiderunt figuras, vt ſic velut quibuſdam nutibus vocarent Filium Dei, qui tot annis tam ſurdus extitit ſignis & vocibus, vt ei dicatur: Exurge quare obdormis domine, quaſi vir crapulatus à vino? ille autem diſsimulauit vſque dum Maria clamaret, cuius differentiæ triplex eſt ratio. Prima, quia propterea, quòd Eua aperuit aures callidiori ſerpenti, opus fuit per hunc modum detineri ſalutem, vt precipitatio per tarditatem puniretur. Nec mirum fratres, quòd cito non exaudiat Deus ſi nos veloces ſumus ad vana, leues adſcurrilia, effræni ad inania, proni ad murmur. Si ergo vana verba inueniunt patulas aures tuas, non mireris quòd clauſas reperias aures Dei. Mariam ergo exaudiuit pro ſua reuerentia: quia ipſa nemini aures præſtitit, niſi Deo ſuo. Secundo, quia ceteri Patriarchæ & Prophetæ Deum vocant ad laborem, ſola Maria ad requiem. Iſaias ad lepram peccatorum noſtrorum ſuſtinendum vocabat Filium Dei. Ieremias autem, vt eſſet quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam. Si autem Dauid vocat Chriſtum ad regnum dicens: Intende, proſpere procede & regna. Tamen vocabat eũ ad regnandum per crucem: quoniam dominus regnabit à ligno, & ſic multi ad laborioſa opera Chriſtum vocant: ſola autem Maria eum vocat ad ſpatiandum dicens: Veniat dilectus meus in hortum ſuum, quia poma noua, & vetera ſeruaui tibi. Poma vetera maternitas cum omnibus quæ annexa ſunt ei. Noua autem poma virginitas cum omnibus quæ ei attinent. Omnia iſta Chriſto ſeruauit Maria, ne aliquid ei deeſſet. Tertio venit rex Mariæ, quia ipſa ſola perſeuerat, alijs ceſſantibus. Nam propterea dicit Deus de ceterorum inconſtantia conqueſtus: Signa noſtra non vidimus, iam non eſt propheta, iam nos non cognoſcet amplius. Signa virtutum non videbat Deus in filijs Iſrael, vbi nec erat propheta, nec eum cognoſcebant.

Pſal. 68. a · *Pſa. 43. d* · Maria cur potius exaudiatur quã ceteri ſancti. · *Iſa. 40. c* · *Ier. 11. d* · *Pſa. 44. a* · *Cant. 5. a* · *Pſal. 73. b*

Sola

Sola autem Maria perſeuerabat pulſans, cui propterea de incarnationis ſecreto amplius reuelatum eſt. Si enim quo propinquiores erāt patriarchę huic myſterio, plus de eo ſcie bant. Nam nō æqua indagine hoc omnes perceperunt. Quidam ſolum ſciebant eum eſſe venturum: alij vltra hoc ſciebant modum: alij & tempus: alij & locum. Maria autem ſciuit & perſonam ibi ſolummodo venturam, & experta eſt omnia, quæ erant Chriſti ſui. Potiſſima ratio propter quam in primis venit ad Mariam, eſt eius humilitas, ipſa teſte, quæ ait: Quia reſpexit dominus humilitatē ancillę ſuę *&c.* Sed cur eius humilitatem amplius reſpexit quàm ceteras virtutes? Ad opera humilia veniebat filius Dei abiectionem plebis ſe facturus: ideo puellam in oculis ſuis abiectam elegit hoſpitam primam, quæ eum ad ſe humiliandum adiuuaret, quod & fecit quia poſtea dixit Chriſtus: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, id eſt naturali affectu, quem ab humili Maria ſuſcepi: propter humilitatem ergo Mariæ ait Pater filio: Surge & deſcende in domum figuli: hoc dictum eſt Ieremiæ, qui interpretatur celſitudo domini, vel ſublimitas domini: & eſt verbum Patris æterni ad humilia miſſum, de quo dixit Iſaias: Hæc dicit dominus excelſus & ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu. Hæc ibi. Vbi aduerte quòd filius Dei habitat æternitatem patris, & temporalitatē matris in ſancto excelſo patre, & in contrita & humili matre, quæ dicitur domus figuli, vbi ipſe Dei filius limo terræ & luto induitur. Nec enim deſcendere voluit ad domum aurificis, ſiue argentarij, nec pigmentarij, ſed figuli vt luto noſtræ humanitatis adhærens humilia ſubleuaret, fracta reſtauraret, & vas contumelię redderet vas honoris. Fictilis ergo fit filius Dei, in clibano charitatis Mariæ decoctus. Nec miremini fratres de humilitate regia quamuis nunc vtatur aſella, & pullo atque pueris ad laudē ſuam, qui & quando natus eſt Rex Iudæorum pueros innocentes delegit ſibi, quorum hi figuram tenent ſatis notandā: fictilibus ergo armis vincere vult rex noſter, vt illam figuram adimpleat, vbi dicitur: Cumq. per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, hydrias confregerunt, & mutuo ſe detrumcabāt fugientes. Hydria regis noſtri, eſt fragilitas carnis aſſumptæ, quæ dum in paſſione frangitur, hoſtes proſternuntur; nec mirum quòd plurali numero deſignetur corpus Saluatoris

Chriſt⁹ cur primò venit ad Mariam.

Luca. 1.e

Matt. 11. d

Hier. 18. a.

Iſa. 57. d

Rom. 9. e

Iudic. 7. f

uatoris quod eſt iam pluribus in locis conſecratum. In hac hydria erat lumen,ſcilicet deitatis quod longinum illuminauit,atque illum qui videns, quòd ſic clamans expiraſſet,
Mat. 27.f dixit: Vere filius Dei erat iſte: o quis dicere valeat quot locis hæc hydria fracta eſt, & quãtæ virtutis ſit quodlibet eius
Iob. 2. c fragmen: nam vno eorum,ſcilicet vulnere Saluatoris ſe Iob ſanari cupiebat,quãdo ſedẽs in ſterquilinio saniem teſta ra-
1.Pet.2.d debat,quaſi dicens: Liuore eius ſanati ſumus,nec enim tam pauper inuenitur Iob,vt panniculo careret,qui & in ſterquilinio inuenitur,& ab vxore ei adduci poterat, ſed ſperabat p[illegible]ſsione Redemptoris ſe purgari,quod teſta præferebat. Nemo igitur miretur propterea, quòd in aſina veniat rex iſte cum ſuis,quia nimis pacificus eſt ingreſſus eius ad iudaicam plebem ex Virgine, cuius meritis oſtendit ſeipſum mundo:
Ioan.2.a quando in nuptijs ab ea rogatus,magnificauit gloriam ſuam. Sed quia de Gedeone duce magno fecimus mentionem, eã proſequamur: vbi aperte monſtratur qualiter rex noſter Iudaicæ gẽti promiſſus,ſe toto vitæ proceſſu ei oſtendit,atque obtulit cum Apoſtolis ſuis: quibus & in hac proceſſione venit ſtipatus,atque eorum diligentia ſeruitur ei.

Homil. 39. in Euang. tomo 3. Iam ergo vt Gregorij expoſitione vtar, aduerte quòd filius Dei appropinquauit Ieroſolymis, quando in natali ſuo
Luca.2.b per os angelicum prædicari fecit in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia bona pax a voluntate bona incipit, eiq; ſolummodo debet dari: & datur a Chriſto per Angelos non
Ioã.14.d quo modo mundus dat per fallacias ſuas. Venerat deinde Chriſtus Betphage quæ eſt hereditas ſacerdotum,quoniam eis per totam vitam prædicauit in hereditate eorum, de qua
Pſal.82.c dicitur: Hereditate poſſederunt ſanctuarium Dei,ſcilicet tẽplum Salomonis pace fundatum, vbi Chriſtus quotidie docens erat. Si autẽ quæras quid docuit: reſpondebo tibi, quòd ad Montem olìueti direxit doctrinam ſuam,eis miſericordiã
Oſee. 6. c prædicando. Dicebat enim miſericordiam volo,& non ſacri-
Pſal.84.c ficium: tunc ergo miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: quando executio miſericordiæ Chriſti ſe veritati promiſſio-
Pſal.47.b nis adiunxit tamquam ſignato ſignum, & figura figurato, & promiſſioni adimpletio,ita vt dici valeat: Suſcepimus Deus
Ieſus quid ſignificet. miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundum nomen tuum ita, & laus tua. Nomen Ieſus ſalus interpretatur, & laus eius fuit,quòd tranſiret per mediam Iudeam bene fa-
Act. 10. f ciendo,& ſanãdo omnes oppreſſos a diabolo, & a quacũque

infirmitate

infirmitate detentos. Nec nobis deeſt miſericordia Saluatoris: quia ſalus benemerita eius vſque ad fines terræ protenditur, & etiam aduerte, quòd in Monte oliuarum plurima claritas deſignatur, quia ibi oleum plurimum erat. Claritas ergo Saluatoris fuit in miraculis plurimis, quibus operatus eſt ſalutem omnimodam in medio terræ, ſcilicet in Ieruſalem, ad quam pergebat ex vtero Virginis factus viator: quod notans Lucas dicit: Facies eius erat tanquam euntis in Ieruſalem, vt ſcilicet adimpleret votum ſuum de ſalute noſtra operanda ibi per ſuam mortem: vnde merito dicitur Ieroſolymis appropinquare: propter iſta ergo quæ diximus, quibus, & ſe dominus & ſuos applicuit, ex toto aptatur ei figura Gedeonis prætacta, ſuper quā ait Greg. Tales namque ſecum rex noſter ad prœlium prędicationis duxit, qui deſpecta ſalute corporum hoſtes ſuos moriendo proſternerent, eorumq; gladios non armis & gladijs, ſed patientia ſuperarent: armati enim venerunt ſub duce ſuo Chriſto ad prœliū ſancti Apoſtoli, ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus. Deſignatur autem in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Sonuerunt namque tubis dum prædicant. Confregerunt lagenas, dum ſoluenda in paſſione corpora hoſtilibus gladijs ſupponunt. Reſplenduerunt lampadibus, dum miraculis corruſcant. Hæc omnia fecit rex noſter, & Apoſtoli comites eius.

Pſal. 73.e

Luca. 9.f

Grego. 30. moral. cap. 17. to. 2.

Sed mirum videtur, quòd non niſi duos mittat in caſtellum, quod fuit contra ſe & ſuos, occidens prophetas & dominum prophetarū. Duo iſti fuerunt Sanctus Simeon, & Ioannes Baptiſta. Duo maximi viri præuenientes faciem Chriſti. Nam primus eum accepit in vlnis. *& cet.* manibus contrectauit. Obliti fuerant Iudæi Simeonis, & eorum quæ dixerat expectantibus redemptionem Iſrael: & propterea mittitur Ioannes, vt reincipiat aſinam ſinagogę ſoluere, & cerimonijs ſuis ad Baptiſmum induceret. Pullum etiam adduxit quando omnis populus ibat, vt audiret Ioannem, & baptizaretur ab eo. Sinagoga ergo eſt aſina: & pullus eſt populus ſub iugo cęrimoniarum. Hos volebat Ioannes Baptiſta ducere ad Ieſum ſolum: Sed leuitæ & ſacerdotes vetabant iſtud, ſicut & ſolutionem aſinæ vetarūt aſtantes. Et poſt multa concludunt: Quid ergo baptizas? Ille autem non aſſumens ſibi honorem, nec aſinam ſinagogam cupiens ſubiugare ſibi, reſpondit quòd dominus his opus habet: & dixit:

Diſcipuli miſſi qui fuerint.

Luca. 2.d

Ioan. 1. c

Hebr. 5. a

Ego vox clamantis Chriſti, ſcilicet in deſerto Iudęæ: Parate viam domino, parate viam ei: quia ecce illum: ecce venientem, quæ his opus habet: vt faciat opus ſuum, quod eſt miſe-
Abac.3.a reri, iuxta illud: Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Iratus hucuſque erat Iſraeli dominus, veniens contra eum in equo furoris ſui, ſed iam miſericordiæ recordatur: nec
Pſal.76.b obliuiſcetur miſereri Deus, nec miſericordiam ſuam abſcindet: nam conuertetur ad plebem iſtam in miſericordia, & miſerationibus congregans eam ſibi, & populum gentium qui eſt pullus ſubiugandus. Opus ergo habet Deus noſtra miſeria, vt miſericordiam faciat: quoniam in miſeria noſtra ſe oſtendit dominum miſericordiæ. Iubet ergo aſinam adduci, ne iam ſit cærimonijs ligata, ſed veſtibus apoſtolorum ornata. De quibus ſatis debuit exultare plebs illa, & cognoſce-
Luc.19.g re tempus viſitationis ſuæ, atque exhibitæ miſericordiæ: quoniam hoc totum factum eſt vt impleretur, quod dictum eſt per prophetam dicentem: *Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuetus*. Sion ſpecula eſt, & ſinagoga ſemper ſpeculabatur diem aduentus Chriſti tam ſecretum, vt pluuiæ comparetur, quia deſcendit ſicut pluuia in vellus, vt nemo percipere poſſet regem aduentantem. Quis enim puta-
Pſal.71.a ret eum in aſina venturum, niſi propheta illam plebem monuiſſet, vt attenderet diſſimulatum aduentum? Dicite igitur filiæ ſpeculationis, quæ in omnibus ſacrificijs atque legalibus inſtitutis ſpeculari ſolebat regem ſibi promiſſum; quòd ecce rex: en dies, quam expectabas: ecce rex tuus venit tibi reſtituere regalem dignitatem tuam, qua hucuſque carueras: quia ideo tuus eſt, de progenie tua natus. Et tibi venit dare et iam regna cęleſtia per manſuetudinem ſuam; ſolent bene recipi ſcilicet reges & conſanguinei, & benefactores, & pauperes, & peregrini. Hæc omnia Chriſtus, quod notat propheta, qui propter primum dixit. *Ecce rex*. Propter ſecundum: *tuus*. Propter tertium dixit: *venit tibi*. Propter quartum dixit: *manſuetus*. Propter quintum dixit: *ſedens ſuper aſinam*, quaſi ex longo itinere feſſus. Attende igitur (O filia Sion nec dormias ſpeculatrix ad tanti regis aduen-
Oſee.2.d tum) qui & ſponſus tuus eſt. In fide ſua te ſibi ſponſare venit, & tibi gentium colla ſubmittere. Quid nutas? Cur dubitas? Quid cunctaris? Cur non exire feſtinas obuiam venienti?

Tepidam

Tepidam ſponſam excitat Paulus ad occurſum venientis, dicens in hodierna epiſtola: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere &c. vbi nota quod humanum genus ante Saluatoris aduentum duplici ſomno tenebatur, & ab vtroque excitatur. Primus eſt ſomnus figurarum: alter eſt peccatorum. Primus pertinet ad intellectum: ſecundus ad voluntatem. Somnus volũtatis eſt immerſio peccati, quo dormiunt multi. Sed amplius agendum eſt de ſomno figurarum, quo tenebatur filia Sion: vbi aduerte quòd in veteri lege omnes erant pueri teſte Paulo, qui ait: Quanto tempore heres paruulus eſt nihil differt a ſeruo. Paruuli autem ſomno præcipue nutriuntur, & ſic antiqui nutriebantur ſomno figurarum. Nam & Paulus ipſe puerum ſe ante conuerſionem appellat: & poſt factus eſt vir, euacuans quæ erant paruuli, ſcilicet cærimonias. Et ſicut puero non datur hereditas, ſed neniæ, quibus interea vacet iocis: ſic populo illi ſola terrena hereditas expreſſe promiſſa eſt. Hi ergo ſomno nutriti ſunt: quia tunc ſinagoga dormiebat, ideo propheta iubet, vt eam excitemus, dicentes horam eſſe de ſomno ſurgere: *Quia ecce Rex tuus venit*. An non tibi videtur ſomnus viſio rubi ardentis & incombuſti: & virgæ Aaron abſque humore florentis: & promiſſio illa terræ fluentis lac & mel? Nec miremini fratres: quia teſte Iob, ſolet ſopor figurarum occupare homines, ſcilicet prophetas, quibus in ſomno factæ ſunt viſiones: vnde & Adam in paradiſo dormiente, ſumpta eſt Eua de latere eius. De hoc figurarum ſomno filia Sion debet ſurgere: quoniam veritas, & figurarum adimpletio per Ieſum Chriſtum facta eſt: vt te a ſomno excitet feſtinanter. Hic in rubo noſtræ humanitatis poſuit ignem deitatis ſuæ, qui non comburit, ſed illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vbi ſeipſum virgam vigilantem plantauit in vtero virginis, quæ non ſolum ſicca per caſtitatem, ſed florida per virginitatem fuit. Vigila ergo filia Sion: *quia ecce Rex tuus*, excitator tuus venit tibi vt adimpleat ſomnia tua: vt multum proſint tibi ſomnia tua, quia optima ſunt, & vera non a vino cauſata, ſed a Deo immiſſa.

Rom. 13. c

Somnus duplex figurarum, & peccatorum.

1. Cor. 13. g

Gal. 4. a

1. Cor. 13. c

Exo. 3. a

Iob. 4. c

Ioan. 1. b

Ibid. a

Ier. 1. b

Gen. 37. c

Sic excitata eſt filia Sion ciuitas ipſa veniente domino, ac ſi Spiritus Dei, qui vbi vult ſpirat, omnes ciues aduocaret, & cuilibet eorum diceret: *Ecce rex tuus venit tibi*: hoc omnibus auribus ingeſſit, atque cecinit Spiritus ſanctus, quoniam vt ait Euangeliſta: Commota eſt vniuerſa ciuitas dicens:

Ioan. 3. b

Matt. 21. a. b

Quis eſt hic? audientes vocem & neminem videntes dicere ſolent: Quis eſt hic? vniuerſorum Dominus ſuiipſius præconem ſe fecit, alioquin vniuerſa ciuitas non poſſet promoueri ad eius receptionem tam mirabiliter, vt quilibet diceret apud ſe: Quis eſt hic qui cor meum excitat? quis ad aurem meam canit: *Ecce rex tuus venit tibi*? Non ſolum ergo vniuerſa ciuitas, ſed homo totius ciuitatis commotus eſt pro tunc ad ſuſcipiendum regem Chriſtum. Quilibet homo eſt ciuitas parua cuius rex eſt Chriſtus, ad quem & animæ potentias, & corporis ſenſus, & cordis paſsiones moueri oportet. Oculos ad lacrymas & vigilias, pedes ad terendũ viam pacis, genua ad orationes, os ad confeſſionem & laudem, manus ad opera bona, aures ad conſilia recta, totum corpus ad ieiunia, omne pectus ad ſuſpiria, & omne cor ad mœrorem. Quod & ad litteram fecerũt Chriſtum recipientes in hac proceſſione. Quis enim ſe continere valeret, vel quòd tam ferreum pectus, aut qui tam ſicci oculi, qui non flerent videntes lacrymas erumpentes in oculis Saluatoris? Ibat enim ſatis honorificatus ſuper aſinam veſtibus ſuorum ornatam, & flens largiter peccata populi ſui longe ante præ-
Pro.14. b uiſa. In medio honoris ſui docet nos flere Chriſtus vt riſus noſter dolore peccatorum noſtrorum miſceatur. Tempus flendi, eſt tempus humanæ proſperitatis. Tempus ridendi eſt quando aduerſitas ingruerit. Sic enim viri ſancti quaſi ad epulas inuitati pergunt ad paſsionem: dum autem honorifi-
Pſal.96.b cati fuerint, plorabunt. Quando exultauit, & letata eſt Sion,
Zach. 2.b flebat ſponſus eius Chriſtus, vt ei dicat illud Zachariæ: O
Pſ. 136.b Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babilonis: quoniam filia Babilonis miſera. Anima iuſti eſt filia Sion, & filia Babilonis eſt caro, a qua ſurgendum eſt, quoniam ſi ſecundum carnem
Rom. 8. c vixeritis moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Dum ergo ſponſus venit filiæ Sion, etiam venit contra filiam Babilonis: & propterea non ex toto eſt
Iudæorum error notatur. lętus aduentus iſte. Error Iudæorum fuit carnaliter expectare regnum Meſſiæ: qui error & illos oppreſſit, qui abeun-
Act. 1. b ti Chriſto dixerunt: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? hic error & quoſdam chriſtianos adhuc tenet quamuis aliter. Sunt enim quidam, qui tunc arbitrantur ſe bene valere, & ſibi rex Chriſtus eſſe placatus, quando eis bona temporalia proueniũt ad libitũ, & ſalus acquiritur atque
Pſal.48.d incolumitas perſeuerat. De hoc tali dicit propheta: Confitebitur

bitur tibi, cum benefeceris ei atque dicet. Benedictus Deus in donis ſuis: & omnes iſti dicunt: Benedictus Deus: quia diuites facti ſumus. Ne igitur ſimilis error vigeat apud chriſtianos voluit Deus aſella venire mitis & pauper: & ſic amplius honorari quàm Salomon in omni gloria ſua: quoniam ad Chriſtum commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic? quaſi dicat, maior homine eſt. *Zach. 11. a* *Mat. 21. b*

Nunc videamus ordinem proceſſionis, de quo ſequitur. *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.* Hi ſunt ſancti Innocentes, qui veſtimenta corporum ſuorum depoſuerunt in via propter amorem Chriſti. Et ſunt ſancti diſcipuli qui bona temporalia pedibus Chriſti, ideſt, pauperum neceſſitatibus ſuppoſuerunt, dicentes: Ecce nos reliquimus omnia (ſcilicet pauperibus) & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Tertia turba eſt Apoſtolorum, pedes Chriſti myſtice per bona exempla, quæ ſunt optimæ veſtes, direxerunt, ea ſupponentes affectibus credentium. Nam affectiones ſunt animæ pedes qui per bona exempla gradiuntur ad gloriæ templum. Primi ergo ſunt Innocentes qui veſtes corporum proiecerunt: alij ſunt diſcipuli, qui veſtes rerum temporalium pedibus Chriſti qui ſunt pauperes humiles præbuerunt, ampliant veſtes exemplorum, viam Chriſti exornant, ea pedibus affectionum ſubijcientes: vt pulchri ſint greſſus Eccleſiæ in proceſſione chriſtiana. Alia turba quarta præſcindens ramos de arboribus fuit aliorum credentium Chriſto, qui tunc ramos ſcindebant de arboribus, quando dicebant aliquas de Chriſto ſcripturas adimpleri. Nam teſte Gregorio ſacra Scriptura arbor Dei eſt. Et diuerſæ ſcripturæ diuerſæ ſunt arbores. Hæretici taxantur, qui arborum cortices manducabant, nolentes deuenire ad ſcripturarum medullam. Sed credentes Chriſto in proceſſione vitę ſuæ ſępe dicebant: Hic eſt vere propheta qui venturus eſt in mundũ: & alibi dicebãt: Miſerere mei Domine fili Dauid. Iam ergo & ipſa Beata Virgo, & Zacharias, & Anna propheteſſa, & aliæ ſapientes perſonæ ramos ſcripturarum proiecerunt coram Chriſto, aſſerentes de eo ſcripta eſſe quæ proferebant, atque ipſum Chriſtum totius ſcripturæ fructum perſiſtere, de quo ſponſa lætabunda canebat: Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Vmbra Chriſti ſacra pagina eſt ſub qua erat filia Sion antequam ſponſus veniret. De cuius aduentu ſequitur: fru-

Turbæ quæ ſint.

Mat. 19. d

Cant. 7. a

Greg. in prologo. 1. Regum to. 1.
Scriptura, eſt arbor.
Ioan. 6. b
Luc. 18. g

Cant. 2. a

ctus eius dulcis gutturi meo ad canendum, & ad ruminandum,& ad guſtandum: quoniam ad intima cordis venit Ieſus. Fructus totius ſacrę Scripturæ eſt aduentus Chriſti, quo antea grauida erat,& in aduentu Chriſti peperit maſculum, & quemadmodum ramus fructui ſubiacet, ſic omnis ſacra pagina Chriſto. Harum ergo turbarum præcedentes, & ſequẽtes, vt ait Euangelium, clamabant. Vbi maximum latet ſecretum: nam ſequentes dicere ſolent domino, vt ambulet, atque feſtinet. Præcedentes autẽ dicunt, vt expectet, atque detineat ſe. Sic turba ſequens patrem antiquorum dicebat Chriſto, vt feſtinaret, atque curreret: illorum enim vox eſt illa: Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ, & alibi dicitur Chriſto: Exurge quare obdormis domine: exurge & ne repellas in finem: quare obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? ecce igitur quomodo turba ſequens inſtat domino, vt feſtinet ſuccurrere expectantibus eum: quando autem rauci facti ſunt ex frequenti vocatione iam non voce clamant, ſed quibuſdam ſignis, & nutibus: nam per ſignum agni immolati Chriſtum vocant immolandum, & pater Abraam dum filium onerat, Chriſtum onerandum cruce quaſi per nutus vocat. Nec mirum quòd Deus cito aliquos non exaudiat cum ſanctos patres tantum in tam pia detineat petitione. Nos autem fratres qui ſumus turba ſequens Chriſtum non eodem modo clamamus, ſed contrario dicentes: Expecta nos domine ad pœnitentiam, expecta nos, vt reſipiſcamus. Coruina voce nos Chriſtum vocamus, clamamus enim dicentes: Cras, cras. Cras ibimus ad te. In ſacra pagina dicitur, quòd Deus pullis coruorum dat eſcam, eosq. exaudit, non autem patres eorum, quoniam ſi iuuenes non ſint parati, expectat eos Deus: ſicut de ficulnea legimus, quam Deus tribus annis expectauit: & poſtea ei contulit beneficia, ſed videns eam in ſua ſterilitate perſeuerare, abſcindi iuſſit, & in ignem mitti. Iuuenibus non tantum verecundię eſt dicere Deo, vt expectet, quia ſe nouerat Dauid iuuenem quando dicebat: Superueniet manſuetudo ſcilicet ſenectutis, & corripiemur, cui autem parum vitæ supereſt non conuenit dicere: Expecta domine. Sed dicat cum Ioanne Euangeliſta iam ſene: Veni domine Ieſu, veni & noli tardare, quia incolatus meus prolongatus eſt.

Clamor turbarum, qualis fuerit.

Prou. 6.a

Pſal. 43.d

Gen. 22.b

Pſ. 146.b

Luc. 13.b

Pſal. 89.c

Apo. 22.d

Nunc de cantico puerorum videndum eſt, quem Chriſtus laudauit:

laudauit:quia placuit auribus eius. Vbi aduerte rem mirabilem: nam quia talium eſt regnum cęlorum, ſolebat eos Chriſtus amplexari. Et nunc ipſemet reuelans myſteria, qui viſus eſt inter pueros fornacis, dignatus eſt docere infantes iſtos, quid canerent coram ſe, tam mira enim fuit cantilena, quòd liuore moti Scribæ, & Phariſæi dixerunt ad Ieſum: Audis quid iſti dicunt? Ieſus reſpondit: Vtique. Numquam legiſtis: quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? quaſi dicat laus mea in ore veſtro imperfecta eſt: quoniam peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? quod phariſæi dicere debuiſſent, fatebantur pueri, regem Iſrael Chriſtum confitentes, atque verba thematis ingerentes filiæ Sion: Ieſus addidit Phariſæis dicens: Si pueri tacuerint, lapides clamabunt. Et hoc, vt ait quidam, impletum eſt dum eleuata eſt crux: quia quando petræ ſcindebantur in terræmotu, audiebatur per aera ex earum colliſione reſultans quædam vox dicens: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Ex quo Pilatus motus eſt ad tituli inſcriptionem, vbi eandem ſententiā ſcripſit tam firmiter, quòd poſtea nec metus Iudæorum eū potuit mouere ad delendum eam: Chriſtus ergo dixit hanc laudem, ſcilicet puerorum eſſe perfectam etiam abſolute: & hæc perfectio ab eis non potuit prouenire: quia modo geniti infantes lac ſolent concupiſcere, non autem perfectam laudem promere: ideo ſapientia Chriſtus tunc aperuit os mutorum, & linguas infantium diſertas fecit: qua propter ſi huius laudis originem conſideres optime iudicabis dixiſſe Caſſiodorum ſuper Pſalmum vbi ait: Laus horum infantium cū ramis cantantium aliquomodo eſt perfectio, quàm laus angelorum ad pręſępe canentium domino. Primo, quia pure infuſa eſt pueris non reſiſtentibus Deo. Tum ſecundo, quia Angeli ſolummodo canebant inter ſimplices homines Chriſti amicos eius aduentum exoptantes, pueri autem etiam inter inimicos crucis Chriſti, hanc laudem non æquo animo ferentes. Tertio, quia angeli nocte, & coram paucis canticum eius dixerunt, iſti autem in meridie coram pluribus ex omni natione quæ ad feſtum venerant. Quarto, quoniam Angeli ſolum glorioſum in excelſis eum cantauerunt, quod omnis lex de Deo confitetur: iſti autem non ſolum glorioſum benedictum & regem, ſed etiam Saluatorem excelſorum, ideſt Angelorum clamauerunt, & inde vltimum ſurgit,

Luc. 18.e
Matt. 21. b
Pſal. 49.c
Luc. 19.f
Ioā. 19.d
1. Pet. 2.a
Sap. 10. d
Phil. 3.d
Luc. 2.d

git, quòd ſcilicet ex angelorum cantico nullus confutatus
Pſal. 8. a eſt inimicus: quia ſoli amici audierunt, nunc autem ex ore infantium, & lactentium perfecit Deus laudem, vt quemadmodum ſequitur in Pſalmo, deſtrueret inde inimicum ſcilicet Iudæum, & vltorem ſcilicet Phariſæum, & cœtum pontificum: qui vltor voluit exiſtere contra Chriſtum, qui propter inimicos ſuos cruciandos ex ore infantium, & lactentiũ illam laudem fecerat emanare perfectam. O beati pueri ſenum doctores. Si os veſtrum laude plenum interrogaremus, quo modo os noſtrum condemnaret nos qui ſemper vana loquimur: ac ſi plaga ægypti ſuper nos adueniſſet illa ſcilicet
Exod. 8. a de qua dicit Deus: Percutiam omnes terminos terræ ranis: terminus terreni corporis noſtri eſt prouecta ætas: nam loquacitatis vitium in ſenibus iam prouectæ ætatis, qui ſunt iuxta vitæ terminos, vigere ſolet, quibus ranę abundant. Dum enim lingua tua loquacitati ſeruit, rana eſt: dum autem concinnat dolos, eſt gladius acutus: nec parum malum
Ibid. b eſt in ore habere ranam: alioquin Deus non diceret: Percutiam ægyptum ranis: percuſſura tamen iſta non ſentitur niſi in inferno: vbi medicamento exterminij curabitur: eo modo quo curari ſolent habentes capita lęſa, curabuntur loquaces. Talibus enim iubetur a medicis, vt taceant, quia loquela nocet capiti læſo, & ſic de horum inutili medicamen-
1. Reg. 2. b to dicit Anna mater Samuelis: Impii autem in tenebris conticeſcent: quia modo nolunt, ideo ibi omnis iniquitas opila-
Pſ. 106. d bit os ſuum. Sed nunc fratres os veſtrum aperite Chriſto, videte qualiter Maria, cui propter multa venit primo, perrexit ad templum prædicare miſericordiam, ſuoſq. docuit infirmos vngere in ſignum clementiæ. Duos præmiſit ſcilicet Simeonem, & Ioannem ſoluere ſynagogam, & etiam gentilitatem ſibi adducere, quam Paulus in epiſtola vt filiam Sion excitat, & tota mouetur ad regem, excluſo ex parte errore Iudaico Chriſtum temporaliter expectante. Diximus etiam de turba ſequente, & præcedente, atque de clamore turbarum, & optimo cantu puerorum, cum quibus & nos cantemus in gloria, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

SER-

SERMO DOMINICÆ QVARTÆ ADVENTVS,

Ad conſtruendam religionem in homine chriſtiano, ad fratres, aut moniales.

THEMA.

Ecce rex tuus venit tibi. *Matth.* 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN domo regis ille maiori habetur, & colitur reuerẽtia, cui manſuetior eſt ipſe rex: vt patet in Ioſeph apud Pharaonem regẽ Aegypti: & in Mardocheo apud regem Aſſuerum. In domo regis æterni acceptiſſima eſt Maria, cui manſuetiſſimus eſt rex gloriæ, ita vt etiam omnes ſancti mirentur, ac thema ei gratanter ingerant dicentes: *Ecce rex tuus venit tibi*: reclinandus in gremio tuo, captus amore puritatis tuæ, velut vnicornis in gremio virginis, qui eius cantu obdormit, & a venatoribus ſoporatus capitur. Sic noſter Deus qui eſt verus Sanſon in gremio amicæ ſuæ captus eſt: qui dum quieſcere voluit in vtero virginis, captus eſt ab inimicis, & magis ab amicis, quibus virgo fauet. Ad hoc enim obdormiuit rex gloriæ in vtero virginali, vt velut auis in ſuo nidulo poſſet capi confidentius a nobis. Tamen Sanſon teneri non valuit niſi conſilijs Dalidæ amatæ ſuæ, quæ interpretatur ſitula eius, & eſt ſitula eiuſdem Chriſti, qua quis facilius poterit haurire aquas gratiarum in gaudio de fontibus Saluatoris. Nam ſitula eſt vas commune, quo quiſque poterit aquam haurire: quoniam omnibus ſe offert Maria, vt fauorem cunctis impendat, & auxilium præſtet hauriendi gratiam Dei in quacũque neceſſitate: nam inuenit gratiam apud dominum. Quam ſi per ſuperbiam tuam perdidiſti, vade ad humilitatem Mariæ, quæ eſt ſitula gratiæ. Si eam per auaritiam perdis, vade ad Mariæ largitatem, vt eam acquiras.

Gen. 39. a
Eſth. 10. a
Iudic. 16. d
Dalida qd.
Iſa. 12. a
Luca. 1. c

ras. Si autem per immunditiam, vade ad eius Virginitatem quæ ſitula diuinitatis eſt, qua exhaurit etiam Filium Dei ex paterno ſinu, opitulante gratia Spiritus ſancti, qua nunc indigemus. Et vt eam aſſequi valeamus; Mariæ offeramus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVia Bethania erat hoſpitium Chriſti, ex ea venit quotidie ad religionem: vt eam hoſpitium pariter ſibi faciat, eamq. honorat tanto hoſpite lętabundã, quem mundus non ſic altiſſime recipit in apice perfectionis ſicut religio munda, cui dicitur: *Ecce rex tuus venit tibi:* tecum moraturus, vt videatur in te vixiſſe vita Chriſti, & mores eius heroici. De hoc aduentu agam in toto ſermone, oſtẽdens quo modo Chriſtus ex vero chriſtiano, venit monachũ facere. Hoc adijciam ſuper omnem laudem tuam Deus,
Matt. 7. b quòd non ſolum qui te quærit inuenit, & pulſanti aperietur
Ioan. 6. e cito, ſed tu ipſe ſemper nos prior quæris: nemo venit ad te ni
1 Eſd. 8. d ſi tractus manu tua. Vnde ſcriptum eſt: Manus Dei noſtri eſt
Præuenio Dei. ſuper omnes qui quærunt eum in bonitate. Ecce quo modo præuenimur virtute ex alto, dum manus Dei facta eſt ſuper nos. Prius ergo nos Deus quærit quàm ipſi quæramus eum.
Sap. 6. e Nam præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis priorem oſtendat. Nam ſi vtriuſque obuiantium ſcilicet animæ, & Chriſti, operator eſt dominus, prior eſt Chriſtus, quia ideo di
Prou. 22. a citur: Diues & pauper obuiauerunt ſibi. Primo inquam diues obuiat Chriſtus, quàm pauper homo. Et propterea ſpon
Cant. 2. d ſa dixit: Dilectus meus mihi, & deinceps quaſi ſecundo addidit: & ego illi. Vt ergo propheta nobis ingereret hanc Dei ſolicitudinem, qui ſemper maturius nobis proficiſcitur ad quærendum nos, dicit: *Ecce rex tuus venit tibi.* ſcilicet prior: vnde & præſens Euangelium, vbi agitur de aduentu eius ad animam religioſam, ſic incipit: *Cum appropinquaret Ieroſolymis, & veniſſet Betphage ad Montem oliueti.* Ecce tres pariter ſtationes per quas venit Chriſtus ad religionẽ: non ſolum ad cœnobia monachorum, ſed & ad animas in foro exiſtentes obedire tamen paratas, velut ad operarios vineæ Chriſtus venit. Dum ergo te Chriſtus vult religione decorare, prius appropinquat Ieroſolymis, deinde Betphage, tertio ad Montem oliuarum. In his tribus locis tria con-

ſilia

ſilia euangelica nobis ingerit tanquam præuia ſigna ſancti-tatis. Nam hic aduentus ad iam conuerſos dirigitur, vt qui ſanctificati ſunt per mandatorum obſeruantiam, ſanctificentur adhuc per cuſtodiam conſiliorum. Iam ergo Ieroſolyma interpretatur viſio pacis, & eſt paupertas non quæcumque, ſed euangelica. Omnis diſſenſio ac bellatorum concurſus ſuper meum, vel tuum litigat: hæc duo nomina, ſcilicet *meum*, & *tuum* bella mouent, ſcandala excitant, & etiam reges trucidant. Pauper euangelicus illa ignorare pronomina debet, dum Chriſtum audit dicentem ſibi: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Sic expeditus veni, & ſequere me, ſcilicet pauperem, pauperumq. amatorem. Qui euangelizare pauperibus veni. Omnibus ergo bellicandi ratio, aut ideo eſt, vt mea defendam, aut ideo eſt, vt aliena rapiã. Dum autem pauper etiam libenter deſerit, & etiam alios ditare, & non vexare nouit, liquide conſtat fieri ſibi vndique pax, non ſolum ab extra, ſed ab intus. Nam ideo Chriſtus diuitias ſpinis comparauit: quia ſui memoria velut acuta cuſpide animam cruentant. Nam diues nec nocte mente quieſcit, ſed cor ſuum latrones, & tineam timet. Pauper autem euangelicus pacem habet, quia in loco tutiſſimo theſaurizat ſcilicet in cælo: Vbi fur non effodit, nec tinea demolitur. Quemadmodum ergo radix eſt omnium malorum cupiditas: ſic eſt radix omnimodæ pacis paupertas euangelica. Nã talis habet pacem ad Deum, nec ei mouet rixam, neque conqueritur, cur non det ei opes. Habet pacem ad ſe, reiecta occaſione cogitandi bonitates, quæ eſt cupiditas. Habet & pacem ad ipſum dęmonem, qui ſolet vt plurimum in campo auaritiæ bella mouere. Habet etiam pauper pacem ad mundum, qui ſolos diuites ſolet conuenire, nec enim pauperes litem excitant in iudicio. Securior eſt vbique pauper quàm diues. Nam & Nabuzardam dux reliquit de pauperibus terræ vinitores, & agricolas in Ieruſalem, quia iure pauperibus debetur locus iſte, qui viſio pacis interpretatur. O maximam virtutem virtutibus plenam, quia paupertas & pacem, & mititatem, & patientiam, aliaſq. complures habet virtutes. Attamen quia nos neſcimus, qualiter differant paupertas mundana, & Euangelica, ideo ait Euangelium: *Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis*. Ad implẽdam euangelicam paupertatem appropinquat Ieſus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Illam aſſero paupertatem

Ieroſolyma quid.

Mar. 19. c

Luc. 4. c

Mat. 13. c

Matt. 6. e

4. Reg. 25. a

Diuitię ran paupc: um.

Coloſſ. 2. a

tatem euangelicam, quæ Ieſum poſſidet: nam infelix eſt pau
Prou. 8. c per, cui diues Ieſus non obuiat. Quoniam ipſe Ieſus ait: Vt
ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam: dominus
ſcilicet pater poſſedit me. Quin & humanitas ipſa poſſide-
tur a Verbo Dei, vt per eam diuitijs meritorum repleamur:
1. Reg. 2. b quia dominus pauperé facit, & ditat: felix ille qui ſolo Deo
contentus eſt: nam qui de ceteris minus habet plus Deum
poſſidet, quia vacuus remanet capacior: vnde recte iuſſa eſt
4. Reg. 4. a pauper mulier petere mutuo ab omnibus vicinis ſuis vaſa
vacua, quæ mire fuerunt impleta. Effunde velut aqua cor
tuum, ne remaneat in eo nec odor, aut ſapor, aut color diui-
tiarum, & ſtatim mirabiliter impleueris Deo, qui pauperi-
bus libentius venit ditiſſimus rex. Ex dictis plures inferre
poterimus concluſiones, ſed vel vnam attende & eſt, quòd ſi
teipſum vacuum Deo reperies, iam euangelicus pauper non
es. Nam talis ſemper Deo diues eſt: vnde Patriarcha paupe-
rum fratrum cum Chriſtus ab eo eleemoſinam peteret, iuſ-
ſus eſt manum ſuam in ſinum mittere, vbi aureos nummos
repperit, quos ipſe non poſuerat: tamen ille qui cum diues
2. Cor. 8. b eſſet pro nobis egenus factus eſt: non ſolũ in ſinu beati Fran-
ciſci: ſed in ſinu cuiuſcũque pauperis ſui diuitias gratiarum
reponit pro viatico noſtro: quia ſua intereſt pauperibus ſuis
Iſai. 14. g in melius prouidere qui ait: Paſcentur primogeniti paupe-
rũ, & pauperes fiducialiter requieſcent: & interire faciam in
fame radicem tuam. Quia dominus fundauit Sion, & in ip-
ſa ſperabunt pauperes populi eius. In his verbis dominus ſe
promittit alere pauperes, & primogenitos eorum. Prius ta-
men primogenitos qui ſunt verorum pauperum deſideria,
& cordis præparationes atque interna ſuſpiria, quibus ſpiri-
tualem guſtum repromittit. Ipſos autem pauperes fiduciali-
ter dominus requieſcere faciet, ſpẽ ſuã proijcientes in Chri
ſtum, qui etiam cibum temporaneum præſtabit, dicente
Pſal. 54. d Dauid: Iacta in domino curam tuam, & ipſe te enutriet:
aſſeruit etiam Deus, quòd interire faceret in fame radicem
noſtram. Vt autem quibus paupertas promiſſa eſt, & nun-
quam famem experti ſunt. Nam ſi propter euangelicam pau-
pertatem ſeruandam pateremur famem, in illa fame radix
cupiditatis noſtræ interiret. Nam ſi, vt aiunt, ſputum ieiuni
hominis nocet ſerpenti, quanto amplius noceret ei ipſum
ieiunium ſi ob ſeruandam paupertatem fieret, nam ibi du-
plex eſt lucrum. Debet etiam in paupere Chriſti eſuries ac
ſitis

ſitis iuſtitiæ eſſe, in qua citius ſiccabitur radix vitiorum. Vnde in poſteriori parte auctoritatis concluſit Iſaias, dicens pauperibus ſperandum fore in Sion, quia per eſuriem, & ſitim amplioris iuſtitiæ, itur de virtute ad virtutem ad videndum Deum deorum in Sion. Cuius filia, vt infra videbitur, eſt anima religioſa. Ieſus denique Ieroſolymæ appropinquat, ideſt paupertati, vt eam ditet ſeipſo, atque cibet interna conſolatione. Ex hac ſtatione venitur ad Betphage, quæ interpretatur domus oris vallium, vbi exprimitur obediētia. Nam qua morantur obedientes domo, quo detinentur domicilio niſi ore prælati ſui? verus enim obediens ab ore præſulis pendulus eſſe ſolet. Nonne Paulus hanc obedientiæ domum celebat, quando dixit: Domine quid me vis facere? nonne hāc domum oris intrauerat Iacob, in eaq. habitauerat, quando conſilijs matris acquieſcens, paternam meruit benedictionē vir ſimplex habitans domum? nonne & ipſe Chriſtus hanc dilexit domum, in eaq. habitauit, quando exiſtens ſubditus etiam fabro didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam? quin & ipſe pater luminum in hac etiam domo habitare dignatus eſt, quando obediente Deo voci hominis, ipſi nolunt obedire voci Dei. Sunt tamen qui, etſi non manent extra domum iſtam, in limine detinentur, cum etiam ad cor prælati oporteret ingredi, qui ſæpe propter duritiam noſtram non iubet totum, quod vult. Nos ergo hanc virtutem docens Bernardus ait: Verus obediens mandata non procraſtinat, ſed parat aures auditui, linguam voci, attentionem voluntati, pedes itineri, manus operi. Et ſe totum intus recolligit, vt mandata peragat imperantis. Ecce quomodo per os etiam ad cor prælati verus obediens intrat. Obedientia denique eſt domus oris intranſitiue, quia eſt domus oris appoſitiue, ſicut dicimus eccleſiæ domum, quæ eſt ipſa Eccleſia.

Pſal. 83. b

Obedientia eſt domus noſtra.

Act. 9. a

Gen. 27. b

Luca. 2. g

Hebr. 5. c

Ioſu. 10. c

Bernar. de obedientia, & eius gradibus circa med. to. 1.

Hæc tamen domus dicitur vallium, ideſt humilium: ſoli namque humiles obedire nouerunt, quia domus iſta ſubmiſſum habet introitum, qui elatos non admittit: vnde ſi egreſſus fueris ab ore, vel a voluntate prælati tui, cenſerem te parum ab apoſtaſia diſtare, & eſſe ſicut euellens ſicomoros, nam parum diſtat apoſtaſia cordis ab exteriori, ideoq. dicitur communiter in ſcholis, quòd actus exterior nullam bonitatem, nec malitiam addit ſuper actum interiorem: quamuis de hac ſententia non curet Eccleſia: quæ in ea quæ interius geruntur, non ſe intromittit. Attamen vt agnoſcas

Humilitas obedientiæ annexa eſt.

quantum diſtat monachus arrogans ab apoſtata, Bernardũ audi monentem: Sunt quidam quos ſi pudor neget apoſtaſiam corporis, tepor paulatim ingerit apoſtaſiam cordis, vt videlicet in habitu religionis cor ſęculare gerant: & quidquid ſecularis conſolationis inuenire poſſunt, amplectũtur: hæc ille. Verus igitur obediens eligat ſibi cellam os prælati ſui. Quod ſi putridum fuerit, aut fœtidum, vel minans ruinam, ſicut veterior domus facit: recordare quòd ibi te oportet manere, ſicut Chriſtus in cruce manſit pro te, quamuis alij vt deſcenderet hortarentur. Illud os fœtet, quod vertitur interdum ad contumeliam, illud autem ęſt putridum quod aſſerit malum de progenie tua. Illud autem dicitur minari ruinam, quod tibi velut prophetans ingerit te habitum relicturum, vel ſimile malum denunciat venturum ſuper te, aut te maledicit: tu autem non deſeras carcerem, quo te pro Chriſto damnaſti. Tertia vero ſtatio ad Montem oliueti adduxit Chriſtum, qui venit in te montem caſtitatis erigere, nam hucuſque luto immunditię deditus eras, ideoq.
Pſal.68.a infixus limo diiudicaris, & non eſt ſubſtantia tibi, vt altius euoles. Nec enim tantummodo habes alas madidas, ſed luteas, quæ cadere iuuant, non volare: prima ala lutea, eſt quæ-
Gen.8. d dam pronitas naturalis, quam habemus ab adoleſcentia noſtra. Secunda vero eſt quidam habitus prauus qui ex repetita pollutione cauſatur. His duabus alis non ſurſum, ſed in profundum inferni volatur, ideo neceſſarius eſt Dei aduentus, vt caſtus fias; hanc neceſſitatem nouerat ille, qui dixit:
Sap. 8.d Cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Et vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens: niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij dominum, & deprecatus ſum illum, non ſimpliciter ait: Cum eſſem bonus, ſed addidit magis, vt innueret non ſufficere propria bonitas, nec propria induſtria ad caſtitatem obtinẽdam: ſed pro ea magis bonos oportet nos eſſe adiutos, ſcilicet a bonitate diuina, quæ nos venit in montem caſtitatis eleuare. Hebræi pro caſtitate ſeruanda dominum adire ſolebant, & nemo niſi occulto monitus audebat inire continentiam timens legis maledictionem. Sed in lege noua paſſim venit Chriſtus hoc donum præſtare, qui paſſim confert caſtitatem, vnde frequenter Montem oliuarum aſcendebat. In hoc monte non in conſulto, nec immerito plantatur oliuetum, quoniam caſtos vngit Chriſtus, qui

ait:

ait:Nolite tangere Chriſtos meos:Chriſtus interpretatur vnctus, & quiſquis in Eccleſia vngitur ad ſacerdotium, tenetur caſte viuere:ab his ergo manus pollutas prohibet Chriſtus,quę vngit in Eccleſia ſponſas ſuas virgines:nam virgines prudentes deferunt oleum in vaſis cordium ſuorum. Nulla virgo ad regis cubiculum tranſibat niſi vncta, in qua docemur quantum virgo quælibet teneatur oleo lætitiæ abundare præ conſortibus ſuis. Nam ſignum eſt exiguæ dilectionis, & quòd ſponſum non amplexatur ſi vncta non eſt. Quis namque poterit nimis vnctum amplẽxibus aſtringere,quin & ipſe vngatur? Vtinam ergo cuilibet virgini dicatur: Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Hæc vbera pectoribus Chriſti vncti frequenter adiuncta fuerant: tamen quia hæc difficilia ſunt,nec faciliter obſeruantur, ideo ſequitur in Euangelio. *Pſ. 104.b* *Mat.25.a* *Pſal.44.b* *Cant. 1.a*

Miſit duos ex diſcipulis ſuis. Dum Apoſtoli eſſent ſuper Montem olìueti velut extaſim paſsi, ſtarentq. aſpicientes in cælum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos,vt eos hortarentur ad eundum in Ieruſalem. Nos autem ſumus immundi,procliui decurſu,difficiliuſq. poterimus iter agere ſurſum ſine monitione efficaci. Duas igitur conſiderationes immittit cordi noſtro, vel angelus cuſtos noſter, vel alter miſſus ad hoc. Nam ſi angeli miſsi ſunt in Sodomã, non fuit tantum ad eius punitionem quantum ad liberationem Loth,qui ereptus eſt meritis ſancti viri Abraæ,atque Angeli ſolicita monitione,qua ei dixit: Non poſſum facere quidquam donec ingrediaris illuc, ſcilicet in locũ quem elegerat ſaluationi animæ ſuæ. Nos igitur monemur ſpiritualiter, atque liberamur meritis alienis, & interna monitione. Ego enim agnoui quendam virum, qui dum vagaret noctu, aſellum quendam reperiens,aſcendit ſuper eum,vt circuiret in eo ciuitatem. Aſinus autem eo aſcenſo cœpit creſcere donec turribus altior fieret. Et ſic alloquitur ſeſſori ſuo: Gratias habe matri tuæ, quæ nunc eſt in oratione pro te, alioquin ex altitudine iſta deijcerẽ te, atque præcipitio darem. Poſtquam hæc verba dixit ſenſim ſe reduxit in terram, in qua poſuit filium deuotæ fęminæ. Aſinus iſte dęmon erat. Vir autem reuerſus ad matrem ſuam, ei narrat euentum rei: qui altera die reli- *Act. 1. b* *Gen. 19.a* *Ibid. c* Iuſtorum eripimur meritis.

 gionem

gionem noſtram ingreditur, vbi nunc permanet. Ex hoc infero, quòd etiam dęmonem aliquando mittit Chriſtus, vt proſit conuerſioni prædeſtinatorum. Tamen conuerſio iſta frequentius fit per Angeli monitionem, vt figuraliter
Iudit.10.c patet in Angelo illo, qui dixit agar: Vnde venis, aut quo vadis? Ecce duas monitiones, prior eſt de vita præterita, poſterior autem de vita futura. Altera ibi: vnde venis.
Iſa.38.c Altera ibi: aut quo vadis. Nam ſi recogitarem tibi Deus omnes annos meos inaniter tranſactos, certe futuros vellem tibi emendatiores offerre. Dic mihi obſecro, & oſtende modum, quo & priſtinos velut perditos defleam, & poſteros recuperem dies vitæ meæ. Hæc poteſt dici oratio duarum facierum: per primam quæ retro ſunt reſpicimus ad mȩrorem: per ſecundam ad anteriora volumus extendi. Ad hanc igitur orationem, quæ eſt velut monitio duorum diſcipulorum, reſpődit Euãgelium præſens, dum ait: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt*. In his duobus verbis tota noſtra conuerſio reperitur, vt ſcilicet eamus in caſtellum, non quodcunque, ſed in illud quod eſt contra nos.
Religio eſt caſtrum. Caſtrum Dei fratres cariſsimi religio eſt virtutibus munita: quia mille clipei pendent ex ea omnis armatura for-
Cant.4.b tium. Ante murale ſunt patrum inſtitutiones. Nam religio ſicut a primo fundatore conſtituta eſt, murum habet: quia per metas ſuas terminatur ſtrictius caſtellum hoc quàm ciuitas ſȩcularis. Tamen patribus noſtris placet apponere caſtro velut ante murale conſtitutiones ſuas. De
Prou. 22.d quibus etiam dicitur: Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui. Hoc munitum caſtrum figuratur in
Luc. 10.g illo, de quo dicitur: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha. *& cet.* In hoc religionis caſtro Ieſus ipſe hoſpitatur, & Apoſtoli ſui. In hoc prædi-
Luc. 15.f cat, & in hoc auditur verbum illius. In hoc epulari non
Ioan.11.f ceſſat, & flere, tamen flentibus Iudæis. In hoc Lazarum,
Luc.10.g ideſt monachum rebellem ſuſcitat. In hoc denique commorantur Martha & Maria, actio videlicet, & contemplatio miniſtrantes Ieſu. Qui tunc nouiter ad hoc ſuum hoſpitium venit, quando recenter deuotionem præſtat. Tunc dicitur flere, quando infundit contritionem aut lacrymas: tunc prædicat, quando nos facit meditari: tunc prandet, quando ſe nobis guſtandum præbet atque ſuauem. Tunc etiam

etiam in hoc dormit, quando internæ quieti nos vacamus præbentes ei lectulum floridum conſcientiæ: & cor veluti ceruical, vbi reclinet caput ſuæ deitatis. Plura ſe nobis dicenda offerunt de caſtro præſenti, hoc tamen vnum admoneo: vt ſcilicet, ne accide feras illud: quamuis dicatur quod contra vos eſt: contra nos & contra ſenſualitatem noſtram eſt religio uera, & contra totum mundum. Contra Superbiam eſt obedientia, contra Auaritiam eſt paupertas, contra Luxuriam caſtitas. Mirũ eſt quòd quis audeat inquirere illud, quod eſt contra ſe. Nã & ipſe Chriſtus nõ dixit, quòd quęreret aliquis aduerſariũ ſuũ, ſed quod ei cõſentiret, dum eſt cum eo in via. Ideo mirum eſt, quòd nũc moneat nos dominus ire ad illud, quod eſt contra nos. Vidiſti nũquam leporem currere cõtra canem? Si ouis curreret contra lupum iret ad eum, qui eſt naturaliter contra ſe: attamen ſicut quæ natura dat, nemo negare poteſt: Sic videtur impoſsibile ire in illud, quod eſt contra nos. Quia naturaliter quilibet cõtraria fugit. Hic aduerte quòd ſenſualitas noſtra blanditias diligit, & aduerſa refugit, & placentia ſupercupit: tamen ratio ſuperior ſciens, quòd regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Fortior, & animoſior vim inferre non dubitat ſenſualitati, eamq. vrget velut mulam rebellem, compellens ire quo nolebat: vnde dominus Petro dixit: Alius te cinget, & ducet quo tu non vis. In me eſt alter ego. Eſt nonnullus homo carnalis ſiue animalis, & homo ſpiritualis. Hic autem ſcilicet ſpiritualis debet cingere hominem animalẽ ne effluat: eũq. ad religionem ſpiritus ducere, quæ eſt caſtellum contra nos. Vbi duo ſignanter inueniuntur, de quibus ſubinfertur. *Inuenietis aſinam, & pullum cum ea.* Ad quid venitis ad religionem: cupitis in ea reperire honorem, aut vultis ibi ad votum cuncta ſuccedere? inuenietis aſinam, & pullum cum ea. Aſina eſt humilitas: & pullum humiliatio, de quibus ait Ricardus: Humilitas in aſina, humiliatio deſignatur in pullo. Pullus ex aſina naſcitur, & humiliatio ex humilitate vera oritur. Humilitas interius, humiliatio exterius. Humilitas in corde, humiliatio in actione. Humilitas pertinet ad affectum, humiliatio ad actum. Sola autem humiliatio illa vera eſt, quæ ex humilitate deſcendit. Qui in oculis ſuis ſibi vileſcit, iam aſinam in ſuã

Cant. 1.d

Mat. 11.b

Ioã. 21.d

Humilitas, & humiliatio.

Aſina, & pullũ quid notent.

Richar. de gemino paſchate poſt medium.

quaſi præſentiam adduxit. Sed ſi in oculis hominũ ſe humiliare, vel contemptibilem apparere erubeſcit, matrem quidem præſentem habet, ſed adhuc pulli præſentia caruit. Si te exterius humilias, ſed magnum aliquid de te exiſtimas, pullum habes, ſed matrem non habes. Hæc ille. Non igitur inconſulte iuſsit Ieſus ſibi hæc duo animalia duci, quamuis iuxta noſtrum ſenſum ſufficeret ſibi vnum, tamen iuxta ſenſum moralem ambo ſunt neceſſaria, vt vidiſtis, & hunc prætendebat Chriſtus, qui addidit: *Soluite & adducite mihi*. Si propter homines te humiliaueris, ſi propter alios te humilias, ad eos ligaſti humilitatem tuã ſi te humilias: vt ſic decentius dignitatem acquiras, ad honorem ligaſti humilitatem. Si ſolum humilis es propter manſuetudinem innatam, aut propter deſidiam tuã, ad te ligaſti humilitatem, Chriſtus autem ſolutam ab omnibus cupit eam applicari ei: qui propter nos homines humiliter deſcendit de cęlis, nec mirũ quòd ſibi vellet hanc adduci virtutem, qui de ſola humilitate dixit: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Sunt enim qui vetare non verentur ea quæ diximus, & propter iſtos ait Ieſus: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite; quia dominus his opus habet*. Nec deſunt vſque hodie hæretici mordentes religionem: quibus ſatis eſt reſpondere, quòd dominus Ieſus his quæ diximus opus habet ad euangelicam perfectionem renouandam, quam vulgus minime ſeruat: Sed ibi religio, vbi omnia ſunt communia, ſicut tempore apoſtolorum. Hic aduerte quòd aſina iſta Ieſum recepit humeris, veſtibus tamen apoſtolorum ornata, quæ & ſub pedibus habuit veſtes Iudæorum, qui veſtimenta & ramos ſternebant in via. Iam ergo nota, quòd aſina eſt anima humilis, quæ veſtibus virtutum ornari debet. Nam humilitas ſine virtutibus non eſt humilitas, ſed confuſio magna, & aſina nuda, ſuper quam non aſcendit Ieſus, ſed mundus equitat ſuper eam, qui tales ſubijcit ſeruituti. Si autem religioſa mens apoſtolorum ęmula, eorum ſe virtutum indumentis honorauerit, honorata ibi ad Ieſum humeris ſuis deferendum, quo ſi fuerit honuſta, velut alter Chriſtoforus iudicabitur, qui Ieſum accepit humeris ſuis. Hũc ſi diu portaueris filium Dei, velut aſina debita oneri habebis in cruce vulnera, ſicut Apoſtolus ille, qui dixit: Nemo mihi

Habetur in symbolo miſſæ.
Mat. 11. d
Aſina eſt anima humilis.
Gal. 6. d

mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata domini Ieſu in corpore meo porto. Non moleſtant vitia eum, quem moleſtāt vulnera Ieſu. Sed fugiunt ab eo, ſicut fugit dęmon a cruce, quam fecit ſuper ſe beata Iuſtina, quæ poſtea mater extitit monialium. Portet igitur aſina religioſa, ſcilicet mēs in anima & corpore ſtigmata Chriſti Ieſu. Intus per compaſsionem, & iugem meditationem: extra per abiectionē, & pœnitentialem vitam in corpore. Nuditas enim viri religioſi & famis, inedia, debilitas, & ſanguinea in dorſo diſciplina, ſtigmata ſunt domini Ieſu. Quæ etſi tibi ponderoſa videntur, & fere importabilia, conſidera quòd moleſtia hæc te liberabit a moleſtia vitiorum, & etiam inferni. Sūt tamen quidam religioſi, qui ſicut ſęculares volunt ſibi imponi onus leue, quod vulnera non poſsit infligere, cum ipſe dominus Ieſus non paruam nec leuem baiulauerit ſibi crucem. Ille fert Ieſum leuiter, qui leuia propter eum facit. Sed religioſiſsimus quiſque laborat clamans, & humero ſuo portat illum lætabundus ex onere. Et eo amplius lætatur, quo maior ponderoſitas angit, vnde ait cum beato Iob: Quis mihi tribuat, vt in humero meo portem illū, & circundem illum quaſi coronam mihi? Ecce quo modo præ gaudio vir iſte qui Deum portabat, ſe portare illum non credebat: & ex onere ſe facturum ſibi coronam dicebat. Quia Ieſus eſt aurum optimum. Coronata equidem eſt aſina quæ Deum ſuum ſuper ſe portat victorem: & veteres vitiorum veſtes, tamquam veſtes Iudæorum calcat. Vnde ex aſina fit filia Sion regis æterni ſponſa humilis. De qua ſequitur.

Chriſti pondus vulnerat animā, & coronat eam.

Ioā. 19.c

Pſal. 68.a

Iob. 31. d

Hoc totum factum eſt, vt impleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filia Sion: ecce rex tuus venit tibi. Sion interpretatur ſiccitas, dum ergo anima religioſa vocatur filia ſiccitatis, ab eo videtur excluſa, qui habitat in locis humentibus; & ambulans per loca arida & inaquoſa, non inuenit ſibi requiem. Nam in anima viri religioſi ſolus Chriſtus requieſcit ſiccitatis amicus, quoniam ſcriptum eſt: Tetigit veſtimentum eius, & confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius. Ieſus autem cognoſcens virtutem quæ exierat de illo, ait mulieri: Filia fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, & eſto ſana a plaga tua. Ecce quo modo quę aſina erat iam vocatur a Chriſto filia, &

Iob. 40. c
Mat. 12. d

Mar. 5. e

Deut. 32. quæ plagata erat efficitur ſana, quoniam Ieſus ait: Percu-
f tiam & ego ſanabo. Liuore pœnitentiæ propter Ieſum
1. Pet. 2. d aſſumptæ ſanamur à peccatis. Dum autem ipſe immiſsione compaſsionis vulnerum ſuorum nos tangit, ſiccus efficitur fons ſanguinis noſtri, vt computari valeamus inter
Ioan. 1. b eos, qui non ex voluntate carnis aut ſanguinis, ſed ex Deo nati ſunt. O domine Ieſu tange animam meam vulneribus tuis, vt victor efficiar per te regem gloriæ: ſicut teti-
Gen. 32. f giſti neruum fœmoris Iacob, & ſtatim emarcuit, vt ſiccitate illa contra homines magis præualeret. Quia homo peccati, homo noſter animalis vinci non poteſt, niſi crucifigatur
Gal. 5. d cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis. Aperi ergo oculos tuos o anima religioſa, quia manſuetus, & Crucifixus venit ſuper te Deus tuus vulneribus ſuis te regere, ſuper aſinam, & pullum ſeſſurus, ideſt ſuper animam, & corpus tuum, vt ſic totum hominem ſaluet ille, cui cantare debes: *Oſanna in excelſis*. In hac voce præcedens, & ſubſequens turba concordat, quoniam in religione vtraque turba, ſcilicet actiuorum, & contemplantium æquam habet portio-
1. Reg. 30. nem: Quia æqua pars eſt deſcendentis in prælium, & ma-
f nentis ad ſarcinas. Et inter corpus, & animam hæc eadem lex videtur ſeruanda. Si tamen anima ſe altis contemplationibus exerceat, & corpus ſentiat per afflictionem, quod & in Chriſto Ieſu videt exaratum inſtrumentis paſsionis
Eccli. 4. c perpeſſę. Nam ſic duo fouentur mutuo, & animæ datur
Gen. 2. d in corpore adiutorium ſimile ſibi, & aſina & pullus ſe vice verſa iuuant. Felix ergo qui ſe ſic totum exercet in religione: nam propterea dixit Chriſtus ſibi vtrumque trahi, ſcilicet aſinam, & pullum: ne quis putet ſeruire Deo humero vno, ſed ambobus: vbi aduerte quòd Chriſtus eſt Deus & homo, ſic in vtroque vult ſibi ſeruiri. Ex Deo, & homine fit vnus Chriſtus: & ex anima, & corpore Deo ſer-
Prou. 18. uientibus vna conſtruitur ciuitas, quoniam frater qui ad-
c. iuuatur a fratre quaſi ciuitas firma eſt, vt ait ſapiens. Et
Iſa. 26. a hæc ciuitas firma, eſt illa de qua refert Iſaias: Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea. Ecce igitur, o perſona religioſa rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens: quia vult ſedere in ſuburbanis tuis: & in ipſa animæ ciuitate, in corporeis ſenſibus, & membris tuis, & intus in anima tua. Nam totũ occupare vult, qui totum creauit, ideoq.

dominus Ieſus propter aduentum iſtum figuratur in Iuda Machabęo, qui volens renouare filiam Sion dixit ſuis: Aſcendamus nunc mundare ſancta. *&c.* vſque ibi: Edificauerunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus, & ædem & atria ſanctificauerunt. Expone figuram, quia ibi reperies quo modo Sion fuerat ſpelunca latronum: etiam reparatur totaliter templum Dei in ea, atque ad priſtinam ſanctitatem reducitur. Nam religio hominis totalem hominis reformationem intendit, atque cantare nos docet: *Oſanna in excelſis*: vt conuerſatio noſtra in cælis ſit nunc per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi, & vobis præſtet Ieſus. Amen. *1. Mach. 4. c* *Phil. 3. d*

Pater optime, ſi hunc ſermonem volueris memoriæ mandare, prius diſce textum Euangelij ſui: & poſtea facillime aptabis puncta iuncturis ſuis, etſi non omnia, aliqua tamen: quia ideo plura ſcribo, vt hoc vel illud adhereat reminiſcentiæ tuæ.

SERMO DOMINICÆ PRIMÆ ADVENTVS,

De iudicio Generali, ex altero aduentu, iuxta ordinarium Romanum: vbi oſtenditur qualis erit querela pauperum, & qualis futurus eſt iudex.

THEMA.

Erunt ſigna in Sole. *Luc. 21.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Beatiſsimus Ieſus iudex viuorum ac mortuorum, quando pro nobis in ſimilitudine carnis peccati apparere dignatus eſt, adiudicari voluit. Cauſa eius tamquam impij iudicata eſt. Ex his quæ paſſus eſt, iudicare didicit, ſicut & miſereri. Quemadmodum cæpit facere, & *Hebr. 4. d* *Iob. 36. 6* *Act. 1. a*

 docere,

docere, ſic cępit pati, & pęnas dare. Vnde nobis ingerit il-
Iſai.41.a lud Iſaiæ: Simul ad iudicium appropinquemus: iudicemur ſimul, non ſimultate temporis, ſed modi. Iudicium ſimile ſubijt Chriſtus cum illo, de quo in præſenti Euangelio dicitur, quòd *tunc erunt ſigna in ſole. &c.* Septem ſigna hic numerat in iudicio noſtro futura, quæ omnia in ſuo iam præceſſerunt, vbi non quælibet ſigna, ſed mortis ſunt inuenta in ſole iuſtitię Chriſto: quę tam intenſa fuerunt, vt in eo remanerent poſtea ſigna clauorum in tam diræ ſeuitiæ teſtimonium. Fuerunt conſequenter ſigna in Maria, luna in ſanguinem conuerſa. Signa, inquam, fere non minora quàm in filio: quia propterea dicitur fuiſſe iuxta crucem, plurimum certe cruciata. Tertio fuerunt ſigna in ſtellis, quando illi Apoſtoli, qui vt ſtellæ ad iuſtitiam erudiere plures, de cęlo fidei ceciderunt, & non dederunt lumen in cuſtodijs ſuis. Fuit quarto in iudicio ſolis iuſtitiæ præſſura omnium gentium, de omni natione quæ ſub cælo eſt, deſcendentium ad ſpectaculum tribunalis eius, ſcilicet crucis cui adiudicatus eſt. Hæc pręſſura tanta fuit, vt ſignanter de ea faceret mentionem in reſur-
Ioā. 16.e rectione ſua, quando dixit: Iam non meminit pręſſuræ propter gaudium. Fuit quinto confuſio ſonitus maris, & fluctuum. Sonitus maris fuit ſonitus paſsionis Ieſu: tot fluctibus ſuper eum inductis abundans, vt ad cælum vſque pertingeret, quando inſonuit auribus Dei illa vox amara-
Pſal.21.a bilis dicens: Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Fuit ſexto ſignum in hominibus, quia præ timore aruerunt, expectantes paſsionem venturam, vniuerſo orbi pro-
Luc. 23 g pter paſsionem toti Chriſto illatam: & ideo reuertebantur percutientes pectora ſua, in morte primogeniti planctum magnum emittẽtes. Septimo virtutes angelicæ ſunt
Iſa. 33.b motæ: quando angeli pacis amare flebant iudicium ſine miſericordia illatum. Sed ille de peccato in ſe commiſſo damnauit, atque deleuit peccatum ſanctorum patrum ſpe-
Luc. 21.e rantium in ſe, quia vt ſequitur: Viderunt filium hominis venientem in nube paſsionis ſuæ ad limbum cum poteſtate magna, & maieſtate. Nam ideo eis dirigitur, quod ſequitur: His autem, quæ dicta ſunt, fieri incipientibus reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. In eo autem de ficulnea quod ſequitur, ſimilitudo

ſimilitudo ponitur, vbi liquide oſtenditur, quòd fructus crucis Chriſti, fuit eius paſsio. Qui fructus in Maria reſedit, ideo iuxta crucem manente: quæ profert de Theſauro ſuo noua gratiarum dona humiliter petentibus ea, pro quibus ei offeramus. Aue Maria. *Mat.13.g*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN quo amplius Dei miſericordia oſtenditur, ſi attendas, quòd nunquam ferit, quin prius minetur: nec percutit, niſi prius ictum ſignet, quaſi excitans feriendos, vt ſe liberent. Sed in hoc apparet noſtra miſeria, quòd nil ſentimus donec percuſsi ſumus. Exemplum eſt in naturalibus: quia prius fit tonitruum quàm fulgur: tamen poſt fulmen audimus tonitruum. Vis videre Dei miſericordiam? miſit Noe ante diluuium tot annis arcam parare, vt cautos redderet homines: tamen tanta eſt humana miſeria, quòd ipſum diluuium inuenit eos vacantes iocis, & ludis, & luxuriantes. Miſit Loth qui extraheret a Sodoma cognatos ne perirent. Ecce miſericordia Dei. Sed eis viſus eſt quaſi ludens loqui. Ecce noſtra miſeria. Similiter miſit Moyſen ad Pharaonem, vt eum conuerteret. Ecce Dei miſericordia. Sed ille induratus eſt, donec ſubmergeretur. Ecce humana miſeria. Miſit Ionam ad Niniuem pœnitentiam prædicaturum. Ecce Dei miſericordia. Illi facta pœnitentia, iterum peccauerunt, & conſumpti ſunt. Ecce miſeria. De miſericordia vero, dicit Dauid: Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant a facie arcus, & liberentur dilecti tui. Aucupes ad feriendum auem expectant vt in ramo nutante quieſcat, & iacit ſagittam vt mactet & perdat. Deus autem non ſic. Ideo minatur, ac ſi vellet iacere iacula: tamen non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Ideo enim dedit ſignificationem, vt liberentur dilecti ſui. Vnde ſicut natura agens, per accidens corrumpit: quia primum quod intendit, eſt producere, & ſibi paſſum aſsimilare. Sic noſter Deus conditor naturæ, primum quod intendit, eſt noſtra emendatio, cum ferit nos: ideo dicitur in Pſalmo: Propter iniquitatem corripuiſti hominem. Sed tanta eſt hominum miſeria, quòd in loco præallegato ſtatim ſequitur. Cito fecerunt,

Gen.6.c *Gen.19.d* *Exod.5.a* *Ione.3.a* *Pſal.59.a* *Ezech.18.g* *Pſal.38.c*

Digitized by

Pſ. 105.c fecerunt & obliti ſunt operum eius. Sed quia Dei miſericordia non debet a noſtra miſeria vinci, nec eius clementia a noſtra duritia. Ideo fugiamus pedibus bonorum operum a facie arcus, qui eſt iudiciū futurum eo fortius paſſurum, quo plus extenditur, & eo acrius quo nunc dilatatur. Vbi nota, quòd corda eius arcus nunc eſt verſus nos, vt parent in arcu cęli. Sed poſtea erit verſus Deum, quando arripuerint iudicium manus eius durę. Sed quamuis Deus sciret, quòd homines ante iudicium exiſterent vacantes iocis, & ſicut nubētes, & ludentes, veluti Noe tempore ſunt inuenti: tamen non propterea Deus ſubtrahit miſericordiam ſuam, immo promittit in præſenti Euangelio ſe daturum ſignificationem eius, & ſignum iudicij ſui,

Diuiſio. de quibus ait thema: *Erunt ſigna in ſole*. Duæ ſermoni partes erunt: in prima de ſignis futuris, in eis qui iudicandi ſunt: In ſecunda vero de ſignis futuris in ipſo iudice Chriſto. Prima ſigna dicuntur antecedentia. Secunda vero concomitantia.

Maius peccatoris malum, eſt obliuioni dare iudicium Dei, omnium malorum remedium: vnde pro maledictione ponitur in Pſalmo ad peccatores: Auferantur iudicia tua a facie eius, qui noluit intelligere, vt bene ageret: nil reſtat, niſi quòd non conſideret iudicia Dei: vbi bona bonis: mala ſolum malis prouenient. Iudicium Dei generale ordinatiuum eſt non ſolum culpæ, ſed cęleſtium, terreſtrium, & infernorum, regula totius vniuerſi, directorium vitæ noſtræ, quo deberemus, vt deberet totus regulari mundus ac dirigi: ideo ſæpiſsime oculis mentis eſſet ingerendum, & aptandum omnibus actibus noſtris: nam eſt perpendiculum extendendum ſuper Ieruſalem, ad videndum ſi recta ſint opera eius quæ iudicij conſideratio rectificat, alioquin Dauid non diceret: Iudicium tuum ne auferas a me. Nūc aduerte, quòd ſicut tota vis legis antiquę nitebatur in expectatione primi aduentus, eiq. directiſsima erat, ordinabatq. ad eum cuncta opera ſua, ſic tota vis Euangelij tendit ad ſecundum aduentum: ideo Chriſtus eo ipſo quo cælum aſcendit ſtatim miſit ad Eccleſiam ſuā duos Angelos, qui dicerent ſic eum venturū: tamen nunc nemo eſſet qui auderet aſſerere, quòd eſſent faciendæ preces pro ſecūdo aduentu accelerādo, ſicut patres antiqui

Pſal. 9.c
Pſa. 35.a
Pſal. 50.c
Act. 1. b

fecerunt

fecerunt pro primo impetrando. Hoc ideo prouenit, quia mali ſumus, quia timidi, quia praui. In cælo autem vbi de bono euentu, & de bono exitu ſunt ſecuri & certi, futurũ iudicium non ſolum exoptant, ſed proclamant dicentes: Vſquequo domine iuſtus ſcilicet iudex, & ſanctus nõ vindicas ſanguinem noſtrum? tunc eis reſpondetur, quòd expectent modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum ſuorum: modicum ibi, modicum ibi dicebatur patribus expectantibus primum aduentum, & hoc idem dicitur expectantibus ſecundum, immo & iuratur, quia dominus dicit: Ecce venio cito: amen: & addidit Ioannes: Veni domine Ieſu. Vbi quærendum eſſet an liceret miſſas pro ſecundo aduentu celebrare, ſicut antiqui ſacrificia offerebant pro primo: illis tamen mitis venturus erat, nobis autem crudelis. Sed nota, quòd ſicut ante primum Chriſti aduentum præceſsit figura veritatem, ſic ante ſecundũ præcedet veritas figuram, quod enim in malitia hominũ erit completum, in mundo maiori depingetur, vt ibi notas faciat Deus malitias noſtras, & ſic magis timeamus videntes, vt ait ſcriptura, quòd cælum & terra, & omnia elementa ſunt teſtes iniquitatum noſtrarum antiquarum, & ſecretarum: & ſcripto eas iudici repreſentant, pro quo iſto modo pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos. Non miremini fratres, ſi legiſtis, quòd citiſsime Deus, cum cęperit iudicare perficiet iudicium ſuum, quia peccata noſtra in cælo, & terra, & mari, & omni patulo ſcripta reperiet, & acclamata: Vnde quòd in cubilibus, & in cordibus noſtris perpetramus, reuelabitur in tectis, & aues cæli portabunt ſecretam vocem tuam ad reuelandum ignominiã tuam, & in alis earum inuentus erit ſanguis pauperum oppreſſorum. Et ipſamet peccata dabunt vocem ſuam contra te conſcia ſatis tuorum ſecretorum peccata: ergo tua ſunt ſigna expreſſa, & manu Dei depingenda, de quibus ait Euangelium: *Erunt ſigna in ſole &c.* Sicut parum eſt curandum de vmbra cum venerit veritas, ſic plus attendendum eſt ad ſignatum, & ad ſigna ſpiritualiter intellecta quàm ad ea corporaliter exhibenda. Quoniam ſigna in elementis futura, ſi prius mentibus malorum inhererẽt nec eſſent in elementis, ſi prius non inuenirentur in cordibus noſtris. Erunt ergo in ſole ſigna malorum noſtrorum,

Apoc.6. c
Iſa. 28. c
Apoc.22.f
Miſſæ an ſint celebrãdæ pro ſecũdo aduentu.
Sap.5. d
Luc.12.a
Ier. 2. g
Luc. 21.e

rum, vide quantum abundabit iniquitas, quantum creſcet hominum malitia, quando eorum peccata ad ſolem vſque conſcendent, & in eis præſertim locis collocabuntur, quæ magis diffuſiua ſunt ſui ipſius, & munificentiſsima. Vbi aduerte, quòd ſignum ſemper debet correſpondere ſignato, & quia ſignatum eſt auaritiæ atque duritiæ peccatum, ideo ſignũ debuit poni atque deſcribi talibus rebus: quòd viſa luminis priuatione conſtet qualiter auari, pauperes priuare non verentur neceſsitatibus ſuis, nec eis claudere viſcera miſericordiæ debita, quæ faciliter dari poterãt.

Iudicia tria facienda. Vbi nota quòd tria iudicia Deus generalia facere decreuit: primum in cælo, quando in Angelis ſuis repperit prauitatem, præſertim ſuperbiæ cuius filios dicit ſcriptura angelos malos, ſuper quos lucifer regnare voluit. Nam de eiſdem alibi dicitur: Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper: huius iudicij ſignum fuit peccato conforme, nam quia dixerat: Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum: Ideo videbam Sathanam tamquam fulgur de cælo cadentem vſque ad profundum laci. Secundum iudicium generale fuit in diluuio, quando propterea, quòd omnis caro corruperat viam ſuam. Abiſſus inferior, & ſuperior coniuncti ſunt ad luxuriæ peccatum abluendum, quod animã & corpus inquinat. De hoc iudicio intelligitur illud Sophoniæ: Viſitabo ſuper viros defixos in fęcibus ſuis. Inundatio ergo diluuij ſignum fuit, quòd in eis ſordes huius vitij inueteratæ fuerant: qui diu extiterant in volutabro luti, & propterea fluxus aquæ debuit punire fluxum tam immundi peccati, & iumenta, reptiliaq. interimere: quia computruerant iumenta rationalia in ſtercore ſuo, in quo reptare, & inuolui non ceſſabant natantes in immunditijs ſuis: quibus a minimo vſque ad maximum ſic adhæſerãt, vt plurima humectatione opus eſſet ad abluendum, quod tam diu contractum erat. Tertium vt (ait Beatus Bernardinus) veniet iudicium ſignanter ob duritiæ, auaritięq. peccatum, quia refrigeſcet charitas multorum, & ſic abundabit iniquitas hæc: vt Zacharias propheta dicat: Veniet dominus Deus, omneſq. ſancti eius cum eo, & in die illa nõ erit lux, ſed frigus & gelu; & erit dies vna quæ nota eſt Domino. Lucis carentia, frigus & gelu ſigna erũt carentiæ pietatis noſtræ, quoniam & beatus Iob dicit:

Iob. 4. c
Pſa. 73. d
Iſa. 14. c
Luc. 10. c
Gen. 6. c
Soph. 1. c
Mat. 24. b
Zach. 14. b

Reuelabunt cæli iniquitatem eius: & hæc ſigna erunt ſi- *Iob. 20. d*
ta in ſole, qui aurum in terra hominibus generare ſolebat, vt eos ditaret gratis. Et erunt in luna, quæ argentum ſua frigiditate generabat, ſicut ſol calore ſuo aurum: & in ſtellis quæ influentia ſua gemmas formare ſolitæ erant: ſed iam propter duritiam hominum etiam ipſum lumen, quod facillima datione ſuper bonos, & malos effundere *Matt. 5. g*
ſolebant, & pluuiam quam deſtinabant ſuper iuſtos, & iniuſtos, continebunt in ira ſua; quarum rerum loco, tenebras palpabiles, & ſanguinem effundent: nam ſol conuertetur in tenebras tanto denſiores, quanto ipſe fuerat lucidior: & luna in ſanguinem horribilem: vt indicent diuitibus, quòd pauperem, quem non pauerunt, occiderunt. Et *Mat. 24. e*
ſtellæ cadent de cælo, caſus pauperum, & viduarum oppreſſarũ deſignantes qui quotidie incidunt in latrones, & raptores cauſidicos, & prætores, & in manus eorum qui abſcondunt fruméta in populis, vt in paupertatem cadãt, etiam hi qui mediocriter poterant agere vitam. De his ergo qui per phas, & nephas non ceſſant ſibi diuitias acquirere in damnum ceterorum, dicit Iob: Quibus ſolis data *Iob. 15. e*
eſt terra, & non tranſibit alienus per eos. Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius: cum ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Tyrannus ſe a Deo mouet, quando quærit panem, vt eum carius vendat: in manu tamen, ideſt in opere ſuo paratus eſt tamquam ſignum duritiæ ſuæ tenebrarum dies in futuro iudicio, vbi etiam lumen cæli deficiet ei. Nam ſi erit in die illa lux magna ſolummodo inuenietur in Chriſto, qui iuſtis lucerna erit, & non auaris: ſicut olim in Aegypto quan *Exo. 13. d*
do ſolummodo filijs Iſrael erat lux, de quibus ſequitur in euangelio præſenti: *Et in terris preſſura gentium*: hoc & *Præſſura duplex.*
de ipſis diuitibus, & etiam de pauperibus intelligi poteſt: nam fames quæ omnem terram preſſura eſt, a diuitibus cauſatur, & qui ſolum ſibi reponunt in annos plurimos: *Gen. 41. d*
quamuis alij deſit quæ ſibi ſuperfluit, immo eis in venditione præſſuram faciunt, capientes omnem ſupellectilem, quia diues tempore famis, manum raptricem mittit ad omnia bona pauperum, & pro pane veſtem capit. Pauperes autem in die iudicij præſſuram etiam facient contra

Sap. 5. a tyrannos, quoniam de eis dicitur: Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerũt labores eorum. Nec dubium quin diuitum opes ſint pauperum labores, a quibus ſeruitur eis parua, aut nulla mercede, tamen coram patre orphanorum, & viduarum ſtabunt pro ſeipſis loquentes conſtanter, ita vt mali
Ibid. b clament in ſeipſos dicentes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum &c. quid nobis pro fuit ſuperbia vitę, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Hæc pauperum præſſura ducet ad iudicium contra impios confuſionem ſonitus maris, & fluctuum, vt ſequitur in Euangelio. Confuſio nuditatis pauperum ſtabit contra impios: quia
Iob. 26. b propterea ſcriptum eſt: Nudus eſt infernus coram eo, & non eſt operimentum perditioni: infernus ſuperior (quem nunc pauperes patiuntur) nudus erit coram iudice, qui nunc ſola verecundia eſt veſtitus, propterea quòd diuites nudos dimittunt homines veſtimenta tollentes, quibus non eſt operimentum in die frigoris. Sonitus ergo maris erit quærela illatæ amaritudinis, quia ſi etiam nunc lacrymæ viduæ a maxilla vſque ad thronum Dei aſcendũt, quanto amplius tunc, vbi etiam eremitæ de medio pe-
Pſ. 103. b trarum dabunt voces contra opulentos? Viſa ergo iudicis æquitate, praui homines, qui pingues & timidi fuerãt, areſcent prę timore, & expectatione quę ſuperuenient vni
Sap. 5. d uerſo orbi, qui pugnaturus eſt contra inſenſatos: quoniam
Luc. 21. e Deus armabit creaturam in vltionem inimicorum ad fa-
Mat. 13. f uendum amicis ſuis, pro quibus etiam virtutes cælorum
Mat. 5. a mouebuntur, vt eligant bonos in vaſa ſua, quoniam ſedi-
Luc. 18. c lia cæli vacua fuerant a malis angelis, & implenda ſunt pauperibus hominibus: quia ipſorum eſt regnum, immo & rex cælorum de quo ſequitur. *Et tunc videbunt filium hominis,* fratrem noſtrum Ieſum, venientem pro ſuis, in nube, quæ ſuſcepit eum, dum cęlum aſcendit: quia virtutes
Act. 1. b cælorum dixerunt virtuoſis hominibus: Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum, ſcilicet ea poteſtate, & maieſtate, & nube. Poteſtas ad impios, maieſtas ad pios, quoniã ad vtroſque ex nube procedent malis fulgura, bonis pluuiam voluntariam gloriæ, quoniam ideo
Pſa. 67. b
iuſtis dicitur in Euangelio. *His autem fieri incipientibus, reſpicite* (vt filij Iſrael Aegyptios) omnes peccatores

ſubmer-

ſubmerſos, vt lætemini: Quoniam lętabitur iuſtus, cum vi derit vindictam, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Ideo lèuate capita veſtra, quę hucuſque depręſſa fuerant. Nunc iam eis dare molitur Deus coronam pro cinere, quoniam appropinquat redemptio veſtra non qualiſcũque, ſed copioſa, ſed æterna, ſed omnimoda. vt filij Dei tam liberi ſint, nõ ſolum ab omni iniquitate, ſed ab omni corruptione, & inimicorum moleſtia, & conditione ſeruili. Nunc in cælo Sancti non habent niſi dimidiam redemptionem, ſcilicet animę tantum, ideo dicit Paulus: Sanctos expectare redemptionem corporum, quæ tunc fiet quando a vermibus, & carcere ſepulchri redimentur, & ab oppreſſione malorum, qua nunc eos ſubijcere nituntur. Sed forſitan quiſpiam quæret, qualiter iſtius redemptionis valeat eſſe participem, & quo modo iſta redemptio totalis ei appropinquare poterit. Cui ego. Videas ficulneam, & omnes arbores, quia cum producunt ex ſe fructum, ſcis quoniam prope eſt æſtas. Sic tu ipſe caueas, ne ſis arbor ſterilis maledicenda, aut infructuoſa ad ignem excidenda: inter alias arbores ſignanter ponitur ficulnea quæ bis fructificat, quoniam duplex eſt miſericordia, ſcilicet ſpiritualis, & corporalis: ergo ſatage, vt producas fructum bonorũ operum, præſertim operum miſericordiæ, de quibus vltimo iudicio ratio reddenda eſt; Quoniam qui miſeretur, & cõmodat diſponet ſermones ſuos in iudicio: qua propter: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, quoniã in die mala liberabit eum dominus, dicens: Eſuriui & dediſtis mihi manducare, nudus eram & operuiſtis me &c. Septem opera miſericordiæ numerabit Chriſtus, & his omnibus ſeptem fructus glorioſos aptabit: videlicet ſeptem partes beatitudinis, tres in anima, & quatuor in corpore quaſi vtrique miſericordiæ correſpondens, ſcilicet ſpirituali, & corporali: econtrario autem ſeptem damnationis ſigna numerata ſunt in Euangelio, primum in Sole, ſecundum in Luna, tertium in Stellis, quartum in præſſura gentium, quintum in ſonitu maris, & fluctuum, ſextum in hominibus areſcentibus, ſeptimum in eo quòd virtutes cęlorum mouebuntur contra malos, qui tot habituri ſunt pœnas, quot Sancti glorias. Sed nunc de iudice aliquid videndum ſupereſt.

Pſa. 57.b *Rom. 8.d* *Luc. 21.f* *Pſal. 36.e* *Pſa. 40.a* *Mat. 25.d*

SECVNDA PARS.

VT ſuper ſolius thematis verba aliquid videamus: aduerte quòd naturale eſt ſolem eſſe inſignis : ſed mirũ eſt, & mirabile ſigna eſſe in ipſo ſole : quia eſt præpoſterus ordo, ac ſi diceres: Domus eſt in habitatore, iam ergo magno miraculo, ſiue monſtruo dicuntur ſigna eſſe in Sole, cum ſol ipſe per Zodiacum, ſingulum ſignum ingrediens, circulũ anni perficiat : ſed videamus quo modo duodecim ſigna Zodiaci erunt in Sole iuſtitiæ Chriſto, maxime tempore iudicij.

Zodiaci ſigna quomodo ſint in Chriſto.

Tunc primum ſignum Aries erit in Sole Chriſto, quando Chriſtus clementiam mutabit in furorem. Nam aries dimidio tempore anni, iacet latere dextro, & poſtea vertit ſe ad ſiniſtrum: Sic dominus Ieſus tempore noſtro iacet latere dextro miſericordiæ, cum autem acceperit tempus iuſtitias iudicaturus, erit latere ſiniſtro rigidæ iuſtitiæ: quia primo aduentu venit dulcis agnus ad occiſionem du-ctus: ſecundo autem ad feriendum occurret, ſic, vt propheta dicat: Poſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem : & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu eius : fecitq. ſecundum voluntatem ſuã, & magnificatus eſt. Potens in prœlio eſt agnus iſte, qui faciet in iudicio ſuo omnem voluntatem ſuam : nec mirum quia in iudicio Pilati fecit omnem voluntatem malorum, & bonorum hominum. Voluntas eius eſt voluntas Patris ſui, quæ nunc tempore peregrinationis extenditur ad omnem miſericordiam, poſtea ad omnem iuſtitiam. De primo dicit Chriſtus: Hæc eſt voluntas patris mei: vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. De ſecundo eſt imperium ad filium dicens: Intende ad viſitandas omnes gentes: & non miſerearis omnibus operantibus iniquitatem. Ecce qualiter primo aduentu fuit agnus Dei tollens peccata mundi. Secundo autem erit aries occurſu terribilis, non parcens vllæ beſtiæ præter oues ſuas.

Pſal. 74.a

Dan. 8.a

Ioan. 6. d

Pſal. 58.b

Taurus qd.

Mat. 25.c

Secundum ſignum dicitur Taurus, in quo erit Chriſtus triturans omnium peccata, & cornibus iuſtitiæ ſeparans oues ab hędis: & inſtar tauri pede ſuo puluerem diuidet a

ſolida terra, & malos a bonis: ita vt Iſaias dicat: Triturabis *Iſa. 41. d*
montes, & comminues; & colles quaſi puluerem pones.
Ventilabis eos, & ventus tollet eos, & turbo diſperget: hæc
ille. Vbi aduerte, quòd taurus iſte triturabit aream ſuam ſe
parans a granis paleas flatu iræ ſuæ mittendas in ignem in-
extinguibilem.

Tertium ſignum eſt geminorum, vbi erit Chriſtus tunc damnatos puniens tormento geminato, iuxta illud Dauid: Duplici contritione contere eos domine: vtrunque damnans, & puniẽs, ſcilicet animam & corpus in gehenna. Nunc ſimplici pęna punit malos Deus, vel in corpore per infirmitatem, vel in anima per contritionem. Et nec ipſa pœna ſimplex videtur integra, quia ſi corpus infirmatur, eſt propter bonum animæ, vt fortior fiat. Si anima triſtatur, eſt propter bonum etiam corporis, ne damnetur, ſed in Dei iudicio totum damnabitur, quando recipiet peccator de manu domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Gemini quid. *Pſal. 3. c* *Iſa. 40. a*

Quartum ſignum dicitur Cancer, & ſol in hoc ſigno eſt elongatus a terra, & in hoc ſigno erit Chriſtus iudex ſegregatus a peccatoribus, ita vt videntes eum, dicant longe a peccatoribus ſalus: Nunc autem prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: ſed tunc elongabit ſe, vt de nobis dicatur: Ecce qui elongant ſe a te peribunt: tunc in Chriſto, & in ſanctis ſuis abundabit iniquitas noſtra, & iuſtitia ſua. Nec mirum, quia Cancer ambulat ordine retrogrado; & ſic iudex longe aliter quàm putatis faciet opus ſuum, non exaudiens preces cuiuſquam depræcantis, ita vt Micheas dicat: Tunc clamabunt ad dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo: abſcondere faciem eſt eis dicere, non noui vos. Cancer qd. *Pſ. 118. a* *Pſ. 144. d* *Pſal. 72. d* *Mich. 3. b*

Quintum ſignum eſt Leo, vbi erit ſol iuſtitiæ, quando de monte gloriæ ad vallem Ioſaphat deſcendet in rugitu ſuo, & in tuba Dei altius fremens quàm in Lazari vocatione, quia non ſolũ dicet cuilibet veni foras, ſed iubebit, vt foras egrediantur omnia facta noſtra: quia tunc ad vocem iudicis manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri: & cuilibet vita egredietur nuda ſicuti eſt, & prouoluta ad pedes huius leonis cadet timore perterrita, de quo ait Amos: Leo rugiet, quis non timebit? numquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prędam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? Ecce igitur qualiter leo de tribu Leo quid. *Ioã. 11. f* *Amos. 3. b*

Iuda egredietur de cubili ſuo ad prędam,& iudicium certũ, quia ſicut rugitus leonis,ita & regis ira, quam pauebunt om
Pſ.103.b nes beſtiæ agri, ille autem ad nullius pauebit occurſum:nec
1.Pet.5.b miremini fratres,quòd tunc Chriſtus ſit ſicut leo rapiens & rugiens,quia leones ceteros ſuperbos, & truculentos oportet eum deuorare ore iudicij ſui,ſicut ſerpens virgæ deuora-
Exod.7.b uit ſerpentes Pharaonis:Sic leo de tribu Iuda Chriſtus leones mundi deuorabit, atque comminuet pedibus ſuis.Cum ſol eſt in iſtis ſignis canicula calidiſſima viget,& ſic iuxta tẽpus iudicij fient dies caniculares,& ſic ardoris aduueniente
Iſa. 49.a igne confragrationis : quando ignis a facie eius exardeſcet : vt carbones frigidos, & nigros peccatores accendat , velint,
Pſa. 21.d nolint. Hunc ergo canem timens Dauid dicebat: Erue à framea Deus animam meam , & de manu canis vnicam meam : ſalua me ex ore leonis , & a cornibus vnicornij humilitatem meam .

Virgo qd. Aliud ſignum dicitur virgo , & hoc erit in ſole tempore iudicij : quia ſicut hoc ſigno regnante efficitur terra ſterilis, ſic tempore iudicij non eſt acquiſitio meriti , ideo figuratur in ſterilitate Aegypti , quando nec ſeminare poterant , nec
Iſa. 13. c metere. De hac autem ſterilitate dicit propheta : Ecce dies domini veniet crudelis , & indignationis plenus , & irę , furoriſq. ad ponendam terram in ſolitudine. Vbi caue , quòd nunc in meſſe bonorum operum congreges cibum tuum ,
Mat.25.a non ſis,vt virgines fatuæ,quæ tunc oleum quærentes ibunt ad vendẽtes illud,ſed ſic ianuã cęli clauſam inuenient,ſicut etiam clauſam repererunt ianuam vendentiũ , quia tunc nõ erit emendi,aut vendendi aliquid , vel negotiandi opportu-
Mat.24.b nitas,qua propter dicitur: Væ prægnantibus,& nutrientibus in illis diebus:quia virtus nõ erit pariendi. Sed nunc quando per bonorum operum generationem,& parturitionem ſalua
Prou. 31. c. d. tur anima: vt poſtea cum ſederit cum ſenatoribus terræ,laudent eam in portis opera eius .

Libra qd. Aliud ſignum dicitur libra , & hoc erit in ſole Chriſto quando merita ponderabit ;& forte nõ ea lance,qua nos.Sicut enim antiquitus erat non commune , ſed ſingulare pondus ſanctuarij : ſic in iudicio Dei , neſcio quibus libris , vel
1.Cor.4.a vncijs ponderabimur,Deus ſcit,& ille qui dixit : Nihil mihi conſcius ſum , ſed non in hoc iuſtificatus ſum : qui autem
Pro.25. a iudicat me dominus eſt. Nec miremini fratres de ignoran-
Iere.17.b tia ponderis huius:quia profundum eſt cor iudicis,& inſcru-

tabile :

tabile:quis cognoſcet illud? ait enim Deus: Nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Satis erit tibi homo, quòd non errabit ſapientia Dei in ponderatione operum tuorum, quoniam Salomon, ait: Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed domini eſt dirigere greſſus eius. Diuinatio in labijs regis, & in iudicio non errabit os eius. Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt. Non ſolum intentio, aut cor iudicis (vt cęterorum bonorum iudicium) non errabit, nec os in prolatione ſententiæ ſuæ: quoniam verba ſingula ſapientis iudicis noſtri ſtatera æquitatis ponderabuntur. *1. Reg. 16. b* *Pro. 16. b*

Aliud ſignum dicitur Scorpio, quod erit in ſole iuſtitiæ per finalem, & acriorem ſtimulationem, vbi nota hiſtoriam filij Salomonis dicentis: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cędam vos ſcorpionibus. Pater Chriſti eo tempore quo lex timoris vigebat abſque vlla miſeratione ſe habuit in iudicijs legalibus: ſed Filius Dei in iudicio generali addet iugo antiquo. Nam ipſe dixit: Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes eſſe cæperunt vſque ad tempus illud: vbi minima flagella erunt iudicia legis veteris, ſi acrimonijs iudicij generalis comparentur: vbi ſcorpionibus diabolicis ſunt feriendi homines praui: quoniam groſsior eſt minimus digitus Chriſti dorſo patris ſui. Vbi innuitur, quòd minima pœna minus damnati excedet totam pœnam, & grauitatem veteris legis, & extenſam ad totam plebem. *Scorpio quid.* *3. Reg. 12. c* *Mat. 25. b* *3. Reg. 12. c*

Aliud ſignum dicitur Sagittarius, & hoc erit in ſole iuſtitiæ, quando ſententiam iudicij pronunciare voluerit, tunc enim, vt ait Dauid: Arcum ſuum tetendet, & parabit illum: & in eo parabit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus efficiet. Nunc imparatum habet Chriſtus arcum iudicij ſui, & collectum, quia neminem vult perire. Si autem aliquem contriſtat aliqua leui tribulatione, non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei ludens: & quaſi exercens ſe ad ſignum. Sed poſtea ibit ſagitta directiſſima penetrans vſque ad interiora mortis, & durabit vſque ad inferni nouiſsima, etiam cum carbonibus deſolatorijs accenſa, & herba mortali vncta. *Sagittarius quid.* *Pſal. 7. c* *2. Pet. 3. b* *Ioã. 11. a* *Deut. 32. c*

Aliud ſignum dicitur Piſcis, quod erit in ſole iuſtitiæ per omnis fiduciæ ſubſtractionem: quoniam ſicut viuentes ſic in ira abſorbet eos, quia ſcriptum eſt: Præparauit dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. Tunc erũt mali in abiſſo *Piſcis quid.* *Pſa. 57. b* *Iona. 2. a*

pœnarũ ſicut piſces in abiſſo aquarum natantes. Piſcis grandis a domino præparatus erit infernus, qui integros ſeruabit deuoratos, ſicut ſeruatus eſt Ionas: quia in inferno quærent homines mortem, & non inuenient. Ideo mors depaſcet eos non ex toto euellens, ſed partim mortificans, & partim viuificans. Nullum tamen erit littus vbi hos euomet orcus.

Apoc.9.a
Pſal.48.c

Aquarius quid.

Pſ. 148.b
Exo.15.b
Pſ. 123.b

De aquario in quo Piſcis deuorans malos natabit, quid dicendum reſtat, niſi quòd dominus pluet ſuper eos laqueos ignis, ſulfur, ſpiritus procellarum pars calicis eorum, & tunc deſcendent quaſi plumbum in aquis vehementibus. Nec dicat aliquis: Forſitan pertranſibit anima noſtra aquam intolerabilem, & alia littera habet aquam ſine ſubſtantia, quia piſces ſubſtantiam, qua nutriuntur, in aqua inueniunt, ſed in mari inferni nulla eſt ſubſtantia, nec alimentum, immo damnati erunt morti alimentum, quæ nunquam dicit, ſufficit.

Capricorn⁹ quid.

Pſ.111.b
Iſa. 56.c
Mat.25.d

Vltimum ſignum dicitur Capricornus, quod erit in ſole iuſtitiæ Chriſto, quando ipſe in imperiali potentia conſtitutus, & ſubleuatus exaltabit cornua iuſti iudicij ſui: quia cornu eius exaltabitur in gloria: immo & Pater Deus dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Nam ad exaltationem crucis congregabuntur omnes cruce ſignati, quando leuabit dominus ſignum ad nationes, & congregabit diſperſos Iſrael, vt congregentur ſibi. Quia notos faciet, qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi ſignans eos ſigno crucis, dicens manu extenſa: Venite benedicti patris mei. Facile eſſet duodecim, quæ diximus in iudicio futura, econuerſo applicare beatitudini: quoniam huius, vt aiunt, etiam duodecim ſunt bona, quæ mihi & vobis præſtet Deus, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.

SER-

SERMO DOMINICÆ SECVNDÆ ADVENTVS,

De Chriſti ad mortem iuſti cupientis diſſolui, aduentu: & quo modo laudat eum in cælo.

THEMA.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti: mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
Matth. 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

TAM indaga ex ſe, & in ſe reperitur creatura atque tam nihil, quòd quamuis magnam gratiam a Deo recipiat, illa bene vti non poteſt ſine alia, maxime ſecundum beatum Thomam, qui tenet opus eſſe auxilio ſpeciali, quod eſt gratia gratis data, ad bene vtendum gratia gratum facienti, & ad quodlibet opus inſigne. Sed gratia ſine gratia eſt quaſi Ioannes in vinculis. Ecce enim adhuc donum Dei eſt, quòd ego aliqua in me conceperim pro veſtra vtilitate; ſed niſi detur vlterior gratia, qua explicem, quæ concepi, in linguæ vinculis Ioannes erit incluſus. Item gratia Chriſti, teſte beato Maximo, vos ad ſermonem adduxit, ſed niſi dentur aures audiendi eſt Ioannes in vinculis: attamen ſcio quód Chriſtus facit pauperes euangelizare, ſurdoſq. audire, ſed non niſi intereueniente Maria matre gratiæ. Vnde gratiam recepit Zacharias in promiſſione filij, ſed quamdiu in vinculis materni vteri Ioannes eſt detentus, mutus manſit Zacharias, nec expreſſit myſterium. At cum Ioannes exijt a vinculis, tunc gratia quam Zacharias receperat, proceſſit, quando ſolutum eſt vinculum linguę eius, dicens: Benedictus dominus Deus Iſrael: quia viſitauit. Hoc factum eſt ad præſentiam Mariæ, in qua & per quam non ſolum Zachariæ domum, ſed

[Margin notes: 1.2. q.109. ar.10. — Gratiæ indigentia. — Luc.7.d — Luc.1.g]

etiam totum mundum viſitauit, & viſere non ceſſat Deus noſter: nos autem vt aptiores ſimus ad gratiam Spiritus ſancti recipiendam per manus Mariæ, exeamus ei obuiam genibus flexis, dicentes. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

CVm iam compertũ habeatis fratres cariſſimi hoc Euangelium quo ad litteralem explanationem; atque morem habeam eliciendi vobis ex factis facienda, & ex geſtis ſacri eloquij, quæ vos gerere debeatis, oſtendere: inquirendum ſupereſt, qualiter etiam nunc Ioannes in carcere ſit quo modoue diſcipulos habeat Chriſto deſtinandos, quibus ille reſpondeat iuxta petitionem ſuam. Et quoniam Ioannes iſte a Chriſto nimis laudatur, nunc peccatori non eſt locus, quia nec talem Ioannes præſefert, ſed Hærodes hunc repræſentat, opprimens iuſtum. In hoc autem Euangelio nec de ipſo Hærode fit mentio, ideoq. de ſolo Ioanne bono, & optimo fiet ſermo, vbi tot late videbimus, quot ſunt in præſenti Euangelio, ſcilicet carcerem, vincula, opera Chriſti, diſcipulos, interrogationem, atque laudationem Chriſti, qui cœpit dicere ad turbas de Ioanne, de quo moraliter erit vobis ſermo iuxta ſeriem Euangelicam. *Diuiſio.*

Quemadmodum Chriſti aduentus in mundum eſt duplex, ſcilicet in carnem aſſumendam ſibi, & in iudicium (Ad mundum enim maiorem venit filius Dei, vt carnem ſumat, & iterum veniet, vt iudicet illum.) Sic etiam ad mundum minorem; ſcilicet hominem bis venit. Primo vt eum iuſtificet, ſibi vniendo in vita gratiæ. Secundo autem, vt eum iudicet in morte: vbi incipit vita gloriæ, quia ſcriptũ eſt: Sperabit iuſtus in morte ſua: ideoq. a vinculis diſſolui cupit, ſciens quòd iuſtus etiam ſi morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit egreſſus de corporis carcere: vbi nunc detentus exoptat aduentum gloriæ magni Dei. Sed multi carcerem dicunt inferiorem mundum, quamuis depictum: namque conſiderata magnitudine, necnon & excellentia ſuperioris mundi, nec mirum quòd hic inferior carcer eius ſit, de quo ait Iob domino Deo: Numquid mare ego ſum, aut cętus: quia circumdediſti me carcere? Expertus erat iſte quantum a mundo impediebatur, ne ad cęleſtia totus mente tranſiret. Sed mare ſignanter dixit, & cętum in hoc mundo de-

Pro.14. d *Sap.4. b* *Tit.2. d* Mundus dicitur carcer. *Iob. 7. c*

do detineri, ſciens iuſte impium (cuius cor eſt quaſi mare feruens) atque diabolum in hoc mundo detentos, ex quo veluti conuictos in carcere ad inferni patibulum ducet eos iuſtitia Dei, æterna morte puniendos: quia mundum nō pro exilio, ſed loco patriæ amplexati ſunt, dicentes: Nec quidquam quærimus trans Iordanem, quia iam habemus poſſeſſionem noſtram. Iordanis interpretatur fluuius iudicij, & eſt mors, vbi particulare iudicium fit, qui aſcendere, vel deſcendere debeat, oſtendens: qui ergo hic habent partem ſuam, nihil habeant in terra viuentium, quam ita deſiderant iuſti expectantes beatam ſpem, vt nunc etiam proprium corpus carcerem eſtimare non ceſſant, Deo dicentes: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi. Cuilibet ergo iuſto datur propria domus corporis pro carcere, donec debita ſi habet, ſoluat, ne exinde mittatur in tenebras palpabiles exteriores inferni, ſed ad lumen cæli deducatur per angelos, quia eum expectant iuſti. Et merito quidem, quòd iuſti expectent iuſtum, quia iuſtus expectat iuſtos. Talis ergo eſt Ioannes in quo eſt gratia Dei eum iuſtificans, ſpemq. tribuit bonam, quo ſolicitior ſit, quamuis ſextuplici ligatus vinculo: nam ſi vinculis careret, carcerem non haberet, qualem Ioannes, de quo dicitur: *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*. Cum nemo carnem ſuam odio habeat: ſi vinculis careret, videretur carcer deliciarum: ideoq. ſex habet in anima vincula aſſignata in ſex pœnis, quas in præſenti Euangelio Chriſtus refertur abſtuliſſe: quibus & ſex opera Chriſti correſpondent, immo & ſex Chriſti opera ſi aure bona audiantur, prætacta vincula demonſtrant. Primum vinculum eſt cęcitas intellectus. Nam ligata eſt corpori anima in intelligendo, & videre non poteſt niſi per enigma: itaque ex his quæ foris ſunt, ſeipſam cognoſcat mendicando, extra ſe quærit ſe, immo & ſui ipſius anima fidem habet ineuidentemq. notitiam, ita vt cum pſalmographo dicat: Cor meum conturbatum eſt in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, ipſum non eſt mecum. Cor teſte Auguſtino pro intellectu ſumitur, qui inter diuerſos cognoſcendi modos turbatur: propterea, quia dereliquit eum prima virtus eius, quia ſolebat a priori cuncta dignoſcere, vbi erat lumen oculorum & pax: quia fere ſine diſcurſu in ſtatu innocentiæ cognouit, aut citiſſime ſicut lumen oculorū, quod

Num. 32. d

Iordanis quid.

Carcer dicitur corpus.

Pſ. 141. b

Mat. 22. b

Epheſ. 5. f

ſex vincula, & totidē opera Chriſti.

Cęcitas intellectus noſtri.

Pſa. 37. b

Aug. ſuper Pſal. 37. to. 8.

4. Reg. 25.b facile cuncta illuſtrat vndique diffuſum. Hoc vinculum figuratur in Sedechia vinculato cæcatoq. in carcere, & in
Iudic.16. e Sanſone quem captum & cæcum molere fecerunt ob mulierem, quę eſt caro. Nam ſic noſter intellectus molam aſinariam voluere videtur, dum ſępe principia petit, reuerſus ad opinionem ſuam, ex opiniabilibus vt plurimum procedens.
Prou. 7.d Error peior in his vinculis eſt ille de quo Salomon ait. Ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur. Hæc ait de viro, quẽ garrula mulier irritiuit multis ſermonibus, & eſt mater Eua quę blanditijs labiorum ſuorum primum hominem, & nos irritiuit, cuius vincula minime cognoſcemus, niſi opera Chriſti ab Eccleſia prædicata velimus audire, quorum primum eſt ſpiratio actiua Spiritus ſancti, vbi velis, nolis cęcitatem tuam cognoſces. Paruitatem luminis naturalis plus nouit chriſtianus quàm philoſophus, etiam ſi dicat, quòd ſumus
Ariſt. 2. met. contex. 1. reſpectu ſcibilium, vt oculi noctuæ ad lumen ſolis. Nam ille non concedebat, niſi quod intelligebat, & ideo non adeo ſe congoſcebat cęcum, ſicut nos aſſerentes quòd nec vidimus, nec intelligere valemus. Quis enim huius operis profunda myſteria rimari valebit, cũ ipſe Chriſtus de illo dixerit, niſi
Ioan. 5.c hoc: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Hoc opus Dei, quod eſt proceſſio Spiritus ſancti, vbi Pater, & Filius operantur ſimul, quis indagare valebit, cum fine careat & principio, & tam immanens ſit, quòd in Patre Filioq. permaneat? Si etiam ad opera quæ ad extra operatus eſt Deus, cęci ſumus, quanto erimus cęciores in operibus ad intra? O maximum opus quod nec angeli, dum viatores erant, calluerunt, nam eſt ſic diminiſſimum, quòd in illo infinitas vi-
Pſ. 138.a res ſuas Pater, & Filius expleuit, ideo confortatum eſt, & non potero ad illud propter intellectus cæcitatem.

Secundum Chriſti opus eſt noſtra creatio: factura enim
Pſal.94.a eius ſumus, quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Cum ex nobis nihil haberemus, exiſtentiam dedit, animam, & corpus, & omnia quæ intra me ſunt, atque corporis ſenſus
Affectus noſter curuus eſt. contulit. Ergo omnia debeo ei, & tam integro benefico cuncta debeo, & cum vix paruum impendo amorem, agnoſco in me aliud vinculum, quod eſt affectus claudicatio ad viciſsitudinem huius operis. Cur enim domine Ieſu non te diligo ex toto corde meo, anima, & mente, atque viribus, cum ipſe omnia hæc mihi dederis, niſi quia hoc vinculo præpedior? Hoc vinculum adipem meum ita concluſit, vt mini-

me eum

me eum tibi offerre valeam. Cum ergo ratione naturali cognoſcam, me ſummum obſequium debere tibi, quem teneo Creatorem, voluntatem autem ſentiam ad illud difficilem: cognoſco vinculum, quo claudicat affectus meus vinctus in mendicitate & ferro, ex vinculoq. tam graui claudus efficior. Huius rei figura eſt in actis apoſtolorum vbi dicitur: Quidam vir lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex vtero matris ſuæ. Naturalis eſt infirmitas hæc pedum noſtrorum, ideoq. deſperabilior, & propterea vir ille dicitur lyſtris, quod interpretatur diſſolutus ſiue diſſoluens. Ex diſſolutione prouenit pedibus animæ, ideſt affectibus eius, vinculum improperij huius: nam ei dicitur: Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga? cum vix vnum ex aſſe amare valeamus, quid opus eſt in tot diligibilia diſtrahere animum? Sedemus igitur in terra amantes terrena ex vtero matris deſtitutæ. *Pſ. 106. a* *Act. 14. b* *Lyſtris qd.* *Ier. 31. d*

Vt autem, & aliud vinculum noſtrum nobis notum ſit, audiamus tertium opus Chriſti prædicatum ab Eccleſia, & eſt opus redemptionis æternę, de quo ſanctus Dauid predixerat: Exibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam vſque ad veſperam: homo Chriſtus exiuit a patre huic operi deſtinatus, quia illud nullatenus poterat perficere Chriſtus; ideoq. additum eſt: Et ad operationem ſuam vſque ad veſperam, ſcilicet mundi. Hæc operatio redemptionis dicitur Chriſti, quia nec alio poterat conuenire. Dum ergo audimus quotidie inſtare Chriſtum operi redemptionis per ſacramenta ſua, nonne cognoſcemus nos habere tertium vinculum, ſcilicet frequentiam peccatorum? Nec propterea quia perfecti ſumus ea caremus: nam & iuſtus ſepties in die cadit, etiam videns vbi corruat. Nec mirum ſi nocte peccati mortalis cecidiſſet, ſed etiam die iuſtitiæ ſuæ cadit ſepties in venialia, quorum quædam (vt doctores theologi aiunt) neceſſario annexa ſunt nobis. Hoc vinculum ſenſit qui dixit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & captiuantem me in legem peccati. Et alibi: Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio. Hoc vinculum ſignatum eſt in lepra, quæ vix aut nunquam curatur. Vbi aduerte quòd hæc venialium frequētia magis eſt pœna peccati quàm peccatum: nec eam dico ſolummodo pęnam peccati originalis, aut ad illud conſequentiam, quia ſic eam vocat Auguſtinus: ſed frequentiam *Pſ. 103. c* *Pro. 24. b* *S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 8* *Rom. 7. d* *Ibid. c* *Aug. lib. 21. de Ciuit. c. 27. to. 5.*

venialium

venialium dico eſſe pęnam etiam peccatorum mortalium,& merito. Nam quia quæ poteras euitare noluiſti, relinquitur tibi,vt non poſſis delere quæ optas eſſe procul a te. Venialium igitur frequētia eſt in cauſa, vt cognoſcas iuſtitias tuas
Iſa.64. b eſſe ſicut pannos menſtruatæ aut lepræ. Nec mirum, quòd talis lepra in viro iuſto reperiatur, quoniam ideo dicitur ſæ-
Num.12. c pe in ſcriptura: Sicut nix lepra hæc atque candens: quæ in viris ſanctiſſimis etiam reperitur cum perfecta de lege mun-
Iob.9. d ditia: propterea enim Beatus Iob dicebat domino Deo: Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me. Sordes in niue ſunt menſtrua in iuſtitia, vnumq; alterum fouet, & conſeruat, ſcilicet ſanctitas humilitatem, & humilitas ſanctitatem. Nec miremini fratres, nam vincula,de quibus lo-
Eccli. 6.d quimur,boni Ioannis ſunt, de quibus dici poteſt: Vincula eius alligatura ſalutis. Propterea quidem conſulitur in eo-
Ibid. e dem capitulo:Subijce humerũ, & porta illam, & ne acedieris in vinculis illius, ideſt ne vltra modum accide feras talia vincula,in quibus te patitur eſſe liberator Chriſtus,qui miſſus eſt ſoluere compeditos. Cuius quartum opus eſt continua pulſatio ad corda noſtra, de qua perhibet ipſe, dicens:
Apoc.3. d Ego ſto ad oſtium,& pulſo. Si quis mihi aperuerit, intrabo. Sto,inquit, abhorrens tarditatem, moramq; non ſuſtinens: ſtatim mihi aperiri deſiderans. Cum ergo Chriſtus nos pulſet,nec ei aperimus cor per amorem, nec viſcera miſericordiæ per pietatem, nec os per laudem, aut manum per ſubuentionem in proximo,alicuius vinculi ſignum eſt. Vinculo ſurditatis tenentur aures, quæ vocibus Dei nec pulſationibus eius auditum præſtant. Nec dicas pluries ad Deum
Pſ.118.x me conuerto.Septies in die laudem dico ei:quoniam ſæpius ipſe pulſat, & præſentiã ſua intima loqui animæ ſemper paratus eſt,qui nuſquam abeſt. Nec ſolum interius animæ loquitur, ſed exterius. Omnes enim creaturæ Dei ſunt verba quæ Deum loquuntur,quas qui nõ audit,ſurdaſter eſt. Omnia denique opera Verbi loqui non ceſſant: nam ſicut dicere Verbi,facere eſt: ſic facere,eſt dicere. Vbi aduerte, quòd in litteraria ſchola vtuntur terminis pro rebus: quia res ad ſcholas ducere non valent. Sed in logica magna Dei, & in ſchola eius,quæ eſt totus hic mũdus, res ipſas accepit Deus pro terminis. Dum ergo peragis iter,tibi loquitur, vt te ad Deum ducat. Dum te ſolum tenet,loquitur tibi,ac oſtendit

manu-

manutenentiam Dei, qua teneris, ne ruas in nihilum. Quando aer te refocillat, vitam tibi a Deo præſtari dicit. Cælum autem per influentiam fatur tibi gratiam venire deſuper. Sol vero cum lucerna Dei ſit, ad ipſum vocat, quos illuminat. Si ergo has creaturas non audis, dic: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ideo ſicut mutus non aperiens os ſuum in gratiarum actione. De quo etiam Micheas ait: Ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt. Hæc igitur naturalis ſegnities noſtra ad audiendum prædicta, vinculum eſt, de quo Manaſſes in captiuitate poſitus, dixit in fine orationis ſuæ: Incuruatus ſum multo vinculo ferri: & non eſt reſpiratio mihi. Et merito eſt hoc vinculum Manaſſes, ideſt obliuioſi aut obliuionis: quia hæc ſurditas ex Dei obliuione oritur: & illi ſoli eam euadunt, qui Deum præ oculis habere contendunt ac præſentem. Sed quia dixerat: reſpiratio non eſt mihi. Aduerte quòd Deus ſpirat cum ad hoſpitium pulſat: homo vero reſpirat, cum ad oſtium Dei iterum pulſat, iuxta illud: Os meum aperui & attraxi ſpiritum. Deus ſpirauit ſpiraculum vitæ: homo autem per amorem reſpirare debet. Qui autem ſurdus eſt modo iam prælibato non reſpirat in Deum, ſed incuruatur iuxta illud: Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar. Nam hoc vinculum nimis animam curuam reddit a ſtatu rectitudinis deuiantem, quia talis anima deiectas, vt magnus canis, habet aures, vt quæ ſunt mundi percipiant, nõ autem erectas ad Deum. Quintum Chriſti opus eſt aduentatio ad vniuſcuiuſque mortem, vel ſecundum præſentiam, vel ſecundum potentiam: ex fide enim habemus, quòd animæ omnium viuentium Chriſto præſentandæ ſunt, ac tribunali ſuo, vnaquæque in tempore ſuo in peculiari iudicio: ex quo Iacobus Apoſtolus monet nos, dicens: Patientes igitur eſtote vos, & confortate corda veſtra, quoniam aduentus domini appropinquabit. Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, vt non iudicemini, ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. Si moram facit, ait gloſſa, dominus, patientes eſtote, quamuis interea grauia inferantur. Aduentus Domini morte cuiuſlibet celebrandus eſt, qua boni ad gloriam, mali rapientur ad pœnam. Interdum tamen aliquando econtrario fit, quia malis bona, & bonis mala prouenire ſolent. Ideo nolite ingemiſcere in alterutrum, vt non iudicemini, ideſt damnemini a propinquo iudice, qui ad mortis ianuã aſſiſtit. Oſtiarius ergo

Pſal. 37. c · *Michea. 7. c.* · Nũc eſt apocripha, & nõ habetur in S. Biblia. · *Pſ. 118. r* · *Gen. 2. a* · *Pſ. 37. b* · *Iac. 5. b* · *Ibid. c.*

ergo ianuæ mortis Chriſtus eſt, ex quo nos teneri quinto vinculo, ſcilicet defunctionis deprehendimus, quia cum ſit vniuerſalis iudex iſte omnibus hominibus ſtatutum habet,
Hebr.9.g vt ſemel moriantur. De hoc igitur vinculo intelligi poteſt
Sap.17.c illud ſapientis: Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Cum ergo Chriſtus ſit iudex viuorum, & mortuo-
Mat.11.d rum, ad manum eius deueniendum eſt: quia omnia dedit ei pater in manus, qua datione tenemur & nos ei. Sed ne timeatis fratres quoniam ſextum Chriſti opus eſt ditare dili-
Rom.10.c gentes ſe, eſt etiam glorificator diues in omnes qui inuocant illum, quia ſecum ſunt diuitiæ, & gloriȩ. Scriptum eſt enim
Pſ.111.a in libro Pſalmorum: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſȩculum ſȩculi. In domo Chriſti quæ Chri
Ioã.10.b ſtus eſt, inuenitur gloria intus, & extra, quia ingredientur & egredientur, & paſcua inuenient. Domus gloriȩ, domus Dei, domus beatorũ, domus meritorũ, domus paradiſi, domus diuitiarũ ȩternarũ Chriſti. Vnde patet qualiter nos teneamur nunc ſexto vinculo paupertatis omnimodæ: ſi in eo ſunt omnes diuitiæ & gloriæ, quid eſt in nobis niſi omnimoda pȩnuria? alioquin nõ diceret apoſtolus: Si vere fratres diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate. Hic aduerte, ꝙ ſicut nomine diuitiarũ Chriſti, omnes eius glorias intelligo, ſic nomine paupertatis noſtræ accipe quaſcũque erumnas, & pœnurias. Nã
Iob.36.a propterea Iob dicebat: Si fuerint in catenis, & vinciãtur funibus paupertatis indicabit eis opera eorũ, & ſcelera eorũ, quia violẽti fuerunt. Super hoc ait Gregorius: Catenæ obligatio-
Greg. lib.26 moral. in c. 36. Iob. cap. 22. to. 2. nis ſunt, ipſa adhuc peregrinationis retẽtio. Ligatũ ſe his catenis Paulus aſpexerat, cũ dicebat: Deſideriũ habẽs diſſolui, & eſſe cũ Chriſto. Paupertatis funibus vinctum ſe cernebat, quãdo veras diuitias intuens eas etiã diſcipulis enarrabat, di
Phi.1.e cens: Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, quæ diuitiæ glo-
Epheſ.1.d riæ hereditatis eius in ſanctis. Bene autem poſt hæc ſubditur: Indicabit eis opera eorum: & ſcelera eorum, quia violenti fuerunt. Cum enim ſupernam gloriam magis amando cognoſcimus, tunc mala quæ egimus grauiora fuiſſe ſentimus. Vnde & Paulus poſt perceptam gratiam supernorũ, ea quæ in ſe ſtudia virtutum crediderat fuiſſe, iam ſcelera cognoſcebat dicens: Qui prius fui blaſphemus, & perſecu-
1.Tim.1.e tor, & contumelioſus, ſed miſericordiam conſecutus ſum: quia ignorans feci. Hæc Beatus Gregorius ſuper Iob. Iam ergo Chriſti operibus auditis, viſiſq. vinculis noſtri Ioannis, de eius

de eius diſcipulis agendum eſt pro eius ſolutione ad Chriſtum mittendis. Clementior in hoc eſſe voluit erga ſuos Deus noſter, quòd in carcere corporis poſitis non deſint diſcipuli ad negotiationem docti, magiſtri ſui procuratores celeberrimi. Nam de illo qui erat ad oſtium tabernaculi ſui, quòd eſt mortis præparatio, dicit Origenes: Nullus piger eſt in domo ſapientis, quia puer currit, Abraam feſtinat, vxor accelerat. Diſcipuli ergo Ioannis noſtri veloces ſunt, & ad Deum vſque perueniunt. Habent enim litteras ſaluicondu ctus, vt ad nimiam conſolationem incarcerati abeant, & reuertantur ad imperiũ eius quacumque, & quomodocunque placuerit: etiam inter hoſtes, & regios ſeruos penetrantes, ne ſit, qui eos valeat impedire: nam & portę cæli apertę ſunt eis. Hi ergo diſcipuli ſunt fides & deſiderium, quibus Iob vtebatur, dum dixit: Quis mihi det, vt cognoſcam, & inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius? & alibi Iob per os iſtorum dicebat: Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuatur mihi? væ autem nobis fratres dum talibus nuncijs vti nolumus tam illuſtribus, vt figurentur in duobus viris afferentibus racemum de terra promiſſionis. Inquantum etiam nos ad Chriſtum ducunt figurati ſunt in duabus alijs datis mulieri Apocalypſis, quibus volauit in ſolitudinem Dei. Per hos ergo nuncios, aut diſcipulos doctos, & Deus defertur ad animam, & anima ad Deum: nec mirum quia fides montes transfert: & vir deſideriorum etiã angelos inuitat. Quamuis ergo vir iuſtus per hos duos diſcipulos cuncta peragat negotia ad æternam ſalutem pertinentia: nunc autem quia in extremis eſt Ioannes, dicit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* de aduentu Chriſti ad mortem noſtram non dubitamus: ſed cum nemo ſciat, dum in vita manet, an ſit odio, vel amore dignus, deſiderium interrogat: an alius preter Deum expectandus ſit, quod à malo eſt, in morte enim ſolus Deus, & nemo alius qui non ſit ex parte eius, deſideratur: ideo enim ſapiens ait: Quis mihi te det fratrem meum, vt inueniam te ſolum foris, ſcilicet iam egreſſus a corpore. Et ipſe Paulus timoratus dicebat: Nihil mihi conſcius ſum: ſed nec in hoc iuſtificatus ſum. Si ergo ſolus Chriſtus venit ad mortem tuam, omnia vincula tua ſoluta erunt, alioquin nouiſſimus error erit peior priore: quia ſcriptum eſt: De carcere cateniſq. interdum quis egreditur ad regnum, & alius natus in regno inopia conſumitur.

Orig. hom. 4. in Geneſ. tom. 1.

Ioannis diſcipuli miſſi ad Chriſtũ, qui fuerint.

Iob. 23. a

Iob. 6. b

Num. 13. d

Apoc. 12. b

Eccls. 9. a

Cant. 8. a

1. Cor. 4. a

Mat. 27. g

Ecclſ. 4. d

In

Ioan. 4.b In regno Dei naſcitur, qui naſcitur in Eccleſia per baptiſmũ,
Ioan.18.f immo & naſcitur rex, dum fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: naſcitur rex, ſed regnum eius non eſt de hoc mundo. Væ autem ſi poſtea contingat, æterna inopia conſumi, quod vt in morte cuiuſlibet noſtri auertat Deus, ſępe deuote dicamus ei: *Tu es qui venturus es:* an alium extraneũ expectamus? o domine ſi ſolus venires ad memorantes iuſtitiæ tuæ ſolius, & in te ſolo ſpem, & fidem habentes: ſcimus equidem tecum exactorem venturum, accuſatorem fratrum ſuorum, quem & beata Virgo dicitur timuiſſe, ſed eum non expectamus niſi te defenſorem, & propugnatorem: niſi forte immerita noſtra nos alium expectare cogant: pietas autem Ieſu reſpondit orantibus, maxime ſi perſiſtant, quia propte-
Eccls. 7.b rea dicitur: Melior eſt finis orationis quàm principium: quia tunc viuacior fides ſentiri ſolet, ardentiusq. deſiderium, dicit
Reſponſio Chriſti. ergo: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Ecce ſex mirabilia quibus ſpes iuſti corroborari poterit, ſi per meditationem renuncientur ei ſingula: dum enim hæc ruminaueris, diſcipulorum renunciatio fiet: quia ibi loquitur fides quæ audiuit, ac deſiderium quaſi ea viſibiliter oſtendet, & bonam ſpem concludes. Nam qui hæc mirabilia operari dignatus eſt in alijs tibi ſimilibus, ea operabitur in te. Qui ſoluit in alijs hæc vincula, & in te ſoluet: ſoluta enim ſunt in beatis: ſoluenda veniunt in viatoribus: fidei ergo noſtræ atque deſiderio pro confortatione noſtra, dicit Chriſtus in cælo: Confortate Ioannem in anxietate poſitum ob ſua vincula, ecce enim ſimilia ſunt in beatis iſtis ſoluta. Hi ſancti, qui vt Ioannes cęci fuerant, nunc vident profunda Dei, & opus diuinę
Iſa. 40. c productionis, de quo dicitur: Merces eius cum eo, & opus illius coram illo, ſcilicet alijs oſtenſum, vt glorificetur in eo. Hi claudi erant, ſed iam recte ambulant affectione iuſtitiæ, & affectione commodi tranſeuntes in me, tantum amantes quantum cognoſcentes, equalemq. habent affectionem cum
Ezech. 1. c ratione, & rationem cum affectione: vbi eſt impetus Spiritus gradiuntur non reuertentes, cum ambulant paſſibus amoris:
Phil. 2. c non reuertuntur ad ſe, quæ ſua ſunt quærentes, ſed ibunt directe promiſſiones amoris ad ipſum Deum. Hi leproſi erãt, ſed mundati ſunt, fructum redemptionis in gloria perfecte participando, quod in terra non fit, vbi defectus relinquitur,

vt

vt humilitas non deſeratur:hic ergo in gloria ſunt amicti ſto- *Apoc. 7. c*
lis albis ad ſequendum agnum candidum. Hi etiam beati
ſurdi erant,ſed iam audiunt Deum, & in ſe & in omnibus,
omnia in Deo, & Deum in cunctis: ſic vt ex eis exclamare
liceat: Beati ſunt ſerui tui,qui ſtant coram te,& audiunt ſa- *3. Reg.*
pientiam tuam,increatum denique Verbum audiunt.Iidem *10. b*
beati,qui mortui erant, reſurgunt ad amorem altiorem me-
lioris ſpeciei, quia caminus amoris eſt in Ieruſalem: reſur-
gunt ergo ibi vſque ad vitam æternam. Amen. Hic ergo ſo- *1.Io. 4.d*
lummodo eſt perfecta charitas,quæ foras mittit iudicij timo
rem,cũ ex toto mortem fugat. Hi etiam ſoli,qui ſe pauperes
cognouerunt,& fecerunt,Euangelizantur, promiſſa Euange
lij capientes, ſcilicet Beati Pauperes ſpiritu: quoniam ipſo- *Matt.5.a*
rum eſt regnum cælorum. Interim ergo Ioannes patienter
ferat vincula ſua,quia ecce venio cito,beatus tamen erit,qui *Mat. 11.*
non fuerit ſcandalizatus in me, mihi aliquid malum impu- *a*
tando, & præcepta mea ſpernendo. Nemo ſcandalizetur ſi
citius veniam ſolito,aut ſi tardius vbi decrepitas imminet,
aut ſi veniam tempore iuuentutis, quo dici ſolet morti:
ſcandalum mihi es: quia habeo multa bona repoſita in an- *Matt.16.*
nos plurimos: de hoc ſcandalo ait ſapiens: O mors quam *d*
amara eſt memoria tua homini quieto habẽti pacem in ſub- *Luc. 12 c*
ſtantijs ſuis,cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc va- *Eccli. 41.*
lenti capere cibum! Hoc eſt phariſęorum, ideſt diuiſorum a *a*
Deo ſcandalum acceptum non datum,paſſiuum non actiuũ:
ſi vultis fratres non ſcandalizari quando Chriſtus per mor-
tem corporis ad animam venerit,vtimini eius induſtria: ipſe
enim moriturus, ne mors tam immerita ſcandalizaret apo-
ſtolos,ſępe atque paſſim loquebatur eis de ea,cui tradendus
erat etiam cruci ne poſtea terrerentur: ſic etiam mulas aſ- Exemplũ.
ſueſcere ſolemus, vt ſępe tranſeant loca,vbi ſcandalum ſen-
ſerant. Certior autem induſtria eſt (ne ſcandalizeris in mor
te) illa de qua ſanctus Dauid,ait: Pax multa diligentibus *Pſ.118.x*
legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Cum ergo legem
habeas,& ſecundum legem debeas mori, quid ſcandalizaris
in mortis aduentu? nullus eſt dies, cui nox non ſuccedat,
quamuis alter dies altero maior ſit,minori diei citius venit
nox, non tamen ſcandalizaretur quiſpiam ea attendens na-
turæ conditionem,quæ ſic ſe habet. Eodem & alio modo eſt
in nobis, non enim idem periodus eſt omnium vitæ, ſed iſti
maior, illi minor, quia cauſę naturales diuerſimode diſpoſi-
tæ ſunt:

tæ ſunt: ſuper omnia autem noſtra tempora, & ſuper omnes vitas Deus eſt, qui protrahit vitam, aut contrahit, quoniã de quodã dicitur: Dilecta enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit Deus educere illũ de medio iniquitatis, ne malitia muraret intellectũ eius. In hac denique re vnum mirabile eſt, quòd quamuis poſt plurima tempora veniat Deus; ac ſi oblitus eſſet mortem adducere, nunquam homo ille ſcandalizaretur, quia nemo ſatur eſt vitæ. Si autem vel vnũ diem acceleret, ſtatim ſcandalizantur, ac ſi non eſſet in manu Chriſti, quando ei placuerit celebrare aduentum iſtum. Ceterum autem Euangelij eſt laudatio iuſti, quam nunc incipit Chriſtus in cęlo, iuſtis adhuc in terra manentibus: de hac autem laudatione iuſti primum ſequitur complementum promiſſionis, & viciſſitudinis Chriſti dicentis: Si quis confeſſus fuerit me coram hominibus: filius hominis confitebitur eum coram angelis Dei: vbi aduerte quòd antea dicebatur confeſſor, qui pro Chriſto mori non timebat. Secundum ſequitur angelorum lętitia in eo, quod ſeruati ab eis ſaluantur, aut approbantur, quia ille ſolus probatus eſt, quem Deus commendat. Item ſequitur dęmoniorum liuor, cuidam enim dixerat Deus: Nũquid conſideraſti ſeruum meũ Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra? ſequitur etiam incrementum noſtrum, quia virtus laudata creſcit, maxime ſi laudetur a Deo, qui dabit cum laudatione prouentum: ſequitur gloria patris æterni qui nimis gloriatur in bonis ſeruis ſuis, & laudatur iuſtus propter vituperium in mundo receptum ob Deum: cœpit ergo dicere ad turbas de Ioanne, quod poſtea cum ibi fuerimus, perficiet, quando laus erit vnicuique a Deo. Cœpit dicere ad turbas angelorum de Ioanne: Quid exiſtis videre in deſertum mundi, arundinem vento agitatam? mirum quidem, quód ſic conſtantia ſtabiliat iuſtum, vt tranſlatus videatur in cælo habens cor cum theſauro ſuo a nulla re contriſtatum, vt omni vento cõtriſtari ſolet arundo. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? quamuis ſit homo carneus, induit pro thorace iuſtitiam: nam qui mollibus deſiderijs, & non cęleſtibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt dęmoniorum, & principum tenebrarum harum. Sed quid exiſtis videre, cum ego vos miſi in mundi deſertum propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis? exiſtis videre prophetam? Amen dico vobis, & pluſquam prophetam: quia propheta eſt qui procul fatur, plus autem eſt operari ſecundum

Sap. 4. c

Ioannes ob quatuor laudatur.

Luc. 12. b

2. Cor. 10. d

Iob. 1. b

1. Cor. 10. e

1. Cor. 4. a

Sap. 5. d

Hebr. 1. d

cundum ea quæ ſunt procul : ſecundum ea quæ ſibi in mon
te monſtrantur gloriæ : plus denique eſt bene viuere quàm
bene prophetare, nam & Saul inter prophetas . Sed, o ange- *1.Reg.10.*
li exiſtis videre angelum, videre & facere, vt inter angelos va *c*
leat commorari, ſi nunc viam meam, quæ eſt mors eius præ-
paret ante me, vt ſecurius me recipiat in morte, qua propter
ego eum poſtea recipiam in vita æterna gloriæ. A quattuor
virtutibus cardinalibus laudatur. Primo a conſtantia, quia
non eſt arundo. Secundo a temperantia, quia non veſtitur
mollibus. Tertio a prudentia, quia plus quàm propheta.
Quarto a iuſtitia, quoniam angelus eſt: non ergo deſiderant
mori flexibiles, nec delicati, nec inepti, nec iniuſti: quoniam
tales corpora nutriunt ad mundum hunc, nõ autem animas
ad alterius vitæ gloriam, quam mihi &c.

SERMO DOMINICÆ SECVNDÆ ADVENTVS.

Vbi enodantur verba thematis, & laudatur Ioannes.

THEMA.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?
Matth. 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN vmbra carceris audit Ioannes opera Chri
ſti : habitaculum enim carceris obſcurum,
aut vmbratile ſolet eſſe: in vmbra ergo car
ceris audiuit opera Chriſti , & Petro lumẽ *Act. 12.a*
refulſit in habitaculo carceris. Maiora quã
in ſole deſerti, audiuit Ioannes de Chriſto *Ioſue.10.*
in carcere obſcuro, nam ſol viſum impedit: *c*
vnde vt amplius videamus, ſtatuimus in vmbra nos ipſos
cum ſponſa dicentes: Sub vmbra illius quem deſideraueram *Can.2.a*

ſedi:& fructus eius dulcis gutturi meo. Sol eſt viuacitas rationis humanæ, quæ potius obſtat diuinorum notitiæ, ideo ad vmbram fidei ſtatuimus nos, vt aduentum Dei certius contemplemur, quem ratione humana indagare non ſufficimus: ſed & ex fide, vt rex Ezechias, in vmbra fidei ſpeculemur aduentum Dei, qui ait: Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. In vmbra ſcilicet fidei ſalutem accepit rex iſte, credens de ſemine ſuo venturum meſſiam Saluatorem: horologium eſt harmonia totius vniuerſi: ſol in hoc loco Dei filius eſt, quem per fidem cognoſcimus retroceſſiſſe vſque ad decimam lineam. Minutus eſt enim ab Angelorum nouem choris, deueniens vſque ad decimam lineam, ſeu decimam dragmam, quæ eſt creatura humana, quā aſſumpſit. In hac vmbra fidei etiam beata virgo Maria contemplata eſt ſapientiæ aduentum Verbi, quando ei Angelus dixit: Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Altiſſimus eſt Pater prima perſona: eius virtus, teſte Paulo, eſt filius qui vt fidei vmbram refrigerantem cauſaret, cum ipſe ſit ſol, corpus ex virgine ſumpſit, quod obiectum lumini gloriæ ſuæ, lumen fidei facit in nobis ad contemplanda diuina opera, quæ perſpicacius intuita eſt Maria: quia propinquior erat huic corpori obumbranti: quæ tam immobiliter propterea ſtetit, vt vſque ſub vmbra crucis perduraret, quia tunc propinquius virtus altiſſimi ligni crucis obumbrabat eam, vbi Chriſto omnibus credentibus gratiam meruit: pro qua obtinenda ei offeramus. Aue Maria &c.

Iſa. 38. b

Luc. 1. d

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Mat. 10. c

Carcer iuſtum non opprimit.

NOn immerito dixit Chriſtus non timendos eos, qui occidunt corpus, quoniam minime poſſunt occidere animam, nec ſi ligauerint iuſtū eius, poterunt ligare animū quin libere contempletur, immo forſitan liberius quàm antea: nam exuli Euangeliſtæ Apocalypſis reuelata eſt, & reuelatio deſcendit cum Ioſeph in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Nec ſi monachi claudantur in cœnobio, & vinculis obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis ligentur, obſtatur eis, quin cęleſtibus vacent myſterijs, ac doctrinę cęleſti, me mores baptiſtæ, de quo ait themá: *Cum audiſſet, &c.* in vinculis doctrinæ, inſtat etiam teſtimonio Chriſti, cuius operibus in

Sap. 10. c

bus in auditu auris fruitur: videns Chriſtum procedere proſpere, ſicut ipſe prædixerat. Totus ſermo erit ex Euangelio. In cuius prima parte verba thematis enodabo: in altera oſtendam, quòd Ioannes non dubitauit. Diuiſio.

Mirum quidem fratres mei, quòd Ioannes qui miſſus eſt, vt ſolueret filios interemptorum, nunc alligetur vinculis. Pſ. 101. e Compertum eſt enim, quòd funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Ioannes autem gladio verbi Dei ſoluere volebat Hærodem, ſcindens funem quo tenebatur: ſed contigit ei, vt præfecto equorum, qui videns equum irretitum, ac pene ſuffocatum proprio fune, irruit, vt ſcindens funem liberet eum, ille autem territus, pedibus liberantem ferit, ac ſemiuiuum proijcit ictibus pedum percuſſum. Sic Ioanni euenit: nam equus dęmonis emiſſarius Hærodes erat, qui fune triplici tenebatur cum femina. Erat enim concubinarius, & adulter, atque inceſtuoſus: hunc volens ſoluere Ioannes occumbit ſuppeditatus ab eo, & vinculatus, qui ægre tulit correctionem baptiſtæ: interdum tamen Chriſtus prædicat, tantaq. miracula efficit, quòd ipſius Ioannis diſcipuli repleti ſunt zelo, aut potius liuore, nõ ferentes vt Chriſtus præferatur Ioanni, qué nouerant miſſum a Deo: tantaq. veneratione habitum, ac ſi Chriſtus eſſet. Ideoq. pergentes ad magiſtrum ſuum narrant ei, quæcumque acciderant, ac ſi non bene geſta eſſent: propterea quòd Chriſtus creſcebat, quotidieq. erat ſeipſo robuſtior: Ioannes autem videns ſuos, & liuore, & incredulitate angi: ex eis duos infectiores elegit, ac minus credentes, vt reuerſi reſipiſcentes, ac mutati reducerent corda fratrum ad Chriſtum. Noluit eis prius replicare laudes Chriſti, quas dixerat in Iordane, ſciés quoniam non ſibi crederent, putantes quòd ex nimia humilitate Ioannis prodibat illa Chriſti laudatio, non ex rei veritate: vna igitur diſcipulorum dubitantium miſſione, & eos voluit fideles reddere, atque offerre Chriſto, nouerat enim ſe pedagogum non patrem, ideo ad proprium patrem, eorumq. principem vult diſcipulos deſtinare, ſciens ſe moriturum cito. In hoc autem vult etiam concludere officium ſuum, ampliuſq. dare teſtimonium de Chriſto. Verbis tantum de eo teſtificauerat, nunc auté & miraculis ipſius Chriſti vult, quæ dixerat confirmare, vt poſtea diceret Chriſtus, ſe habere teſtimonium maius homine, ſcilicet Ioannes, ait ergo: *Tu es qui venturus es: an alium expectamus?* hoc

Luca. 1.d ex ignorantia non proceſſit, nam in vinculis materni vteri erat, quando per os maternum dixit: Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Exinde duos etiam diſcipulos miſit ad Chriſtum, immo duos prophetas, ſcilicet patrem, & matrem, quos ex tunc diſcipulos Chriſti fecit. Eo- *Ibid. f* demq. etiam tempore cœpit Ieſus dicere de Ioanne ad omnia montana iudeæ, vbi dictum eſt: Quis putas puer iſte erit? etenim manus domini, id eſt filius Dei, erat cum illo. Ibi etiam oſtendit Chriſtus Ioannem non fuiſſe arundinẽ vento agitatam, ſed flatu Spiritus ſancti imbutam adhuc ex vtero matris ſuæ: ibiq. fuit non mollibus veſtitus, qui nullam infantiæ ſenſit ætatem, teſte Ambroſio. Extitit etiam ex tũc pluſquam propheta, quando impleta eſt in illo prophetia dicens: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Nam teſte Dionyſio: Angelus eſt ſpeculum, quo Deus reſplendet. Chriſoſtomus autem de Ioãne ait: Sol appropians ad proceſſum antequã appareat, mittit radios ſuos, & facit albeſcere orientem, vt procedens aurora aduentũ diei demonſtret. Sic dominus natus in mundo, antequã appareat per doctrinã, ſpiritus ſui fulgore tranſmiſſo illuminauit Ioannem, vt præcedens ille, aduentum nunciet Saluatoris. Hæc ille. Ecce igitur qualiter angelus iſte illuminatus ab ipſo Chriſto, de ipſo nihil dubitabat. Sed pupillos dubios ab eodem lumine illuminari cupiebat potentius penetrandos. Nã ſibi rebelles erant, quia ille ſtella erat, ſed Chriſtus ſol. Si autem ſecundo, modum dicẽdi beati Hieronymi audire placet, ſic procedit. Nã ait: Tu es qui veniſti. Sed qui venturus es? & eſt ſenſus: Manda mihi, quia ab inferna deſcenſurus ſum: vtrum te etiã inferis debeam nunciare, an alium ad hæc ſacramenta miſſurus es? Huic etiam expoſitioni adheret Gregorius. Et ſi hoc voluit Ioannes interrogare iam ſe putabat ſtare in limbo cũ erat in carcere: ideoq. in perſona omnium patrum dixit: an alium expectamus. In hoc etiam dicendi modo aduertenda ſunt duo. Primum, quia quamuis Ioannes Chriſtum annunciaret in limbo, hoc non fuit vti in mundo ad peccatorum conuerſionem, ſed ſolummodo ad iuſtorum conſolationem: quemadmodum etiam per angelos, aut animas defunctorũ aduentantium plura nunciantur in purgatorio iam diu detentis. De hoc ergo gaudioſo nuncio Ioanne ait Chriſtus: *Ioan. 8.g* Abraam exultauit, vt videret diem meum, vidit ſupple per Ioannem, & gauiſus eſt. Secundo autem aduerte, quòd (vt aiunt

Ambr. lib. 2. in cap. 1. Luca in fine. to. 3.

Mala. 3.a

Dion. de Eccl. hier. c. 12. in contempl.

Chryſoſt. in opere imperf. Matt. c. 3. hom. 3. to. 2.

Hier. lib. 2. in cap. 11. Matth. in princ. to. 6.

Grego. hom. 6. in Euang. ſub princ. to. 3.

aiunt doctores) duplex eſſe poteſt Chriſti deſcenſus ad inferos, ſcilicet ſecundum potentiam, & ſecundum præſentiam. De primo nullatenus Ioannes dubitauit, quia plusquam propheta erat, & angelus. De ſecundo autem nec mirum quòd ambigeret, quia nec prophetis notum erat, quòd anima Chriſti vnita Verbo erat præſentialiter, aut realiter ad inferos deſcenſura. De diuinitate quidem dicitur: Si deſcendero in infernum adeſt. Non autem de anima Chriſti. Virtualem ergo aut potentialem Chriſti deſcenſum ad inferos non realem nec pręſentialem prophetauit ille, qui dixit: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos. Sanguis enim Chriſti virtualiter nõ realiter deſcẽdit ad inferos. Ecce igitur quo modo quamuis optime ſciret Ioannes agnum quem oſtendit moriturum, ac oues ſuas eductùrum, de hoc deſcenſu ſic qualificato dubitare poterat. Sed tertium modum dicendi audire placeat, qui plurimũ deuotionis continet. Ait enim Ambroſius: Non igitur fide ſed pietate dubitauit. Dubitauit etiam, & Petrus dicens: Propitius tibi eſto domine: non fiet hoc. Hæc ille. Ad cuius enodationem, & ſagacitate, & pietate opus eſt: ante omnia vero aduerte, quòd Ioannes, etſi nouerat Chriſti paſſionem quando agnum vocans Chriſtum, etiam crucem diuulgat. Poſtea tamen quàm vinculis mancipatur ferreis, iã ſentiens in ſe quod in Chriſto Ieſu faciendum nouerat, in altiorem notitiam deuenit, diſcens quemadmodum, & ipſa Dei ſapientia Chriſtus, ex his quæ patiebatur. Cum ergo in compedibus ſuis, & manicis ferreis Chriſti clauos diuas manus, & pedes terebraturos contemplaretur, ſtatim reſiliuit mẽs eius, nolens quòd talia pateretur amabilis dominus, nec quòd flagellum appropinquaret tabernaculo Chriſti. Ex hac ergo pia nolitione, dubia interrogatio eſt orta. Nec miremini fratres mei, quoniam cum erat Chriſtus in transfigurationis monte, etiam illi vates, qui non erant de hoc mundo, loquebantur cum eo de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem, vbi dominus eorum crucifixus eſt, ne crucifigeretur. Nam propterea Petrus videns alios orantes, vt auerteretur paſſio dixit: Bonum eſt nos hic eſſe. &c. Timens ne ſi deſcenderent in Ieruſalem crucifigeretur dominus. Immo & nos vitam habentes in morte

Deſcenſus ad inferos duplex.

Pſ. 138.b

Zach. 9.c

Ambro. lib. 5. in cap. 7. Luca. 10. 3.

Paſſio Chriſti, quia dira ideo nõ volita fuit Sanctis.

Pſ. 149.a

Pſal. 90.e

Luca. 9.d

Mat. 17.a

Chriſti,dum acerbitatem eius aliqua ex parte ſentimus, & perſonæ dignitatem intuemur, vix huic operi præbemus aſſenſum, dicentes: Cur tanto labore ſudatum eſt etiam viuo ſanguine? Fide igitur credimus paſsionem Chriſti,dubitamus pietate,ideſt nolumus, vt talia paſsionis tormenta patiatur. Vnde aſſero quòd ſi Sanctorum arbitrio relinqueretur: an Chriſtus pro eis non aliter liberandis pateretur,potius eligerēt in pœnis eſſe quàm Chriſtum pati, Ideoq. ſuperabundanter quàm petimus ma-
Pſ.125.b gnificauit dominus facere nobiſcum. Dubitationi huic etiam aliam expoſitionem ingeram: vbi aduerte quòd Chriſtus, & Sancti eius aliquando ſe gerunt,ſicut vnus ex circumſtantibus,nil amplius propalantes,vt patet in Laza
Ioã. 11.e ri myſterio,de quo dominus quęſiuit, vbi eſſet amic⁹ eius ſepultus,cum ipſe omnia ſciret. In hac autem interrogatione,vſus eſt Ioannes verbis duplicis intelligentiæ. Poſſunt enim verba capi ex rigore,vel aſſertiue,vel dubitatiue. Aſſertiue ſolemus nimis cognito dicere: Es ne tu ſodalis meus? es ne amicus meus? tunc reſponſionem non attendimus, quia ſubintelligitur, quòd ille ſit. Si autem res dubia ſit,eadem verba dubie interrogãdo proferimus, & tunc reſponſio ab interrogato ſperatur. Cum ergo Ioãnes notus & amicus ſponſi, tam ſibi notum interrogat, ſenſus erit: Tu es ille,qui venturus es: & dum addit, an alium expectamus: nulla eſt expectanda reſponſio, quia primum dictum eſt reſponſio ſecundi:& manifeſtatio probatione non indiget,nec reſponſo. Si autem dicas quòd Chriſtus,tanquam ſi dubium eſſet, quod querebatur,reſpondit nuncijs: hoc fecit quia non pro Ioanne, ſed pro illis fit interrogatio. Nec obſtat de renunciando Ioanni mandatum, quoniam ille magiſter erat,nec ipſi tam altæ quæſtionis reſponſum capere poterant, cui verba ſatisfacere nequeunt,ſed opera. Præceptum ergo diſcipuli Ioannis acceperant ab eo,vt quæſtionem Chriſto proponerēt, vt certiores redderentur de hoc,quod querebatur in lege tamquam fructus eius, ſcilicet de meſsia venturo. Chriſtus autem plus reſpondit,quàm querebatur. De aduentu fit quæſtio: ille autem reſpondit, & de illis quæ facturus erat ipſe,qui venturus erat. Vnde non ſolum veniſſe cognoſcat,ſed opera cępiſſe ad quæ miſſurus erat.Dum ergo

Chriſtus ait: *Ite renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis:* poſt tot miracula, quaſi voluit dicere: ſcio quòd multa de me in prophetis dum legeretis, audiſtis, quia docti eſtis. Notate nunc opera, & ite ad magiſtrum Ioannem, vt referat, & aptet ſingula ſingulis. Cęci vident, vt impleatur illud: Tunc aperientur oculi cęcorum. Claudi ambulant, *Iſa. 35. b*
vt impleatur illud: Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus. Leproſi mundantur, vt impleatur illud: Languores noſtros *Iſa. 53. a*
ipſe tulit. Surdi audiunt, vt impleatur illud: Aures ſurdorum patebunt. Mortui reſurgunt, vt impleatur illud: Viuent mortui, & interfecti mei reſurgent. Pauperes euan *Iſa. 26. d*
gelizantur, vt impleatur illud: Euangelizare pauperibus *Luc. 4. c*
miſit me. Ecce in ſex tribulationibus mundum libero, vt *Iob. 5. c*
nec ſeptima tangat eum. Mirum eſt quòd ſolum in claudicatione dicatur modus curationis, & non in alijs calamitatibus. Nec enim dicitur qualiter cęci vident, aut quo modo leproſi mundentur, & cetera medeantur: ſed ſolum exprimitur, quòd ſaliet ſicut ceruus claudus, quia ſanati a Chriſto non multum terrena tangunt: ideo ſicut cerui ſaliunt, parum terram tangentes: Iugum Chriſti leue leues facit portantes illud: ita vt dicant: Sicut ceruus de- *Pſa. 41. a*
ſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Chriſtianus debet, & quemadmodum Chriſtus ambulare, de quo dicitur, quòd venit ſicut hynnulus ceruo- *Cant. 2. b*
rum ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſic ergo & nos debemus virtutum alta tenere. Ceruus enim parum detinetur in pratis illis, de quibus dicitur: Non ſit pratum per *Sap. 2. b*
quod non tranſeat luxuria noſtra. In qua ſex mala prædicta includuntur. Primo quia cęcat hominem, vt patet in Sanſone ob feminam cæcato. Claudicare facit ad opera bona; quia diſsipata carne, deſipit omnis ſpiritus. Leproſum reddere non dubitat, & animam, & corpus, vt ſordidum ſe clamet. Surduſq. fit luxurioſus, dum ei diſplicit verbum Dei. Interficit animam, quia ideo fornicatio interpretatur fortis necatio: quoniam & Adonias peccauit *3. Reg. 2. d*
in animam ſuam, & meruit mortem, dum petiuit Abiſag pulchram nimis incognitam viro. Pauperes etiam facit luxuria: vt patet in illo qui conſummere veritus non eſt *Luc. 15. g*
omnem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus viuendo luxurioſe, qui & porcos paſcebat, qui ſunt immunda deſideria:

deria, quarum cibo, ideſt experientia impleri optabat, nemo tamen illi dabat: quia nec omnes fęditates implere poſſunt luxurioſum: nam potius irritatur appetitus eius quàm impleatur. Nec mirum, quòd de luxuria ſignanter mentionem fecerim, etſi in omni vitio hæc ſex mala reperiantur extirpanda: quoniam in præſenti Euangelio hoc luxuriæ crimen execratur, cui quia infeſtus erat virgo Ioannes, carceri mancipatur. Chriſtus autem vt videbimus eundem Ioannem laudauit de hac virtute munditiæ, non coram diſcipulis miſsis, quia de eo amplius ęquo ſentiebant: ideo potius coram eis Ioannis laus tacenda erat, immo & reprimenda ne hereditarent in eo. Vnde merito ſapientia Dei Chriſtus ei iubet nunciari quę audita, & viſa ſunt, ac ſi opus habeat mendicare ab exterioribus ille, qui ait: Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Immo & ipſe Chriſtus intus in Ioanne erat: nam ſcriptum nouimus: Factum eſt verbum domini ſuper Ioãne Zachariæ filiũ in deſerto. Sic etiam hebræi reprimendi ſunt qui plus æquo de lege veteri ſentiunt: nam ipſa veluti Ioannes ex carcere detentionis ſuæ ſectatores ſuos ad Chriſtum quotidie deſtinat, ſi ei veraciter credant: non plus ſapientes quàm oportet, ſed ad ſobrietatem: ne poſtea euomere oporteat nimiam ei credulitatem impẽſam. Quia tantum a Chriſto demunt, quantum ei tribuunt: vnde ſubtiliter Chriſtus corda diſcipulorum Ioannis tangens ait: Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me, propterea quia me Ioanni antepono, ſcandalizabantur quidem illi viſa modicitate Chriſti, ſolum infirmum Dei contuentes, & Chriſti humilitatem: quia non credebant diuinitatem, quam ille nixus eſt oſtẽdere in Euangelio pręſenti multipliciter. Primo miraculis non paruis, ſed etiã angelis omnino impoſsibilibus: quia mortui reſurgunt. Secundo notitia cordium eorum, quando eos ſcandalizatos oſtendit. Tertio Ioannis teſtimonio, ideoq. ad eum eos remittit, vt narratis miraculis, iterum dicat: Qui de cęlo venit, ſuper omnes eſt. Quarto largitione mera ſuorum bonorum, dum pauperibus regnum gratis offert. Quinto etiam mutorum aſſertione, quia eis aperuit ora, vt narrarent mirabilia eius: de horum confeſsione dicitur: Renunciate Ioanni quæ audiſtis, ſcilicet a mortuis ſuſcitatis,

Pſal.84.b *Luca.3.a* *Rom. 12.a* *Ioan. 3.d* *Pſa.21.d*

ſcitatis,& mutis iam loquentibus. Beati ergo erunt hebræi ſi non ſcandalum ſit eis crux Chriſti, de qua Iudæis renunciare poterimus,quæ audiuimus,& vidimus mirabilia crucis,quibus eius extinguitur ſcandalum.Ibi longini oculos reparauit Chriſtus etiam ſpirituales:claudus vtroque pede latro erat, tamen fauente cruce vno die ad paradiſum vſque peruenit: leproſi erāt omnes,ſcabie incredulitatis infecti, quando ad ſpectaculum crucis deſcenderant,ſed iam reuerſi percutientes pectora ſua,mundantur: quia liuore Chriſti ſanati ſunt & paſsione. Ibi etiam ſurdi audiunt, quando emiſſa voce magna Chriſti, ceteris dixit Centurio: Vere filius Dei erat iſte.Ibi pariter mortui reſurgunt, quia multa corpora ſanctorum quæ dormierant,ſurrexerunt:& pauperes euangelizantur,quando Mariæ,& Ioanni nucleus Euangelij commendatur,vt ſcilicet charitatem adinuicem habeant, quæ ſignum maximum eſt diſcipulorum Chriſti. Hæc mira ſcandalum crucis diluerunt, quo etiam Petrus ſcandalizatus eſt: ita vt ei crucem diſſuadenti Chriſtus diceret: vade quia ſcandalum mihi es: vt autem eſſet ſicut tenebræ eius,ita & lumen eius,ſcandalumq. verteretur in lætitiam & pacem, orat ſapiens,domino dicens: Innoua ſigna,immuta mirabilia,glorifica manum,& brachium dextrum: ea quæ dextra manu,& dextro peragimus brachio, maiora ſunt quā quæ facimus ſiniſtro: Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi propter ſcandalum crucis abolendum in maioribus prodigijs. Siniſtræ manus ſunt,quæ iam diximus:dexteræ autem præpoſtera commutatione ſunt dicenda.Magnum fuit cęcos illuminaſſe nunc: ſed maius in cruce Deum cæcū, & angelos eius quodammodo feciſſe, ac ſi non viderent mortem Vnigeniti,quam non vindicabant: ſed hanc cęcitatem cauſat patientia Chriſti, qua diſsimulat iniurias: velari faciem voluit, ne videret ad punitionem, quæ patiebatur ad miſerationem. Et etiam oculi mundi cęci fiunt,ſol videlicet & luna,immo & dæmones qui dominū gloriæ non cognouerunt. Magnum fuit claudos ambulationi aptare,ſed maius quòd gigas qui exultauerat ad currendam viam, ſub cruce occumberet, vt nos qui parum ambulamus, eum attingere valeremus. Magnum fuit mundaſſe leproſos, ſed maius eſt, quòd ſpecioſus forma præ

Scandalum ſublatum a cruce per ſex miracula.

Ioā. 19.f

Luc.23.g

1.Pet.2.d

Mat.27.f

Mat.16.d

Eccli.36.a

Pſal.76.a

Pſa.18.a

Pſa.44.a

præ filijs hominum,talis fieret, vt reputaremus eum tam-
Iſa. 53.a quam leproſum, qui inter iniquos reputatus eſt,vt iniqui
Sap.5.a computarentur inter filios Dei,& inter ſanctos ſors eſſet.
Magnum eſt ſurdos audire feciſſe, ſed maius eſt in cruce
miſericordiæ auditum præſtare etiam deridentibus, pro
Luc. 23.e quibus orauit,dicens: Pater ignoſce illis: quia neſciunt
quid faciunt.Magnum ſignũ extitit,quòd mortui reſurge-
rent, ſed maius inuenitur in cruce, quando ipſemet qui
eſt reſurrectio & vita,obijt: vt nos ab æterna morte libe-
raret. Magnum quid oſtenditur, quando pauperes euan-
gelizantur,ſed amplius eſt, quòd Deus gloriæ non habeat
Luc. 9.g in cruce vbi caput reclinet: ita pauper effectus,vt ſangui-
nem cordis ſui dare opus ſit, quia nil amplius remãſerat.
Ecce igitur fratres vidiſtis mirabilia hodie, renunciate
meditationi veſtræ,atque cordi veſtro ea infigite:ſi tamen
Oſeæ.11.b eſt in vinculis Dei,in funiculis charitatis, vbi erat Iſaac
Gen. 22.b quando dominicæ oblationi, & ſacrificio parabatur a pa-
tre ligatus. Iſaac in vinculis offertur domino, ideſt riſus,
& gaudium in tribulationibus,quas ipſe pertulit pro no-
bis,& nos pro eo. Ecce igitur qualiter non ſolum aboli-
tum eſt ſcandalum Chriſti,ſed in gloriam conuerſum eſt.

Nunc de Ioannis laude videndum eſt: nec miremini
quòd Chriſtus eum laudet,quia ſolis hominibus dicitur:
Eccli. 11. a Ne laudaueris hominem in vita ſua,non Deo qui cum lau
dat, præbet rationem laudis:quia ideo,quem Deus com-
2.Cor.10. d mendat,ille probatus eſt. Solemniter igitur cœpit Ieſus
dicere ad turbas de Ioanne,quid exiſtis in deſertum vide
Hier. lib. 2. in cap. 11. Mat.10.6. re: ſuper hoc ait Hieronymus:Sicut voluit Ioannes diſci-
pulos ſuos de magiſtro certificare, ita magiſter certificare
voluit turbas de ſuo diſcipulo, ſcilicet Ioanne:erigit ani-
mos audientium dominus, vt alligatum carcere Ioannem
defleant,quia delicias deſerti minime habet,ſolitudo pa-
radiſus erat Ioanni, quando egrediebatur ad eum omnis
Ieroſolyma, vt eremi patrem videret. Nunc autem erga-
ſtulo tenetur aquila grandis, ſed quia eremum colere ſo-
Gal.3.a lent homines inconſtantes,qui cum ſpiritu cęperint,carne
conſummuntur, deſerentes dulcedinẽ contemplationis,
vt inter ligna ſicca promoueãtur. Volens ab his Chriſtus
Ioannem diſtinguere, ait: *Exiſtis videre arundinem ven-
to agitatam?* In ſequentibus vult dominus probare con-
ſtantiam

ſtantiam veri teſtimonij,quod Ioannes de Chriſto teſtificatus eſt,ne arbitrentur ex dubietate, Ioannem per diſcipulos de meſsiæ interrogaſſe aduentu. Vbi aduerte, quòd teſtimonium mendax ſolet prouenire aut hominis leuitate. ſunt enim quidam pane mendacij nutriti, qui mendatio veſcuntur, ſolum gauiſi dum mentiuntur. Secundo prouenit ex cupiditate: agunt enim vitam, & lucrantur neceſſario inopes, mentiendo. Tertio prouenit ex ignorantia: nam & boni homines propter hanc ſępe decipiuntur. Quarto ex metu nimio, quando eſt talis, vt cadat in conſtantem virum. Hæc omnia remouet Chriſtus a Ioanne, vt ſciant hebręi, quòd Ioannes non retroceſsit, nec deuiat a teſtimonio dato, quando exierunt eum audire, & videre, & baptizari ab eo in deſerto. Vt remoueat primũ, dicit eum non eſſe arundinem vento agitatam, quæ omni vento paret, cui ſimilis eſt homo carens rectitudine veræ conſtantiæ, qui paſcit ventos: non quod licet loquens, ſed quemlibet ſpiritum vagantem habens, quia cum illo eſt princeps dęmoniorum, iuxta id: Sub vmbra dormit in ſecreto calami. Vigil inferni dormire dicitur in homine mendace, ac ſi optimum in eo haberet procuratorem. Sed reſtat inquirere quid eſt calami ſecretum, aut arundinis. Nec de materiali arundine ſolummodo loquimur, ſed de mundana proſperitate vento dęmoniorum agitata, viridi & ſonora. O mundana gloria, quod eſt ſecretum tuũ, vbi dæmon requieſcit? Secretum mundani calami eſt nihil, eſt vacuitas quędã, quod nouerat ille, qui dixit: O quantũ eſt in rebus inane. Frangite calamum arundinis, introſpicite, quia intus arundo nihil habet: ſecretum mundanæ gloriæ eſt vacuitas quædam, & nihil. Hoc tamen nũc neſcitur, donec veniat mors ſuper illos, quia ſcriptum eſt: Viri diuitiarum dormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt in manibus ſuis. O igitur vanitas vanitatum, & omnia vanitas, &c. Cauſam mendatij remouet Chriſtus, dum ait: *Numquid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum?* mollibus ideſt adulatorijs, quibus molliter arridere ſolemus. Mollities animi eſt adulatio, cui qui locũ præſtat non eſt de illis: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nam qui mollibus aſſueſcit, effeminatus redditur: armis aptus non eſt, qui adulationibus adhęret,

Deceptio ex quibus proueniat.

Iob. 40. c

Arundo eſt proſperitas mundi.

Pſa. 75. b
Eccls. 1. a

Mat. 11. b

adderet,& ſi armis lucis induitur, adulator ſit. Sed cum nō adulatur,niſi ille cui offertur adulatio,induatur ex ea: quia eſt effeminati animi veſtis deſuper ab adulatore contexta,& concinnata:potius videtur dicendum, quòd qui adulationes captat,mollibus veſtitur. Vbi aduerte, quòd vt notaret Chriſtus hoc vitium, vt plurimum ex cupiditate prouenire,dixit adulatorem mollibus veſtiri, quia ſic adulando veſtimenta lucrantur in curia: vnde propterea ſubiunxit: *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regnum ſunt.* Non ſunt in domo mea, (quia pauperum eſt) adulatores: quoniam eſſent nihil inde ſperantes, ac diceretur cuilibet illud ſapientis: Mens eius,ideſt Chriſti nō eſt tecum: & perdes pulchros ſermones tuos. Cum ergo Ioannes camelorū pellibus ſit contentus: nec ipſe aliquod temporale habeam,vt ei conferam pro teſtimonio deſerti, quod audiſtis: ſignum eſt,quòd amore veritatis non adulationis mouebatur. In domo regis Hærodis adulatores ſunt,adulando veſtimenta lucrantes: in carcere eſt Ioannes ferro circumdatus. Sed quia Chriſto poterant ingerere,quòd ex ignorantia multa pie proferimus,quę poſtea retractamus, ideo ſubiunxit: Exiſtis videre prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam prophetam. Cum eſſet ergo propheta ſciret vtique quod, & quale teſtimonium dabat: nec aliquis dicat,quòd prophetia aliquando non venit ad conſummationem:nec ita eſt,ſicut annunciat: vt patet in illa: Adhuc quadraginta dies, & niniue ſubuertetur: quoniam ideo Ioannes eſt pluſquam propheta, certior,quàm propheta. Ita quòd ſi ſpiritus mendax in aliquo prophetarum poterit inueniri: Ioannes in hoc eſt pluſquam propheta.Immo eſt angelus de quo ſcriptū eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuā, qui præparabit viam tuam ante te. Ecce quartum,quod eſſe ſolet cauſa mendacij, remouet ſcilicet metum nimium,qui nō poteſt in Euangelicum cadere. Carcer non terret Ioannē nec eum mutare poterit ab annūciando rege venturo rex Hærodes: vnde merito de Ioanne dici poteſt: Fiat verbum domini mei regis ſicut ſacrificium. Sicut enim angelus domini,ſic eſt dominus meus rex,vt nec benedictione,nec maledictione moueatur. Benedictio qua non eſt motus Ioannes, eſt legatio ab Ieroſolymis ei miſſa, cui reſpondit:

Adulatio mollibus ſe veſtit.

Pro. 23.a

Iona. 3.b

Malach. 3.a

2. Reg. 14.d

reſpondit: Quia non ſum ego Chriſtus. Maledictio eſt Hærodis alligatio, qua tenetur in vinculis, ſed non in mendacijs. Sed in auctoritate Malachiæ quam Chriſtus pro Ioanne adduxit, pater æternus dicit filio: Mitto angelum meum ante faciem tuam: & poſtea ſubiunxit ante te, vbi quia repetitio inutilis non eſt, aduerte, per faciem notitiā deſignari: nā ideo, quia qui ſtat ante nos perfectius noſcit nos. Vt ergo innuat Pater, quòd perfectam de filio notitiam dederit Ioanni, dicit eum miſiſſe ante faciem eius, non iuxta eum aut coram eo, ſed ante faciem eius notitiam habentem, vt ei viam fidei in cordibus hominū præpararet decentiorem, quamuis pater non vocaſſet Ioannem angelum ſuum, crederemus quòd angelus eius eſt: quia omnes angeli Dei ſunt. Sed in poſſeſsione illa dat intelligi, quòd patris potentia tenuit Ioannem, & in gratia confirmauit, etiam vt arbitror ex vtero matris ſuæ, quia propterea ibi Spiritusſancto dicitur repletus: quod ſolummodo dicitur de Apoſtolis poſt gratiæ confirmationē habitam per Spiritum ſanctum, qui ad repletionem datus eſt illis. Vel dicitur angelus patris, propterea, quia actus hierarchicos exercuit prior in Ioanne. Nam ſi angelus inferiorem angelum, aut animam purgat, illuminat, & perficit, hoc non facit antequam ille rationis vſum attingat: ſed quia Ioannes a Deo præuentus eſt in benedictionibus dulcedinis per maximum miraculum præter curſum angelorum, ideo dicitur iſte ſingulariter angelus Dei purgatus a Patre in vtero, nam Ioannes ait: Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Ab vtero vocatur, dum ei datur ibi liberi arbitrij vſus. De ventre recordatus eſt nominis eius, quod eſt Ioannes: & interpretatur gratia Dei, qua mundatur in ventre. Filius Dei hunc illuminauit, vt ibi eum agnoſceret, & Spiritus ſanctus perfecit illum in gratia, qua in vtero ſitum repleuit eum. Ecce igitur Ioannes quo ſi qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo per naturam altiorem, ille per gratiam dignior iudicari poteſt: vnde Chryſoſtomus ait: Puto ſi non eſt audaciæ dicere, quòd glorioſior eſt Ioannes, quia fuit homo, & quia propter meritum virtutis angelus eſt vocatus, quàm ſi nomine angelus, & natura fuiſſet. Angelus enim hoc ipſum, quòd angelus eſt, non eſt

Ioannes infuſam habet notitiā Chriſti a Trinitate.

Iſa. 49.a

Chryſoſt. in opere imperf. Matth. c. 11 homil. 27. to. 2.

tantum

tantum virtutis præmium,ſed proprietas naturæ. Iſte obtinuit per gratiam,quod ille habuit per naturam : hæc ille. Si ergo quo magis propinquiores in cęlo ſunt angeli Deo,eo ſunt clariores, quantum claritate fulgidum putas Ioannem tam propinquum Filio Dei? cum denique dixit Chriſtus beatum qui non eſſet in eo ſcandalizatus , nullo modo intellexit de Ioanne,ſed de eius diſcipulis, qui per eum purgati,illuminatiq. ſunt . Sed vltimo reſtat inquirendum,cum Pater æternus dixerit incumbere Ioanni, vt præparet viam Chriſto , quod eſt commune omnibus angelis,non videtur Ioannes adimplere officium ſuum,nam

Iſa. 40.a eius eſt viam præparare,& cum hoc ait nobis : Parate viã domino , rectas facite ſemitas eius . Videtur nobis impo-

Mat.10.d nere iugum ſuum cum nec ipſe Chriſtus dixerit , vt quis tolleret crucem eius,ſed vnuſquiſque propriam.Pro ſolutione aduerte,quòd in prędictis nulla eſt diſſentio,ſed alteri ſic alterum conſonat , vt ne vnum quidem ſine altero ſatis eſſe poſsit. Præparat enim Ioannes pęnitentiæ viam domino , cum eos qui in peccato iacuerant languidi,ſano conſilio erigit, eorumq. animas diuinæ gratiæ ob peccati tenebras inuias , per pęnitentiæ illuminationem peruias facit. In iuſtis enim,& pœnitentibus eſt via domini,iuxta

Pſ.76.c.d id:Deus in ſancto via tua.Et Paulo infra : In mari , ideſt in amaricata peccati recordatione animæ via tua,& ſemitæ tuæ in aquis multis,ſcilicet tribulationum , vel bonarum operationum . Sacerdotum igitur eſt viam domino prępararc per exhortationẽ, correctionem , & inſtructio-

1.Tim. 4. a nem,quia eis dicitur:Argue,obſecra,increpa,& etiam per bonum exemplum , vt Ioannes cui dicitur : Viam fac ,

Iſa. 57.c & 62.d prębe iter populo meo.Ipſi quoque peccatores,qui vel prę latorum perſuaſione, vel diuinæ gratiæ illuminatione per moti ſordes a ſuis emundant conſcientijs,& tenebras peccatorum abijcientes , lumen charitatis in animabus ſuis accendunt : viam quoque præparare domino ſunt dicen-

Iere.7. a di,quia eis dominus ait : Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra,& habitabo vobiſcum in loco iſto . Merito igitur præcurſor nobis commendat , quod ei impoſitum eſt , vt ipſe & nos præparare valeamus viam domino : ſicut cũ per viam aliquam hominum multitudine obſeſſam princeps tranſiturus eſt , qui antecedunt,iter principi præberi clamant,

clamant,ad illorum autem clamorem qua principē tranſiturum vident,qui viam occupant, cedunt, Vtrique ſane viam principi præbuiſſe ſunt dicendi. Sed cum Ioãnes interpretatur gratia,& in nobis ſit arbitrij libertas, vtrũque concurrere oportet, & conuenire ad ſuſcipiendum dominum venientem, quamuis lutherani non vereantur negare arbitrij libertatem. Hucuſque igitur fratres mei Ioannis officium perdurat,ſi eum adiuuemus & nos: in vanum enim laborat niſi collaboremus & nos: quod ſentiebat Paulus,dicens; Nemo deſit gratiæ Dei. Sunt etiam qui dicant in illis quattuor quæ Chriſtus de Ioanne dixit, quattuor virtutes cardinales notari, quibus opus eſt ad hoc vt liberi exeamus de carcere mortis. O igitur beate vir da nobis conſtantiam, ne ſimus arundo: da temperantiam,ne mollibus veſtiamur:da prudētiam, vt ſimus pluſquam prophetæ non ſolum procul ſtantes, ſed operantes non iuxta carnem, & ſanguinem: da iuſtitiam,vt ſimus angeli nunc per gratiam,& in futuro per gloriam. Amen. *Heb.12.d*

SERMO DOMINICÆ TERTIÆ ADVENTVS.

De calceamento, & eius ſolutione.

THEMA.

Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Ioan. 1.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

INTER alia Iudith ornamenta ſic ſandalia ceteris ornamentis eminebant,vt Holofernis animam captiuam ducerent. Dux filius Dei egreſſus a Patre Mariam ornatam monilibus concupiuit,tamen calceamentum Virginis huius nimium arridet ei. Nec mirum,quia de Maria ſcriptum eſt: & luna ſub *Iudith. 10. a* *Apoc. 12. a*

ſub pedibus eius. Pulchra vt luna refertur Eccleſia, maxime quando habens ſecum ſolem iuſtitiæ ſibi refulgétem, eſt ſicut luna plena in diebus ſuis. Hæc ergo tam ſpecioſa luna calceat Mariam. Ideoq. dictum eſt dęmoni: Tu inſidiaberis calcaneo eius, nam ſub calcaneo Mariæ eſt Eccleſia tanquam ſub tuta protectione: nouit ſane quòd contereret caput eiuſdem ſerpentis victrix Maria, ideoq. apponit ſe pedibus mundis, & circumdat eos, ac ſi eſſet eis calceamentum: Maria vero ſedula in protectione corrigiam amoris addit huic pulchro calceamento, de qua ipſe profero thematis verba, dicens: *Non ſum ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*: quia hunc amorem nó valeo explicare. Nam & inferiorem calceamenti partem, ſcilicet peccatores tantum Maria diligit, vt eis vellet coronari, quoniam propterea ei dicitur in canticis: Veni coronaberis de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorũ: Leones ſuperbos ſua humilitate conuertit. Pardos rixatores ſua pace conciliat: ideo quia hos conuertit, ac pro eis rogat, dicitur eorum conuerſione coronari: nam cupit eos eſſe vti Apoſtolos Chriſti, quos in corona capitis defert: nam in capite eius corona ſtellarum duodecim. Non ſum ergo potens ſoluere, ac exponere quantum nos amat, quos ex pede cupit in caput promouere. Forte melius ſcirem gemere quàm parum eam amamus, quàm ſoluere quantum nos amat. Non comprehendo quantum nos amat, etſi ſcio quòd nos amat. Nam frequenter exhibitione operis nobis oſtendit amorem ſuum, quem vt nunc experiamur ad eam pergentes genibus flexis pro gratia impetranda inferamus. Aue Maria.

Eccli.50.a
Gen.3.c
Cant.4.c
Apoc.12.a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

DVm beatus Ioannes verba thematis dixit, præſuppoſuit Chriſtum habuiſſe calceamenta, quamuis aliqui dicant metaphorice fuiſſe locutum, vel conditionaliter, ſcilicet ſi portaret: tamen quia vt ait Auguſtinus: quãdo litteræ ſenſus deeſt, ad ſpiritum oportet habere recurſum: ideo in priori ſermonis parte iuxta noſtrum thema videbimus, quod eſt calceamentum Filij Dei.

De doctrina Chriſt. lib.3. c.5. to.3.

In

In poſteriori vero quo modo Ioannes non eſt dignus illud ſoluere. Filius Dei volens viſere nos, cupienſq. peragratis terminis noſtris ad Ieruſalem venire, aiebat: Quis deducet me in ciuitatem munitam, quaſi dicat me vſque in Idumeam? cum impoſsibile ſit Deum de loco ad locum mutari, iure quærit filius Dei, an aliquis poſsit eum in Ieruſalem deducere, ſed reperto quòd nemo eum localiter mutare valeret, modum mirabilem ingeniauit mutandi ſe, quo vt viator fieret, operatus eſt ſibi mirum calceamentum, quo pedibus adhærente, viator & curſor effectus Dei filius exultauit, vt gigas ad currandam viam noſtram, & in eodem Pſalmo ait: In Idumeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt. Ad quærendum amicos egebat calceamento Deus, quo mirabiliter operato, & facto alienigenos facit amicos. Idumea interpretatur ſanguinea, & eſt poſteritas Adæ, ad quàm ſuo calceamento venit filius Dei, cui dicitur in canticis: Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia principis in calceamẽtis! vt ait Baſilius: calceamentum Verbi Dei, caro aſſumpta eſt. Et vt ait Gregorius: velut calceata venit ad nos diuinitas. Filia ergo principis paterni eſt ſapientia æterna, quæ in calceamẽtis rubeis conſanguinitatis noſtrę quàm optime graditur. Greſſus iſti dicuntur habere pulchritudinem ex calceamentis: quoniam ex humanitate noſtra habet Deus, vt gradiri poſsit per actus vitæ humanæ, quibus non laudatur Deus in ſe, quoniam eis caret. Nec enim laudamus Deum de abſtinentia, aut de pœnitentia, vel de labore, nec de ſimilibus, quia non conueniunt maieſtati, donec ſe calceauit, & ratione calceamentorum opera viatoris exercet laudabiliter: vnde in Chriſto ſolummodo a calceamentis greſſus laudantur, quæ tantum extendit, vt in idumeam vellet peruenire, ſcilicet in mortẽ ſanguineam, vbi rupta fuiſt calceamẽta eius: nec mirum, quia facta erant ex pellibus animalium mortalium, quia de vetuſtate noſtræ mortalitatis aſſumpſit carnem, iuxta illud Ieremiæ dicentis: Vetuſtam fecit pellem meam. Et Iſaias ait: Vere languores noſtros ipſe tulit: & dolores noſtros ipſe portauit. Hinc eſt, quòd ipſe vno die ac duabus noctibus iacuit in ſepulchro, quia ſcilicet ſua ſimpla vetuſtate pœnæ noſtram duplicem vetuſtatem, ſcilicet pœnæ & culpæ

[Margin notes: Diuiſio — *Pſa. 59. b* — Calceamenta filij Dei quę ſint. — *Cant. 7. a* — *Baſil. homil in pſa. 59. ante finem.* — *Greg. hom. 7. in Euãg. circa med. tom. 3.* — *Tren. 3. a* — *Iſa. 53. a*]

culpę deſtruxit: ad hoc enim calceamentum portauit, vt poſſet pro nobis magis laborare. Pes cui adhærebat calceamentum, fuit verbum Dei: quod caro factum eſt, ideſt carne calceatum, eſt veſtitum. Medium colligans calceamentum pedi fuit vnio hypoſtatica, de qua Ioannes in themate ait: *Non ſum dignus ſoluere corrigam calceamenti eius*. Solea ſolida qua terrena, ideſt terrenas pęnalitates calcauit, fuit gloria immortalitatis qua indutus eſt poſt re-
Rom. 6.b ſurrectionem: quoniam Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Filum quo hæc ſolea noua ſuta eſt calceamento, eſt ipſa reſurre-
Pſa. 56.b ctio: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Subula qua facta ſunt foramina in calceamento, vt poſſet intrare filum, fuit anguſtia, & punctio
Mar. 10.c paſsionis: nam facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. Seta per quam intromiſſum eſt filum, eſt potentia diuinitatis, per quam
Ioã. 10.e quando voluit reſurrexit, quia poteſtatem habuit ponendi animam ſuam: & iterum ſumendi eam. Cultellus quo præciſa ſunt ſuperflua ab hoc calceamento, fuit Spiritus ſanctus, vel operatio eius in vtero virginis, vbi etiam potentiam peccandi abſtulit ab eo, & languores naturæ
Matt. 1.d lapſæ, ſcilicet poſſe ad malum agi. Quod enim in ea natũ eſt de Spiritu ſancto eſt, inquit angelus. Forma ad quam factum eſt hoc calceamentum, fuit formatio Adæ, nam ſicut ille de terra pura formatur, ita iſte de terra Virgine,
Pſa. 84.b quia veritas Verbi de terra orta eſt, ſcilicet Maria, quæ dedit fructum ſuum. Sutor fuit tota Trinitas, quæ appendit tribus digitis molem humanitatis: vbi nota quòd ſicut calceamẽtum omnino ſutori obedit, ſic dominus Chriſtus Trinitati etiam vſque ad mortem. Hoc ergo calceamento filius Dei plures peregit vias, & nobis veſtigia quibus eũdum eſt reliquit, quod pſalmographus contemplans ait:
Pſa. 67.c Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei regis mei qui eſt in ſancto, ſcilicet calceamento humanitatis ſuæ: calceamento iſto peragit dominus omnes aduentus ſuos, & redditus, & ſecundum varias vias Dei ſic varia dicuntur calceamenta iſta. Eſt enim primus aduentus Dei mun-
Iſa. 9.a dum per incarnationem, de quo ait Iſaias: Aſcendet dominus ſuper nubẽ leuem, & ingredietur Ægyptum. Alius
eſt

eſt aduentus in mentem per gratiam, de quo dicitur in Apocalypſi: Si quis aperuerit mihi, introibo & cenabo cum eo. Tertius eſt in infernum per ſpoliationem limbi, de quo ait per Iſaiam dominus: Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Quartus ad Eccleſiam per reſurrectionem, de quo ait Ezechiel: Cum ingrederetur vir, repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt a ſplẽdore gloriæ domini. Quintus in cælum per aſcenſionem de quo dicitur: Cumq. intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri: propter has vias varias dicuntur varia filium Dei calceamenta nõ in ſe, ſed in effectibus ſuis: nam propter primam viam dicuntur de pellibus morticinis, iuxta illud: Arca Dei poſita eſt in medio pellium. Arca ſcilicet verbũ Dei in medio pellium mortalitatis noſtræ poſita eſt manu Spiritus ſancti, quando illud incarnauit ac pellibus Mariæ inuoluit. Propter alteram viam qua Deus in animam venit, dicitur habere calceamenta deaurata, iuxta illud: Pedes eius ſimiles auricalco in camino ignis ardentis. Deaurata portat calceamenta & ignita, quia charitatẽ venit mittere, & præmia dare, quibus vult animam allicere. Propter tertium aduentum habet ferrea calciamenta, iuxta illud: Ferrum & æs calceamentum tuum: nam ſic oportebat, vt ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambularet. Propter alium aduentum, & viam dicitur filius Dei luna calceatus, iuxta illud: Et luna ſub pedibus eius. In die plenæ lunæ reuerſus eſt in domum ſuam Eccleſiam, quando eam gloria lætitiæ impleuit, & ſicut ſol ſe poſuit in luna, vt impleretur illud Iſaiæ: Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis. Ob quintum aduentum dicitur iacinthinum, quoniam filio ait Pater: Calceaui te iacintho: tunc ſane calceamenta Filij Dei iacinthina erant, cælorũ colore vtebantur, cælica videbantur ac fere diuina: quoniam ſic polita erant, vt oculos angelorum allicerent. Vidimus ergo quo modo, & ad quid filius Dei calceamenta ſibi fecit, & quas vias eis peregit, nil reſtat, niſi vt omnibus dicamus maxime in aſcenſione: Adorate ſcabellum pedum eius: quoniam ſanctum eſt. Propter varias humanitatis Chriſti gratias, & effectus dicta ſunt varia calceamenta Dei: quibus & nos vti oportet ad gloriam.

Quintuplex aduentus. *Apoc. 3. d* *Iſa. 45. a* *Ezec. 10. a* *Act. 1. b* *2. Reg. 7. a* Calceamentum quotuplex. *Apoc. 1. c* *Deut. 33. d* *Pſa. 90. c* *Apoc. 12. a* *Iſa. 30. f* *Ezec. 16. b* *Pſa. 98. a*

SECVNDA PARS, vbi exponitur Euangelium.

VErba thematis ponuntur in calce huius Euangelij tamquam epilogus præcedentium, quia in eis reſoluit Ioannes omnia quæ dixerat, atque eis poſſunt referri ſingulæ ſententiæ priores. Sunt namque multiplici ſenſu profunda, latetq. in eis omne reſponſum, quod dederat Phariſeis, Sacerdotibus, & leuitis. Dixit ergo ſe non eſſe Chriſtum, neque Heliam, neque Prophetam, ſed eſſe vocem clamantis in deſerto, qui tunc erat medius inter eos, licet non cognitus ab eis, quæ omnia breuius concluſit in themate. Quid enim aliud eſt dicere, nō ſum dignus eius corrigiam calceamenti ſoluere, niſi quia nō ſum ego Chriſtus? non ſum ſponſus, ſed ſponſi amicus, nec ego ſufficerem ducere Eccleſiam ſi ipſe eam repudiaret, ſicut nec redimere? Nota eſt vobis fratres conſuetudo legis, quæ habet, quòd propinquus mariti defuncti duceret relictam ab eo: ſi autem nolet, tunc deberet ſolui calceamentum nolentis vxorem propinqui, & dari alteri, qui eam ducere volebat. Ioannes autem vult, quòd calceamenta Chriſtus habeat, ne contingat Eccleſiam vocari domum diſcalceati, ſicut vocatur ſynagoga: nam Chriſtus qui a nemine diſcalceatur, iuſsit vt Moyſes calceamēta deponeret, antequam ad rubum appropinquaret. Tunc Moyſi diſcalceato cura iniungitur ſynagogę, ſed cur diſcalceato? cur prius calceamenta deponit? ne arbitretur ſe eius futurum ſponſum, ne putet ſe caput fore, ſed ſubrogatum, ſed pedagogum, ſed procuratorem veri ſponſi, qui ſolus ſemper habet calceamenta, ſemper applicat ſibi Eccleſiam, ſemper inueſtitur ea, ideo Moyſes non ſponſum, ſed pedagogum ſe cognoſcit. Quoniam hoc idem, hanc eandem figuram beatus Stephanus retulit in actibus Apoſtolorum, volens ſynagogam ad verum ſponſum conuertere. Similiter quoque dicitur Ioſue duci populi, vt ſoluat calceamentum ſuum, ſicut alter fecerat, quia non niſi vero Ieſu cōuenit ſponſum eſſe. In his duobus viris per Chriſtū diſcalceatis vtraque poteſtas notatur, ſcilicet Eccleſiaſtica, & ſæcularis quæ Chriſto tradenda veniunt, quem nemo iure diſcalceat, & ipſe merito diſcalceat cunctos. Idem ergo eſt dicere, non ſum

Deut. 25. b

Rut. 4. b

Calceamenti ſolutio cui conueniat.

Exo. 3. b

Act. 7. d

Ioſue. 5. d

ſum dignus eius corrigiam calceamenti ſoluere, ac ſi dicat, non ſum dignus dici,aut credi Chriſtus, eo enim facto quo quis ſe dicit Chriſtum, ſoluit Chriſti calceamentum, quia cum illa vnio non ſit niſi vnica,qui dicit ſe habere illam, ab omni alio eam negat,& ex conſequenti ſoluit corrigiã Chriſti. Et hic eſt antichriſtus,qui diſſoluit Ieſum, de quo Ioannes ait: Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt. beatus Iob ad magnam iuſtitiam ſibi reputauit, quòd hoc non fecerit,quando dixit: Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare,& lætatum eſt in abſcõdito cor meũ, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima,& negatio contra Deum altiſſimum.Similia inquit Euangelium præſens de Ioanne,quoniam confeſſus eſt,& nõ negauit,& confeſſus eſt,quia non ſum ego Chriſtus. Negauit ergo ſe eſſe Chriſtum, ne negaret Deum altiſſimum Chriſtum. *Ioan. 4.* *Iob. 31.*

Secundo dixit non ſum Helias, & hoc idem in thema innuit,& in illo includitur. Cum enim ante aduentum Helię ſit Euangelium prædicãdum in toto mundo,idem eſt dicere non ſum dignus eius corrigam calceamenti ſoluere, ac ſi dicat,non ſum Helias. In hoc eos inſipientes oſtendit, quia non intelligebant, quòd Helias tantum debet venire ante ſecundum aduentum,& non ante primum. Hic inſuper aduerte quòd ſoluere corrigam, eſt oſtendere conformitatem vtriuſque teſtamenti,quia proferre noua & vetera, ſecundũ gloſſas communes Hylarij,Ambroſij,& Hugonis: ideo dicit ſe indignum ſoluere calceamenta,quia non fuit baptiſta electus ad prædicandum Euangelium per mundum, quod clarius Matthæus dicit,dum de Ioanne ait: Cuius non ſum dignus calceamenta portare,ideſt exempla & mortem Chriſti mei prædicare. Qui agnum Dei comedimus,debemus quidem corio exemplorum ſuorum calceari. Apoſtolo Paulo referente fuerunt calceati pedes in pręparatione Euangelij pacis,ideo & Paulus ait: Non me miſit dominus baptizare, ſed euangelizare,oppoſito modo ad Ioannem qui venit baptizare. Itaque cum ego mortuus ſim antequam eius calceamenta in Idumeam extendantur,nõ ſum Helias,qui iam diuulgato Euangelio veniet. Prædicandi dignitas. *Mat. 3.* *1. Cor. 1.*

Tertio dixit ſe non eſſe prophetam: vbi notat Cyrillus ſuper Ioannem, quo modo Iudæi patefaciunt imperitiam ſuam in hoc quòd diſtinguunt prophetam,quem eis Moyſes

promiſerat a Chriſto, cum Chriſtus ſit ille propheta: quoniã vt hoc innuatur in græco legitur cũ articulo, ſcilicet *ille* propheta es tu? Ioannes autem plenus diuina luce ſicut negauit ſe eſſe Chriſtum, negauit ſe eſſe illum prophetam ſimilem Moyſi in redemptione mundi: cuius vmbra & ſimilitudo Moyſes quidẽ fuerat in redemptione populi ab Ægypto. Itaque non ſum ego ille propheta cui reſeruatur redemptio, immo non ſum dignus, vt ſoluam corrigam calceamenti eius, quia non ſum ego dignus, vt pro me moriatur, vel ſoluatur corrigia humanitatis ad Deum, vel animæ ſuæ ad carnem. Non ſum ego dignus ſoluere illum laqueum de quo
Pſ.113.b dicitur in Pſalmo: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Hic tamen aduerte, quòd non ſolum Adam, ſed omnis peccans fuit cauſa qua ſoluatur, ac moriatur Chriſtus: quin & eſt cauſa dum peccat, ſi poſſet ille mori: quia propte-
Heb.6.b rea dixit Paulus: quòd peccantes ſunt iterum crucifigentes filium Dei. Si ergo Baptiſta qui non niſi originaliter creditur peccaſſe, fatetur ſe indignum, vt pro eo ligando Filij Dei vita ſoluatur, quanto indigniores ſumus omnes nos qui addimus peccare adhuc? Mirum quidem ſed veriſsimum, quòd pro peccatore ligando ac vniendo ipſi Deo, ſoluatur ac diſſoluatur Chriſtus Filius Dei, qui hoc paſſus eſt in cruce: nam dum vidit prope ſolutam corrigiam vitæ ſuæ cla-
Pſa. 21.a more valido patri ſuo dixit: Deus, Deus meus, vt quid de-
Mar.15.e reliquiſti me? vt quid tempus vitæ meæ reſolutionis inſtat? ob quid a malis ſoluitur templum hoc? Ad hanc ſane quæ-
Cyprian. de paſsione Chriſti to.4. ſtionem reſpondit Cyprianus, dicens Chriſto: Domine tu relinqueris, vt capiatur latro tibi deuotus: tu ſolueris vt ligetur ille Deo, qui peccatis ſuis diſſolutus fuerat, quamuis ergo ſoluatur corrigia vitæ Saluatoris non inutiliter, quia ipſa corrigia ligare ſufficit omnes hucuſque ſolutos. Nemo tamen eſt dignus ligari in tantæ charitatis funiculo.

Aug. tract. 4. in Ioan. tom.9. Si autem de Ioannis humilitate aliquid placet audire, aduerte, quód vt ait Auguſtinus profunda fuiſſet humilitas ſi dixiſſet ſe aptum ſoluere corrigiam calceamenti Saluatoris, nunc autem dicit: *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius*, quaſi dicat, non mereor ei minimum ex-
Mar. 1.a hibere obſequium: ideo Marcus addidit procumbens: Non ſum dignus, vt procumbam ad pedes eius, ad ſoluendum corrigiam calceamenti. Si cum pueris quibus conuenit hoc non audet procumbere, minus auderet ſe magis adiungere,

qui

qui procidentes adorauerunt illum, ſed forte præuiderat Magdalenam hoc facturam, ad Chriſti pedes lacrymis abluendum. Si ad hoc ſe fateretur idoneum optima eſſet humilitas, ſed quia dicit: Non ſum dignus, heroicam habet humilitatem, quia non ſolum ſub potenti manu Dei ſe humiliare vult, ſed ſub pedibus eius: Satis erat ancille ſaræ humiliare ſe ſub manu dominæ ſuæ, quia nec amplius iuſſit angelus ei, tamen ſpiritus ſuggerit Ioanni ſe indignum eſſe humiliari procumbens ad pedes Ieſu. Ab infantia ſua creuerat ſecum humilitas, & ab vtero materno, vbi recluſus audierat cognatam ſuam Mariam dicentem: Reſpexit dominus humilitatem ancillæ ſuæ: & ob hanc reſpectionem obtinendam procumbere cupiebat ante Chriſti pedes, tamen ſe reputauit indignum, & quoniam vera humilitas annexum habet præmium exaltationis ſuæ, parum poſt Chriſtus eũ eleuauit ſuper Cherubim, quando eum laudans dixit: Erat ille lucerna ardens & lucens. Ardentes, & incendentes dicuntur Seraphim, inter quos ponitur lucerna hæc, ſcilicet humilitas Ioannis, qui ſub modio calceamenti Saluatoris ſe volebat abſcondere, quando dixit: *Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*. Dum autem Iudæi oportune, importune inſtarent Ioanni, vt diceret eis, quem ſeipſum faceret: poſtquam ſe indignum confeſſus eſt minimo officio in domo Chriſti, quod ad calceamenta pertinet, ſunt enim ceteris inferiora. Volens ergo Ioannes ſuum Iudæis oſtendere teſtimonium adduxit Iſaiam, & dixit? Ego vox clamantis in deſerto. Vox inquit ſum Chriſti clamantis in deſerto veſtro, in deſerta iudęa, clamantis in vobis deſertis ab eo: quia vos prius eum deſeruiſtis. Si eum non vultis audire obturantes aures veſtras, ſaltim audite me dicentem: Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Pro tam minimo habetur inter vos, quòd eum nec audire dignamini, qui tam magnus eſt apud me, vt non audeam eius tangere calceamentum. Plurimum videtur ſe Ioannes eleuaſſe, dum ſe vocem clamantis aſſeruit. Vocem, inquam, non cuiuſcumque, ſed clamantis, qui magnam vocem emittere ſolet. Submiſſa voce locutus eſt Deus, quando alios creauit, dum autem Ioannem creat, clamare perhibetur, quia magnificauit dominus miſericordiam ſuam cum illo.

Mat. 2.b *Gen. 16.e* *Luc. 1.e* *Ioan. 5.e* *Gen. 19.d*

Vt autem profundam eius ſententiam perpendam, quæramus a Ioannę: cum te ob humilitatem tuam profundam

ſub Chriſti pedes collocaueris, nec illic procumbere dignũ dixeris, quid ſibi vult, quòd in ore Chriſti cubile tuum facis? An ignoras, quòd vox moratur ac fit in ore clamantis? Te humilias, & ſubleuas pariter, cum impoſſibile ſit eodem inſtanti motibus contrarijs agi. Pro ſolutione fratres audite, nam vox inuiſibilis verbi oſtenſiua eſt: myſterium autem verbi diuinum eſt. Vt ergo Ioannes oſtendat eſſe incomprehenſibile incarnationis myſterium, ita vt nec ipſe quidem licet electus ad hoc, ſit ſufficiens preco, ait: Cuius non ſum dignus ſoluere, ideſt explicare calceamentum eius. Si ergo Ioannes eleuauit ſeſe, vocem aſſerẽdo, hoc nil detrahit prędictæ humilitati, ſed magnificationi conuenit Saluatoris, qui quamuis maximam vocem, ſcilicet Ioannem ſibi immediatum ſicut vocem verbo fecerit: ille ſublimem ſe videns, & ſublimiſſimum contemplans myſterium explicandum ſibi, quaſi tremens coram Iudæis peritis, ait? Ego licet magnus ſim, non me inuenio dignum ad hoc, vt vobis ſolutionem verbi ac declarationem myſterij propinem. Si ergo vox verbi, myſteria verbi non explicat, quis ea poterit indicare? recte poterant Iudæi afferre Ioanni excuſationes in peccatis, afferentes quòd niſi Spiritus ſanctus qui ſcrutatur etiam pro-

1.Cor.2.c funda Dei non poterat ſuum capere ſermonem, ad quem ipſemet ſeſe fatetur indignum. Sed huic obiectioni propheta

Iſa. 7.b reſpondit, dum ait Iudæis: Niſi credideritis, non intelligetis. Et hanc penuriam fidei Ioannes in præſenti Euangelio improperat eis, dicens: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*: quaſi dicat, non vos ſcandalizet, quòd in medio veſtri videatur pauper, & mediam vitam viuens, qui ſublimiter me-

1.Tim. 2.a dius eſt in Trinitate, atque mediator Dei, & hominum, cuius corrigia diuina pariter, & humana ſunt annexa, concordiamq. facit in ſublimibus ſuis. Cuius tantum eſt myſterium, vt mihi nondum habenti claram viſionem, inſpirabile ſit, quin & omnilingue, quam ob rem ſoli agno reſeruantur ſoluenda libri ſignacula, & ligatura corrigiæ, quia ſolus ille ad hoc dignus inuentus eſt, ille enim ſe comprehendit. Vide

Bernar. ſer. 1. paſc. circa medium tom. 1. Bernardum in ſermone reſurrectionis. Sed miſeri Iudæi cito obliti verborum, cespitant in calceamento vehementer magnificato, licet commoniti fuerint a voce altiſſimi. Quod

Amos.2.b quam optime prophetauerat Amos dicens: Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quattuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtũ, & pauperem pro calceamentis.

ceamentis. Hoc eſt vltimum ſcelus pro quo derelicti ſunt a Deo,ac diſperſi in omnem ventum. Nam primum fuit venditio Ioſeph: ſecundum adoratio vituli: tertium abiectio Dauid,cum aiunt: Quæ nobis pars in Dauid, aut hereditas in filio Iſai? Et receſſit Iſrael ob Roboam a Dauid vſque in præſentem diem: vt ſcribitur in libro Regum. Quartum ſcelus fuit venditio Chriſti pro argento in quo prædicatio eius deſignatur,quam ſpreuerunt: ita vt propter eam tradiderunt eum morti. Tradiderunt etiam Chriſtum pro calceamentis: nam tota eius prædicatio vergebat in hoc,vt eos diſcalcearet, ſicut diſcalceauerat Moyſen, & Ioſue, atque Apoſtolos ſuos,quibus calceamenta prohibuit. Hic aduerte quòd calceamenta moraliter ſignificant terrena omnia, ac peritura quæque: nam ſicut calceamenta, ſic & cetera ſunt ſpolia quædam terrenorum. Spoliamus terram fructibus,& arbores pomis,& mare piſcibus,& nemora beſtijs, & aquis fontes,& animalia vita,& vites racemis vt abundemus,Chriſtus autem hæc ſpernenda prædicabat, quoniam de Eccleſia ſcriptum eſt: Et ſpolijs non indigebit. Iudæi vero hæc ſpolia, & calceamenta protectionis ſuæ timentes amittere,dicebant de Chriſto: Si dimittimus eum ſic,venient Romani,& tollent locum noſtrum & gentem. Ecce quo modo ſpoliari, ac diſcalceari nolebãt,ſed ſicut Gabaonitæ cum calceamentis attritis ſubdole venire cupiebant ad verum Ioſue, ideoq. quarto ſcelere peccauerunt, in quo & alia tria renouantur. Primo quia Chriſtum verum Ioſeph vendiderunt. Secundo quia eo dempto adorant vitulum cerimoniarum, quæ nil ſunt ſine Chriſto,& recedunt a Dauid, & a domo eius, negantes filium Dauid Ieſum pro Barraba,vel Cæſare. Nos autem fratres vult etiam Ieſus diſcalceare,ne nos tędeat,quoniam vult abluere pedes noſtros, vt puluere terrenorum neglecto,ſimus ſicut angeli Dei, quos decimoquinto capitulo Angelicæ hierarchiæ nudi pedes Dionyſius deſcribit: quoniam nudi pedes, ac mundi aptiores ſunt ad cæleſtia rimanda. Horum enim o quàm pulchri ſunt pedes Euangelizantium pacem peccatoris: euangelizantium bona gloriæ! quam mihi, & vobis præſtare dignetur Ieſus. Amen.

3. Reg. 12. d

Quattuor ſcelera iudæorum.

Calceamenta quid ſignificent.

Pro. 31. b

Ioan. 11. f

Ioſue. 9. a

Mat. 27. c

Rom. 10. e

SERMO DOMINICÆ QVARTÆ ADVENTVS,

De aduentu in carnem, & in mentem.

THEMA.

Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur. *Iſaia* 40.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

CONCIONATORVM dux a Iordanis regione incępit ſermones Iſaiæ prophetæ, ibi primo Dei præco clamauit, tanquam ſub ripis Iordanis protectus, a quo potum ſuum exhauriebat. Præſtat enim linguæ aqua Iordanis, confert pectori, iuuat vocem. Quis autem eſt Iordanis iſte fratres niſi beata Virgo, qua fœderis arca, ideſt Filius Dei tranſiuit ad nos? & quæ eſt aqua Iordanis niſi gratia Virginis? Eſt alia dulcior aqua, ſalubrior nequam gratia virginis? Rogo vos, cum ſacerdotes arcam domini deferentes Iordanem conuerſum retrorſum tranſibant, nonne quaſi regratiantes flumini eius aquam miraculo fragrante biberunt? Verum eſt, quòd in ſicco pedes habebant, nō tamen ora ſua, nec manus.
Ioſue 3.*d* De pedibus ſic ait ſcriptura: Sacerdotes, qui portabant arcā fęderis domini, ſtabant ſuper ſiccam humi in medio Iorda-
4.*Reg.* 5. *d* nis accincti. Sane iſti præ deuotione, ſicut & feciſſe credo Naaman quando in Iordane ſe abluit, bibebant ad ſaturitatem aquam ſancti fluminis, propter arcæ domini reuerentiā: quæ dum tranſiuit, ingentē ibi virtutem reliquit. Arca tranſit per ſiccum, dum Chriſtus tranſit per Virginitatem Marię mundam. Si arca domini aquam Iordanis venerabilem reddit, quid faceret Chriſti humanitas in virginem? qui ſalubrem fecit eius gratiam? quamq. multiplicatam? de aqua
Ioſue 3.*d* Iordanis tranſeunte arca dicitur: Steterunt aquæ aſcendentes in loco vno: & inſtar montis intumeſcentes apparebant procul.

procul. Altera vero pars deſcendit in mare mortuum. Vbi myſtice datur intelligi tunc temporis dum virgo in ſe domi num gratiarum habuit,& mundum, & cælum inebriari potuiſſe ab ea. Nam ille altus locus inſtar montis cælum deſignabat,mare autem mortuum eſt mundus, quē beata Virgo per gratiam Spiritus ſancti, qua cęlitus repleta eſt,viuificare dignatur. Hoc vnum in Iordanē aduerte, quòd ſcilicet tempore meſſis multiplicat Iordanis aquam ſuam, & forſitan cupit meſſores reficere: aqua enim eius eſt vino melior. *Mat. 9.d* Tempus meſſis, auctore domino Ieſu, eſt tempus concionandi,tempus quo animas a mundo ſubtrahimus, in horreum iuſtitiæ reponendas,vnde dominus ait: Meſſis quidem multa,operarij autem pauci.Qui quidem ſunt concionatores,vos autem fratres,domini ſpicas vocamus tempore metendi,dum ſcilicet vos a mundo,& lutheranis ſegregamus, qui ſunt inimici ſermonum, cum Ioannes inceperit a libro ſermonum Iſaiæ prophetæ,opus ergo eſt, vt Iordanis aqua, ideſt gratia Virginis abundantius fluat, quæ & vobis proderit:nam & populus ille,& ſacerdotes arbitrio meo biberunt aquam Iordanis,qui tranſeūte arca ripas ſuas impleuat, quia & tunc tempus meſſis erat. Si ergo præcipuus meſſor, & ſui ex aqua Iordanis,ideſt ex gratia Mariæ ſuper montana biberunt,ſtatimq prædicare geſtiuit per os matris, cur nos non ibimus ad eam genibus flexis? tamen velut manu bibentes, eleuate palmas,& orantes dicite. Aue Maria.

Luc.10.a
Eccli.24.d
Ioſue 3.a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

BIpartitus erit ſermo:in priori parte agam de aduentu in carnem: in poſteriori autem de aduentu in mentem. Diuiſio.

PRIMA PARS.

INter alia ſigna dominici aduentus, quæ memorantur in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ, aduentui propinquiora *Iſa.40.a* ſunt,quæ thema refert,ſcilicet vallis replectio,& montium, & collium humiliatio: immo ſi profundius ſcrutemur, hæc non ſunt ſigna,ſed opera ſiue res ipſæ,quibus incarnatio cōſtat,vnde ſi quis a me ſcire cupit,quid ſit incarnatio beatiſſima, dicam ei,quòd eſt vallis repletio,& montis humiliatio, aut ipſis terminis conuerſis clarius ſic accipe: Incarnatio eſt montis

Incarnatio quid.

montis humiliatio,& vallis repletio. Prius equidem ſe humiliauit mons,quàm repleretur vallis, ſine cuius humiliatione repleri non poterat. Ad alterum ſequitur alterum:cur namque humiliantur,ac deijciuntur montes & colles, niſi vt valles foſſas repleant? alioquin ſuperuacue humiliantur. Dum autem vallis eſt nimis profunda, & mons nimium altus,expedit ſane,quòd humilietur, vt ſic aſpera reducantur in vias planas, omniaq. plane diſponantur. Iam ergo fratres,vt vno verbo præſens arcanum ſit vobis notum, quæro a vobis,quid aliud eſt incarnatio Verbi,quàm montis deitatis humiliatio,& vallis virgineæ repletio? humiliauit ſe altiſſimus Dei filius,vallem Virginis,ideſt vterum eius adimpleuit,& ſeipſo fęcundauit, ita vt humilis virgo iam montibus æquaretur, & mons Deus valle contentus ab ea comprehendi valeret,de quò beatus Iob miratus,ait: Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo. Felix mons iſte vtiliſſime humiliauit ſe, ac profundiſſime, quia cadens defluit. O quis te videret Fili Dei cadentem, ac genua flectentem coram matre tua,vt caſum purgares noſtrum! Defluebant equidem ab iſto monte Filio Dei, dum ſe in valle humiliabat,gratię immenſæ,quibus vallis implebatur,quoniam ipſe Pater Chriſti dixit ac iurauit: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloria gentium,quam lugetis. Pater æternus declinauit ſuper Mariam vallem optimam, filium ſuum ad pacē noſtram, quoniam olim mons dicebatur a nobis nimium ſeparatus,& a genere noſtro in vertice montium, nec tangi volebat ſub lapidationis pœna,maxime ſi beſtia ideſt peccator, eum tangeret nec vno verbo. Inter iuſtos autem vix repertus eſt,qui aſcenderet in montem domini, aut ſtaret in loco ſancto eius,perſonam verbi ſigillatim contemplans, quæ inacceſſibilis erat. Sed valle virginea iam apparente apud nos, mōs defluxit in eam,vt torrens pacis, gloria gentium inundans. Propter hoc ergo dixit Iob,mons cadens defluit, ſcilicet in vallem valde nemoroſam, & fertilem, vt nimium abundet in magnificentia,& gloria filiorum hominum. Sed videamus aliud verbum, ſcilicet ſaxum transfertur de loco ſuo. Repetens quidem priorem ſententiam,nouum adaperuit arcanum. Dum enim humiliatur mons in fauorem humilium,victoria ſperatur. Deſcendit ne mons iſte ad vallem noſtram,niſi vt adiuuaret nos? Deſcendit,niſi vt aſcenderemus?

Iob. 14.d *Iſa. 66.d* Filius Dei dicit᷑ mōs. *Pſ,23.a*

mus? abſit, quoniam ſi ſaxum ingens Filius Dei tranſlatus eſt de loco ſuo, de corde patris in vterum matris, hoc ideo fuit, quia eius indigebamus auxilio, quod quidem alius propheta expreſſit, dicens: Videbas ita donec abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, & in puluerem redegit. Lapis autem factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Varietas huius ſtatuæ varietatem callidioris ſerpentis deſignat, qui vario modo decipiendi, homines ſuppeditabat: nunc per aurum cupiditatis, quæ eſt caput malorum: nunc per argentum eloquentiæ pectus penetrantis, vt eſt videre apud hæreticos lutheranos, qui eloquentia capiunt, & capiuntur. Vnde pectus, & brachia ſtatuæ de argento perhibentur. Dominatur etiam ſtatua, ideſt dęmon, per luxuriam, quia venter & fœmora ex ære dicuntur, quod ignem luxuriæ patitur libenter. Dominatur quoque per tyrannidē, quia tibias ferreas habet. Et vltimo per hypocriſim: nam pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis. Omnia iſta Filius Dei percuſſit, dum in vallem virgineam ſe humiliauit: nam quæſo quid aliud inſinuauit matrem pauperem eligens, niſi quòd aurum haberet exoſum, illudq. haberet odio? nunc opere prædicat: beati pauperes ſpiritu, dum in virginem non ſolum regnum, ſed rex cælorum ſe humiliauit, vt veris diuitijs ditaremur, quoniam humilium eſt etiā rex cælorum. Dum autem Filius Dei ſimplicem virginem alloquitur per angelum, humanam eloquentiam reprobauit, quæ ore hominum conſtat, virgo autem elinguis tacet, & turbatur, vixq. poterit angelus extorquere reſponſum. Dum etiam ſic renitentem virginem Deus aggreditur per nuncium, & gaudet ac geſtit audire, quoniam virum non cognoſco, quid aliud fecit quàm deteſtari luxuriam? Dum autem puellam inermem Deus elegit in adiutricem, nonne tyrannidem execratus eſt? ac dum ſimplicem, & rudem iuuenculam docet arcana cęleſtia, nōne hypocriſim relegauit? Iſtis igitur tempore incarnationis peractis, lapis in valle factus eſt mons magnus ſtabilitus humilitate, & impleuit terram, ideſt beatam Virginem totam, quoniam, vt ait thema: *omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur*. Forſitan dicetis, quòd tantum de vno monte locuti ſumus ac de vna vallium, quòd non ſufficit, cum omnis mons, & collis humiliari debeant tempore aduentus, & omnes valles repleri. Gaudeo equidem, quòd vos adhuc ſecretiora cupiatis

Dan. 2. e

Statua Danielis eſt Iudicius.

Mat. 5. a

cupiatis audire, vt poſſitis maiora colligere ex paucis quæ diximus: nam æquiualenter iam expreſſimus omnia. Audite igitur, quia ſi Filius Dei eſt mons, pater etiam eſt mons: quia mons de monte, Filius de patre abſciſus, non vtique more noſtro quo ſeparantur humanæ res: quia propterea dicitur ſine manibus abſciſus: nulla eſt manus quæ ſeparare valeat filium ab eſſentia Patris, tamen perſonaliter Ioannes ſeparauit eum dicens: Et Verbum erat apud Deum. Iam ergo mons de monte Filius de Patre, & mons de montibus Spiritus ſanctus ex eis procedens. Hi montes adeo ſublimes ſunt, vt attenuentur oculi noſtri ſuſpicientes in eos. Vix in ſpiritu beatus Dauid procul intuebatur eos, dicens: Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Sed vt etiam vnitatem horum trium montium confiteretur, addidit: Auxilium meum a domino, qui fecit cælum & terrã. Hi ergo montes non poterant olim indagari, nec niſi viri ſublimes poterant eis accedere: idcirco pſalmographus ait: Montes excelſi ceruis, ideſt viris ſublimibus. Scitis ergo qui montes ſint ſuper cælos, nunc autem conſequenter intelligetis, quòd angeli ſunt colles in circuitu horum montium creati, quoniam Filius Dei dixit: Ante omnes colles ego parturiebar, ideſt ante omnium angelorum creationem a patre naſcebar, ac pater me producebat. Ex iſtis collibus aptiſſime contemplari poterimus montes illos diuinos, quoniam ſic faciebat ille, qui dixit: De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum, ſcilicet Filium Dei, qui ob nimiam horum collium propinquitatem ad montes, dicitur deſiderium collium æternorum quem expectabant Patriarchæ, quoniam Iacob dixit Ioſeph: Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius: donec veniret deſiderium collium æternorum. Benedictionibus Abraæ, & Iſaac patrum ſuorum confortabatur Iacob, vt longanimis eſſet in ſpe, donec Filius Dei veniret in carnem daturus rem benedictionum prædictarum, quoniam ad hoc mons ille humiliandus erat, vt ex cacumine etiam eius poſſint homines dona colligere. Sunt ergo montes diuinæ perſonæ, angeli colles, & vt prædixit Iſaias, & prædicauit Ioannes, omnis mons & collis tempore aduentus in carnem debuit humiliari. Quis credet hoc? Quis hoc audebit aſſerere? Numquid Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & omnes angeli adorabimus te ò Maria ſuper terram? Numquid regina

Diuinæ perſonæ ſunt montes.

Ioan. 1. a

Iſa. 38. c

Pſ. 120. a

Pſ. 103. c

Prou. 8. d

Num. 23. b

Gen. 49. d

Gen. 37. a

regina noſtra eris? numquid ſubijciemur ditioni tuæ? Certe ſi hoc fiet non ſolum vallis, ſed omnes conualles implebuntur,& replebitur omnis terra gloria domini,vt inhabitet gloria in terra noſtra,& curia cæli mutet ſtatum & locum, & vice verſa non e terris in cælos, ſed e cælis in terras deuoluentur negotia vniuerſorum. Quid ni? cur non ita fiet? Nonne Deus transfert regna,atque mutatio dexteræ excelſi, conſtituit innouare,& mutare mirabilia ſua? Nonne promiſit ſe ſacturum magnũ quid,& nouum ſuper terram? nonne de hoc mirabatur ille,qui dixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ? & quid mirandum fuiſſet hoc,niſi vocaretur Emanuel, ſcilicet nobiſcum Deus? Nam incarnato Filio, & Pater eius eſt nobiſcum,& Spiritus ſanctus. Nam, vt Apoſtoli verbis vtar: qui Filium Virgini,& carni noſtræ tradidit, quo modo nõ dabit nobis omnia cum illo etiã ſemetipſum? Ergo,teſte Ioanne,qui habet Filium habet & Patrem, quamuis non econtra:nam Iudæi gloriantur Patrem ſe habere Deum, nos autem gloriamur in Filio,propter quem eſt nobiſcum Deus Pater,& Spiritus ſanctus.Igitur fratres non ſolum colles mundi ſunt humiliter incuruati, ſed montes excelſi diuinarum perſonarum,quia ex quo Deus Pater decreuit cum Virgine Filium habere communem humiliauit ſe ille antiquus dierum,& vt ita loquar, factus eſt cum puero puer in oſcula ruens. De tertia perſona,nonne audiſtis Angelum dicentẽ: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te? ergo iure pſaltes: Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota eſt terra, Montes ſicut cera fluxerunt a facie domini. Fulgura Chriſti erant angeli verba, dum orbem Virginis alloqueretur, quæ vidit, & commota eſt, ſicut quando terra tremuit, tamen quieuit pacata per angelum dicentem: Ne timeas Maria. Tunc temporis montes diuinarum perſonarum fluxerunt eminenter in Virginem a facie domini, ideſt coram Filio incarnando per opus indiuiſum totius Trinitatis. Nam ſi cuilibet iuſto Trinitas dicit: ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: cur non idem conuenit Mariæ apud quam,& etiam in qua Deus habitare decreuit?vidiſtis montes humiliatos in vallem virgineam,de collibus non eſt modo ſic diſcernendum: quia puero nato, fiet cum angelo multitudo celeſtis exercitus. Et etiam de vtriſque ſcilicet montibus, & collibus, quo ad incarnationis tempus dicitur in Pſalmo: Montes exultauerunt vt arietes:& colles ſicut agni ouium.

Pſal.84.b *Pſa. 76.b* *Iere.31.d* *Iſa. 7. c* *Rom.8.f* *Sap.2. e* *Luc. 1.e* *Pſal.96.c* *Luc.1.d* *Ioã. 14.e* *Luc. 2.b* *Pſa. 113. a*

ouium. Mōtes terribiles, ſcilicet diuinę perſonę, iá vt arietes lætantur in valle Mariæ, & colles ſcilicet Angeli ſunt agni:
Pſ. 113. a tamen adhuc pauida virgo miratur, cui dicitur: Quid eſt tibi mare quòd fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Fugiebat virgo cum diceret, quo modo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? & tunc retrorſum, ideſt ad votum firmatum reuerſa eſt. Mare iam vocatur, quia vallis noſtra Maria tunc temporis gratia plena erat, tam redundās, vt mare vocari mereretur, immo & altior: vnde propterea dicta eſt Iordanis, cuius aquæ inſtar montis retrocedentes increſcunt, arca domini iam ei appropinquante, vt in ſalutatione vidiſti. Forte dicetis fratres, vidimus mirabilia hodie, ſcilicet montes diuinos, & colles angelicos in vallem humiliatos, vt repleretur. Quid opus erat, vt totus rerum ordo euerteretur, & paruo ac infimo loco tanta maieſtas eſſet re-
Iudith. 14. d cluſa? Numquid vna mulier hebræa debuit facere confuſionem hanc in domo Dei? numquid antea non erat cælum cæli domino: terra vero filijs hominum? nunc autem econuer-
Pſ. 113. d ſo venter feminæ, & vallis infirma domino, cęlum autem cęli eſt filijs hominum. Antea ſpiritus angelici aſſiſtebāt Deo ſuo immediate, nunc autem feminę aſſiſtunt, de quo mira-
Cant. 3. c tur etiam Salomon, dicens de pluſquā Salomone: En lectulū Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael. Hebes intellectus mens eſt, vt vobis huius euerſionis rationem valeat enodare. Sit pro ratione voluntas totius Trini-
Baruc. 5. e tatis, de qua ſic ait Baruch: Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terrę: vt ambulet Iſrael diligenter in honorem Dei. Obumbrauerunt autem, & ſiluæ, & omne lignum ſuauitatis Iſraeli mandato Dei. Hæc ille: innuens quo modo Deus ab æterno conſtituit humiliare montes diuinos. Deus Trinitas eadem voluntate conſtituit, vt pater humiliaretur amplexans infantem Ieſum, cumq. ad ſuam dexteram ſtatuens. Et Mariæ matri eius humiliaretur, quia iam eam dignatus eſt in conſortem aſſumere vnici ſui. Et quòd filius realiter humiliaretur in carne etiam hominibus peccatoribus. Et quòd Spiritus ſanctus humilia diligeret, ac foueret, angeliq. forent humilium pedagogi, vnde pro-
Baruc. 5. e pterea dictum eſt: Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & valles replere in æqualitatem terræ. Æquitas hæc eſt in Chriſto vbi terra

humani-

humanitatis æquatur cælo deitatis, vt ambulet Iſrael, ideſt populus chriſtianus diligenter in honorem Dei. Interpretatur enim videns Deum, ſcilicet incarnatum, quem nos per fidem videmus: at præcipue Maria, quia in ſe ac de ſe vidit eum carnem ſumere, de qua ſubiunxit: Obumbrauerunt autem ſiluæ, ideſt dona Spiritus ſancti, & omne lignum ſuauitatis, ideſt fructus ſpiritus, ſcilicet pax & gaudium &c. Hæc omnia Mariæ obumbrarunt ſpeciali mandato Dei, ideſt perfectius, altius, & ſubtilius, ac diuinius quàm vllæ creaturæ. Hanc ergo vallem tam ſuauiſſima obumbratione repletam, quomodo contẽplamini fratres mei? Si amenitate ſua Deus afficitur, qualem eam creditis? Nec ſolum eſt vallis, ſed valles: anima enim eius vallis fuit, & caro eius etiam, de quibus grandis poſſet fieri adhuc ſermo. Sed breuiter contemplari licebit, quòd in conuallibus ſolent eſſe, & terra pinguior, & aqua abundantior, & aer tranquillior, & ignis mitior: propter primum Maria in ſcriptura dicitur vallis pinguedinis: propter ſecundum vallis benedictionis: propter tertium vallis mambrę: propter quartum vallis viſionis. Eminebat ſiquidem vita eius principaliter in quattuor, in feruore dilectionis, in dulcedine deuotionis, in tranquillitate mentis, & in operibus pietatis. Iam non erit nobis facultas, vt vallem hanc laudemus ad plenum, ſed raptim dicamus ei: O Maria, quia tu es vallis poſtulata gemitibus.

Axa, ideſt Eccleſia, quia eſt in te irriguum ſuperius, ideſt deitatis, & inferius, ideſt humanitatis.

Benedictionis vallis tu es, qua rex Ioſaphath, & populus benedixerunt Domino, quoniam angelus, & omnes generationes te beatam dicunt. *2.par.20. f*

Combuſtionis, qua rex Helchiæ combuſſit vaſa Baal, & redegit in puluerem: quia igne amoris motus, mali combuſti ſunt in te. *4.Reg. 23. b*

Domino nimis grata, quia in ea apparuit nobis dominus, ſicut apparuit Abraæ in conualle mambræ. *Gen.18.a*

Exaltationis, quoniam figuratur in valle ſalinarum, vbi Dauid fecit ſibi nomen grande, capta Syria. *2.Reg. 8. d*

Fontibus plena, quia Deus emittit fontes in conuallibus eius. *Pſ. 103.b*

Gregio, ideoq. figurata in valle paſtorum, qua omnibus gregibus paſcua inuenerunt. *1.Par.4.g*

Habitationis omnium, quoniam Deus ait: conuallem taber- *Pſ.107. b*

tabernaculorum dimetiar.

Iudit.13. Iudith, de qua dicitur: Gyrantes vallem venerunt ad portam ciuitatis: quia per Mariam itur ad portam cæli.

Pſa. 83.b Lacrymarum, qua ipſe Filius Dei Aſcéſiones in corde ſuo diſpoſuit, vt ſe in Maria humiliando aſcenderet.

2. Reg. 18. d Memoriæ: quoniam cum adhuc viueret Abſalon, erexit ſibi titulum in valle regis. O & ſi nos funiculum hereditatis haberemus in hac valle.

Num.24. a Nemoroſa, cui comparat Balaam caſtra Iſrael, quia Maria ſanctos protegit in hoc mundo.

Deut.21. a Oblationis, ad quam vacca immolanda iubetur deferri, quia in te oblatus eſt Chriſtus.

Cant.6.d Pomis virtutum plena, de qua ſponſus ait: Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium.

Cant.2.a Qua floret Filius Dei, qui ait: Ego flos campi, & lilium conuallium.

Gen.12.b Refugij fugitiuorum: vnde Abraam egreſſus a terra ſua, non quieuit niſi in conuallem illuſtrem.

Gen.14.b Silueſtris puteis miſteriorum plena.

Oſee.2.c Tutamen ſuis conferens, quoniam Deus ait: Dabo eis vallem Achor ad aperiendam ſpem.

Ioſue 8.c Victoriæ, figurata in valle vbi Ioſue contra ciuitatem poſuit inſidias, id eſt Chriſto contra mundum.

Pſa. 64.c Xp̃i, quoniam valles, ſcilicet Mariæ abundabunt frumento, id eſt Chriſto.

2. Macb. 1.d Ygnis et zeli: quoniam ſicut ſacerdotes in valle abſconderunt ignem, ſic Trinitas amorem in Maria.

SECVNDA PARS.

NVNC aduẽtum in animam peccatoris proponamus, pro quo quærendũ eſſet a beato Luca, cur hos principes prauos deſcripſit, ſcilicet anno decimo quinto Imperij Tyberij Cæſaris, &c. in Chriſti manifeſtatione, cũ nec vnus iſtorũ Chriſtum cognouerit, nec Ioanné vellet audire? Ad hoc dici poſſet, quòd Euangeliſtæ non ſolum ſcribunt, quæ facta ſunt, ſed quæ facienda: nam tempore malo peccatorum noſtrorum Chriſtus venire in cor non dedignatur, etiã ſub Imperio Tyberij Cæſaris, ideſt exeunte in opus prauum cupiditate: nam Cæſar dicitur a Cæſo matris vtero. Cæſar ergo eſt quilibet actus peccati mortalis, quo malorũ vterus aperitur,

Cæſar qd.

aperitur, vt pariat iniquitatem. Cupiditas ergo ideo dicitur a Paulo radix omnium malorum, quia dum datur locus, ad omnia mala extenditur. Vnde propterea ſub imperio Cæſaris annumerantur plures principes, quia plura peccata ſolet agere aperta concupiſcentia, ac diuidere ſingulis curas ſuas prout vult, vt imperatrix. Deus autem videns ſub actũ animæ noſtræ regnum, deſtinare non ceſſat verbum ſuum ad animam peccatricem, vnde propterea ſequitur in Euangelio: *Factum eſt verbum domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto*. In aduentu Dei ad animam duo conſideranda veniunt, ſcilicet inſpiratio diuina, & obuiatio qua ei occurrimus. Prior eſt verbum Dei, poſterior eſt Ioannes, quia ſi Deo interius vocanti aſſentimus, hoc non peruenit a gratia Dei, qua orta, ſtatim vt Zacharias aperire volumus os noſtrum in confeſſione, vt nos deſertum fateamur, ideſt meritos deſeri a Deo, qui nimium miſericorditer facit verbũ ſuum ſuper nos, quando merito incarnati Verbi vocat nos, qui ſumus filij deſertores. Super te igitur, o peccator fit verbum Dei, quãdo corde compuncto cogitas, quæ fecerit propter te Filius Dei. Et ſatagis, vt fiat in te meritum ſuum, & aptetur tibi meritum incarnati Verbi. Tunc ergo quodammodo nouiter incarnatur in te, quando æmularis quæ geſſit in carne ſua: vt autem hoc facias in Euangelio ſequitur: *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum ſuorum*. ſi. eſt in l. ſ. 1. p. Iordanis interpretatur fluuius iudicij, regio huius eſt peccatorum diſcuſſio, qua ſeparamus pretioſum a vili, ſicut Iordanis qui diuiſit aquam ſuam. Si ergo properandum eſt ad baptiſmum pœnitentiæ. Duplex eſt ergo baptiſma, alterum dicitur ſpiritus gratiæ, quo primitus baptizantur ſemel Chriſtiani: etenim quia hoc iterari non poteſt, inſtituit Deus baptiſmum pœnitentiæ, quo anima lacrymis balneatur. Hoc ſcribitur in libro ſermonum Iſaiæ, quia vt plurimũ in ſermonibus concipimus pęnitentiam, quæ quoniam a confeſſione peccatorum captat initium, ſequitur: *Vox clamantis in deſerto*. Clamat inſpiratio in deſerto, cum te clamare facit, & fateri omnia quibus deſeruiſti Deum tuum, ipſeq. deſeruit te, ac receſſit. Vt autem veniat ſequitur in Euangelio: *Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius*. Imparata eſt via quando nemo ambulat eam: nunc autem viæ Sion lugent, eo quòd non eſt qui veniat ad ſolennitatem.

1. Tim. 6. b

Aduentus in animã duplex.

Iſa. 30. a

Baptiſma duplex.

Deſertum eſt peccatur.

Tren. 1. b

Io.14.d O domine Ieſu, iam ceſſat promiſſio, quia dixiſti: vado & venio ad vos, quia tot reiecimus te, quia tot noluimus te re-
Tren.1.a cipere, quia non venimus ad te: vnde viæ Sion lugent, eo quòd non eſt qui veniat ad ſolemnitatem: idcirco fratres parate vias domini, rectas facite ſemitas eius. Viæ Dei ſunt
Mat.19.b mandata eius: quia ſi vis ad vitam intrare ſerua mandata. Semitæ ſunt conſilia ſtrictioria. Via etiam domini eſt amor ſanctus, quo in Deum tendimus, & ſemitæ ſunt ſtudia eius, & negotia quæ hucuſque tortuoſa fuere. Nã cum peccatum ſit priuatio rectitudinis debitæ in eſſe, quidquid circa peccatum verſatur, eſt tortuoſum, & a rationis rectitudine deuiat

Via Dei eſt amor.

Gen.17.a ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram, cum Deus dicat: ambula coram me, & eſto perfectus, quaſi dicat, quód tota perfectio ſtat in rectitudine ad ſe, qua ſemper ambulare debet viator ne deuiet. Si autem ſcire cupis huius rectitudinis præmiũ, audi quod ſequitur: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*. Valles ſunt inferiora, ſiue imperfectiones noſtræ; valles ſunt fragilitates humanæ, valles ſunt damna, quę peccata nobis intulerunt, valles ſunt pronitates, & habitus mali, quos per peccata contraximus: hæc omnia debent impleri, vt rectitudo, & planities addatur vitæ noſtræ, ne ad inferos deſcendamus. Sed quo modo poterimus implere foſſas vitiorum noſtrorum? quo modo poterimus tot imperfectiones ad perfectum deducere? ne deffidas, quia omnis mons, & collis humiliabitur tibi ad hoc: nam ſi tu in rectitudine bonitatis perduras, omnis virtus Sanctorũ præcedentium, quæ tibi præ difficultate aſcenſus videbatur mons, humiliabitur, ita vt eius cacumina, & gradum heroicum, ſi velis, tangere valeas. Colles ſunt exempla bona virorum viuentium, quæ ad meliora properãtibus humiliantur, dum experiuntur non eſſe tam difficilia quantum putabant. Poterimus namque aſcendere ad eorum bonam vitam, &

Virtus videtur facilis aſſuetis.

Pſ.93.d experire, quòd peccator eſt, qui fingit laborem in præcepto: nam vt ſequitur, perſeuerantibus erunt praua in directa: & aſpera in vias planas. Praua ſunt, quæ iam diximus, tortuo-
Habetur ſa ſtudia peccatoris, qui vt, ait Salomon, ambulat in prauita-
Iere.23.d te cordis ſui. Dum ſtudia noſtra in directum erigimus rectificantes ea, ſequetur ſane, quòd aſpera conſcientiæ noſtræ, ſcilicet remorſus & latratus, & vermis qui nunquam, dum mali ſumus, extinguitur, adepta rectitudine fiant omnia plana. Ille qui ambulat in plano lætatur, & ad illam partem libentius

libentius vadit, qua eum ventus iuuat. Vita iuſti plana eſt: quia pax multa diligentibus legem tuam Deus, & non eſt illis ſcandalum: ventus autem eſt voluntas Dei, qui flat in bonos viatores, de quibus dicitur: Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur &c. felix qui ſemper exploratam habet voluntatem Dei, & bonitatem operationum ſuarum. Praua ergo eſt ſuperbia, quæ in directum reducitur per humilitaté, praua eſt luxuria, quæ indirectũ reducitur per caſtitaté &c. aſpera eſt ira, quę ad planum reducitur per manſuetudinem. Felix qui ſic reformat omnes mores ſuos, quoniam in eo completus erit aduentus Domini, de cuius conſummatione concludit Euangelium: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Ieſus eſt ſalutare Dei, qui ad hoc incarnatus eſt, vt puritas carnis eius luceret in carne noſtra, vt vera imitatione caro noſtra & frater noſter ſit. Sed omnis caro, ideſt totus homo debet videre ſalutare Dei in ſe, vt iudicetur eſſe membrum Chriſti, & non membrum meretricis. Sunt aliqui parum gerentes in corpere ſuo ſalutare Dei, partim vero infirmum peccati. Dum ſubtrahis pedem a domo mala, pulchri & ſani ſunt pedes tui, ſi autem lingua dolos concinnat, non videbitur in omni carne tua ſalutare Dei. Si manus a rapina ſeruas, & fœmora mulieribus inclinas, non eſt in omni carne tua ſalutare Dei. Si genua orationibus teris & linguam, guttur autem deſeruiat ebrietati, non eſt in omni carne tua ſalutare Dei, qui totum hominem ſanare cupit, ſicut totum aſſumpſit: hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi, & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Pſ.118. *Ezec. 1.* *Gen.37.* *1.Cor.6.*

SERMO IN NATIVITATE DOMINI,

De gaudio, quod Angelus nobis Euangelizat, & Angelis Maria.

THEMA.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator.
Lucæ. 2.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN aliquibus ciuitatibus fieri aſſolet, vt primo primus deferens recentes fructus venales, liber ſit per totum annum ab omni cenſu ne ſoluat æs alienum, quod ceteri perſoluere ſolent ex venditione. Puerpera quælibet dum affert huic mundo pignora ſua, & fructus ventris, ærumnas ſoluit, & in dolore parit filios ſuos. Hæc eſt lex Adam fratres chariſſimi, ſed Maria exempta eſt ex eo, quòd nouum fructum prima nobis attulit e cęlo, ex horto diuino inſertum attulit pomũ, quod dulcius eſſe ſolet, manu regia conſito. Sed forte dicere vultis, nonne puer iſte eſt fructus ventris Mariæ, quæ etſi pulcherrima feminarum, mulier tamen eſt? ad quod angelus reſpondet: Quod in ea natũ eſt de Spiritu ſancto eſt: fructus ſpiritus eſt hic, qui operatus eſt illum in medio terræ, non ab homine hunc fructum accepit Maria, gaudium matris habens cum virginitate pudoris. Prima femina ab Adam fructum natiuitatis, & prolem accepit, quem ſapiunt ceteri ſoboles, & fructus feminarum præter fructum Mariæ cęlicum. Portant ad nos cunctæ mulieres imaginem terreni hominis primi, & acetoſi, & acerbi: ſed Maria portat imaginem cęleſtis, cęleſti gratia cõceptum a ſuperueniente Spiritu ſancto: ideo mater noſtra Maria quæ ſuper omnes libera eſt in partu ab

Gen. 3. c

Habetur in 2. antiph. ad laud. in natiuit. Domini.

ab omni ignominia,& labore, atque ceteris, quæ patiente ſoluere lege tenentur Adæ ſeu Euæ. Parum eſt quod Maria libera ſit a pęna peccati, parum gaudium eſt hoc tantæ dominæ, quamuis hactenus terris inuiſum, & quoniam multis alijs donarijs onuſta eſt & ditataq;, ideo ait Cyprianus: Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari quod ſponte prodibat. Nihil in hac repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pęnarum vſuram: Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt, ideoq. innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniurijs: quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicabat non culpa. Eratq. ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat ſimul mater, & Virgo ſingulis titulis inſignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extra Chriſti præſentia fruebatur. Hæc ille. Et quoniam hæc ita ſe habent, congrue poteſt thema dici Mariæ, quæ ſatis magnum habet gaudium, libera quippe eſt ab ærumnis ob ſingularem gratiam ſuperadditã: vnde tempore tanti gaudij opportune gratiam impetrantes præſenti ſermoni, offeramus ei. Aue Maria.

Ciprian. de natiu. Chriſti tom. 3.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

EX multis nuncio etiam tacente, vel nondum appropinquante coniectamus bonitatem eorum quæ nunciat, & gaudium. Primo ex perſona ſeu dignitate venientis, quæ ſępe a longe cognoſcitur. Secundo ex celeritate eius currentis. Tertio ex hora veniendi: quoniam non dormitat, neque dormit bonus nuncius, ſciens ſe alacriter recipiendũ, quacumque venerit hora: quia bonus nuncius noctem vertit in diem. Nunc in præſentiarum hæc omnia, multaq. id genus inuenire eſt: quia nuncius Gabriel ipſe eſt ſecundum Cyprianum, qui ſeipſum magnificans, ait: Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, immo factus eſt cum eo multitudo cęleſtis exercitus, vt legatum magnum, ac magnificatũ oſtenderet. Quo ad ſecundum non currit, ſed volat, immo citius venit quàm ſi omnis agilitas volandi in vna cõueniret aquila: quia ideo dicitur cum venit Angelus ad paſtores, quòd

Bonus nũcius in quibus cognoſcatur.

Luc. 1. b

Digitized by Google

claritas Dei circumfulſit eos, nihil enim celerius claritate: nam lumen lucernæ poſitæ magnum tractum in momento percurrit. De tertio autem, ſcilicet hora qua venit, media nox fuit, qua expectatus ſponſus venire non ambigit, & eadē
Cant. 1. b hora verſa eſt in meridiem: de quo aiebat vetus populus: Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: cui equidem ſe-
Diuiſio. riem referens Gabriel, ait: *Euangelizo vobis, &c.* Duæ ſermoni erunt partes: in prima ego diſſeram vobis hoc magnū gaudium: In ſecunda illud Maria puerpera angelis denunciabit, angelorum euangeliſta.

PRIMA PARS.

Prou. 2. c NOtum eſt, quòd gaudium hoc, de quo agendum eſt,
Iob. 21. b non tangit eos qui gaudent cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis: qui gaudentes ad ſonitum organi, ducunt in bonis fortunæ dies ſuos, & in puncto ad infernum
Iob. 20. a deſcenderunt: gaudiū enim hypocritæ ad inſtar puncti. Gaudium nobis euangelizandum eſt, & euangelizari non poteſt niſi bonum ſit, quia vi vocabuli inſinuatur bonitas nunciati:
Iſa. 40. b vnde in Iſaia dicitur: Super montem excelſum aſcende, tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem. Ex altitudine loci & vocis, celſitudinem gaudij conſpice. Vnde notum eſt, quòd angelus non loquebatur paſtoribus de gaudio illo formali, quo quilibet eorum motus eſt, nec illudmet fuit omni populo, nec potuit eſſe, quando quidem vnuſquiſque propria mouetur paſſione. Gaudium ergo euangelicum, immo & cælicum Chriſtus eſt, qui non eſt paſſio quamuis patiatur, ſed magnum gaudium, de quo quidem figuraliter dicitur: Riſum fecit
Gen. 21. a mihi Deus: quicumque audierit corridebit mihi. Hæc Sara ſterilis, quæ eſt Eccleſia de nato ſuo. Dicat ergo Eccleſia nobis: *Euangelizo vobis gaudiū magnū, quod erit omni populo,* quia riſum fecit mihi Deus, quando Verbum caro factum eſt. Et quicumque audierit fideliter, corridebit mihi. Verba angeli declaratio ſunt figuræ, vbi riſus vocatur ipſe Iſaac qui tenet Chriſti typum, quoniam interpretatur, riſus: & Chriſtus natus gaudium noſtrum, & corona noſtra eſt, de quo di-
Prou. 14. b citur: Riſus dolore miſcebitur: maxime dum infantilibus neceſſitatibus ſubiacet. Quo amplius dolore plenum eſt gaudium noſtrum Chriſtus, eo amplior lætitia nobis accreſcit.

Patres

Patres antiqui erant ſpe gaudentes,ſed nos veritate,quia riſum fecit nobis Deus,vt gaudeamus: qui tantum dilecti ſumus,vt ipſe Filius Dei,riſus Dei qui ex ore eius æternæ letitiæ verbum procedit,ad nos vſque deueniat. Iam ergo iſte propter nos factus homo caſum noſtrum deflet, vt nos ab æternis fletibus eruat. Gaudium hoc pluſquam gaudium eſt,nam ſi deſiderantibus ſe dedit patribus lętitiam,qui erãt ſpe gaudentes,quanto plus nobis quibus ipſe, qui loquebatur, adeſt?Si Ioannes dicitur pluſquam propheta ex eo,quòd præſentem oſtendit, quem futurum ceteri prędixerunt,congruum eſt,quòd gaudium hoc pluſquam gaudium dicatur: quoniam riſus Dei fit & natus eſt nobis, immo & omni populo,quia omnis qui audierit,corridebit tamdẽ, ſi auditu fidei acquieſcit. Quoties Ieſum nominas, ſi ei moribus non contradicis,corrides Eccleſiæ,& ſis patris amicus: quia nemo poteſt dicere domine Ieſu, vt ait Paulus; niſi in Spiritu *1.Cor.12.* ſancto. Et niſi hoc interueniente gaudio Deus non erit tibi *a* gaudens,iuxta id Iob:Non porriget manum ſuam malignis, *Iob.8.d* donec impleatur riſu os tuum,& labia tua iubilo.Hæc idem innuit angelus in themate,dum Saluatorem nobis natum Nemo ſit euangelizat:quamuis ergo o peccator malignus ſis, tibi dex amicus niſi per Chriſtum tram amicititiæ porriget Deus,ſi os tuum in confeſſione Ieſu naſcentis impleatur. Non dimidies os, puerum eum in confeſſione fidei vocando: ſed imple illud, vtramque naturam confitendo: quia riſus eſt matris, & patris Dei:ex parte qua eſt homo pro nobis hominibus dolet,quia riſus Dei pro te dolore mixtus eſt,& penuria diuerſorij,cui etiam iumenta compatiuntur. Tamen altius contemplare,quia tibi dici- *Mat. 25.* tur: Euge ſerue bone,veni vt in tres in gaudium domini tui *b* patris æterni: & paſcua inuenies: gaudium Patris eſt filius *Ioã. 10.b* ſapięns: qui quamuis paruulus,iam ſcit reprobare malum, *Pro.10.a* & eligere bonum. Ipſi enim patri naſcitur,qui dicere poteſt *Iſa. 7.c* id Iſaiæ:Paruulus natus eſt nobis,filius datus eſt nobis,ideſt *Iſa. 9.b* ad gloriam noſtram. Hoc dixit Deus de filio ſuo, qui vt ait Paulus,natus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Ec- *Rom.1.a* ce igitur quàm magnum eſt gaudium euãgelicum, ad quod per angelos vocamur,vt gaudeamus & nos.Eternum gaudij obiectum nobis proponitur hodie,vt in perpetuum lętemur: tantum quippe durat gaudium, quantum res in qua fundatur. Gaudes de pulchritudine, cito erit, immo ad ianuam corporis adeſt infirmitas,& tunc peribit lætitia tua. Læteris in

Eccli. 10. b in ſuperbia: ſed quia omnis potentatus vita breuis:ideo gau dium tuum vapor erit ad modicum parens. Exultas cum ar-
Iac.4.d gentum theſaurizas, ſed pauperies veniet tibi quaſi vir arma tus,& tunc deficiet trepudium auaritiæ. Felix anima quæ ſicut columba in rebus caducis pedem affectionis non figit: ſed in euangelico gaudio Saluatore ſuo, de quo gaudendum eſt:primo,quia in ipſo natus eſt heres in regno Eccleſiæ, quē
Michea. 1.d. promiſerat Deus per prophetam dicentem: Adhuc heredē adducam tibi,quæ habitas in mareſa: vſque ad odollam veniet gloria Iſrael. Pater fidei noſtræ Abraam hunc efflagi-
Gen.15.a tabat heredem in orationibus ſuis,vt patet in Geneſi: & nūc heres adducitur non vernaculus,nec filius procuratoris, ſed filius Dei,qui datur hodie Eccleſiæ habitanti mareſa, quod interpretatur amaritudo mulieris,& nulla maior eſſe aſſolet
Gen.30.a quàm non habere filios, quia ideo aiebat Rachel: Da mihi liberos alioquin moriar. Lætare ſterilis, ecce naſcitur tibi
Hebr.1.a primogenitus inter fratres,vnigenitus filius Dei,quem conſtituit heredem vniuerſorum,per quem fecit & ſęcula.Huic
Eccli.24. b dicitur: In Iſrael hereditare,& ideo gloria Iſrael venit vſque ad odollam quæ interprætatur teſtimonium, ſiue ornamentum illis. Quibus illis? Dictum eſt etiam heredi.In electis meis mitte radices: his ornamentum eſt,& teſtimoniū amoris,quia hoc eſt nobis ſignum tantæ dilectionis, quòd infans

Ob quattuor gaudet Eccleſia nato domino.

pannis inuolutus reclinatur in præſepio.Lætemur ergo quia natus eſt prior in domo conferendis: maior in imperio acquirendo. Secundo plebs lętari ſolet quando adeſt dux,qui deuicto hoſte aufert opprobrium populi, vt patet in Dauid
1.Reg. 18.b de quo lętantes canebant in choro: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Maius populi opprobrium eſt,vt ei dominetur extera natio & aliena,cuius ignorat ritus & linguā. Hactenus poteſtas tenebrarum dominabatur, & regnabat
Io.12.e per peccatum: Sed nunc iudicium eſt mundi:nunc princeps mundi huius eijcietur foras,quia ego, inquit infans, loquor
Iſa.63.a iuſtitiam,& propugnator ſum ad ſaluandum. Lætemur igitur,quia natus eſt,qui aufert opprobrium ex Iſrael,iuxta id:
Iſai.25.c Auferet dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui aufert de vniuerſa terra,quia dominus locu tus eſt, & dicent in die illa:Ecce Deus noſter iſte,expectabimus eum,& ſaluabit nos.Iſte dominus,ſuſtinuimus eum, & exultabimus,& lætabimur in ſalutari eius. Hæc euangelicus propheta. Tertio de aduentu regis etiam lætandum eſt,

maxime ſi venit præmiare fideles,peccatores autem punire,
vt ſaluator iſte,de quo ſcriptum eſt: Exulta ſatis filia Sion: *Zach.9.b*
iubila filia Ieruſalem: ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator. Iuſtus ad prauos refertur homines, contra quos loquitur iuſtitiam: Saluator ad pios. Filia Sion Eccleſia eſt:filia vero Ieruſalem eſt anima iuſti.Iam ergo puerum timeant mali,quia etſi puer,tamen rectus eſt iudex,figuratus in puero Daniele, de quo dicitur. Suſcitauit dominus ſpiritum *Dan.13.e*
ſanctum pueri iunioris contra ſenes adulteros. Boni autem & deuoti ſaluationem expectent oportunam, & piam: quia etiam puer iſte ſignatur in Salomone puero & pacifico rege qui ait: Ego ſum puer paruulus. Paruulis paruulus eſt Ie- *3. Reg. 3. b*
ſus. Quarto alacres ſumus quando generaliter aliquod bonum confertur: vt patet de pluuia, ſi omni ſit neceſſaria loco. Nunc etſi nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendit de mari diuinitatis, non deſcendit ſicut pluuia in vellus ſolum, ſed ſtillat ſuper totam terram: ideo dixit angelus, quòd gaudium hoc erit omni populo.Peccatores etiam gaudeãt,quia eis appropinquat venia,quæ longe a peccatoribus erat. De Ioanne recenter nunciato dicitur, quòd multi in natiuitate eius gaudebunt, & ecce pluſquam Ioannes hic, ideo diffuſius gaudium erit,quoniam dicit dominus natus:
Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam pecca- *Iſa. 44.d*
ta tua: reuertere ad me,quoniam redemi te. Laudate cæli, quoniam miſericordiam fecit dominus: iubilate extrema terræ:reſonate montes laudationem, ſaltus & omne lignum eius:quoniam redemit dominus Iacob,& Iſrael gloriabitur. Hęc dicit dominus redemptor tuus,& formator tuus ex vtero. Nec ſolum dicitur magnũ præſens gaudium ex eo,quòd ima ſummaq. complectitur vſque ad lignum aridum diuerſorii, vbi cælum & terra conueniunt in puero, ſed quia ex eo nato nobis multa adeſt exultationis materia.Quilibet huius indagator, non paruo gaudio aut ſuperficialiter exultauit:vnde attende primo,quòd eſt gaudium rationis,& gaudium affectionis: quodlibet per ſe videtur exiguum niſi ab altero fulciatur, ideoq. monet apoſtolus, dicens: Gaudete
in domino ſemper: iterum dico gaudete. Et Ieſus in Euan- *Phil.4.a*
gelio vult,quód gaudium noſtrum impleatur. Semiplenum eſt gaudium rationis ſi ad affectionem non peruenit: & quia Ieſus eſt Deus & homo,bene oportet quód in eo noſter homo interior,& exterior gaudeat, vt eius totus homo afficiatur

tur lætitia. Sic gaudium ſancti patres experti ſunt, quibus multis retro diebus natale hoc intimatum eſt. Dominus enim ait: Abraam exultauit, vt videret diem meum. Nec ſolum hoc, quoniam vidit & gauiſus eſt. Vbi duplicatur exultatio cum dicitur: quòd etiam gauiſus eſt. Quemadmodum poſt multa tempora Paulę viduę natale Chriſti monſtratū eſt in ſpecie: ſic effectum eſt, quod Abraæ, cui primo Chriſtus eſt promiſſus, dies & modus naſcendi oſtenderetur. Eodem itidem gaudio magno, & pleno fruebatur ille, qui ait: Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus. Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. De ouili ſinagogæ mentionem facit, quia pecus, ideſt populus ab ea ad ouile Eccleſiæ ducendus erat, ideo enim paſtores ad bonum paſtorem, & verum moniti per angelos veniunt, quem poſitum in prçſepio adorant, hominum pabulum. Gaudet igitur, & exultat propheta in Deo Ieſu ſuo, quia ratione & affectione fruebatur: ideo iam homine facto, & ſalutari ſuo, quia Ieſus interpretatur ſalus. Propheta iſte multum in prædictis verbis Mariæ confertur, quæ hoc duplici gaudio gaudens de puero in ſuo ventre nato, ait: Magnificat anima mea dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Anima & ſpiritus Marię gaudebant in Ieſu, quem nobis ſalutem fecerat. Immo & Ioannes dum exultaſſe in gaudio dicitur: hac duplici lętitia decoratur, videns Ieſum oculis mentis, in præſepio vteri virginalis. Si de bono nondum plene exhibito tantum Ioannes exultauit intempeſtiue: cur ipſo expoſito iam in publico non flemus prę gaudio? Si magi de Stella quæ ſolum ducebat ad puerum gauiſi ſunt gaudio magno valde: qualiter nos de ipſo puero inuento non lętamur, & plaudemus manibus? Dauid duplici gaudio ſaltat coram arca domini, quæ dominum minime continebat: & nos coram præſepio throno deifico nō deficiemus præ gaudio? Sit ergo gaudium magnum omni populo noſtro, ſcilicet minori, omnibus videlicet animæ potentijs, & cunctis corporis ſenſibus, ac membris eius, vt dicere valeamus: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Conuocemus angelos, adhęreamus paſtoribus, inter paſtorem, & angelum poſiti, præſtemus manum vtrique, vt mixtim exultemus, quia iſte puer ex vtriſque faciet vnum ouile, & ipſemet erit vnus paſtor.

Ioan. 8. g · *Abac. 3. d* · *Luc. 1. e* · *Matt. 2. b* · *2. Reg. 6. e* · *Pſa. 83. a* · *Ioan. 10. e*

SECVNDA PARS.

EX fide ſcimus agmen angelicum ad Virginis partum aduenilſe, nos tamen latet quis ad eos munitor extiterit: quis eos accerſerit aut vocitauerit; Ipſe arbitror quòd cæli principibus innotuit per matrem Dei Mariam, hoc celebre negotium, ipſa eorum fuit doctrix; nam ex conceptione Chriſti, peculiare fuit ſibi quidquid ad hoc pertinet: dum ergo naſcendi horam experta eſt, affectibus & cogitationibus conuerſatur in cęlo, angeliciſq. ſpiritibus ait: *Euangelizo &c.* Euangelium Chriſti gerebat in vtero a quo immediate edocta erat, & ideo Maria omnium eſt angelorũ hierarcha, & erga eos eſt ſecundum nomen ſuum: nam interpretatur illuminatrix etiam mirabiliter in montibus æternis: & ideo figurata eſt in Delbora, quæ ſedens ſub palma in monte Effraim docebat populum, prophetiſſa enim erat: ad quam aſcendebant filij Iſrael in omni iudicio. Hæc mater ab omnibus vocata eſt in Iſrael, quæ filios ac ſubiectos angelos illuminans, ait: *Euangelizo &c.* In his negotijs eo doctior angelis eſt Maria, quo differentius præ illis nomen hereditauit: cui enim angelorum dicitur mater mea es tu? Magdalena nunciat Apoſtolis reſurrectionem: Maria angelis natale, vt gaudio magno fruãtur. Vbi nota quòd ex quattuor paſſionibus cordis, ſolum gaudium quod eſt optima paſſio, permanebit in cælo beatis, quia eſt de bono præſenti, & coram ſe poſito Deo. Si in angelis non ſit hæc paſſio, habent tamen illum fructum ſpiritus quod ab Apoſtolo vocatur gaudium. Hoc pignus & fructus ſpiritus ab amore procedit: quia de amato & maxime viſo gaudere ſolemus: tantũ gaudent angeli de puero quantum eum diligunt. Viſum eſt ergo Mariæ, quòd totus non ſufficeret mundus ad congratulandum Deo nouiter nato: & ideo thema ingerit angelis. Sed forte ſciſcitaris quo modo quadret angelis hoc: quia natus eſt vobis Saluator: nobis enim datus eſt etiam formatus ex electa Virgine. Ad hoc dicitur quòd in puero gaudet omnis creatura, & pro omnibus eſt Ieſus, ſed angelis naſcitur: primo, vt gratias agant ei de auxilio ſibi collato in moralis, dum viatores erant, quia vt ait Bernardus: qui erexit hominem lapſum, dedit angelo ſtanti ne laberetur: vnde ſi ex meritis huius paruuli angeli ſteterunt, nos cum matre eius, eis dicamus verſauice. *Euangelizo &c.* natus eſt etiam

Maria eſt angelis euangeliſta.

Iudic.4.a

Hebr.1.a

Gala.5.d

Bernar. ſer. 22. ſuper Cant. circa med. to. 1.

eis

eis ad contemplandum, & perfruendum ſicut apibus naſcitur flos ad mellificandum. Vnde o angeli venite, ait Maria, quia Nazareus floridus in Eccleſiæ horto ex me prodijt, cuius emiſſiones paradiſus. O quis dicere valeat qualiter ſtupebant angeli videntes infra ſe, quem ſupra ſemper adorant minutum non ſolum paulominus ab angelis, ſed ab animalibus. Tertio itidem vobis naſcitur, ad perfectionem veſtrã, vt vos ipſos in eo perfectiores inueniatis. Potiſſima ratio qua tenet Scotus, quòd etiam non peccante Adam, filius Dei ex muliere naſceretur, eſt noſtra perfectio, in homine quidem perfectius inuenitur eſſe, & viuere, & ſentire, aliaq. inferiora quàm in ſeipſis, tamen hoc quod eſt intelligere, & amare quo elementata excedimus, perfectius eſt in angelo qui ſubtilius intelligit, & feruentius diligit: vnde hoc quod eſt præclarum hominis, præclarius eſt in angelo, in quo nos perfectiores quodammodo videmus, & gaudemus, arbitrantes quòd perfectio illa, aliquando perfectior erit in nobis: ſed iam primatus angeli eſt in puero, ſicut & noſter, altiori modo quàm in ipſis, in quo ſe aliquomodo perfectiores effectos inueniunt, de quo non mediocriter gaudent. Quarto vobis etiam naſcitur, gaudete: nam ſi gaudium eſt angelis ſuper vno peccatore pęnitentiã agente, quanto amplius in præſentiarum eis gaudendum eſt ſuper puero hoc, peccata cunctorum deplorante, & non ſolum ab adoleſcentia, ſed ab infantia iugum pœnitentiæ ferente pro peccatis totius mundi? Sic ergo gaudium hoc erit omni populo, & omnibus angelis quibus vltimo euangelizatur ob id, quòd ſi miſſi ſunt propter eos qui ſalui fiunt, cur non debent de Saluatore gaudere, qui pariter miſſus eſt magni cõſilij Angelus, vt eos adiuuet, dans hereditatem ſalutis eis? ex quibus adimplebit ruinas angelicas, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, ad quam nos perducat infans Ieſus. Amen.

Cant. 4. d — *Pſa. 8. a* — *Scot. 3. ſent. d. 7. q. 3. & d. 19. q. 1. & d. 32. q. vnica.* — *Luc. 15. b* — *Iſa. 9. b ſecundũ. lxx.*

SER-

SERMO DE HISTORIA, ET CAVSA Natiuitatis.

THEMA.

Paruulus natus eſt nobis. Iſaiæ 9.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DEI paruitas nobis auſum pręſtat quamuis nec ingenio, aut peritia præcellamus, immo condeceret concionatoré quoque modo genitum vobis dare, qui de puero ineffabili verba facturus, lac propinando non ſolidam eſcam paruulum naſcentem magis exprimeret: fieret fortaſſe, vt qui reuelat myſteria, & dat intellectum paruulis, e lactentis atque infantis ore abſolutam depromeret laudem: etenim æquum eſt, vt qui vir in paruulorum ordinem tantæ fuerit indulgentiæ eos amplexus, nunc puer peculiari habita ratione, eius ſcilicet pueri prędicantis conſuleret infantiæ: qui de eo infantulo loqui pararet. Aderit etiam pia mater, de qua ipſe: ſoror, inquit, noſtra paruula eſt: quæ &ſi per ætatem vbera nondum habet, mox tamen nobis hunc puerum lactatura vbere donabitur de cælo pleno, vt iam dicatur ei: Pulchriora ſunt vbera tua vino. Vt igitur repleamur & nos ab vberibus conſolationis eius, quando paruula eſt, flexis genibus inclinemur, quo mamillas eius ſugere valeamus, aperiamus etiam ad hoc pia ac famelica ora, dicentes. Aue Maria &c. *Cat. 8. c* *Cant. 1. a*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVàm ingenti lætitia, quot inde abortis lacrymis natalitius Ieſu Chriſti dies nobis ſit celebrandus, ipſi videatis: ſi tamen guſtaſtis ac vidiſtis quàm fuerit ei ſuauis,

ſuauis: nam paruulus natus magnificauit facere nobiſcum. Si namque in hoc die per totum mũdum melliflui facti ſunt cæli: ſi tanto iubilo angelicæ turmæ lætantur, quanta nos oportet cordis dulcedine perfundi, quibus cum tam magnifice, tam præclare, tanteq. commode actum eſt? O Deum immortalem quas exultationes exhiberent naſcenti domino vniuerſi chachodæmonum exercitus, ſi modo poſſent no-
Ioan.8.g biſcum dicere, paruulus natus eſt nobis? Abraam exultauit, vt videret hunc diem: vidit futurum certe, & gauiſus eſt. Nos cur non vehementer gaudeamus, qui iam præteritũ certiſſima fide cognouimus? Præteritum congrue dixerim an præſentem potius? abſque dubio præſentem. Nam Ieſus Chriſtus filius Dei in Bethleem inde naſcitur. Numquid nõ præſens qui præſentaneam affert omni tempore medicinã? in quo duriſſima & pluſquam adamantina moleſcunt pectora. Compunguntur ac reſipiſcunt iniqui, remedium deſiderant, orant, & impetrant vulnerati, quippe naſcitur agnus qui tollit peccata mundi: in cuius ortu melitiſſimo dulceſcunt renaſci, & quodam modo repueraſcere contendunt vere pij omnes. Nempè naſcitur puer optimus maximus Ieſus Chriſtus. Tibi ſcientia ergo procul abſit, ſecurus ad puerum confiſus accedat, efflagitet omnis chriſtianus, quam optat ſalutem: quoniam dedit pater omnipotens imperium puero ſuo, vt ſaluum faciat filium Eccleſiæ ſuæ. Paruulus eſt, paruo poterit placari dono, & etiamſi nil offeramus: nam totũ
Pſa. 55.b quod habemus prope nihil eſt. Pro nihilo, ait propheta, ſaluos facies illos, pro nihilo perdidit, pro pomo perdidit, pro pomo ſaluabit. Paruulus enim natus eſt nobis. O res plane demiranda: cuius eſt terra & plenitudo eius: in cuius ditione cuncta ſunt poſita: quem cæli cælorum capere non poſſunt, cuius magnitudo non eſt finis, paruulus natus eſt nobis. O ſtupendum auditui, Deus a Deo ſemper abſque tempore naſcens, neque initium habens, neque finem habiturus: antiquus ille dierum puellus vnius diei natus eſt nobis recenter. Fidelis ſermo & omni acceptatione dignus,
Rom. 9.f quòd cum inimici eſſemus paruulus natus eſt nobis, O breuiſſimum verbum de verbo abbreuiato, ſed longiſſimum, latiſſimum, excelſum, & profundiſſimum exuberantiá miſterij. Ecce enim longitudo, latitudo, & ſublimitas, & profundum, Deus, inquam, paruulus natus eſt nobis. Hæc fratres non comprehendit diſputatio, ſed ſanctitas, vti probe noſtis

ex his quæ de pueri huius plenitudine vas electionis accepit. Nam etſi paruulus, plenus tamen & gratia, & veritate, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Apoſtolus certe paucis ſeſe comprehendiſſe arbitratur cum de hoc ipſo, ait: Qui cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſemetipſum. Sed me inſenſatum qui id exponere adnitar, quod nulla creatura poſſit vel exprimere voce, vel cogitatione percipere? Sed mittamus manum, quandoquidem non magnus ſed paruulus natus eſt. Diligenter conſidera, monet ſapiens, quæ tibi apponuntur: verum licet de ijs etiam quę ad nos attinent, prolixum poſſemus ſermonem conterere, tamen vt ipſe natura incomprehenſus & infinitus, ſeſe velut in arctum cohibuit, & contraxit: itidem & noſter ſermo modũ ipſe ſibi faciat, oportet. Equidem in ſumma duo potiſſimum eſſe video conſideranda. Primum ex euangelica hiſtoria quàm paruus Christus natus eſt, oſtendam: deinde quo modo nobis naſci dicatur.

Phil. 2. a

Diuiſio.

PRIMA PARS.

ASCendit, ait Euangelium, *Ioſeph a Galilea de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem* David, quæ vocatur Bethleem: *vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Attamen te quæſo quis dolor, o fratres, tũc prægnanti fuit, quis timor cum appropinquante die partus propriam cogebatur exire domum, eo ire vbi nullos ſibi parauerat amicos, nullos habebat notos, vbi partus neceſſaria non ſuppeterent? Rurſus conſiderate ex alia parte quãto deſiderio paruulum, quem geſtabat in vtero, cupiebat cernere: quis det mihi te foris, aiebat Maria, vt deoſcularer te? In hac anxietate Virgo pientiſſima cum ſpõſo Ioſeph faciebat iter. Applicuerunt tandem ad vicum, & ſancta quadam verecundia quærunt, quo fatigati diuertant, erat forte (vt fit præ opiduli paruitate,) vix vnum diuerſorium, hoſpitibus alijs iam impletum, qui ob eandem cauſam venerant. Accedunt ad hoc rogantes ſi quo modo adſit locus: negat ſtabularius eſſe hic repudiandum, diſquirunt vndecumque hoſpitium, ſed non eſt qui intelligat ſuper egenos & pauperes. Compatere ijs vndique anxijs, redeunt ad diuerſorium ſecundo, denuo efflagitantes vt ſi non cella, ſi nõ lectus vbi maneant, in quo dormiant, at detur locus intra tectum ne ſub aere tempeſtati

Can. 8. b

Pſal. 40. a

bus expoſita Virgo, cum fletu obeat. Solum ſtabulum inuentum eſt in quo poſſent ab aeris, frigoriſq. intemperie protegi. Ingrediuntur intro, contemplantur locum ſordidum, ſed quid faciant? Exonerant aſinam, præſepio admouenti, & fortaſſe bouem quem vendendum adduxerant. O quid ſentiret tunc Virgo beata: *Factum eſt autem,* inquit Euãgeliſta, *cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pararet: & peperit filium ſuũ primogenitum.* Erat beata Maria cæleſti contemplatione ſuſpenſa. Et ecce repéte coram ſe cernit vagientem paruulum, tunc abortis lacrymis quem genuit adorat, omni ſuauitate, gaudioq. repleta. Non miremini fratres, quòd gaudeat etiãſi ſola in ſtabulo ſordido cum ſponſo Ioſeph ſit. Etiamſi careat lectulo, vbi reponat puerulũ: ac fortaſſe igne quo panniculos algentes caleſaciat. Non miremini, inquam, quoniam antequam parturiret, peperit, antequam partu laboraret, ideò
Ioã.16.c exultauit lętabunda & laudans. Nimirum ſi mulier quæ cũ parit triſtitiam habet, non meminit pręſſure prę gaudio: quia natus eſt homo in mundum: quantum debet eſſe læta intemerata, quia natus eſt ex ea ſine dolore Deus homo propter mundum? O verum gaudium quo non de creatura, ſed de Creatore gaudetur. Noſſe vultis quid ſit, exultauit, lætabunda,
Luc.1.e da, & laudans: Magnificat, inquit, anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus &c. Quidni exultem in Deo Ieſu meo? quidni magnificem paruulum, quem omnium agnoſco
Pſal.44.a auctorem? quidni laudem ſpecioſum forma præ filijs hominum? Nam vt coniecto paruuli membra exultabunda con-
Cant.5.c templabatur: dilectus, inquiens, meus candidus & rubicundus electus ex milibus, caput eius aurum optimum, oculi eius ſicut columbæ: labia eius diſtillantia myrrham primã. Vagiebat puer oſtendens labia vt infantuli ſolét. Manus eius plene iacintis. Véter eburneus diſtintus ſaffiris. Guttur illius ſuauiſſimus & totus deſiderabilis. Ne autem frigore conficeretur pannis eum inuoluit, vt ait Lucas. Non poſſum autem ego adduci, vt credam aut ſordidos fuiſſe pannos, aut diſruptos. Diuam matrem vſque adeo fuiſſe prouidam vt totos nouem menſes mũdos pannos, & laneos, & lineos filio quę-
Pro.31.b rere neglexerit, nulla ratio patitur. Quæſiuit, ait ſapiens, lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. At vero non fuit ſui oblita, vt aſcendens Bethleem non timeret, ſaltem quod euenit, ſiquidé partum appropinquare aut nouerat, aut perſpicabatur, quòd ſi timuit imprudéter certe ſi nõ
tulit,

tulit, quos parauerat pannos. Magis rationi cenſeo conſentaneum non fuiſſe bombicinos, non ſericos, ſed viles & aſperos, qui operioſis mollibuſq. veſtiuntur in domibus regum ſunt: Chriſtus in ſtabulo molliq. veſte minime induitur. In his itaque dulciſſima Virgo vbertim cordis amaritudine, flebat, humiliter conſiderans puerum tenellum pannorum vilitate, aſperitateq. veſtitum. Myrrha, & gutta & caſia a veſtimentis tuis, Chriſto diceret. Myrrha amaritudinem notat: gutta lacrymas: caſia humilitatem. Hæc enim, auctore Hieronymo, herba eſt quæ aquis indeſinentibus nutritur & coaleſcit, quæ proprietas quantum humilitati conueniat, ſcitis: cum etiã ipſo nomine gaudet, dicitur namque hæc herba caſia humilis: ergo myrrha, gutta & caſia a veſtimentis Chriſti, ideſt amaritudo, fletus, & humiliatio a pannis Chriſti. Ego autem puerulum quantumlibet pannoſum ſuffarcinarem, nec putarem aſperos pannos, quibus peccatorum noſtrorum exterſæ ſunt ſordes, quibus peccatorũ vulnera ſunt circumligata. Nec rurſus viles eſtimarem in quibus omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quibuſue ſummum bonum erat inuolutum. Denique non crederem quamlibet farcinulam me portare, qui ferrem, qui portat orbem, & portantem omnia virtute ſua. Sed ad rem, poſtea Maria puerum pannis inuolutum in præſepio reclinauit, vt teſtatur Euangeliſta. In primis aliquod hic eſſe præſepe tacita cogitatione fingamus. Conſidera hinc Mariam, hinc Ioſeph, hinc bouem & aſinum, Angelos vero vndique præſepio circumſtãtes. Sexaginta nempe fortes ex fortiſſimis Iſrael, ex ſupremis Angelis videntibus Deum pueruli lectulum ambiebant. Qua nunc admiratione fratres matrem & Ioſeph arbitramini eſſe, cum cernerent omnium Dominum in præſepio reclinatum? quo ſtupore Angelos vidẽtes apud homines infra ſe in præſepio, quem apud Deum ſupra ſe in cælo ſemper adorant? re vera magnum eſt myſterium, & admirabile ſacramentum vt animalia conſpiciant Dominum natum iacentem in præſepio. Videte & vos fratres, leuate capita veſtra, quia ecce in præſepio redemptio veſtra. Reclinauit itaque eum in præſepio, & quia forte non habet filius hominis vbi caput ſuum reclinet, domina ſupponit manum ſuam. Audiens autem inter arcta conditum præſepia vagientem infantem, lacrymis præcompatientia fuſis, iam penſare eſt, qua anguſtia inter immenſa gaudia teneretur. Contingens & manu pia mater vultum

Mat. 11. a

Pſal. 44. b

Hieron. homil. 2. in Cant. prope fin. to. 8.

Coloſ. 2. a

Hebr. 1. a

Cant. 3. c

Præſepe Chriſti.

Luc. 21. f

Luc. 9. g

puelli, & muniens frigidum lacrymans vberibus admouebat
Pſ.101.b vt caleſieret, & diceret: Poculum meum cum fletu miſce-
Cant.1.d bam: Et illa: Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. O quis vidiſſet fratres Deum e virginis mammilla pẽdulum. Inde cum aliud quid fieri oportebat, iterum in præſepio reclinabat: quia non erat ei locus in diuerſorio, ait Euangeliſta. In diuerſorio quidem erant, non autem erat eis locus in diuerſorio. Nam ſtabulum non hominum, ſed beſtiarum eſt locus. Nemo vmquam quærenti hoſpitium, locum eſſe non negat etiam ſi vacet ſtabulum: congrue igitur dicitur, eis qui in ſtabulo erant, non eſſe locũ in diuerſorio, o miram coarctationem, & peregrinationem quam ſubijt: qui continet orbem terræ, ſtatim ab initio captat penuriam, vt eam in ſeipſo doceat. Nimirum ſi voluiſſet, venire poterat mouendo cælum, concutiendo terrã, emittens fulmina, non autem ſic proceſſit: ab ipſis primordijs humanam voluit conculcare ſuperbiam, atque ideo non horruit ſtatim natus infimæ paupertatis guſtare incommoda, ſed in vili præſepio ſordentis ſtabuli, cui cælum ſedes eſt, reclinatur. Quod a brutis animalibus ſimul cum fœno ſuper quo iaceret, mutuo eius mater accepit, non enim erat ei locus proprius in ſtabulo: nec mirum, quoniam nec communis in diuerſorio. Vt non tantum paruulus ſit ætate, corpore, familia, veſte, lectoq. ſed etiam domo: iam ſi cibum quæratis par-
Phil.2.c uulo, paruo quoque lacte paſtus eſt: ita fratres quia Deus habitu inuentus vt homo, cærimonias, ſtatutaq. hominum debuit obſeruare per omnia fratribus aſſimilatus: paruulis ergo paruulus non iniuria natus eſt. Veruntamen videre eſt, quod Dei eſt infimum quanto ſublimius ſit his, quæ ſunt apud homines excelſiſſima, quantus erat ille, quem infantulum vagientem pannoſum, abiectum in præſepio tunc cælitus canunt Angeli, adorant paſtores, adorat & quæ genuit, agnoſcunt bruta animantia, indicat ſtella, venerantur magi, timet rex Hærodes, trepidat omnis Ieroſolyma cum illo. Denique cui omnia, quæ ſunt in cælis, terriſq. pulcherrima deferunt gloriam, per Angelos claritas, & per ſtellam, ſimplicitas per paſtores, religio per magos, quantus fuit ille ortus de quo
Mich.5.a quælibet Eccleſia canit: Et egreſſus eius ſicut a principio, a diebus æternitatis, ſcilicet illo, de quo dicitur: In principio erat verbum. Sicut enim in illo Deus filius a patre ſine ma-
Ioan.1.a tre ita in hoc homo Deus filius a matre ſine patre, ſicut in

illo concipitur Verbum non corrumpens Patrem, ita in hoc naſcitur incorrupta matre. Sicut in illo lumen de lumine, ita & in hoc lux de luce: nam Maria illuminatrix interpretatur: vt in illo Deus plenus bonitate a Patre, ita in hoc homo plenus gratia & veritate egreditur a matre: in illo pro ſalute Angelorum, in iſto pro ſalute hominum: in illo naſcitur in domo panis, in iſto in Bethleem quæ ſic interpretatur: in illo diuino præſepio paterni pectoris paſcit Angelos, in iſto omnia eum expectant, vt det eis eſcam in tempore opportuno gratiæ: in illo tanquam ſponſus amore Spiritus ſancti fœcundus procedit, in iſto rubicundus charitate, ſecundus pater orbis terrarum, a quo cuncta ſpiritualia nobis dona procedunt. Ibi primo genitus in multis Angelis, hic in multis fratribus: ibi naſcitur nulla incrementa ſuſcepturus, hic iam perfectus eſt vir non amplius profecturus in ſpirituali homine: denique vt in illo qualis Pater, talis Filius: ita & ĩ hoc qualis mater, talis filius: quamquam ergo natus eſt paruulus paruulis occurrit, tamen optimus maximus maximis, & ſtupendus ſimul in vnum diues & pauper. Vos o ſacerdotes qui eum vndecumque maximũ & glorioſum in præſepio, hoc eſt in altari, eſtis reclinaturi, magnificate eum cum Maria, & denuo vere dicite: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: in altaribus tuis Domine virtutum rex meus & Deus meus. Attamen non eſt prætermittendum, quòd ſolum ſimplicia illa animalia præſepia ſancta pauerunt, ideo ſinceri dũtaxat atque domeſtici in altari ſacro carnis Chriſti reficiẽtur pabulo: idcirco namque in pręſepio ponitur velut piorum cibaria iumentorum. Tamen ſi alia ratione id factum poſſet dici: vt quia homo iumentis ſimilis fuerit effectus, Verbum fœnum factum eſt, omnis enim caro fœnum, & ab homine comedendum in præſepio repoſitum: inuenit quoque hominẽ factum beſtialem, ideoq. in præſepio loco pabuli ponitur, vt vitam brutam mutantes pertingeremus non fœnum, non ordeum, ſed panem cæleſtẽ vitæ corpus comedentes ad mutationem mirificam, quam Dei filius vult facere nobiſcum.

Pſ. 103. d

Pſ. 83. a

Iſa. 40. b

SECVNDA PARS.

Paruulus natus eſt nobis, amabile verbum fratres, vt qui bonorum noſtrorum non eget, cuius perfectioni nihil omnino accedere poteſt, noſtris commodis paruulus natus ſit *Pſ. 15. a*

nobis, quo nemo iam ſuſpicari valeat ſibi eſſe natum, vtpote qui nulla ratione creſcat, vſque adeo in ſeipſo magnus, vſque adeo perfectus eſt. At eſto, quòd ſibi poſſet naſci, quo modo id nunc feciſſet, qui natus eſt non modo moriturus, quod vel eum alijs commune habet, ſed etiam vt moreretur. Nulli ergo dubiũ quin eſt natus eis pro quibus eſt mortuus, ſiquidẽ ob hoc carnem aſſumpſit, ob hoc ortus eſt, omnes ergo inceſſanter abſque faſtidio, & audiant, & prædicent: Paruulus natus eſt nobis, cum vnuſquiſque intra ſe dicat, mihi datus, mihi natus eſt, quid enim ſi & alijs, cum proinde tibi, ac ſi nulli alij? Fac itaque quòd ſic res ſe habeat, vt ſoli tibi Chriſtus naſceretur: obſecro quid plus inde haberes quàm nunc ortu Chriſti omnibus hominibus conducente: hic continenda eſt Chriſti beneficentia, hic toto corde cum propheta dicat: Quid retribuam Domino pro omnibus &c. quid enim non donauit qui tibi filium dedit? ecce frater ille in ſtabulo, vt tu in cælo: ille pannis vilibus inuoluitur, vt primam tu reciperes ſtolam: ille faſcia ligatur, vt tu mortis laqueis abſoluaris: ille præſepis anguſtia continetur, vt te per ampli regni gaudia dilatet: ille locum in diuerſorio non habuit, vt plures eſſent nobis in cælo manſiones: ille alſit, ille vagiuit, vt frigus ſempiternum, ſtridores dentium, ploratuſq. æternos euaderes: ille infantulus fit, vt vir poſſis eſſe perfectus: ille infirmus fit, vt te infirmum lucrifaciat: ille denique paruus natus eſt, vt te naſcendo de paruulo magnum, hoc eſt de peccatore faciat iuſtum. Qui cum diues eſſet propter nos egenus factus eſt: vt illius inopia nos ditaret. Tua paupertas ergo illius patrimonium fuit, & infirmitas, paruitaſq. eius tua virtus, tua magnitudo eſt. Maluit ſibi egere, vt tibi abundaret: te illius vagientis infantiæ abluit fletus: tua lacrymę illę delicta lauarunt: plus vagitibus paupertatiq. Chriſti debes, quòd redemptus es, quàm opibus quàm potentiæ quòd creatus es. Omnia conditori debes. At naſcenti paruulo plus quàm omnia, non enim tibi prodeſſet creari, immo melius fuiſſet non creari, niſi Chriſtum naſci profuiſſet: at qui ſit ſane vt beneficium non in eo quòd ſit, aut datur, ſed in dantis animo conſiſtat. Vide quo animo erga te Chriſtus ſit, qui ad labores ob te tolerandos de vtero alacris egreditur tãquam ſponſus de thalamo ſuo &c. ſuper verbis ex Iſaia aſſumptis Gloſſa: Paruulus ait, vt pugnet pro nobis: poſſet quiſpiã nec ſine cauſa deſperare victoriam a vagiente paruulo expectendam:

Christus ſoli peccatori naſcitur.

Pſ. 115. a

2. Cor. 8. b

Pſ. 18. a

dam:

dam: ob id, exultauit, inquit, non mediocre ſignum victoriæ eſt, pugnaturum non modo cupere certamen, ſed affectare gaudenter: Iam ne puerilem lætitiam calumnieris, ne paruulo diffidas. exultauit, inquit, vt gigas: at quid, multum nos amauit, quoniam amor pannis eũ inuoluit, faſcia ligat Chriſtum plurimũ, quoniam amor in frigore caleſcit: ſed plus dubio procul qui ſuis incommodis hilareſcit, quòd noſtra ſint commoda. Si mediocribus beneficijs homines ad amandum hominem accendunt, ſi bruta cognoſcunt, ac referunt beneficium. O duritiam cordis humani plus quàm adamantinã ſi tam inaudita charitate non miteſcit, non liqueſcit, ſi tanto amore non inflammatur. O ingratiſſimum plus quàm belui num ſi tanti meriti poteſt obliuiſci. Si hunc redemptum ſit promeritum ſaltem non redamat, verum ea veri amoris vis eſt, vt eius quod ames quàm ſimillimus eſſe cupias. Proinde ſi vere atque ex animo Ieſum amas, hic pro tua virili conare exprimere, quòd ſi virum aſſequi non poſſimus ſaltim puerũ imitemur. Paruulus enim natus eſt nobis, ideſt ad noſtrum exemplum, teſte Paulo, vbi ait: Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vſque ſæculo. *Tit.2. 6* Paruulus Dei eſt, & virtus, & ſapientia illam imitari voluit, qui dixit: Aſcendam in cælum ſimilis ero altiſſimo: hanc etiã imitari conabantur illi, quibus dicitur: Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum: nobis autem virtus admiranda eſt, ſapientia laudanda, neutra tamen ęmulanda: magis paruulum quàm potentem, quàm ſapientem imitemur: etenim nobis non potens, non ſapiens, ſed paruus natus eſt, ſicut longe ante prænunciauerat Iſaias, dicens: Dabit vobis Dominus panẽ arctum, & aquam breuem. Per panem virtutem accipio: panis ſiquidem cor hominis confirmat. Per aquam ſapientiam, quia aqua ſapientiæ potat nos. Dedit ergo Dominus nobis panem arctum, & aquam breuem cum Chriſtus Dei virtus & ſapientia paruulus datus eſt nobis. Beati qui hæc verba ſine vllo pudore audiũt: at væ illis quibus Chriſtus natus non eſt. Væ non ſaluandis, væ quibus non naſcitur, timeant hi quicumque ſunt, ne forte vt eis Chriſtus non naſcitur, ita neque natus ſit: nam quos Deus præſciuit & prædeſtinauit conformes in hac vita fieri imagini filij ſui. At qui ijs Chriſtus naſcitur, qui Chriſtum natum imitantur. Non naſcitur puer, aut immundis, aut impijs, aut nocentibus, aut implacatus, aut verſutis. Non naſcitur Verbũ infans aut ſapientibus

Iſa.14. c *Gen. 3. A* *Iſa.30. e* *Pſ.103. b* *Eccli. 15. a* *Rom.8. f*

Chriſtus nō naſcitur ſapiētibus huius ſęculi.

huius ſæculi, aut garrulis. Non naſcitur peregre in alieno diuerſorio, niſi his qui cum ſe meminerint paucorum dierum hic hoſpites eſſe, tamquam aduenæ,& peregrini a carnalibus abſtinent deſiderijs. Non editur in tuguriolos, frequentantibus aulas: non inuoluitur pannis ijs qui vel auro intextis, vel pellicibus mollibus induuntur. Non reclinatur in præſepio ijs quorum exaltatur cor, qui amant primos accubitus in mēſis,& primas cathedras in ſinagogis: non vagit machinātibus aut ridentibus: non naſcitur in hieme voluptuoſis: non noctu ijs qui ſeſe iactitant, bona ſua inaniter proferentes in lucem. Non videtur qui cœpit facere & docere mihi naſci qui prius doceo quàm faciam: demum non naſcitur paruulus niſi paruulis, vt poſtmodum magnificet magnus & glorioſus Deus paruulos ſuos in gloria, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Mat. 23. a

SERMO

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ,

De ſortibus ad quas cum Chriſto aſcendit.

THEMA.

Aſcende mecum in ſortem meam. Iudic. 1.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Diſt. 2.

DVM THEOLOGI Dei attributa, in primo ſententiarum inter perſonas diuinas impartiuntur, dicunt Patri potentiam, Filio ſapientiam, Spiritui ſancto bonitatem aptari: vbi aduerte quòd Patris potentia non relucet tantum in rerum creatione quantum in Filij æterna generatione, qua eum ſibi æqualem ab æterno genuit. Et quia hunc per intellectum producit, aptatur ei ſapiētia, quę naturaliter ab intellectu prouenit. Cum autem bonitas amori conueniat, ab eoq. habeat origenem, et Spiritus ſanctus

amor

amor ſit Patris, & Filij, aptatur ei peculiariter bonitas. Dum ergo audis Patris potentiam dici, contemplare actiuam productionem eius. Dum autem legis Filio dari ſapientiam, cognoſce paternum intellectum, a quo naturaliter procedit. Denique dum Spiritus ſancti bonitatem appellas, agnoſce locum, ſiue originem eius, quæ eſt voluntas diuina fons bonitatis. Bonitas autem (vt ait Beatus Dionyſius) eſt diffuſiua ſui, quæ diffuſio ſicut et bonitas Spiritui ſancto aptatur, dicente Paulo: Gratia Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et quia ſuperabundantius quàm petimus, cupit ſuam nobis infundere, ac effundere gratiam, decreuit aſſumere aduocatam peccatorum Mariam in huius diſtributionis adiutricem, cui propterea dicit verba thematis: *Aſcende mecum in ſortem meam.* Naturale meum eſt dare, ac diffundere, te autem munificam noui et hylarem datricem, veni aſcende mecum in ſortem diſtribuendi: vt maiora conferas, & potiora diſtribuas. Huius munificentiæ conſortem ſe Maria intellexerat quando (vt nos excitaret, & ad petendum irritaret) dixit: Vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Diligentes Mariam ſunt peccatores, quos dum ſuis meritis & interceſſione iuſtificat, diuites facit. Dum autem operam iuſtitiæ dant, acquirunt theſauros meritorum, quos etiam Mariam replere cupit, quia iuſtos et peccatores iuuat. Theſauros etiam habent qui opera de genere bonorum multiplicant, hæc tamen vacua dicuntur coram Deo, ſi deſit gratia eius, quæ omnia replere nouit, & ad perfectionem perducere, maxime ſermonem concionantis, qui iudicatur vacuus abſente gratia Dei. Propterea dicitur cõcionator ſine gratia, velut æs ſonans, quia eius ſonus vacuus eſt a ratione: vnde Mariam orare expediet, quatenus impleat verba mea, & totum ſermonem gratia Spiritus ſancti, quam vt aſſequamur, ei offeramus. Aue Maria.

Dion. de diuin. nom. cap. 4.

Rom. 5. A

Prou. 8. C

1. Co. 13. A

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VT ait Hieronymus dictum pitagoricum eſt, amicorum omnia eſſe communia, vnde Socrates cuidam ſe iactanti, cum eſſet pauper, quòd habebat in amicum quemdam diuitem, dixit: Vel ipſe te fallit, vel tu leuis es corde,

Amicorum

omnia cõmunia. de, credens paruæ amicitiæ, cur enim ſi diues ille, eſt amicus verus tibi, adhuc remanes in paupertate tua? Omnia ergo amicis eſſe communia, non ſolum philoſophi, ſed catholici tenuerunt: nam & ſanctus Dauid propterea dice-

Pſ. 118.b bat: Particeps ego ſum omnium timentium te. Inde & ſanctorum communionem iuxta ſymbolum Apoſtolorum credimus. Nec ſolum ſpiritualia quin et temporalia, vt plurimum ſunt ſibi communia: quoniam de illis nimium amicis, quos in Eccleſia primitiuorum nouimus, dicit Lu-

Act. 4.f cas: Erant illis omnia communia. Inter hos tantus vigebat amor, quòd etiam viſcera eis communia videbantur, quoniam ipſo Luca referente, erat illis cor vnum et anima vna. Nec ſolum quæ diximus inter plurimum amicos communia ſunt, ſed labores, et ęrumnæ, quoniam ille amator Dei Paulus, quem charitas Ieſu Chriſti vrgebat, proclamat di-

Gal. 6. d cens: Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Hæc igitur communicatio tantum creuit apud aliquos etiam ſapientes vt fateatur Auicẽna ſe credidiſſe, quòd in amico ſuo et in ſe non erat niſi anima vna. His viſis quid nunc dicemus fratres, cum apud nos nec vnitas, nec vlla communicatio inueniatur? Quid eſt cauſa ruinæ totius Eccleſiæ, niſi quòd frigeſcit charitas multorum, qui vnumquid eſſe deberent? calore amoris coniunguntur etiam lapides:

Iob. 28. a quia teſte Iob: lapis accenſus in æs vertitur & metalla, quæ dum frigeſcunt ſpecie differunt, dum incaleſcunt in idem fluunt: et ad eandem formam rediguntur, vbi omnimoda communicatio fit. Quod ignis poteſt in metalla, poſſet amor Chriſti Ieſu in nos, niſi frigiditas noſtra obſtaret, quæ quidẽ facit, vt nec frater cum fratre, nec ſubditus cum prælato, nec religioſus cum religione etiam ſua, nec vnus ordo cum alio, nec etiam clericus cum clerico, nec vxor cum marito, nec ciues cum ciue, nec filius cum patre, nec ſeruus cum domino ſuo communionem habeat, quis enim communem vnionem habet cum ſuis? Nam iſtis diebus periculoſis ini-

Mich. 7.b mici hominis domeſtici eius. Ex hoc panditur omne ma-

Oſe. 10.a lum, quia ſcriptum eſt: Diuiſum eſt cor eorum, propterea interierunt. Cur, inquit, cor eorum? an poſſibile ſit, quòd vnum cor ſit multorum? poſſibile quidem, nam Dominus

Ioã. 16.a Ieſus multis loquebatur, dicens: Quia hæc locutus ſum

Chriſtus ex multis facit vnum. vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Ecce quo modo Chriſtus facit multis cor vnum: nam dum loqueretur duobus

eunti-

euntibus in Emaus, fecit illis cor vnum, quia poſtmodum ipſi dixerunt: Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur in via? Immo ab infantia ſua ſcit Chriſtus hanc facere communionem, quoniam eo nato exijt edictum a Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: fuit ne aliquando maior communio? non equidem niſi inter Ioannem & Chriſtum, cui ait verba thematis: *Aſcende mecum in ſortem meam*. Aſcende in altum, ita vt ſors mea tibi communicetur, quia omnia mea tua ſunt. Verba ſunt fratres, ſenioris ſcilicet ad minorem, ideſt Simeonem. Et eandem ſententiam dixit pater ſeniori filio redeunti de agro, cui omnia communicanda dixit. Chriſtus autem et frater ſenior de tribu Iuda, & pater euangelicus beato Ioanni, qui eſt frater & filius eius, omnia communicare decreuit, & ideo ei replicat: *Aſcende mecum in ſortem meam*. Iuxta tres ſortes triplex pars erit ſermoni noſtro. In prima de ſorte deitatis: In ſecunda de ſorte crucis: In tertia de ſorte Mariæ.

Luc. 24.e

Diuiſio.

PRIMA PARS.

VT ſortem diuinitatis Chriſti vobis proponam, aduertite quòd non accipio ſortem prout communiter capitur apud homines, ſed prout in ſacra pagina deſcribitur, vbi totum vocatur ſors: nam beata Heſter orans Dominum, dicebat ei: Propitius eſto ſorti tuæ, ideſt toti plebi tuæ. Immo beatus Paulus omnem gloriam Dei, & ipſum Deum vocauit ſortem dicens: Cum gaudio gratias agens Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum. Cum ergo Ioannes vocatur in ſortem Chriſti, qui præ conſortibus ſuis maiora hereditauit, non ad communia, ſed ad eximia & ſublimia vocatur. Nec mirum quia ſi referente beato Petro ſanctos vocauit Deus, vt efficiantur diuinæ conſortes naturæ, & generoſitates eorum glorificat Chriſtus contubernium habens Dei, qui maiores amicos amplius mirificat, & ad ſecretiora vocat, inter quos Ioanni partem & partes reliquit extra fratres ſuos, immo & ſuper eos. Nunc autem ſors Chriſti humanitati eius communicata, eſt diuinitas ipſa, ad quam præ ceteris primo Ioannes vocatur, vt ei communicetur. Diuinitas autem minus videtur communicabilis: nam ſi pluribus facile communicabilis iudicari poſſet, citius crederetur trinitas, quæ non aliter

Heſt. 13.d

Coloſ. 1.b

2. Pe. 1.A

quàm

quàm per intimam communicationem deitatis conſtat, vbi eſt amicitia ſumma, & etiam communicatio eſſentialis, qua ſubſtantia deitatis communicatur tribus perſonis.

¶Quod quamuis omnium ſit obſcuriſſimum, in rei veritate omnium eſt certiſſimum. Ex hac ergo æterna, & ſumma communicatione diuina, prouenit vt nulla res tantum ſe homini communicet, quantum ipſe Deus, nec Deus ipſe aliquam rem communicat homini tam vere & perfecte quãtum ſeipſum, quoniam hæc eſt maxima Theologorum, quod nemo illabitur menti, niſi creans mentem. Quemadmodum enim corpus non illabitur corpori, ſic nec ſpiritus ſpiritui, præter Deum, qui omnibus, dũ ei placet, illabitur, ſine eo quòd faciat ſibi locum, immo & ſine ianuis: vnde dum Ezechiel miraretur portam clauſam, dictum eſt ei, quòd ſolus Deus intrabat per eam, qui ſine ianuis abundantius ac diuinius intrat, vnde in Pſalmo, dũ ſanctus Dauid ſenſibus noſtris loqueretur de illapſu diuino, dixit: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ, quaſi dicat non egit portis Deus gloriæ, adhoc vt ſecundum deitatem ſuam intret animam hominis. Omnia ergo quæ per portas quinque ſenſuum ad animam intrant, non perueniunt ad ſancta ſanctorum, ideſt ad eſſentiam animæ penetrandam, quia hoc ſoli pontifici ſummo Deo reſeruatur, qui virginem intrat, & egreditur, ipſa omnino clauſa: ea enim virtute qua deitas omnia ſine leſione penetrat, corpus Chriſti a virgine proceſſit; & poſſet equidem dici, quòd ſicut Deus animam intrans, magis claudit illam, & recolligit, ſic dum a virgine proceſſit, ei veriorem firmauit integritatem mentis, & ventris. Iam ergo dum Deus intrat animam, etiam ipſa Deum intrare perhibetur, quoniam ei dicitur: Supra multa te conſtituam intra in gaudium Domini tui. Væ autem fatuis virginibus, quæ, clauſa ianua deitatis, foras emiſſæ ſunt. Hæc autem adinuicem ingreſſio nullibi melius deſcribitur quàm in ferro ignito, quod totum intrat ignis, & ipſum etiam natat in eomet incendio. Ferrum autem perdit formã, & fere in aliam tranſit creaturam, quamuis maneat ignis idem. Dum anima Deum intrat, potius anima mutatur quàm Deus, quoniam de hoc Paulus ait: Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Ecce, ego & non ego, ne quis putet, quòd anima perdit eſſentiã ſuam. Nec enim Ioannes dum in Chriſti

Dei ad animam communicatio.

2. ſen. diſt. 8. & Aug. de Eccleſ. dogm. cap. 83. to.3.

Eze.44.a

Pſa. 23.b

Mat.25.b

Ibid. a

Gal.2.d

pectore dormiens erat, factus eſt Deus: quamuis per ſummam participationem illapſus, dictus ſit filius Dei. Tunc temporis poſſet ne anima eius cognoſci? quis diſcerneret ferrum, dum ad ſummum potentiæ, ei cōmunicatur ignis? tunc ſane liquefit, ac diſponitur ad varias formas, & ſic anima Ioannis liquefacta eſt, vt omnes diuinitatis formulas ipſum Verbum velut ideas infunderet ſibi. Aliud exéplum huius cōmunicationis dat Origenes loqués de celſitudine Ioannis, ad ſorté deitatis eleuati, ait ergo: Omne quod videtur in mixtione luminum videtur, nam lumen naturale ad extra, non ſufficit ad videndum, quia media die cęcus non videt, nec lumen naturale per ſe ſufficit ad videndum ſolum: quia quamuis lumine innato plenos habeas oculos, nocte obſcura non videbis aliquid: vnde oportet, quòd duo lumina miſceantur, in quorum mixtione videtur omne quod videtur. Iam ergo lumen ad extra, ad quod Ioannes aſcendit, eſt diuinitas Verbi, quod dicitur lumen de lumine, ideſt de patre luminum. Lumen autem connaturale ad intra fuit habilitas, qua Ioannis anima erat apta ad cæleſtia contuenda, quæ a primo lumine Deo in actum reduci debuit: nam ſicut in grano frumenti eſt virtus ſeminalis producendi, & non deducitur in actum niſi virtute ſolis & pluuiæ: ſic in anima Ioannis erat quædam vis innata contuendi cęleſtia, non tamen actuatur ſine ſole animam eius ad ſuperiora eleuante, vt lumini diuinitatis communicans, videret arcana deitatis, tam aperte et libere, vt ei liceret ea propalare. Sed cum conſtet, quòd maiori dictorum luminum mixtione, maior viſio cauſatur: quærendum eſſet, quanta fuit in Ioanne mixtio, ſiue immerſio prædicta: pro quo aduerte, quòd hæc mixtio communiter fit iuxta virtutem bonæ potentiæ viſiuæ, cui ſolum modo eſt dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem, qui debilibus oculis eſt infeſtus: vnde propterea ſol iuſtitiæ dum in iudicio apparuerit, damnandos minime lætificabit: quia debiles habebunt oculos, & rebelles erunt lumini. Tantum ergo luminis educes a Deo, quanta erit capacitas tua ad contuendum, ſicut tantum ignis educes a camino, quantum erit conbuſtibile, quod detuleris: ſic ergo cherub, quia eſt aptior ad videndū Deum, plus luminis habet, deinceps ſeraph, quia eſt maior illo, plus videt.

Viſio quomodo cauſetur.

Eccl. 11. b

Iob. 24. b

Viſis ergo his, adhuc ſcire cupitis quantum fuit luminis

diuino

diuino immerſus Ioannes. Pro huius altiori ſolutione ad-
uerte, quòd vltra liberalitatem beneficentiæ diuinæ, &
vltra ſublimitatem ſtatus, quo tunc temporis erit ſagina-
tus euchariſtiæ ſacramento poſt cœnam Chriſti extaſim
paſſus, eius capacitas connaturalis luminis eo modo alios
præcedebat, quo ſtellas ſol: nam de Sanctorum claritate
1.Co. 15.e Paulus loquens, dicit eos in lumine differre ſicut ſtella
Dion. epiſt. 10. ad Ioan. Euang. in medio. differt a ſtella in claritate. Beatus autem Dionyſius vocat
Ioannem Euãgeliſtam ſolem Euangelij, qui quidem iuxta
ingentem capacitatem ſuam infiniti luminis receptiuam
ſuſcepit in Chriſti pectore, vbi fluenta Euangelij clariſſime
potauit. Si ergo facula Ioannes eſt vt ſol, quantũ luminis
arbitraris eum eduxiſſe ab illo infinito diuinitatis camino,
qui erat in Ieruſalem, ideſt in anima Chriſti? aſcendit qui-
dem ad fontem luminis, & patuit ei arcanum Verbi: quod
1.Ti. 6. d lucem habitat inacceſſibilem. Nam vt ait Ambroſius, dum
Amb. lib. 7. cap. 15. Lucæ. to. 3. beatus Ioannes erat recumbens ſuper pectus Chriſti, aſcen
dit penetrans cælos, & angelos vſque ad ipſum Verbum
quod erat in principio, illudq. nudum vidit, vnde ipſe
1.Io. 1. a Ioannes ait: Quod fuit ab initio, quod vidimus oculus no-
ſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitę teſta-
mur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud
Patrem & apparuit nobis. Quod vidimus, inquit, oculis
noſtris, ſcilicet ſpiritualibus. Sed quo modo Verbum vitæ
contrectare potuerunt manus eius, cum vix illud tangat
Ioan. 1. b auditus: nam verbum ad auditum pertinet. Sed verbum,
inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus
Ioãnes alte aſcendit in pectus Chriſti. gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a patre, plenum
gratiæ, ſcilicet Spiritus ſancti. Sed quia prima hæc Ioan-
nis aſcenſio mirabilis eſt, de ipſa intellige illud Iob: Ad
Iob. 39. d præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet ni-
dum ſuum: Præceptum Chriſti eſt hoc. *Aſcende mecum in
ſortem meam*. Ardua ſunt pectora Chriſti, quoniam ange-
Auguſt. in Pſal. 49. circa med. to. 8 lis nimium ſuperiora, notat Auguſtinus ſuper illud: Con-
gregate illi ſanctos eius, quòd angeli meſſores, in ſinu por-
tant contemplatiuos, & in manibus actiuos, ideo de malis
qui neutrum habuerunt, dicitur: De quo non impleuit ma-
num ſuam, qui metet, quia non fuit actiuus, nec ſinum
Pſ. 128. b ſuum qui manipulos colligit, quia nõ fuit contemplatiuus.
Ioannes autem quia in contemplatione ſummus fuit, non
in ſinu angeli, ſed in ſinu Chriſti portari debuit, vt iure Sa-
lomon

-lomon miraretur viam aquilæ in cælo, dicens: Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. Per has quattuor vias, poſſemus intelligere quattuor viros, qui vt pie creditur, viderunt diuinam eſſentiam, ſcilicet Adam, Moyſen, Paulum, & Ioannem: aquila in cælo eſt Iões in pectore Chriſti: coluber ſuper petram eſt Adam in raptu: nauis in medio mari eſt Moyſes populum educens per mare rubrum: vir in adoleſcentia eſt Paulus conuerſus in fauorem Eccleſiæ, qui raptus eſt vſque ad tertium cælum. Quantum autem alios tres aquila precedat, non eſt modo diſſerendum, ſed vt cum Ioanne altius & nos aſcendamus, aduerte quòd in primis tribus notatur myſterium Trinitatis: nam aquila in cælo eſt pater in ſua eſſentia, eadem quidem eſſentia Dei dicitur cælum, & petra, & mare, quia vocatur a Damaſceno pelagus infinitæ ſubſtantiæ. Et eſt tertium cælum ad quod rapitur Paulus, & petra deſerti a qua vocatur agnus. Iam ergo Pater in cælo, ideſt in eſſentia, eſt aquila eminens auctoritate, cuius via difficilis eſt. Nam, vt Theologi aſſerunt, eſt circuminceſſio in diuinis. It ergo intra ſe quia vt ita dicam, itinerans filium generat in itineribus æternitatis eius: vbi totus tranſit in filium, qui ſignatur in colubro a Moyſe exaltato, quo ſanantur in eremo. Vnde propterea quando dęmon promiſit ſcientiam Dei, venit in figura ſerpentis, nam prudentia tribuitur ſerpenti. Vnde quia Iſrael contra diſpoſitionem Dei in gubernatione populi, quæ ad ſapientiam pertinet, murmurat, mordebatur a ſerpentibus, & ſanatur a ſerpente, vt intelligatur filius Dei, qui ait: Percutiam & ego ſanabo. Hic ergo viam difficilem habet in dicta petra, ſcilicet eſſentia, dum ſpirat Spiritum ſanctum, qui eſt nauis in medio maris, quia licet ſit vltima perſona, dicitur tamen eſſe in medio maris deitatis, in quo omnia eminenter congregantur, quia & eſt nexus, & vinculum patris & filij. Dicitur autem nauis quoniam ad ipſum pertinet deferre per viſionem beatos in cælo, ac defert prouiſionem gratiæ ad Eccleſiam. Et ipſe de longe portat panem ſuum: quia Verbum de Spiritu ſancto conceptum eſt. Hæc ergo itinera æternitatis difficilia ſunt, & ideo ab eis incuruantur colles mundi, ideſt philoſophi. Quartum autem ignoratum eſt vnitas ſubſtantiæ. De quibus quattuor ait

Pro. 30. b

Eſſentiam Dei quis viderit.

Salomõ qd intelligat p tria ſunt mihi difficilia

Dam. lib. 1. de ort. fide cap. 12. in princ.

Deu. 32. f

Spiritus ſanctus dicitur nauis.

Digitized by Google

1.Ioã.5.b ait Ioannes: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ecce tres, ſed hi tres vnum ſunt, ecce quartum difficilius. Tamen quia non ita conuenit via viri in adoleſcentia, ideo iuxta ſenſum communem verius exponitur de incarnatione Verbi, quæ difficilior dicitur, quoniam præſupponit alia: creditur enim Filius miſſus a Patre ac de Spiritu ſancto cóceptus, & vltra hoc eſt adhuc arcanum per ſe, quod ſciri niſi per reuelationem non potuit. Eſtq. difficilius ſcitu, quia omnis intellectus facilius inclinatur ad ſentiendum de Deo alta quàm infima: vnde propterea myſterium Trinitatis non dicitur ſcandalum ſicut myſterium crucis. Item dicitur ignoratum, quia ita ingrati ſumus, & ſic viuimus quaſi neſciamus Deum pro nobis conceptum & natum. Ioannes autem cum ita aſcenderit quòd Verbum in principio paterno contemplaretur, ad modum aquilæ ita deſcendit ad nos vt prędam afferens domeſticis ſuis, diceret: Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. In his verbis nos inuitat, vt & nos aſcendamus cum eo in ſortem diuinæ contemplationis ſuæ. Nec enim ob aliud aſſerit Verbum carnem factum, niſi vt nos tali ſaginati edulio aſcendamus in montem Domini.

Incarnatio & natiuitas difficilis.

Ioan. 1.b

Secunda ſors. Vidimus primam ſublimiſſimam Chriſti ſortem, ad fruitionem cuius vocauit Ioannem, nunc autem videamus aliam abiectiſſimam ſortem eiuſdem Domini, ad quam pariter vocat fratrem ſuum Ioannem, quem comitem vult habere in vtraque fortuna. Iã ergo ſecunda Chriſti ſors deſcribitur in Leuitico, vbi dicitur: Cuius exierit ſors Domino offeret illum pro peccato. De duobus hircis refertur hoc, alter ſorte ſignatus, debuit immolari Domino pro peccato: alter vero emiſſarius, vocabatur dimiſſus voluntati ſuæ. Qui ſunt iſti duo hirci fratres mei, niſi Chriſtus & Barrabas? Super quem cecidit ſors crucis niſi ſuper noſtrum Ieſum, qui velut hircus formam ſumpſit peccatoris & leproſi? Hic ſane immolari debuit pro peccato noſtro, quia ſors crucis, Patre permittente, cecidit ſuper eum: ne autem ſolitarius pergeret, ait Ioanni: *Aſcende mecum in ſortem meam*: Sed forte vultis a me ſcire quando hæc dixit ei, cum in Euangelio non legatur. Scitis equidem quo modo ad priorem ſortem fuit inuitatus, dum ei Chriſtus exhibuit reclinatorium pectoris ſui cœna facta, tũc ſane inuitauit eum ad alteram ſortem, quia ei aperuit arcanum paſſionis ſuæ, &

Leu. 16.b

Crux eſt ſors hircorum.

& hæc reuelatio fuit gladius quo anima eius perforatur: vnde præ dolore ſuper Chriſti pectus recubuit, qui ne hoc ab alijs ſentiretur, brachijs amplexantibus fouet, quem ferierat, tunc ei dicitur: *Aſcende mecum in ſortem* crucis meæ, ne deficias vſque dum finem videas, grandis tibi reſtat via. Si dulciſsimum calicem ſanguinis recepiſti, veni mecum ad aliam menſam, vbi mecum felle & aceto, ac vino myrrato potaberis, amicorum enim tam amara quam dulcia ſunt communia. Vt videas qualiter ſolus Ioannes aſcendit in ſortem crucis, nota quòd ceteri deſcendunt, quia fugiunt relicto Chriſto, quod etſi Ioannes eorũ ignauia ductus, fecerit, ſtatim ad ſe reuerſus Chriſtum ſequi decreuit, & aſſumpto Petro ad finem vſque peruenit, optans cum Chriſto teneri: nam calix Chriſti quem amplius ceteris in cena guſtarat, ei vires notas adminiſtrat, ne ſe abſcondat, ſed notus Pontifici introducat Petrum comitem ſuum. Sed o Ioannes ignoras quòd te poterunt cum Chriſto capere, quem de diſcipulis primo interrogant, vt eos pariter teneant? Cur te coniungis & faues Petro, quem ſua manifeſtat loquela? Amor, inquit, & amicitia vere me ſequi compellit meum Ionathan: ſum enim armiger eius, ſequar eum quocumque ierit. Sequor agnum quocumque perrexerit, nec ab eo euelli queo. Quãdo arbor tranſplantatur parua, ita immittit radices altas & firmas, quòd nullo ventorum impulſu eradicatur, quando autem grandis tranſplantatur, paruo turbine tollitur de terra eius radix. Ceteri Apoſtoli de mundo ad hortum vitæ Chriſti iam grandeui plantandi aduenere, ſed Ioannes in iuuentute & ab infantia Chriſto deſeruiens: ideo turbo paſsionis qui alios Apoſtolos euulſit a Chriſto, hũc ſeparare ab eius præſentia nullatenus valuit quin ſecum aſcenderet caluariæ locum, conſorſq. eſſet crucis. Sed forte tunc temporis huc & illuc vagabatur, aut erat velut aſtans inuoluntarius concioni: qui terit pede, nutat capite, ore loquitur, totus mouetur, & memoria diſcurrit. Erat ne ſic Ioannes? abſit. Nam fixis oculis in Chriſtum ſuum ſtat coram eo vti ſtare ſolebat dum Chriſtus concionabatur: vnde propterea dicitur: Cum vidiſſet Ieſus diſcipulum ſtantem. Ieſus tunc temporis cruci affixus hinc inde videre non poterat niſi poſita coram ſe, quia corona ſpinea non ſinebat caput vertere. Sed

[Margin: *3. Reg. 19. b* — Exemplum — Ioãnes qualiter aſtat cruci. — *Io. 19. e*]

re. Sed o dilecte Ioannes, quem etiam tunc temporis plurimum diligebat Ieſus, quo modo ſtabas quoniam ſublimiter extitiſti in confractione: vbi ceciderunt fortes
2.Reg.1.d Iſrael? Stabat equidem optans realiter ſortem crucis aſcendere. Stabat erectis oculis, arrectis auribus, animo ſuſpen
Gal. 2. d ſus, facie pallida & eleuata veluti ſi diceret ipſo facto: Christo confixus ſum cruci. Qui ſic erat, putas quòd ſpinas, clauos, & fel, & ictus mallei non patiebatur? Sentiebat quidem in ſe, quod & in Chriſto Ieſu amatore ſuo: nam
Ioã.19. f hoc nobis inſinuare voluit, dum ait: Vnus militum lancea latus eius aperuit: & continuo exiuit ſanguis & aqua. Nulla equidem ſunt, quæ minus diſtingui valeant quàm iſta, præſertim quando ſanguis eſt prior, quia eius colorem induit aqua ſuperueniẽs: tamen viſus Ioannis ſic erat in Chriſtũ attẽtior, quòd hoc in eleuata cruce diſtinguere potuit, quod ipſe ponderans ait: Qui vidit teſtimonium perhibuit, & ipſe ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis. Tunc temporis arbitror quòd ipſe Ioannes recuperauit fidem deitatis Chriſti, videns aquam ſapientię ſalutaris, & ſanguinem redemptionis noſtræ prouenire a latere dextro deitatis Chriſti, quæ mirabiliter operabatur, vnde oſſa illa mortua prophetauerunt, quòd corpus illud eſſet vnitum Deo. Nullus valet exprimere quàm deuotiſsime Ioannes aſpexit latus illud, cui vnitus fuerat in cœna Domini ſui. O Domine Ieſu ſi tam gratus es, vt Apoſtolis parum
Luc.22. c vigilantibus diceres, quaſi eis gratias referens; vos eſtis qui permanſiſtis mecum intentionibus meis, quid nunc, ſi loqui potuiſſes, diceres Ioanni dilecto, qui portauit pondus
Mat.20.b diei & eſtus? Qui non ſolum permanſit vſque ad conſummatum eſt, ſed vſque dum ſanguinem vltimum colligeret?
Cant.5. c certe diceres ei: Dilectus meus candidus præ pallore, & rubicundus præ ſanguine meo: electus ex millibus notis meis: aut electus ex millibus, ſcilicet deuotis paſsionis Chriſti inter quos plures fuere & ſunt, qui dum eam contemplantur præ dolore, exhalare cupiunt animam, & pretioſa morte vitam finire. Præ omnibus iſtis Ioannes experitur dolores Ieſu, propter quorum laborem liberauit Ioannem ab ipſius mortis dolore, vt ridens obiret, & martyrium crucis eum ſufficiat ceteris meliorem martyrẽ nominare. Bene igitur poſt primam ſortem viſionis Dei ſequitur

quitur ſors doloris, quia & Paulo poſt raptum tertij cæli dicitur: Ego oſtendam ei, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Figura igitur qua oſtenditur quo modo Ioannes patebatur cum Chriſto, deſcribitur in libro numerorũ: vbi notat Gloſſa ſuper illud, quòd in combuſtione vaccæ adducebant lignum cedrinum, hyſopum & crocum bis tinctum: ibi, inquit, ſignantur tres perſonæ cum Chriſto paſſæ; prima eſt Maria per hyſopum humilem deſignata: Secunda vero eſt Ioannes Euangeliſta ſignatus in cedro, quæ eſt arbor alta: ipſe autem eleuatus fuit ad ſecreta cæleſtia: Tertia fuit bonus latro ſignatus in croco bis tincto, quia Chriſto compatiebatur mente, dicens: Hic autem nil mali fecit, & etiam cum Chriſto patiebatur in corpore.

Act. 9. e

Nu. 19. a

Luc. 23. f

Tertia ſors Chriſti. Propter crucis ingentem laborem voluit Chriſtus dilectum ſuum ad aliam ſortem vocare tanquam ad præmium. Tertia Chriſti ſors qua prę conſortibus ſuis pollet, eſt vt habeat matrem virginem, & ſolus ſit virginis Filius. Ad hanc ſortem ex eadem cruce Ioannem vocauit, & in ſententia dixit ei: *Aſcende mecum in ſortem meam*: Vt & tu ſolus mecum ſis eiuſdem virginis Filius, quia ecce mater tua. Nec putes a veritate alienum, quòd ſit mater tua: nam ſicut dum ego factus ſum eius filius propter eius integritatem ſeruandam, Spiritus ſanctus ſuppleuit, quæ neceſſaria erant: ſic ſuo modo impreſentiarum ego ſuppleo per meam voluntatem cuncta quæ deſunt ad hanc maternitatem, ne quis putet minus poſſe verbum Dei, quàm ipſa natura. Nos omnes, ut nouit charitas veſtra, ex aqua & ſpiritu renaſcimur: Ioannes autem præter hoc alio nouo naſcendi modo vtitur, quo ex Virgine & voluntate Chriſti natus eſt. Sacerdos autem volens vt renaſcamur, immittit ſuper nos aquam mundam, & ea & ſpiritu aſperſi dum aſſentimus, regeneramur. Mirabile dictu quis crederet hoc, niſi Deus diceret: oportet vos naſci denuo? Ecce nunc beatus Ioannes quamuis aliter, denuo naſcitur: dum Chriſtus Mariam poſuit ſuper caput eius addens ſpiritum ſanctificationis: Ioannes autem vt oſtenderet aſſenſum præſtaſſe, noluit procraſtinare, nec nutare, ſed ex ipſa hora accepit eam diſcipulus in ſuam proculdubio matrem. Nec mireris, quòd virginem com-

Ioannes eſt filius Mariæ ſpecialis.

Io. 19. e

Ioan. 3. a

Eccli.24.b pararim aquæ, nam ipſa de ſe loquens, ait: Ego quaſi fluuius dorix, & quaſi aquæductus exiui de Paradiſo. Dixi: Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Hortus plantationum, eſt Eccleſia quam Maria infundit. Præter hoc habet alium infundere, ſuper quem immittit rorem nimium. hic eſt Ioannes de quo peculiariter dixit: Inebriabo partus mei fructum. Partus Mariæ Chriſtus eſt, huius fructus ex ipſa matre eſt Ioannes, quia eius filius eſt, dicente Chriſto; ecce mater tua. *Ioã.19.e* Ieſus ergo qui ſuo verbo fructus in arbore poſſet facere nouos, quaſi fructum appoſuit Mariæ Ioannem, dicens:ecce mater tua: & vt ab ipſa fere procedere videretur,præmiſit, mulier ecce filius tuus. Mirabile quidẽ eſſet ſi nunc Deus, o mulier collocaret in gremio tuo, in ſinu,& in pectore infantem aliquem,& deinceps tibi diceret: mulier ecce filius tuus. Et ne puer dubitaret,etiam ingereret ſibi,ecce mater tua. Ego equidem arbitror quòd Chriſto dicente: Ecce filius tuus: & ecce mater tua, dans vim verbo rem verbi effecit: ita vt ex illo inſtanti creatus ſit in Maria optimus affectus maternalis ad Ioannem, & etiam in ipſo affectus optimus filialis ad virginem, quod ipſe teſtatur,dicens:Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam. Ad hanc ergo ſortem vocatur ex cruce Ioannes, qui etſi tunc temporis formato nouo affectu filiali plus condoluit Mariæ, & alio modo quàm antea: deinceps amplius lętabatur, quia in omnibus proſperis eius ita congaudebat, vt filius de bono matris euentu. Nos omnes Mariam vocamus matrem noſtram, lętamurq. in bonis ſuis, nullus tamen eam vocat matrem meam, nec lætatur in bonis eius ſicut heres præter Ioannem, qui eam vocabat matrem non noſtram, ſed meam: vt autem clarius inſpicias quantum præcedit nos Ioannes in hac adeptæ maternitatis ſorte, aduerte, quòd etſi Chriſtus nos omnes fratres ſuos fecerit,quia ipſe Ioannes ait: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri:tamen ſolum ex parte patris nos effecit fratres ſuos, et vltra hoc magnificauit cum Ioanne miſericordiam ſuam, eumq. fecit fratrem ex vtraque parte, ſcilicet ex parte matris, & patris: vnde ad fraternitatis integræ ſortem ſolus Ioannes realiter vocatur: ſi nos autem ſumus, & filij ſpirituales Mariæ, oportet a Ioanne copiam petere, & adhuc minori gradu erimus:

Ioannes habet affectus filiales Mariæ.

Ioan.1.b

erimus: quod ipſa notauit cum diceret ſeparatim: & inebriabo partus mei, ſcilicet Chriſti fructum. Hortus plantationum quas Maria rigat ſunt animæ chriſtianæ fructus: partus eius eſt Ioannes, de quo peculiarem habuit curam. Idcirco quemadmodum Ioannes ex illa hora virginem acceptit in ſuam matrem, ſic ipſa eum in ſuum filium, & Chriſtus creauit in eis, & ipſi produxerunt affectus conſentaneos vti eſſe ſolent inter matrem & filium. Ex illa hora cognouit Ioannes quanta eſſet illa ſors, & ex tunc, corde, ore & opere accepit poſſeſsionem, quia nouerat ſublimitatem doni, vnde ait intra ſe: Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei in matrem ad me? ¡Totum hoc notauit Ioannes, cum ait: Ex illa hora accepit eam in ſuam, & nil amplius explicat, volens ſubintelligi, & matrem, & cuſtodem, & dominam, & adiutricem, & doctricem, & collatricem, aliaq. id genus. Quanta bona Ioanni aduenerint cum illa matre, vix cogitari poſſunt, tamen ſapiens ait: Qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam, nam ſic accepit eam in ſuam, & obuiauit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier a virginitate ſua ſuſcipiet illum, ſcilicet in filium. Cibabit illum pane vitæ, &c. vſque nomine æterno hereditabit illum. Ibi enarrantur omnia quæ Ioannes hereditauit a matre ſua, quam quia ſpernunt hæretici lutherani, de illis ſequitur: Homines ſtulti non apprehendent illam, *& c.* Nil amplius vellem addere, nec plura uolo vobis dicere, niſi quòd in hoc dono materno Ioanni collato adimpleuit Chriſtus omnium donorum antiquorum figuras: nam ſi contulit paradiſum Adæ patriarchæ, nonne paradiſus eſt Maria? Si Ioſeph poſuit in ſacco Beniamin ſcyphum argenteum, nonne Maria eſt ſcyphus diuinæ ſapientiæ? Si Ionathas poſt mortem Philiſtæi tradidit Dauid cingulum ſuum aureum, nonne Maria eſt omnimodo caſtitate accincta, ſingulosq. ſuos accingit? ſi Deus ædificauit domos obſtetricibus Ægypti propter pietatẽ infantibus hebræorum exhibitam, nonne domus Dei eſt Maria Ioanni data propter piam ſocietatem crucis quã Chriſto exhibuit? Si rex Hiram obtulit Salomoni eborem, vt faceret ſolium ſibi, nonne Maria eſt thronus Dei, quem Ioanni ſeruandum tradidit? Si fons Iacob, datus eſt Ioſeph in prædio quod ei dedit pater ſuus, nonne Maria eſt

Luc. 1. f

Eccle. 15. a

Gen. 44. a

1. Reg. 18. a

Exod. 1. d

3. Reg. 5. a

Gen. 48. d

Io.4. a. b ſons gratia plenus? ſi Chriſtus gaudium plenum dedit apo-
Io. 16. c ſtolis, nonne Maria eſt gaudium vniuerſæ terrę, quod Io-
Pſ. 64. a anni confertur? ſi Spiritusſanctus beato Dauid hymnum
ſibi canendum tradidit, nonne Maria eſt nobis hymnus de
canticis Sion, quo Ioannis ora implebuntur in laudem? Si
Iud.13. a Iudith tradidit Bethuliæ caput hoſtis, nonne Maria eſt vi-
Act.12. a ctrix, quæ Ioannem poterit adiuuare? ſi angelus lumen at-
tulit Petro, vt refulgeret in habitaculo carceris, nonne Io-
3.Re. 10. annes poterit nobis afferre Mariam illuminatricem? Si mu-
b nera magna regina Saba contulit Salomoni, nonne ipſa re-
Iob 42. d gina cæli datur Ioanni? ſi dona beato Iob collata noctem
verterunt in diem, nonne Maria peccatorum noſtrorum
exterminabit noctem? ſiquidem Dei ſapientia dixit, vene-
Sap. 7. b runt mihi omnia bona pariter cum illa, non ne hoc me-
lius de Maria matre increatæ ſapientiæ poterit Ioannes
Pſ.106. c dicere? Si de ſanctis dicitur, quòd deduxit eos Dominus
in portum voluntatis ſuæ, nonne Maria eſt felix portus ho-
minum bonæ voluntatis, qui manibus Ioannis traditur,
vt citius captare poſsimus hunc portum? Si quietem a prœ-
lijs dedit Deus Salomoni, nonne Maria fecit, vt ceſſaret
caſſatio iuſtitiæ Dei? ſi regnum Iſrael tradidit Deus Da-
uid, nonne Maria eſt regnum Chriſti & Dei, cui proponi-
tur Ioannes non vti rex, ſed vti filius regni? de ſapientia
prophetis collata, quid vultis audire cum Maria ſit doctrix
Eſth. 8. b diſciplinæ Dei? Si Aſſuerus Mardocheo tradidit annulum
ſuum, quo erat ſigillum regis, vt traditoris Aman deſtrue-
rentur inſidiæ, nonne Maria eſt annulus patris, in qua vt
ſigillum eſt filius, quo diaboli poterit Ioannes inſidias ſu-
Ioſ.10. c perare etiam pro nobis. ſi Ioſue detento ſole data eſt ho-
ſtium victoria, beato Ioanni datur maior poſtquam ſol Ma-
ria in eo detinetur propter nos homines, & propter no-
ſtram ſalutem, & gloriam obtinendam, quam mihi, & vo-
bis præſtet Ieſus. Alias tres ſortes habet Chriſtus, quas
etiam contulit Ioanni, ſcilicet ſuperexcellentiæ, & hanc
inuenies in ſecunda parte alphabeti noſtri in litera N. Alia
eſt ſors ſcripturæ, quæ etiam datur Ioanni. Tertiam ſor-
tem omnimodæ gloriæ in anima, & corpore, quam &
Ioanni tradidit, quære.

SERMO DE CIRCVMCISIONE CHRISTI,

Et nominis impoſitione : vbi expenditur Euangelium feſti huius.

THEMA.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Lucæ II.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IStemet angelus de quo in præſenti Euangelio fit mentio, cum in aptandis nominibus polleat, etiam apparuit Zachariæ, dicens: Vxor tua Heliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi, & exultatio. Orationi inſtabat Zacharias quando hæc audiuit, nec orabat pro ſe, ſed pro populo, tamen pro ſe, & pro populo petitiones obtinuit, prius pro populo, quoniam dictum eſt, exaudita eſt deprecatio tua. Poſtea ſibi etiam obtinuit, quoniam angelus addidit, & vxor tua pariet, &c. qui ſolum pro ſe orat, vix obtinet, qui autem orat pro alio, & ſibi, & alteri obtinet quod præcatur: Facilius ergo exauditur, qui pro ſalute alterius rogat. Libenter quoque pro ſalute animarum rogantem exaudit Dominus, qui amat animas: vnde in legenda Ceciliæ dicitur. Rogaſti Dominum, quod eum magis præſtare delectat. Cum ergo ſacerdos iſte oraret pro Eccleſia ſua, reſponſum habuit: vxor tua pariet tibi filium. Vxor prælati plebs ſubdita eſt, cui congruit quod Euæ dicitur: ſub viri poteſtate eris. Attamen quamuis plebs ſubdita præcipiatur eſſe prælato, & obediens, aduertere debet Adam de latere ſuo formatam eſſe mulierem, non de pede, vt quo illam ſubiectam ſe eſſe agnoſcit, eo prælatus parem ſibi eam iudicet, & agno-

Luc. 1. b

Oratio pro alio facilius impetrat.

Prælati vxor eſt Eccleſia.

Gen. 3. d

ſcat, nec tam ſubditos eſſe exiſtimet quàm fratres : vnde
Eccl.32.a ſapiens prælato ait: Noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus
ex eis : vnde & Euæ dicitur ſua ſubiectio, nec dicitur ei,
quòd de latere viri formata ſit, quod tamen ipſi Adæ in-
Gen.2. d notuiſſe notatur, cum ait: Hoc nunc os ex oſsibus meis, per
quod innuitur, quòd prælatus patrem debet ſe agnoſcere,
non Dominum, plebs autem agnoſcat ſe ſubiectam, vnde
Eccli.3. a ſapiens ait: Natio iuſtorum obedientia, & dilectio, obe-
dientia quantum ad ſubditos, dilectio quantum ad præla-
tos. Vbi obedientia, ibi ſubiectio, vbi dilectio, ibi parili-
Act.12. a tas, & æqualitas: vnde Petrus percuſſo latere excitatur,
vt admoneatur ad gerendam curam Eccleſiæ tanquam vxo
ris ſuæ ſe dimitti, & parem reputare debere. Hæc ergo
vxor parit prælato, ſiue prædicatori bonum opus, quia fru-
Cant.2.b ctibus ſubditorum nimis gaudet, vnde ait: Fulcite me flo-
ribus, ſtipate me malis, quia amore langueo, id eſt, bonis
operibus ſubditorum. Tamen licet prælato proſit ad glo-
riam profectus ſubditorum, Ioannes eum debet vocare:
quia gratia Domini eum debet aſcribere prius, vnde ait
angelus: Et vocabis nomen eius Ioannem, poſtea vero ex
profectu plebis, & ex laude Dei ſequitur. Et erit tibi gau-
dium, & exultatio, ſed hanc exultationem habere non po-
Luc.1. e terimus niſi per illam quæ dixit: exultauit ſpiritus meus in
Deo ſalutari meo. vnde pro gratia impetranda ei offera-
mus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

TRibus myſterijs decoratur dies iſta. Primum eſt cir-
cumciſionis: alterum vero ſanguinis Chriſti effuſi: ter
tium autem nominis eius: quæ tria diſparata non ſunt, ſed
nimis adhærentia ſibi: bene aduerte, quòd iudæi circum-
ciſionis die nomen imponebant infanti, quia vt nomina
noſtra ſcribantur in cælis, oportet nos prius circumcidi
ſpiritualiter, & tunc vocabimur Ieſuitæ, id eſt ſaluati, ſed
Hebr.9.e quia ſine ſanguinis effuſione, teſte Paulo, non fit remiſsio,
& noſter ſanguis ad hoc non valebat, quia erat tanquam
Iſa.49. a pannus menſtruatę, id eſt Euę, in cuius menſtruo peccati
nutrimur in vtero: Deus autem de ventre matris meę re-
cordatus eſt nominis mei, & vt nomen ſalutis haberem
appoſuit

appoſuit ſeipſum hodie gladio acuto circũciſionis, vt eius mundiſsimo ſanguine ſaluaret me, quod narratur in Euangelio cum dicitur: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, &c. ſi ergo vis inter angelos computari, oportet vt fruaris nomine, quod vocatum eſt ab angelo, tamen prius debes circumcidi: vnde in priori ſermonis parte agam de circumciſione: in altera vero de nomine, quod non datur niſi circumciſo. Diuiſio.

PRIMA PARS.

BEatus Lucas refert, quòd Ioſeph, & Maria erant mirantes ſuper his quæ dicebantur de puerò Ieſu: nos autem non ſolum ſuper dictis, ſed ſuper factis in puero Ieſu mirari debemus: vix natus eſt, & iam gladio percutitur: vix habet ſenſum, & iam ſentit vulnera noſtra nobiſcum. Sufficeret diei malitia ſua: ſufficeret paſsioni tempus ſuũ, *Mat. 6. d* quid mala præmeditaris, & præſentis antequam veniant? vix habes ſanguinem, & iam illum feſtinas effundere? tu noluiſti vt coqueretur hedus in lacte matris, & vis quòd ipſa recipiens ſanguinem tuum, decoquatur in illo? nec dicas, quòd propter nominis impoſitionem circumcideris, quod tunc temporis imponebatur, ſufficeret tibi quòd hoc nomen os patris tibi impoſuit, & os angelicum illud attulit matri tuæ, & ipſa ante circumciſionem te illo vocabat: habuit ne ſacerdos ille quamuis, vt aiunt, eſſet Zacharias maiorem auctoritatem quàm angelus, qui etiam mutare poteſt nomina circumciſis! vt patet in Iacob, cui dixit: Non vocaberis vltra Iacob ſed Iſrael erit nomen tuũ. *Gen. 32. f* Scio infans quòd ſcis reprobare malum, & eligere bonum, *Iſa. 7. e* tamen hoc malum ſubire video, & in laboribus ab infantia nutritum te eſſe cognoſco, cauſa tamen latet me: ſed ad Euangelium præſens percurramus, nam illic aliquid reperiemus, quia etſi verbis abbreuiatũ eſt, myſterijs refertũ dignoſcitur, ſic ergo incipit: *Poſtquã conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer*. Octo dies præeuntes circũciſioné ac præueniẽtes eã: octo rationes ſunt quibus Dominus voluit circũcidi, per hos dies elucidatur circumciſionis myſterium, & quod videbatur obſcurum, redditur præclarum. Prima ergo dies dicitur conformitas: nam poſtquam Circũciſionis ratio prima eſt conformitas.

ſimilis noſtri effectus eſt, voluit per omnia non ſolum patribus antiquis circumciſis, & fratribus ſuis apoſtolis qui circumciſi erant, ſed etiam pueris hebræorum voluit eſſe
Prou. 8. d ſimilis, quoniam ipſe dixerat: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, non ſolum cum hominibus, ſed cum filijs eorum, cum infantibus volo eſſe in tribulatione eorum, & ſentire ea quæ iuſsi eos pati, vt ipſi pueri quos diligo, poſ-
Iſa. 14. c ſint mihi dicere illud propheticum: Ecce tu vulneratus es ſicut & nos, ſimilis noſtri effectus es. Nec dedignatus eſt puer Ieſus ambulare vias puerorum, qui pergere venerat vias latronum: quemadmodum ergo ex humilitate ſua cũ iniquis latronibus reputatus eſt, ſic ob eandem humilitatem voluit cum pueris reputari, nec ſolum reputari, ſed veraciter eſſe, & iure: nam conformitas nota eſt inter ſignum, & ſignatum, inter picturam, & rem pictam. Cum
Cyprian. in ſym. Apoſt. to. 3. ergo ſecundum Cyprianum ſanguis Chriſti non ſolum figuretur in ſanguine animalium, ſed etiam in ſanguine circumciſorum, oportuit eis aſsimilari, poſtquam in eis voluit figurari. Sacramenta nouæ legis maximam vim ca-
Aug. 10. de Ciuit. cap. 5. to. 5. & habetur de conſecr. diſt. 2. c. ſacris. ptant à ſignificatione peculiari, ex qua, & nomen ſumunt, quia ſacramentum eſt ſacræ rei ſignum: cum ergo in veteri lege, vt notat Cyprianus, nihil ſit circumciſione ſolemnius, & ſolum hoc ſacramentum habuerint, cuius ſignificatio ſicut, & ſacramentorum noſtrorum refertur ad Chriſtum, non debuit illa ſignificatio fruſtrari: vnde Chriſtus circumciditur, vt illa ſignificatio ſuum attingat ſignificatum, & illic finiatur. Nam ſacramenta quę incœpta ſunt ante ipſum Chriſtum vſque ad eum perdurarunt, quæ autem ab ipſo iam realiter nato habuerunt vim, durabunt equidem vſque dum iterum veniat ad iudicandum Dominus. De iſto igitur primo die conformitatis poſſumus di-
Pſal. 18. a cere: Dies diei eructat verbum.

Secunda ratio eſt humanitatis probatio. Secunda dies eſt humanitatis aſſumptæ probatio. Tam mirabilis fuit Chriſti reſurrectio, quòd, vt notat Grego-
Greg. ho. 26. in Euang. to. 3. rius, expediuit nobis, vt Thomas vulnera redemptoris tangeret, vt experimento ſciret fantaſma non eſſe, quod videbatur. Et quod hæc palpatio conferret, ipſe Dominus
Luc. 24. f voluit innuere, dum dixit: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Nunc etiam fratres mei tam mirifica fuit natiuitas ſalua-

toris quòd ipſam reſurrectionē excederet: mirabilius enim naſcitur ab vtero virginis quàm a corde terræ, quamuis vtrobique irrefragabile maneret integritatis ſigillum. Lapis ſepulchri ſignatus eſt per phariſeos, venter Mariæ ſigillo virginitatis vtroque ſaluo naſcitur Chriſtus, vtrobique gaudium, vtrobique miraculum, maius tamen in virgine. Poterant ergo magi viſionibus aſſueti de veritate carnis Chriſti dubitare, tamen eorum, & aliorum dubitationi ſubuenitur, dum Chriſtus tactu circumciſionis probatur. Nam & propter celerrimam Chriſti fugam poterat quis cogitare quòd ſicut ſtella magos adducens diſparuit, & euanuit, ſic eiuſdem Chriſti humanitas: attamen ſicut patriarcha Ioſeph in Aegyptum ductus, per circumſionem poſtea cognitus eſt a fratribus ſuis, ſic etiam Chriſtus voluit per circumciſionem cognoſci, & ab alijs populis ſegregari: de hoc ſecundo die poteſt intelligi illud Stephani. In ſecundo cognitus eſt Ioſeph a fratribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius. Et in Geneſi dicitur: Præcepit, vt egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ, ſcilicet circumciſionis. *Act.7.e* *Gen.45.a*

Tertius dies eſt vnionis ſuſceptio, quia cum ipſe ſit pax noſtra voluit facere in ſe vtraque vnum, ne ſit iam diſtinctio iudæi, & græci. Denique per ſuſceptam circumciſionem vniuit ſibi ſtatum totius tranſactæ legis, & per ſuſceptionem baptiſmi, nos etiam ſibi adunauit. Quam vnionem nouerat ille qui gratias referens, dixit: Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Non tantum dediſti mihi ſalutem, ſed & tu ipſe factus es ſalus mea: quoniam Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: illuminatio quo ad intellectum per fidem; ſalus quo ad effectum per charitatem, quoniam non eſt in aliquo alio ſalus, teſte beato Petro. Sed vt oſtenderet hanc ſalutem vtrique populo eſſe communem, cum dixit, factus es mihi in ſalutem, appoſitiue, & expoſitiue ſubiunxit, lapidem quem reprobauerunt, *& cet.* quaſi dicat. Hæc ſalus eſt lapis angularis, vt duos condat in ſemetipſo parietes, ſcilicet iudæorum, & gentium, & fiat vnum ouile & vnus paſtor. Nec mirum quòd iſte lapis ſit ſalus, quoniam, vt ait B. Petrus, eſt lapis viuus & electus, ſcilicet inter omnes tanquam ſalutaris, & ad conferendam ſalutem

Tertia ratio eſt vnionis ſuſceptio. *Pſ.117.e* *Pſ.26.a* *Act.3.b* *Eph.2.c* *Ioā.10.c* *1.Pe.2.a*

tem aptus, ſi tu deuote illum portaueris tecum. De iſto tertio die poteſt intelligi illud quod Chriſtus dixit
Ioan.8.g ad reprobatores, & lapidatores ſuos, ſcilicet: Abraam pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, et gauiſus eſt. Vidit, inquam, quia patriarchæ facta eſt huius vnionis repromiſsio, quoniam in ſemine ſuo, ſcilicet Chriſto non ſolum iudæi, ſed omnes cognationes terræ benedicendæ erant.

Quarta ratio eſt legis adimpletio.

Quarta dies vocatur legis adimpletio: vnde aduerte quòd tanta eſt clementia ſaluatoris, vt legem adimplere vellet, cum ex toto poſſet eam abolere. Nos a ſeruitute legis liberauit, non tamen ſeipſum, de quo Paulus ait:
Gal.4.a Miſit Deus filium ſuum in mundum factum de muliere, factum ſub lege, *& cet.* Vbi aduerte iuxta S. Bonauenturam quòd legis præcepta ſunt in triplici genere, quædam ſcilicet ſacramentalia, quædam cerimonialia, quædam moralia, omnia iſta Chriſtus impleuit. Primum circumciſione, ſecundum in præſentatione, tertium in tota vita ſua. Sed mirum eſt cur a ſua teneritudine pati cœperit.
Tren.3.d Parum eſt illud: Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, quia Dominus ab infantia detulit il-
Act.15.b lud tam graue, quod teſte Petro: neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, quod ſignanter intelligitur de circumciſione, quam Chriſtus terminauit in corpore ſuo.

Quinta ratio eſt humilitas.

Quinta dies dicitur humilitas, quam Chriſtus in hoc opere docuit nos, dum peccatoris ſignum non abhorruit: nam propterea circumciſio fiebat in membro generandi, vt oſtenderetur quòd per carnis traductionem maculam originalẽ a parentibus contrahimus, etiam ſi ſint ſancti: ab hac originali macula mũdabatur infans per circũciſionẽ:
Exo.12.e alioquin tãquã immũda peribit anima eius de populo ſuo, ideſt de numero ſanctorum. Circumciſio ergo erat ſignum, quòd circumciſus neceſſe habuit mundari, Chriſtus autem
Ioan.1.b fruſtra hoc ſignum accepit cum non ſit natus ex voluptate carnis, ſed ex Spiritu ſancto: attamen habuit ſignum pec-
Cyprian. in ſer. de Natiuit. Domini to.3. cati propter humilitatis commendationem: quam propterea Ciprianus vocat initium Chriſtianitatis: Ergo viſa Dei humilitate dicamus: Incuruati ſunt colles mundi,
Abac.3.a ideſt ſanctiores ab itineribus æternitatis eius: dum enim conſide-

conſiderantur itinera æternitatis eius, ideſt viæ per quas ſe diuina maieſtas inclinauit, ad conſimilem obedientiam, & humilitatem quidquid altum eſt in ſæculo, debet inclinari.

Sextus dies eſt initium redemptionis noſtræ, quam tantum adamabat, vt ſtatim vellet eam incipere: vnde ſic exponit Bonauentura illud ſapientis: Cũ conſummauerit homo tunc incipiet, ideſt cum Deus factus homo conſummauerit octo dies, de quibus in Euangelio fit mentio, tunc incipiet operari ſalutem noſtram, ideoq. tunc cœpit vocari Saluator. Sexta ratio eſt initium redemptionis. *Eccl.18.a*

Septima dies eſt intimatio intimæ circumciſionis Dei quæ mirabilis eſt: nam dum omne maſculinum iubet Deus circumcidi, & filium ſuum voluit etiam circumcidi, oſtendit quòd iam abiecit a ſe rigorem iuſtitiæ, quidquid auſteritatis, quidquid ſeueritatis in Deo eſſe ſolebat, iam eſt circũciſum, ita vt facile ſit ei vim inferre et etiam occidere: nam & morti ſe expoſuit propter amorem noſtrum: quòd, vt notat Vbertinus, mirabiliter figuratur in Sichem filio Emor qui erat inclitus in domo patris ſui, & quia Dinam adamauit, circumcidit ſe propter illam: & tandem propter eam obijt iniuſte: nam poſtea dixit Iacob: Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia, intra conſilium eorum non veniat anima mea, *& cetera*. & hoc exponitur communiter de morte Chriſti, quæ figuratur in morte Sichem, qui omnes ſuos & ſe circumcidit ob amorem ſponſæ ſuæ. Sic filius Dei iam ob noſtræ humanitatis amorem abiecit a ſe, & ab angelis ſuis animam maſculinum prædominantem, ideſt rigorem iuſtitiæ, & pro illa puella quã adamauit, ait: Augete dotem, munera poſtulate, *& cetera*. quidquid petierimus ab eo obtinebimus ob amorem ſororis noſtræ. Septima ratio. *Gen.34.a* *Gen.49.a* *Gen.34.b*

Octaua dies eſt, auctore Bonauentura, ſpiritualis circũciſionis introductio: nam de Chriſto ſicut & de Abraam dici poteſt: Signum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ: ſic Dominus Ieſus non ſolum circũciditur ad oſtenſionem propriæ iuſtitiæ, ſed etiam ad deſignandum, quòd iuſtitia noſtra quæ eſt ſuperior quàm ſcribarum, & phariſeorum, ſtat non in carnali, ſed in ſpirituali circũciſione. Quater Chriſtus circũciditur: primo a patre in natiuitate Octaua ratio circumciſionis. *Rom.4.b* Circũciſio Chriſti quadruplex.

te cultello paupertatis: ſecundo a matre cultello legis:tertio a ſe cultello humilitatis per totam vitam: quarto a Iudæis cultello crucis. Exclama ſuper has, o Domine Ieſu ſufficeret tibi vna & non tot, ſed ſemper dolorem vulnerum tuorum addiderunt. Sed & circumciſiones noſtræ ſunt etiam quattuor vt ad octauum numerum redeamus qui multum conuenit Chriſto de quo ſpiritualiter dicitur: Octaua ſors venit Iſaiæ filijs, & fratribus eius duodecim. Iſaias interpretatur ſalus Domini, & eſt Dominus meus Ieſus, qui hodie incipit operari ſalutem in medio terræ, ſcilicet in Ieruſalem, quam ſalutem per duodecim Apoſtolos vſque ad vltimum terræ tranſmittet. Quater ergo te circumcides, primo aufer curioſitatem ab intellectu per prudentiam quæ docet plus legendum in libro vitæ quàm in libro ſcientiæ: alioquin Stephanus dicet nobis:Dura ceruice & incircumciſis, *& cetera*.circumdamus ergo præputia cordium,ideſt intellectuũ. Secunda circumciſio eſt carnalitatis in affectu, quam facit fortitudo ſiue conſtantia quæ eſt gladius deuorans carnes. Sic animæ noſtræ diceretur: Ieruſalem ciuitas ſancti non adijciat vt tranſeat per te incircumciſus autimmundus. O ſi qui, licet noſtrum, eſſet Achior qui circumcidit carnem præputij ſui. Tertia eſt vanitatis in operatione quam facit iuſtitia: nam etſi bona opera non circumcidis a vanitate,quid erunt niſi Philiſtæus incircumciſus? Quarta eſt curioſitatis in affectu, quam facit temperantia,hanc habebat Paulus dicens:Nos circumciſi ſumus circumciſione non manu facta, & iſta carebat qui dixit: incircumciſus labijs ego ſum: nam hæc & oculos, & greſſus, & totum hominem conſiderat: & gladio ſpiritus etiam oculum nequam eruit, & pedem abſcindere non dubitat, ideſt eos qui nobis ſunt neceſſarij: quia neceſſarior eſt Deus. Sed quia Cyprianus contra luxuriam dicit eſſe circumciſionem, octo dies poſt quos fit, ſunt octo remedia luxuriæ. Et quia poſt ſeptimanam huius vitæ in octaua beatitudinis fiet circumciſio ab omni miſeria:ideo hic poſſet tractari de circumciſione cæleſti,vbi potentiæ & virtutes erunt optime circumciſæ, ſicut fuit Chriſtus in reſurrectione, aut in monte Thabor. Sed quid? circũciſio cæleſtis non prodeſt,niſi humana præcedat, quæ ſtat in conſummatione octo dierum. Prima pertinet

1.Parali. 25.c — Homo quater circũciditur ſicut & Chriſtus. — *Act. 7. f* — *Deut. 10.* — *Iſa. 3. c* — *1. Coloſ. 2. b* — *Exo.6. b* — *Cyprian. de ratione circumciſionis, in fine.*

pertinet ad ſalutem fidei: quia prima die facta eſt lux. Secunda ad firmitatem ſpei, in qua factum eſt firmamentum. Tertia ad viriditatem charitatis: quia iuſtus quaſi virens folium germinabit: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis: hac tertia die creantur herbæ. Quarta pertinet ad luminoſam diſcretionem prudentiæ, qua creantur luminaria cæli in anima. Quinta pertinet ad ſpiritus fortitudinem, qua creantur aues: quia qui non confidunt in domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ volabunt, & non deficient. Sexta pertinet ad rectitudinem iuſtitiæ reſpectu beſtialium motuum: nam tali die creantur beſtiæ domeſticæ, de quibus ait Iob: Scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum & beſtiæ, *& cetera*. Septima dies pertinet ad ſanctificationem temperantiæ, qua creatur homo, cui dicitur: Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Octaua dies pertinet ad conſummationem perſeuerantiæ: vnde in Leuitico dicitur: Octauus dies erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, & in Pſalmo, qui eſt de tranſitu ad gloriam, ſcilicet Domine ne in furore tuo: intitulatur Pſalmus Dauid pro octaua. Cum ergo fueris in gloria dicetur de te: *Conſummati ſunt dies octo, vt circumcidatur puer*, ideſt fiat purus, & vocetur Ieſus, ideſt ſaluatus ſalute conſummata & gratia per adeptionem gloriæ.

Octo dies circumciſionis. Prou. 11. d Greg. hom. 17. in Euangel. to. 3. in princ. Iſa. 40. g Iob. 5. d Exo. 20. b Leuit. 23. b Pſal. 6. a

SECVNDA PARS.

NVnc in altera Euangelij parte dicitur: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus*, ideſt Saluator, vt ipſo nomine ſcias, quòd non accepit circumciſionem propter neceſſitatem ſuæ curationis, ſed propter diſpenſationem noſtræ ſalutis, vnde Iob: Et ipſe eſt Saluator meus. Hoc nomen competit ipſi Chriſto proprie, iuxta illud: Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum, quaſi dicat, alij hoc non fecerunt quamuis vocabantur Ieſus & Saluatores. Vnde conuenit Chriſto vere, quia non eſt aliud nomen datum hominibus ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vltimo ſubditur impoſitionis nominis approbatio per angelicum præconium, cum dicitur: *Quod vocatum eſt ab angelo priuſquam in vtero conciperetur:*

Iob. 13. e Mat. 1. d Act. 4. b

Iſa.62.a *tur*: immo & a Domino angelorum, iuxta illud: Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit. Angelus ſaluatorem ſuum vocat Ieſum, homo autem vocat eum Ieſum Chriſtum: vt denotet vnctionem gratiæ per quam ſanat nos Ieſus. Nec enim pro minimo ſtat ſibi ſalus, ſed ſanguine ſuo emit ſalutem hanc, ideo cum vocatur Saluator, Ieſus vocatur. Voca ergo eum Ieſum Chriſtum: quia per vnctionem gratiæ ſalutem præſtat vnguentarius iſte, quam angelis non confert, nam in gratia creſcere non poſſunt, ideo eum ſolummodo vocant Ieſum, nos autem quibus per gratiam, & per mandata ſua ſalutem præſtat, vocemus eum Ieſum Chriſtum. De iſtis duobus nominibus ſic

Ricchar.p.2 de quattuor generibus viſionum circa medium. ait Richardus: Duo principalia ſaluatoris nomina ſæpiſſime recitantur in diuina pagina, ſed Ieſus quamuis in ſe habeat magnam ſignificationem, dignoſcitur tamen nomen eſſe proprium vocabuli, Chriſtus autem nomen tantum ſacramenti. Ieſus interpretatur Saluator: multi fuerunt ante eum hoc vocabulo Ieſus nuncupati, ſed nullus eorum ſaluauit aliquem a peccato ſuo. Iſte vero ſaluum fe-

Peccatũ diuiſio. cit populum ſuum a peccatis eorum. Peccatum aliud originale, aliud actuale. Originale eſt quod naſcendo a parentibus contrahimus: actuale quod poſtmodum ipſi operamur. Sed Ieſus noſter Saluator ab vtroque ſaluat nos, quia per gratiam baptiſmi ab vtroque nos liberat. Item duo videntur eſſe vitia principalia, malitia, & luxuria, quibus quaſi fontibus duobus, cetera mala quaſi flumina ſunt profluentia. Nam licet etiam gula ſit vitium carnis, luxuria tamen magis videtur eſſe gulæ, quia luxuria non ceſſat effundere, quidquid gula poteſt deglutire, & ſic probatur gula velut famulatrix, & miniſtra luxuriæ ad luxuriam pertine-

Malitia & gula. re. Gula enim in ventrem congregat, vnde luxuria voluptates ſpargat, & quanto luxuria ſatagit congregata diſſipare, tanto laborat amplius gula per cibos & vina diſſipata reſtaurare, Malitia & corruptio totius animi ſpirituale eſt vitium, & ſpiritualium fons & origo vitiorum. Sunt ergo duo maxima vitia malorum omnium cauſa, ſcilicet malitia & luxuria. Intus eſt malitia, foris eſt luxuria: malitia in corde, luxuria in carne; malitia eſt inquinamentum ſpiritus, luxuria inquinamentum carnis: malitia generat rugam, luxuria maculam; malitia fomes eſt vitiorum ſpiri-

tualium,

tualium, luxuria vero carnalium. Iſta duo vitia bene diſtinguit, & deſignat ſacra Scriptura, vbi ait: In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, vbi enim ait: In maleuolam animam non introbit ſapientia, deſignat malitiam, vbi vero ait: in corpore ſubdito peccatis, deſignat luxuriam: de his quoque Pſalmus ait: Incenſa igne, & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt: incenſa namque in carne per luxuriam, & ſuffoſſa in corde per malitiam: ab increpatione vultus Domini peribunt, quia cum Dominus manifeſtabitur ad iudicandum, ibunt luxurioſi, & malitioſi, ipſo increpante, in ignem æternum. Hæc duo etiam vitia in Iſmael qui reproborum figuram tenet, recte ſignificantur, ibi namque ſcriptum eſt: Hic erit ferox homo. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & e regione fratrum ſuorum figet tabernacula. Hic deſignatur malitia, vbi vero ſcriptum eſt: quòd mater ſua accepit ei vxorem de terra Aegypti, exprimitur luxuria. Quid enim eſt Aegyptus, quæ interpretatur tenebræ, niſi cęcus: vbi ſe non videat eſſe cæcum? quid eſt uxor Aegyptia niſi luxuria cæca? reprobi ergo quoque feri ſunt, & manus eorum contra omnes ſunt, & manus eorum prouocant aduerſum ſe, & e regione fratrum ſuorum figunt tabernacula per ſuperbam cordis malitiam, & uxorem ſortiuntur de Aegypto per luxuriam carnis cæcam. Sic & Neemias iſta duo mala exprimit, ubi ſe egreſſum ad fontem draconis, & portam ſtercoris ad conſiderandum murum Ieruſalem diſsipatum deſcribit. Quid etenim per fontem draconis ſignificatur, niſi fons malitiæ? & quid per portam ſtercoris, niſi fœtor luxuriæ? quid per murum Ieruſalem figuratur, niſi illi qui in ſancta Eccleſia firmiores exiſtunt? ad fontem itaque draconis, & ad portam ſtercoris murus Ieruſalem diſsipatus oſtenditur, cum illi qui videbantur fortiores, & ſublimiores in Eccleſia Dei per malitiam ſiue per luxuriam labuntur in inferiora. Sunt ergo duo vitia maxima, videlicet malitia, quæ ideo malitia poteſt dici, quia mala quibus ſpiritus corrumpitur nomine deſignat, & luxuria quæ carnalium vitiorum materia videtur exiſtere. Sed Deus noſter Saluator ab

Sap. 1. a

Pſ. 79. d

Gen. 16. c

2. Eſd. 2. c

omnibus nos ſaluat: quia ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus per ſuam gratiam potenter emundat. Merito ergo tali vocatus, eſt nomine, qui tam mirabilis, & magnificus eſt poteſtate. Chriſtus autem non eſt nomen proprij vocabuli, ſed eſt nomen ſolummodo ſacramenti: chriſti namque in ueteri teſtamento dicebantur, qui vnctione materiali in reges, vel ſacerdotes vngebantur. Sed Redemptor noſter non eſt vnctus materiali vnctione, ſed Spiritus ſancti plenitudine, quia ſcriptum eſt: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cõſortibus tuis. Et non ſolũ in ſeipſo vnctus eſt per ſpiritus plenitudinem, ſed electos ſuos vngit per eiuſdem ſpiritus participationem. De plenitudine enim eius nos omnes accepimus. Aſcendens enim Chriſtus in altum, ſcilicet vnionis hypoſtaticæ, dedit dona hominibus, & Apoſtolus ait: Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem datur ſermo ſapientiæ, *& cet.* Hæc eſt vnctio in capite, quæ deſcendit in barbam, & in oram veſtimenti. Caput ſignat Chriſtum qui eſt caput omnium fidelium. Barba quæ capiti inhæret, & eſt ſignum virilitatis, Apoſtolos deſignat, qui Chriſto dum in mundo conuerſatus eſt adhæſerunt, & adhærendo, cum eo comederunt, & biberunt, & eius ſalutiferam doctrinam audierunt, & miracula viderunt, & poſt aſcenſionem eius accepto plenius Spiritu ſancto confortati viriliter egerunt, quia fidem ipſius per regna mundi confidenter prædicauerunt, propter nomen eius in conſilijs traditi, in ſinagogis flagellati, ante reges, & præſides ducti. Et in his omnibus viriliter vicerunt euntes a conſpectu concilij gaudentes, quando digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: ora veſtimenti vltimos figurat iuſtos, qui erunt in fine ſæculi: vnctio itaque Spiritus ſancti, quæ eſt in capite, id eſt in Chriſto, ſecundum plenitudinem in barbam, ideſt in Apoſtolos ſecundum participationem deſcendit, quando illis ait: Accipite Spiritum ſanctum, & quando poſt aſcenſionem ſuam illis eundem ſpiritum miſit, & gratiam linguarum diſtribuit. Deſcendit quoque in oram veſtimenti: quia idem Spiritus ſanctus tribuetur etiam illis qui futuri ſunt in fine mundi. Poſſumus etiam per barbam ſuperiores

quoſque

Chriſtus eſt nomen ſacramenti.

Pſ. 44. b

Ioan. 1. b

Epheſ. 4. b

1. Cor. 12. a

Pſ. 132. a

Apoſtoli ſunt barba Chriſti.

Act. 5. g

Ioã. 20. e

quoſque & perfectos accipere, & per oram veſtimenti inferiores, ſed vnctio in vtroſque deſcendit, quia Dominus per gratiam ſuam puſillis cum maioribus benedixit. Iſta ergo duo nomina redemptoris humani generis Ieſus Christus in nouo teſtamento crebrius quàm in alio recitantur: Ieſus, quia ſaluos nos facit a peccatis noſtris: Chriſtus, quia vnctus eſt Spiritu ſancto præ cũctis participibus ſuis. Hactenus Ricardus. volens oſtendere quòd Chriſtus eſt contra malitiam noſtram liniens eam vnctione ſpirituali, & Ieſus contra luxuriam, dum operatur ſalutem in carne noſtra infirma: ante namque Dauid gemens, aiebat: Non eſt ſanitas in carne, *& cet.* per circumciſionem tamen acquiritur caſtitas, quæ eſt animæ ſalus, vnde Cyprianus in ſermone circumciſionis ait: Antequam ebuliret ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium, ideoq. dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur, vt in primis elementis diſcerent paruuli ſemper propriæ memores ſectionis contraria curare contrarijs, & ad cohibendos, refrenandosq. turpitudinum appetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tamen circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinarijs motibus apponens cauterium, hæc ille: vnde aduerte quòd ſi intime Ieſum diligeres, nomen eius deuote inuocatum extingueret in te languorem luxuriæ: nam Conſtantinus lib. de natu. morborum ait: Contingit interdum, quòd dum quis in languore poſitus nomen abſentis amici audierit, continuo a languore conualeſcit. Et propterea Galenus libro ſecr. ait: Proferenda ſunt verba delectabilia, dulcia, & ornata coram eo qui languet. Ecce iſti naturaliter loquuntur: ex quo vel naturaliter nos capiamus exemplum, vt infirmitate peccati ingruente, & in ipſa febre luxuriæ inuocemus nomen amici noſtri Ieſu ſuper nos: quia ſi coram patiente proferenda ſunt verba delectabilia, & dulcia, & ornata, nonne hoc verbum Ieſus eſt animæ ſanctæ delectabile, & ſpiritui dulce, & carni noſtrę omni puritate ornatum?

Pſ. 113. d

Pſ. 37. b

Cyprian. in ſer. de Circumc. to. 3.

natum? O me infelicem ſi nomen amici carnalis ſanat aliquando infirmum, & nomen huius diuini amici mei non ſanet aliquando me? cum beatus Bernardus dicat: Sub Chriſti Ieſu ſcapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: ſub his etenim abſcondimur, & ſub his ab incurſu accipitrum, & miluorum protegimur; ſub his vmbraculum ſalubre refrigerat nos, & nimium ſolis feruorem repellit: ſub his quoque alimur, & fouemur. Igitur o chriſtiane ſi a Chriſto nomen habes, & a Ieſu ſaluari deſideras, nomini conſentaneam vitam præſta, quoniam Auguſtinus ait: Chriſtiani nomen ille fruſtra ſortitur, qui Chriſtum minime imitatur, quid enim tibi prodeſt vocari quod non es, & nomen vſurpare alienum? Sed ſi chriſtianum te eſſe delectat, quę chriſtianiſmi ſunt gere, & merito tibi, nomen chriſtiani aſſume. O domine Ieſu eſto mihi Ieſus, & eſto mihi Chriſtus, dans æternam ſalutem in anima, & vnctionem totalem in corpore, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.

Bernar. in pſal. qui habitat ſer. 4. in med. to. 2.

Auguſt. de vita Chriſtiana ca. 1. to. 9.

*

SERMO IN EPIPHANIA DOMINI.

Ex Euangelio, hiſtorialiter.

THEMA.

Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Mat. 2.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT ait Chryſoſtomus: Magi uidentes ſtellam intus etiam intuiti ſunt formam pueri ibi contentam, quod multum facit ad ſpiritualem ſenſum, quia non ſolum beata Virgo Maria ſtella eſt, ſed ſtella prægnans excellentior quàm ſtella maris, per quam diriguntur ad portum nauigantes: tutius enim ac melius eſt immediate regi a Deo quàm inferiores quoſcumque regere, & ſic ſtella Maria regitur ab eo quem continet, continet puerum Ieſum a quo regitur, quia propterea de Maria matre Ieſu figuraliter ſcribitur: Viderunt Deum Iſrael: & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini. Sub pedibus Dei patris immediata uidetur Maria in ſaphiro deſignata, qui talis eſt naturæ ſecundum Dioſcoridem, ut in uiſceribus eius naſcatur pretioſior lapis, qui carbunculus nominatur lucidus, & ſplendens: & ſic in Maria naſcitur filius Dei lapis de monte deitatis ſumptus, ut in ea minimus per nouum natale fieret, ſed pretioſior eſt cunctis opibus. De Maria igitur nos dicere ualemus: *Vidimus ſtellam eius in oriente*. Stellam ſole prægnantem totius lumine gloriæ imbutam. In hoc Maria ſaphiro melior eſt, nam ad hoc, ut ille præſtet lapillum incluſum, oportet ut corrumpatur, ſed incorrupta mater Dei nobis effudit Chriſtum. Hæc igitur ſtella, quia luce ſolis clarior eſt non ſolum in

Hom. 7. in cap. 2. Mat. to. 2.

Stella eſt Maria quæ intus habet ſolem.

Exo. 24. a

Dioſc. lib. 5. cap. 114.

oriente, ſed in occidente, & ſeptentrione, & meridie uidetur, quoniam, teſte Bernardo, omnibus omnia facta eſt, nec eſt qui ſe ab eius charitate abſcondat: ita ut illa ſit, de
Iſa.11. c qua dicitur: Leuabit Dominus ſignum ad nationes, & congregabit diſperſos Iſrael a quattuor plagis terræ. Ad quaſcumque nationes Maria in ſignum bonum eleuata eſt, ut lumen gratiæ ſuæ ſuper omnes effundat. Vt igitur ipſa dirigat ſermonem noſtrum ad ſalutem animarum noſtrarum, & gloriam Dei, genibus flexis ei offeramus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Per quæ quis amat trahitur.

MAxima, optimaq. eſt ſententia, quam de ſe aſſerunt magi, pro cuius nunc prælibatione aduerte, quòd per ea quæ amant, quoſdam præcipuos ſanctos Deus uocare ſolet. Sapientiſsimum Auguſtinum quia ſapientiam diligebat, per eandem ſapientiam, ſcilicet Ambroſij uocauit Deus ad ſe. Beatæ Catherinæ, quia pulchritudinem cupiebat, ſe pulcherrimum oſtendit Chriſtus, ut adhæreret ſibi pulchriori ceteris. Vt etiam Magdalenam traheret mundum amantem mundano amore ſuccenſam ei ſe amabiliorem oſtendit multis modis, donec inordinatus amor ad charitatis ordinem rediret, quod & factum
Luc.7. g eſt, quia de ea dixit Chriſtus: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et erga omnes maxime fatigatos undecumque Deus hac regula utitur, quia ideo di-
Mat.11.d cit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Laſsis optatam, & præ dilectam promittit requiem. Vnumquemque ergo tangit Deus in eo quod magis diligit, ut conuertatur, quia ſæpe ſolet pro
Chryſoſt. ho. 7. in epiſto. ad Cor.10.4. conuertendo patre filium interficere, ſciens, ut ait Chriſoſtomus, quòd unuſquiſque conſuetudinis amicitia ligatur: Deus autem uult ſoluere nos, ſecumq. ligare. Nunc in præſentiarum ſic effectum eſt. cum enim magi eſſent augures cæli, ibi eos tetigit Deus, ut conuerterentur ad ipſum. Et quòd tales fuerint, patet per illud Iſaiæ, ubi
Iſa.47. d exprobrando dicitur iudææ: Stent, & ſaluent te augures cęli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annunciarent uentura tibi. hoc ad exprobrationem

brationem ignauiæ iudæorum dicitur, qui per augures excitari debuerunt. Immo & totam felicitatem ſuam in ſideribus poſuerant magi, de quibus dicitur: Girum ſtellarum, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. Vt igitur Chriſtus magos ſemoueret, ac ablataret a fide quam ſideribus adhibuerant, per ſtellam uocauit eos atque fraudes detegit, per noui ſideris ortum detegens antiquum dolum. Noua igitur ſtella ſeipſa opere dicebat regibus, ne ut hactenus ſidera uenerari contingat, quia cęli ſolummodo enarrant gloriam Dei, quem ego annuncio uobis, uenite adoremus: huię ſententiæ per thema reſpondent, dicentes: *Vidimus ſtellam eius*, non aliquam ceterarum, quæ deluſos nos tenuerant, & ideo *venimus adorare eum.* Sap. 13. a Pſ. 18. a

Duæ partes erunt, in prima de aduentu magorum ad Chriſtum: in ſecunda de aduentu noſtro ad eundem. Diuiſio.

PRIMA PARS.

SIc uiſibilibus adhæſerunt homines, ſic terræ adhæſerat uenter eorum, ut uix crederent inuiſibilia eſſe; ex quo etiam uiſibiles deos fecerunt ſibi familiares, & fidelibus irridétes, dicebant: Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus: uos baculo arũdineo inniti eſtis qui ſolam uacuitaté habet intus quæ non uidetur, & ſic ſpes ueſtra quaſi lanugo, aut bulla quæ natat ſuper aquam. Hanc peſsimam ſententiam rex audierat, cum dixit: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus, quaſi dicat, gentilis mihi oſtendit indice Deum ſuum, quęrens a me de Deo meo, cui reſpondere non valeo ſic ad oculum. Huius ergo erroris remedium fuit, vt ipſe filius Dei viſibilis fieret, atque cum hominibus conuerſatio eius, ne eſſet alia natio tam grandis habens Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis etiam filius hominis factus, de quo incipit euangelium. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem.* quaſi dicat, cum completa eſſet prophetia illa: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: quod interpretatur nobiſcum Deus. Cum iam Deus eſſet viſibilis factus, & cum hominibus conuerſaretur: *Ecce Magi ab Oriente* Ioan. 4. c Pſ. 41. a Deut. 4. a Iſa. 7. c

venerunt Ieroſolimam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex
Rom.15.c *Iudæorum?* ad congratulationem veniunt, quia nunc videtur ſignanter implendum illud: Lætamimi gentes cum plebe eius. Aiunt ergo: Si omnis montana Iudææ gauiſa eſt in Ioannis Baptiſtæ natali, cur nos non gaudebimus nobiſcum de tanto primogenito rege nato? Proijcite iſtũ Herodem alienigenam: quia ſcimus natum eſſe Iudæorum verum regem, vbi eſt ille? In regia & præcipua ciuitate Ieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur, pacificum regem naſci oportet, qui eſt lumen oculorum & pax, vbi natus eſt? Qui natus eſt in cælo Rex Iudæorum, ideſt conſitentium Deum, vbi temporaliter inter vos? Et ſi admiratiue ſententia illa capitur, erit ſenſus. O ſancte Deus vbi eſt inter animalia Rex Iudæorum: cur verus Rex in tam infimo loco naſcitur, cum rex Herodes tyrannus intruſus optimam occupet ciuitatem? O Magi multæ litteræ vos ad inſaniam perduxerunt, ingerunt ciues Ieruſalem nonne videtis Herodem pacifice regnantem, & Cæſarem fauentem ſibi, omnia proſpere ſuccedunt ei, noſq. tenet ſubiectos ad libitum, quid igitur de nouo rege deliratis? Ecce ſomniatores nouiter aduenerunt. At vero inſtant magi dicentes: *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente*, quaſi dicant non leuiter moti ſumus nec terrenum habemus excitamentum, nec cetera ſidera ſequimur quibus hucuſque deluſi ſumus: ſed ſolum ſtellam eius ſequimur, quam vidimus in Oriente. Sicut nos ignauos putaretis ſi viſo lucifero non expectaremus ſolem, ſic ignauia magna eſt, viſa ſtella eius cum non inquirere. Hæc ſtella eſt lu-
Iob.38.d cifer, quem tempore ſuo procedendum prædixit Iob: Iam venit plenitudo temporis, iam ſol intelligentiæ eſt ortus nobis, & hæc ſtella lucifer eius eſt, de qua nouimus dictũ:
Sap.7.d Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, ſcilicet materiali, quoniam melius quàm in eo Deus in hac ponit tabernaculum ſuũ, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior enarrando gloriam Dei. Hæc eſt radius immediate procedens a ſole iuſtitiæ, quia ſtella illius eſt non ſolum corporis, ſed animæ oculos illuminans, ideoq. eſt ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, quæ ad corpora ſolummodo creata dignoſcuntur. Nos ergo in hac ſtella riuum diuini fontis vidimus, volumus ſicut cerui ad fon

tem

tem procedere per eum: quia ſicut deſiderat ceruus ad ſontem aquarum, ſic anima noſtra ad te Deus, in quo ſicut ceruus in fonte ſaturemur. O fratres mei, quia nos non ſumus veluti magi iſti ad Deum vſque peruenientes, ſed reſidentes in temporalibus, in creaturis detenti, quæ ſtella eius ſunt, per quæ eum adorare tenemur, & non offendere, vt faciunt praui homines. Vbi nota quòd eſt tanta ſimilitudo inter falconem nobilem & ignobilem in plumis, quòd non facile cognoſcitur differentia inter ipſos niſi in uolatu: quoniam quando falco poſt auem volat, quæ vocetur ardea, quandoque ardea proijcit ſibi piſcem, quem deferebat ex fluuio, & ſi contingat quòd dimiſſo volatu ſiſtit falco in piſce ſibi proiecto, ſignum eſt ignobilitatis eius. Si vero non ſiſtit, ſed continuat volatum ſuum vſque ad prædam, dignoſcitur nobilis, ſic hodie ſimilitudo eſt inter bonos & malos quo ad exteriora, quia Magi, & Herodes ſimiles ſunt in pelle, nam & ille ait: *Vt ego veniens adorem eum*. Et illi veniunt adorare eum. Sed hæc eſt differentia quòd boni ſolum Deum ſequuntur nullibi detenti: mali autem in piſce, in dono quolibet, aut re modica, pro qua Deum relinquere non verẽntur. Sed ò felices magos quos nil detinere valuit, quin relictis omnibus ſequerentur Chriſtum etiam recẽter natum. Sed non timetis Herodem tam ferocem qui propter vnum, centum quadraginta quatuor millia non parcet: etiam nec omnibus a bimatu & infra? non, quia *vidimus ſtellam eius in Oriente*. O magnam ſententiam, *Vidimus ſtellam eius in Oriente*. Pſ. 41. a Exemplũ.

Parum diſtat hæc ſententia fratres chariſsimi ab illa. Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti a Patre: vnde vt videatis qualiter magi viderũt ſtellam eius in Oriente, aduertite quòd omnis notitia comparatiua præſupponit cognitionem vtriuſque extremi, quod ita verum eſt, vt ob id Scotus teneat in cælo non poſſe videri patrem Deum ſub hac ratione, quia pater eſt, quin etiam videatur filius eius: vt ſic ex altero in alterum relatio per intellectum fabricata integram faciat notitiam correlatiuorum, quoniam filij cognitio nimis confert ad cognitionem patris & econtra. Ex hoc ergo infero quòd beati reges iſti, qui ad Chriſtum venerunt in ſplendore ortus ſui, qui eſt ipſa ſtella, non potuerunt eam videre, quinetiam viderent Chriſtum, cuius Ioan. 1. b Scot. 1. ſent. diſt. 3. q. 2.

 ſplendor

ſplendor & radius ſtella fuit. Quamuis enim ſtella Chriſtus, qui dicitur ſtella matutina, propterea quòd initium fidei magis iſtis contulit: quãuis ergo ſtella Chriſti differat multum a ſtella iſta quam Magi viderunt: ſemper verum eſt dicere quòd eum prius viderunt quàm ſtellam ſuam, alioquin quo modo valuiſſent cognoſcere, quòd ſtella eius erat? Poſſe arbitror quamuis difficulter dari formam, aut modum quo patrem cognoſceremus non viſo filio: quia omnes nationes, & ſectæ Deum patrem eſſe confitentur negantes filium Ieſum, quem ſola Chriſtiana religio conſcia ſecretorum Dei nouit. Nullus tamen modus eſt, quo poſſit hæc ſtella cognoſci quòd Chriſti ſit, niſi viſo, aut cognito rege cuius eſt, quia multæ ſunt ſtellæ, & reges, & rex iſte omnium ſtellarum Dominus eſt, qui omnibus eis nomina vocat. Hanc tamẽ ſtellam ductricem ſic peculiariter ſuam fecit, vt minime dignoſci queat, niſi eodem rege cognito, qui ſe tam luculenter in hac expreſsit ſirenus, vt de hac dicere poſſumus in magorum perſona: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine Ieſu, quaſi dicat ſignum datum eſt ſuper nos ſtella, quæ vultum tuum cunctis gentibus deſideratum adueniſſe nunciat, quia velut imago vultus tui eſt, multumq. tibi ſimilis, cuius facies ſicut ſol lucet in virtute ſua: ideo dediſti lætitiam in corde meo. Attendite fratres quoniam iam myſteria patent, quia corde Chriſtum regem in ſe natum viderant, & oculis conſpexerant ſtellam eius. Stella ſpiritualis natiuitatis radius erat, vnde illud Iſaiæ quod diximus: & reges in ſplendore ortus tui, ſcilicet venient ad te. Ly ortus tui non minus capitur ab intra quàm ad extra, intus in eis natus erat Chiſtus, ideoq; in Oriẽte ſuo, quo eis ortus fuerat ſol iuſtitiæ manentibus in regione vmbræ mortis infidelitatis, in ortu quem acceperant, ſtellam eius viderant. Prius ergo Chriſtum viderant quàm ſtellam eius, dato quòd etiam legerant dicta ſybillarum, quæ adducit Auguſtinus: vbi luce clarius Chriſtus exprimitur, nouerantq. per Balaam quòd oriretur ſtella ex Iacob, quando conſurgeret ex Iſrael virga virtutis Dei Chriſtus. Non ergo ea facilitate eius ſtellam viderunt, qua nos omnes ſtellas eius videmus quotidie in cælo: vnde merito ſubiungunt: *Et venimus adorare eum.* Qui antea ſtellas colebamus, nunc Dominum ſtellarum adorare

Marginalia: **Magi prius viderant Chriſtum quàm ſtellam.** — *Pſ.146. a* — *Pſal.4. b* — *Num.24. c*

re venimus, cui ſtellæ ac ſi intellectum haberét, deſeruiút. Audiens autem Herodes rex extraneus idumeus tantæ maieſtatis verba turbatus eſt, *Et omnis Ieroſolyma cum illo*, & cetera. *vſque populum meum Iſrael*: ſicut in aqua turbata non claret vultus proſpicientis, ſic nec in corde turbato Herodis poterit clareſcere veritas ſcripturę, quã ebrius quærit ab ebrijs Hebræis, qui vt mali aduocati truncatam legem allegant, ſilentes partem quæ facit contra eos: & ſic Iudæi partem prophetiæ adduxerunt Herodi fauentem, quòd ſcilicet puer naſciturus eſſet ibi, ac ſi ei facile potuiſſet obuiare: ſic etiam faciunt mali prædicatores dum tacent iuſtitiam Dei, & blandientes populo prædicant ſolam miſericordiam: ſenſus prophetiæ quem ſiluerunt Iudæi talis eſt ſecundum Hieronymum: Deus ex te exiet dux temporaliter naſcendo ad regendum populum meum Iſrael, ſed egreſſus eius ęternus eſt ab initio dierum æternitatis a patre, quia in principio erat verbum. Vbi aduerte; quòd impoſsibile eſt quin turbetur cor machinans cogitationes peſsimas, vt Herodes & ſua Ieroſolyma, vbi Dominus noſter crucifixus eſt. Herodes interpretatur draco ignitus, ſcilicet igne malitiæ, quo omnem accenderat Ieroſolymam, de quo dicitur: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: quoniam Herodes illuſus eſt a magis, quos putabat illudere, quemadmodum ventis ad inuicem contrarijs turbatur mare: ſic populus dum leges ſibi inuicem aduerſantur, deflens Hieremias calamitates Ieroſolymæ turbatæ cum Herode, dicit: Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt, quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius, paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis egreſſus eſt omnis decor a filia Sion. Inimici Ieroſolymæ erant amici Herodis delatores ciuitatis ſanctæ, qui facti ſunt in capite Chriſto, cuius initium extinguere voluerunt, ſilentes eius deitatem, quia locupletati ſunt, & auaritia eſt idolorum ſeruitus. Herodem adorant regem terrenum, ne terrena perdant propter pauperem regem natum, vnde recte ſequitur: Dominus locutus eſt ſuper eam per magos & ſtellam, quæ ibi diſparuit propter multitudinem iniquitatum eius. Paruuli eius innocentes ducti ſunt in mortis captiuitatem ante faciem tribulantis

Turbatio Hærodis fit ab intus.

Hier. lib. 2. c. 5. Michea. co. 5.

Mich. 5. a

Ioan. 1. a

Herodes quid.

Pſ. 103. d

Tre. 1. b

bulantis

bulantis Hærodis, qui dum dixit magis, ite : Egreſſus eſt omnis decor a filia Sion Ieruſalem : nam cum audiſſent regem Herodem, qui deuotionem oſtendebat geſtu & ore non ſunt ipſi ſuſpicati, quòd gladium acueret in corde. Nec putauerunt tantam inuadere hominem audaciam, vt pro adoratione promiſſa, clam pararet mortem. Dum ergo egrederentur: *Ecce ſtella quam viderant in Oriente antecedebat eos*. Ab ſtella orbati in Herodem & ſuos inciderant, quos vix euadunt, quando enim gratia Dei nos deſerit, in quos ſcopulos & mala incidimus? In quos nexus tam implicatos, quòd nec eos intelligere valemus: videntes igitur ſtellam quam perdiderant, gauiſi ſunt, & gaudio, & magno, & valde: quater hic de gaudio Euangeliſta fecit mentionem, dum dixit eos gauiſos, gaudio, magno, valde: ac ſi diceret magos in viſione ſtellæ quadruplicem expuliſſe triſtitiam: primam quæ orta eſt dum timent ſe non inuenturos infantem regem extincta lucerna eius. Secundam quam conceperunt ex Herodis negligentia nolentis venire ſecum ad regem cæli. Tertiam quæ orta eſt dum audiunt, quòd deluſi fuiſſent, hoc enim eis multi exprobrantes dixerunt. Quartam quæ oritur in eis dubitantibus, an forſitan culpabiliter eam perdiderint. Sequuntur igitur eam citi, quæ præcedebat eos *vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer*. Super diuerſorium vbi ſecundum Auguſtinum plures effudit radios; & vt dicit Chryſoſtomus deſcendit inferius: ſtetit ſupra caput pueri, quaſi dicens hic eſt, qui natus eſt rex Iudæorum, quem adorare cupitis, ſecundum Rabanum, ſtando & tacendo clamat. Hic eſt ille magnus rex regum, & dominus dominantium, qui me fecit, quem vobis demonſtro ſtellarum, cælorumq. dominum. Plus eſt hoc quàm dicere, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nota differentiam de ly *ſuper* & *ſupra*, quia ly *ſuper* oſtendit regi, ſeu agi id in quo eſt vt homo regit equum, ſuper quem eſt, & ſic Spiritus ſancti columba venit in Chriſtum vt ipſum regeret & ly *ſupra* regitur ab illo in quo eſt: quia ſic Eccleſia dicitur fundata ſupra petram Chriſtum vt ab eo regatur, vt ergo denotaret Euangeliſta, quòd non puer ab ſtella, ſed ſtella a puero regebatur, dixit ſupra & non ſuper, ſed quæſo fratres mei, quis eloqui valeat quanta exultatione gauiſi ſunt ma-

[Margin: Stellæ apparitio cauſat in magos quadruplicẽ lætitiam.]

[Margin: Ioan. 1. d]

[Margin: Chriſtus regit ſtellam.]

gi, quando intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, cum in viſione ſtellæ quadruplici gaudio potiti ſunt? Nunc autem de gaudio nihil Euangeliſta retulit, quia ineffabile fuit. Si enim angeli viſo puero, & matre eius magnum gaudium, & commune paſtoribus enunciant, quanto amplius præſentia Ieſu cuius facies plena eſt gratiarum, & præſentia matris ſuæ eos expectantium animabus eorum ingererent? Sed quæramus ab eis quid ſenſerint viſo iuſtitiæ ſole, & ſtella Maria, cum ſciamus, quòd in regina Saba veniente a finibus terrę in figura gentilitatis ad videndum prædilectum regem Salomonem, ob cuius viſionem non remanſit in ea vltra ſpiritus, ſic nec in iſtis: quia ideo procidentes adorant, deponentes coronas ſuas ante præſepium: ſi patriarcha Iacob videns Ioſeph, dixit: Nunc lætus moriar, quia vidi faciem tuam, quid nunc magi dicerent videntes regem non Aegypti, ſed cæli? vt nos doceret Euangeliſta quantum eos Deus exaltauit, qui de ſtercore ſtabuli erigit reges pauperes ſpiritu, eos dixit proſtratos, vt eos noueris ſublimes apud Chriſtum humiles exaltantem, qui ſcientes illam ſententiam eiuſdem Chriſti dicentis: vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Vt cor eorum maneret, eſſetq. ſemper cum Ieſu in eo theſaurizare volentes, apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, tus & myrrham, quæ munera multipliciter commendantur. Primo a largitate, quia apertis, quod eſt contra auaros horrea, & viſcera claudentes. Secundo a bonitate, quia theſauris, vbi meliora reponi ſolent, quod eſt contra imitatores Cain deteriora offerentes Deo. Tertio a iuſta poſſeſsione, quia ſuis, contra rapaces, aut eos qui de turpi lucro conferunt Deo. Quarto dant ſpontanee, quia obtulerunt, quod eſt contra dantes ſolum ob improbitatem, aut nimiam rogationem, quæ nō paruum eſt pretium. Quinto a pietate, quia ei, ſcilicet Chriſto non hiſtrionibus, aut adulatoribus. Sexto a liberalitate, quia munera non ex debito dantur, ſed gratis, quod eſt contra eos qui conferunt, aliquid inde ſperantes. Septimo a pretioſitate, quia aurum, tus, & myrrham, non qualia nos poſsidemus, ſed optima, qualia in eorum regione regibus præſentari ſolent. De his muneribus ait Hilarius; In ture Deum, in auro regem,

Luc. 2. b

3. Reg. 10. a

Gen. 46. d

Mat. 6. c

Magorum munera cōmendātur.

Hilar. de ſynodis can. 1. ſub medio.

gem, in myrrha hominem confitentur, atque per hoc omnis ſacramenti eſt conſummata cognitio in homine mortis, in Deo reſurrectionis, in rege iudicij. Ecce quo modo non minus viderunt Chriſtum quàm ſtellam eius, immo, & magis quia tota Chriſti vita eis videtur ſaltim confuſe reuelata fuiſſe, quam in muneribus exprimere voluerunt. Adorato igitur Domino ad hoſpitium pergentes ſomno indulgent ſuaui, in quo ille angelus qui paſtoribus natale Domini nunciarat, aut ipſamet Maria, vel puer reſpondet petitioni eorum, quam fecerant ante ſomnum: alioquin non diceretur reſponſo accepto, ſed reuelatione accepta: quia non damus reſponſum niſi interroganti. Et vt arbitror, quia fideles erant, & deuoti, Mariæ nunciant votum Herodis dicentis: *vt & ego veniens adorem eum*. Vellent enim vt ſtatim, vel alia velociſsima ſtella mitteretur ad eum vocandum: *ſed reſponſo accepto in ſomnis:* ne redirent ad Herodem ſimulatorem eos decipere, puerũq. occidere cupientem. O peſsimam ſimulationem quem vult occidere, ſimulat adorandum vt faciunt fraudulenti, qui quo amplius volunt malafacere, amplius blandiuntur, & humiliantur ſeduli: quemadmodum cum quis a vena educere ſanguinem vult, quia tunc vt ictum præbeat, amplius mulcet. O Herodes impie cur vis ſuffocare puerum duodecim dierum? non inferas tantum matri dolorem adhuc de circumciſione dolenti: nondum ad libitum alterum malum fleuit, & iam tu alterum ei vis inducere? propterea igitur moniti ſunt magi ne ad Herodem eſſet regreſſus: ſed per aliam viam tutiorem ad propria remearent: illis itineribus de quibus dicitur: Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Reuertebantur quidem ad ſua gaudentes, ac de omnibus quæ acciderant ſibi loquentes, Ieſumq. in pectore deferentes. Si autem eunuchus candacis reginæ reuertebatur per viam ſuam gaudens recenter baptizatus, & prophetiæ declaratione accepta: quanto amplius magi lætiſsime reuerterentur recepta gratia, & ſcripturarum intelligentia? Si euntes in Emaus viſo Chriſto regreſsi ſunt in Ieruſalem cum ingenti gaudio, narrantes qualiter ſibi Dominus apparuerat, quid iſti ſentirent adorato infante?

Herodis fraudulentia.

Prou. 3. c

Act. 8. f

Luc. 24. e

SE-

SECVNDA PARS.

NOs autem fratres quamuis plures Chriſti ſtellas dignoſcamus: quoniam ideo Eccleſia habet coronam ſtellarum duodecim: vel vnam ſequamur quæ præcipua eſt, quam dico amorem Dei nobis ad ſequelam relictum, de quo ſcribitur: Ego ſum genus, & radix Dauid ſtella ſplendida, & matutina. Plantata videtur in nobis ſtella charitatis, non extra, ſed intra nos eſt. Splendida nominatur, quia dilectio Dei, vt ait ſapiens, eſt honorabilis ſapientia. Splendet igitur amor in intellectu, quia mundi amor cęcat, Dei autem illuminat: vnde Cherubim, & Seraphim morantur ſimul. Sed matutina dicitur hæc ſtella amoris, quia, teſte Dyoniſio, primus motus ad diuina, dilectio eſt. Sed mirum eſt quòd vocetur genus, & radix Dauid: vbi nota quòd Dauid interpretatur dilectus, & eſt Chriſtus, & amicus eius. Chriſti dilecti genus eſt amor, quia ſi dicitur, & eſt filius hominis, fit propter amorem: amor ei contulit genus noſtrum. Et eſt etiam radix Chriſti amor, quoniam ab eo Spiritus ſanctus qui eſt amor procedit. Sed etiam genus noſtrum, quia ſi ſumus genus Dei, teſte Apoſtolo, eſt propter amorem, qui etiam radix eſt vbi cetera opera inſeruntur, nam teſte Gregorio. Nil viriditatis habet ramus boni operis, niſi maneat in radice dilectionis. Corde igitur fixam habe ſtellam amoris, vt illi qui dicebant: Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? propter amorem igitur ſumus genus electum noui regis Ieſu, quia ideo hæc ſtella videtur in oriente, quæ nos facit in Chriſto oriri, & Chriſtum in nobis, quemadmodum ſtella magorum eos detulit ad Chriſtum: nam ideo dicit Auguſt. Pondus meum, amor meus; eo feror quocunque feror, & ſic dum amamus res ſuperiores, ſuperius nos ducit amor: quia per eum conuerſatio noſtra in cælis eſt. Hæc ductio citior eſt quàm magorum, quamuis ipſi fuerint velociores aquilis, ſi ergo amas inferiora inferius deduceris cum illis de quibus dicitur: In puncto ſcilicet peccati ad inferna deſcenderunt, ſaltim quia ex tunc deputamur ad infernũ peccantes. Et cum impoſsibile ſit contrarijs motibus moueri:

Apoc.12.a *Apo.22.d* *Eccli.1.b* *Dyon.de diui. nom.c.4.* Dauid quid. *Greg.ho.27. in Euangel. ro.3.* *Luc.24.e* *Aug. li.13. confeſſ. c.9. to.1.* *Phil.3. d* *Iob. 21.b*

ueri : hinc eſt quòd dum amamus terrena ab amore diuino
Auguſt lib. 10. confeſſ. c. 29. to. 1. retardamur : quia idem doctor ait : Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Cum ergo magi ſecum haberent ſtellam amoris : eos duxit ad Chriſtum totaliter nil amantes præter ipſum. Non vitam quam Herodi obtulerunt in
Phil. 1. c cõfeſsione nati regis, dicentes: Nobis viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: non bona temporalia, quia omnia Chriſto deferunt apertis theſauris ſuis. Tanta eſt vis amoris diuini, quando viget in corde, quòd hominis obliuionem inducit, viuere faciens in re amata : quia ideo Dauid canebat: De fecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei & pars
Pſ. 72. d mea Deus in æternum. Vita animæ eſt in operationibus intellectus, & voluntatis, quæ ſunt intelligere, & velle in puero tranſlata, ita vt dicere valeamus nunc iſtis ma-
Coloſſ. 3. a gis : Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto : O felix commutatio, felix lucrum vbi pro vita humana datur diuina : amore pueri erant vulnerati, eoq. ſua corda transfixa, nil aliud quærentes niſi faciem eius ſemper ac ſi
Phil. 1. d dicerent : Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto : nec mirum
Cant. 5. b quia quilibet eorum anxie canebat intra ſe : anima mea liquefacta eſt, dum dilectus locutus eſt, ſcilicet in ſtella ex qua, vt aiunt, locutus eſt ei Chriſtus, vel per internam inſpirationem animę eorum loquebatur. Quid nos facimus
2. Cor. 5. c fratres, neſcitis quòd vt ait Paulus, charitas Chriſti vrget nos? cur non tendimus in eum paſsibus bonorum operum? tot paſſus addis in amoris uia, quot facis opera conſentanea. Tam parum igitur operando interrogare pote-
Pſ. 41. a ris cum Dauid : Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuũ: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? excitet ergo te amor Chriſti qui nobis reliquit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius: quemadmodum excitabat ſtella magos,
3. Regum 19. b vt currerent uiam Dei, dicens: Surge quia grandis tibi reſtat via. In hoc ſtella amoris melior eſt quam ſtella magorum utramque habentium : quia illa duxit ad Chriſtũ mortalem, iſta vero ad Chriſtum glorioſum : illa ad Chriſtum regem, iſta ad Chriſtum iam regnantem omni poteſtate in cælo, & in terra : illa ad pauperem diuerſorium, iſta ad cæli aulam: illa ad Chriſtum parce lactatum, iſta ad Chriſtum beatos lactantem uſque ad ſatietatem : niſi uelimus dicere, quòd magi uſque ad Chriſtum ſtellam

viſibilem

viſibilem habuerunt: poſtquam autem uiderunt eum, ſtellam amoris conceperunt, qua reuerſi ſunt in regionē ſuam paradiſi. Nec mirum quòd ipſe dicam eos ſtella caruiſſe amoris donec ad Chriſtum venerint, quia quod parum eſt pro nihilo reputatur. Parum habuerunt antequam venirent ad Chriſtum, quem pro nihilo reputant reſpectu ſequentis amoris: vnde regina Saba, quæ gentilitatis figuram tenet venientis ad Chriſtum, dicit regi Salomoni iam reperto, & in enigmatibus probato: Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Maior eſt ſapientia tua, & opera tua quam rumor quem audiui. Quemadmodum ergo regina hæc abijt amore Salomonis capta, ſic anima cuiuſlibet regis magi abijt in regionem ſuam, iam in Chriſti amorem tranſlata, per quem nec eius imago fugit ab oculis eorum. Eſt etiam aduertendum quòd peccantes intramus in conſilium malignantium: ſi ad Chriſti inimicos parum detenti fuerimus offendentes ad petram ſcandali herodem pedem noſtrum, qui pergere debuerat via recta non declinando ad dextram neque ad ſiniſtram, ſed ad Chriſtum vſque pergens, amor non diſpares, non excidit charitas. Sed cum inuoluti fuerimus laqueis diaboli, tunc ſtella amoris aufugit, atque diſcedit. Dum enim peccamus dicit Chriſtus: Auferam zelum meum a te: ſi autem reſipiſcere contingat, ecce ſtella amoris, quam in oriente conuerſionis noſtræ ſuſcepimus, antecedit nos, donec ad paradiſi diuerſorium introducat ſequaces ſuos.

3. Reg. 10 a · *1. Co. 13. c* · *Ezech. 16. e*

Eſt enim & hoc amoris officium, vt in cælo manſiones diſtribuat, locaq. diſponat, vt ſit vnuſquiſque iuxta primogenita ſua, & iuxta ætatem operum amoris, quapropter ſponſa dixit: Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, hoc eſt, dedit mihi ſuauitatem gloriæ penes charitatem quam habuit in via. Propterea dixit Paulus quòd charitas numquam excidit: quoniam & in patria perdurat in cella vinaria paradiſi, dum tamen eā ſeruamus in via: quia eſt menſura qua remetietur nobis. Quemadmodum enim iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus reprobis, ſic iuxta menſuram amoris erit

Amor gloriam diſponit. · *Cant. 2. a* · *1. Cor. 13. c* · *Mar. 4. c* · *Deut. 25. a*

modus fruitionis beatis. Qui ergo maiorem habuerit ſtellam amoris, maiori potietur gloria, veluti maior ſtella maius lumen habet: hanc dignam contemplationem intuitus eſt Apoſtolus cum dixit: Alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium, alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim a ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Aliam dicit gloriam cæleſtium, & aliam terreſtrium; quia alia erit animarum gloria, alia vero corporum, ſed vtraque ex amore proueniet, qui totalis debet eſſe, ideoq. ſecundum ea quæ habemus a Deo, debet oſtendi in muneribus exhibitis operoſe. Habemus enim a Deo amantiſsimo animam & corpus, bona temporalia: ſic ſigillatim amor oſtendi debet, vt magi fecerunt. Primo quo ad animam per fidem certam, quæ notatur in illo verbo *adorauerunt*: nam adoratio pręcipuus actus animæ eſt fide ſuffultus, ſoliq. Deo alta ſignificatione debitus. De corpore quoque Deo cenſum debemus: quem magi ſoluunt procidentes. Vbi aduerte quòd integer amor non ſatis ſit in corde contrito, & humiliato, ſed etiam in corpore conſternato, Deus enim dicit: Mihi curuabitur omne genu. Vnde in hoc ſolo caſu exercitia corporalia ad multum vtilia ſunt: pro recognitione temporalium munera præſentamus, dicentes Deo: Quæ de manu tua ſuſcepimus, dedimus tibi: per hæc tria dat amor quæ ſunt Dei Deo, & in auro, ture, & myrrha illa tria quæ diximus, deſignantur: in auro bona temporalia, quia vt vetus canit adagium, aurum eſt quod aurum valet: & ſic dicere ſolemus, Dominus frugiferare quod emanat aurum. In myrrha deſignatur anima noſtra quæ aliquo peccato corrumpi non debet, vt integerrima ſeruetur ei qui eam integram creauit. In ture ea quæ ſunt corporis deſignantur, alioquin non diceretur homini iuſto: Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor turis. Bonum ergo exemplum quod ad exteriorem honeſtatem pertinet Chriſti, bonus odor eſt. Si autem opus fuerit in prunis pœnitentiæ corpus ponere, non te pigeat, quia ſicut laſciuia diutũ in ſtratis ſuis fœtor eſt apud Deum, ſic pœnitentia iuſtorum dolor & fames Chriſto bonus odor eſt: Si ergo diximus quòd amor manſiones diſtribuit in cęlo, quas putas dediſſe magis? arbitror quidem quòd ſicut primi confeſſores intrepidi

1. Cor. 15. e

Iſa. 45. d

Cant. 4. d

trepidi extiterunt, & primi chriſtiani adoratores Chriſti, baptiſmoq. flamini baptizati ab eo cathecumini per Mariam, ſic in cælo primum obtinent locum poſt eam: vbi recipiunt centuplum ſuæ oblationis regiæ videntes regẽ non in pannis noſtris, ſed in decore ſuo cum patre ſuo & Maria matre eius in gloria, quam mihi & vobis præſtet, &c.

SERMO IN EPIPHANIA DOMINI,

THEMA.

Regem cui omnia viuunt: venite adoremus.
Ex offic. mort.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

MAgnificans ſacra pagina Mariæ opes, ait: Multę filiæ congregauerunt ſibi diuitias: tu vero ſupergreſſa es vniuerſas. Si ergo ſecundum diuitias gloriæ ſuæ oblatura Deo foret, magnam debuit afferre copiam. Generale quippe mandatum eſt de non apparendo vacuum in conſpectũ Dei, & in Tobia dicitur: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Ex quo ſequitur, quòd Mariæ oblatio amplior fuit, & ditior oblatione magorum, quoniam non ſolum Dei Filio, ſed Patri, & Spiritui ſancto munera obtulit. Patri tus orationis dicens: Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Per ambages patrum antiquorum deprecatio Deum adibat, quia quæruloſi Domini ipſi: tu vero diſtuliſti Chriſtum tuum, ſed Mariæ dicitur: Tunc clamabis, & Dominus dicet, ecce adſum. Tunc ſcilicet quando dictura es: Ecce ancilla Domini, ad vnum ecce, aliud ecce. Direxit ergo Maria orationem ſuam, quia directa via, eſt omnium breuiſsima. Filio Dei

Pro.31. d
Deut.18. d
Tob.4. b
Pſ.140. a
Iſa.58. c
Luc.1. d

Gen.2. b aurum præſentauit, tam gratum quòd ipſe dicat: Aurum terræ illius optimum eſt, aurum hoc eſt caro Mariæ: quod dicitur fuluum nimis ob nimiam charitatem. Tantum hoc adamauit aurum filius Dei, quòd in eo velut gemma ſe in-
Eccle.32. ſertum collocauit: vnde dicitur: Gemma carbunculi in or-
a namento auri. nec ſolummodo ſe hoc auro filius Dei ornauit ex eo indutus, ſed paſsionum ictibus in camino tribulationis illud expoſuit, vt ditaret ſe, ad nos emendum pretio magno, non corruptus auro & argento, ſed ſangui-
Pſ. 15. b ne ſuo incorruptibili, de quo dicitur: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Spiritui ſancto myrrham obtulit virginitatis animæ & corporis, ſciens quòd non ha-
Can.5. a bitaret in corpore ſubdito peccatis, vnde ipſe ait: Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Liquet igitur quòd ditior ſit regibus Maria, vt conferat munera Deo, & velocior, nam ipſo Deo iam appropinquante ad nos, venerunt in Ieruſalem, ſed Maria cælum adiuit, vbi accepta eius munera fuerunt, intantum quòd omne petitum obtinebit: nam ſi centuplum a Deo accipiunt offerentes, quot centum accipiet, quæ tot millia obtulit? de tali ergo redditione, & ſupererogatione ſecura nobis infert: *Regem cui omnia viuunt: venite adoremus* genibus flexis pro gratia impetranda dicamus. Aue Maria in honorem matris eius.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

REgem, *&c.* Mortuorum inuitatorium ſunt verba iſta quę quamuis incongrua ad præſens propoſitum appareant, plurimum conferunt magorum dignitati, qui iam
Coloſſ.3.a mortui erant, & vita eorum abſcondita in Chriſto, cui omnia viuunt. Periculo maximo videntur expoſuiſſe vitam dum intrepidi regnante Herode nouum prædicant regem iudęorum: quod eſt crimen læſæ maieſtatis capitali ſententia diluendum: ſed de protectore ſuo aiunt: *Regem cui omnia viuunt: venite adoremus*: quia eripiet nos de contraditionibus populi: quia qui habitat in cælis ſuper
Pſal.2. a ſtellam irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos, ducendo & reducendo ſecure nos. Quamuis exoſam videantur habuiſſe vitam, non ſe putarunt morituros: ex quo

non ſolum regi quem quærunt, omnia viuunt, ſed per eum omnia degunt: vnde merito ei viuunt, quia per eum vita fruuntur, de quo dicitur: In ipſo erat vita, ſcilicet omnium, quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & fines cunctorum vel interitus ipſe determinat, nullusq. finitur, nec ad finem vitæ peruenit niſi ipſe velit, quia & vita in voluntate eius. Cui omnia viuunt, inquiunt, non ſolum animata ſed inanimata, quoniam hæc ſtella quę eſt ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, vitalia opera exercere videtur, dum ſic ordinate incedit, nobis viam oſtendens. Regem ergo cui etiam, & per quem cæleſtia inanimata viuunt obſequentia: venite adoremus. Hæc ad litteram verba non ſolum in ſententia, verum formaliter quoque dicebant reges adinuicem, cum quærerent: *Vbi eſt qui natus eſt rex iudæorum? venimus adorare eum.* Hęc ad ciues Ieroſolymæ dixerunt, & ſe etiam per viam inuitantes canebant: *Regem cui, & cet.* & quia ob hoc inuitari non indigent, hac in nocte inuitatorium non canit Eccleſia, ſe ab eis præuenta cognoſcens, qui omnibus concinunt: *Regem cui. & cet.* *Ioan. 1. b* *Pſ. 94. d*

In ſermone duæ partes erunt. Prima de regibus. Secunda de inquiſitione Dei. Diuiſio.

PRIMA PARS.

VBicumque in ſcripturis ſanctis de temporali natiuitate agitur Chriſti, etiam innuitur æterna, ex qua in Chriſto omnia viuunt, qui ex tunc eſt rex vniuerſæ creaturæ. Non ſolum dixit Iſaias quòd filius datus ſit nobis, ſed quòd in humeris ſuis deferat principatum ſuum, æternam ſcilicet filiationem qua omnibus principatur, & regnat. Dauid etiam cum oraret Deum, vt ab Herode ſaluum faceret Chriſtum filium ancillæ ſuæ Mariæ, præmiſit: da imperium tuum puero tuo. Puer Chriſtus in ſe habet imperium diuinæ filiationis, quia filius altiſsimi vocatur: alius propheta vt ambas oſtẽderet filiationes Chriſti, ait: Ex te enim exiet dux, ſcilicet temporaliter, & egreſſus eius ab initio ſcilicet patre in diebus æternitatis. Vt ergo noſter Euangeliſta vtrumque natale tangeret, ait in præſenti Euangelio: *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem iuda.* *Iſa. 9. b* *Pſ. 85. d* *Mic. 5. a*

Ioſ.19. b da. Altera eſt Bethlehem in ſorte filiorum Zabulon figuram cæli teneus, quæ eſt angelorum, ex qua venit filius
Bethlehem duplex. Dei factus ex muliere, vt naſceretur in Bethlehem iuda, & habitaret in nobis, nec ad inferiorem Bethlehem deuenit, niſi vt ad infimam vſque deſcenderet, quæ eſt conſcientia chriſtiani cuiuſlibet: nam interpretatur domus pacis, vel domus belli. Bona pace & optima filius Dei in cælo eſt panis angelorum, ſed nobis etſi panis ſit non multum ſuauis, quia bello mixtus: vnde Iob conqueri-
Iob 3. d tur, dicens: antequam comedam ſuſpiro, & tanquã inun-
Iob 7. a dantis aquæ ſic rugitus meus. Si militia eſt vita hominis
Matt. 10. d ſuper terram: conſcientia iuſti domus belli oportet eſſe, illius qui ait: Non veni pacem mittere ſed gladium: quare
Luc.21.b gladium? quia naſcor in diebus Herodis regis. Ecce regnum aduerſus regnum. Sed rex Herodes ſe ingerit regno minime ſuo, Chriſtus rex in propria venit, & quæritur à magis, de quibus ſequitur: *Ecce magi ab oriente venerunt:* quòd iſti magi reges fuerint patet per illud Iſaiæ:
Iſa.60. a Et reges in ſplendore ortus tui, ò Chriſte ambulabunt. Qui ſplendor ſtella fuit in ortu Chriſti ſplendens regibus
magnitudo Triplex. magis à magnitudine dicti, etiam triplici. Nam triplex eſt magnitudo, ſcilicet cogitationum, & locutionum, & actio-
Pſ.144. a num, quæ notatur ibi: Magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non eſt finis. Magna ergo de rege recenter nato cogitauerant, cum ſtellam inſpexiſſent, & magna locuti ſunt de eo intrantes Ieruſalem, & magna exhibent iam inuento. Multi ſunt vt magi Pharaonis, qui in tertio ſigno, ſcilicet actionum deficiunt, hi autem plus faciunt, quam profiteantur, dicunt enim venimus adorare eum, tamen vltra adorationem præſentant oblationem. Carpent in hoc eos, qui nolunt amplius obſeruare, quàm ab eis Deus exquirat, vel quàm ipſi Deo promiſerint. Cum
Eccl. 9. c alibi dictum ſit: Quodcumque inuenerit manus tua inſtanter operare. Dum ergo tempus habemus operemur bonum, quod vt amplius fiat, notandum eſt, quòd tres iſti reges in animę noſtrę imperio regnant, & quo in æternum
Animæ tripartitum regnum. regnent, regem Chriſtum inquirere debent. Nec mirum, quòd in noſtro imperio triplex regnum inueniri queat, cum tricamerata fuerit arca Noe, & ipſe Deus trinus ſit, & templum Salomonis tripartitum opus. Iam ergo tri-

phariam

phariam diſponendo animæ imperium, primus rex qui ſuper omnia ſcibilia regnat, eſt intellectus, & hunc figurat Melchior, qui rex lucis interpretatur, ſignatum enim habet in ſe lumen vultus Dei. Hic accedens adoret Verbum natum in anima, offeratq. tus orationis. Tus dicitur a theos quod eſt Deus, & oratio dicitur aſcenſus mentis in Deum. Si ante omnia, vt inquit Dionyſius, vtile eſt ab oratione incipere, oportet prius tus Deo præſentare, quod poſitum in igne primo caleſit: ſecundo calefactum diſſoluitur: tertio diſſolutum eius fumus eleuatur ſurſum: quarto eleuatum dilatatur per templum: quinto dilatatum acuitur verſus cælum: ſexto acutum euaneſcit, quia non plus apparet. Sic vt ores oportet, primo, quòd ardeas amore ignito, quo mens recolligitur, ne diſtrahatur: vnde ſecundum Caſsianum quales nos in oratione volumus inuenire, tales ante eam nos ſeruemus: ex præcedenti enim ſtatu mens in oratione formatur, ideo quidquid volumus, vt nobis orantibus non ſubrepat, ante orationem euellamus. Secundo oportet, quòd mens reſoluatur in lacrymis compunctionis: quia teſte Gregorio, quo vberius culpa fletur, eo altius cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum æternam lucem polluta dudum con ſcientia lacrymis baptizata renouatur. Tertio oportet, quòd eleuetur ſurſum per mentis ad cæleſtia actionem, quæ ſurſum ſunt quærens, non pondere vitiorum grauata. Quarto conuenit, quòd mens dilatetur bona cæleſtia meditando, ſcilicet Dei attributa, & beatorum gloriam intra & extra. Quinto oportet, quòd mens acuatur verſus cælum deitatis per gratiarum actionem, & totius boni a Deo percepti in ipſum refuſionem: quia gratia Dei ſum id quod ſum. Sexto oportet, quòd quando mens ſic fuerit accenſa, ſic reſoluta, *& cet.* extunc quaſi a ſe euaneſcat per ſuijpſius, & omnium ſenſibilium obliuionem, vt ſic per deſertum aſcendat ſicut virgula fumi.

Secundus rex in animæ imperio eſt voluntas, & huius figuram tenet Gaſpar, qui interpretatur approximans ſacrificium: ſolus enim amor nos Deo approximat. Hic rex aurum deuotionis confert, qua mens per amplius & perfectius diuinæ conformatur voluntati. Sæpe quidem abſque deuotione oramus: & eſt tus ſine auro, ideſt oratio ſine

[Margin notes: Primus rex intellectus. — Oratio in ture deſignatur. — *Greg. li. 27. Mora. c. 12. in fin. to. 1.* — *1. Cor. 15. b* — *Cant. 3. c* — Rex ſecundus eſt voluntas. — Aurum eſt deuotio.]

ne deuotione quæ minus valet. Optime in auro deuotio deſignatur, quod eſt maxime ductile ad artificis voluntatem, intantum quòd in incude addito malleo ſine repreſſione intenſiua in tenuiſsimas extendi valeat partes, & dilatari, & eo melius quo ad purum decoctum fuerit. Sic mens deuotione affecta optime ductilis eſt ad omne diuinum beneplacitum, & eo amplius quo ampliori affecta ſit deuotione: vnde Hugo dicit, quòd deuotio eſt quidam feruor bonæ voluntatis, quo voluntas noſtra accenſa, ita ductilis efficitur, vt ad conformitatem diuinæ voluntatis facile transformemur in cunctis. Vbi nota quòd præceptum

Exo. 25. b fuerat in lege, quòd propitiatorium fieret de auro puriſsimo, & duo cherubim ſimiliter ſe reſpicientes ex vtroque latere oraculi. Dicebatur autem propitiatorium quædam tabula ſuper arcam poſita, quæ etiam vocata eſt oraculum: quia ex ea Dominus reſponſa dabat. Iam ergo moraliter arca eſt mens verbigena in qua reconditur verbum æternum in tribus ſubſtantijs, ſcilicet deitate, anima & carne. Quæ ſignantur per manna & tabulas teſtamenti, & virgam, quæ ibi erant. Propitiatorium arcam cooperiens feruor charitatis ardentis eſt operiens multitudinem peccatorum. Licet enim talis anima, & tam perfecta careat peccatis magnis, quia verbigena eſt, tamen non caret minimis, quia ligata eſt carni: vnde hæc peccata parua feruor deuotionis vel cooperit, vel diluit defendens ab æſtu concupiſcentiæ: & ideo debet ſuper arcam, ideſt animam imponi, vt etiam Deum reddat nobis propitium. Duo cherubim ſunt cognitio Dei & ſui adinuicem relatæ.

Rex tertius eſt memoria. Tertius rex in imperio animæ eſt memoria, & huius figurã tenet Balthaſar, qui interpretatur in abſcondito theſaurizans, & memoria ſecrete ſpecies rerum theſaurizat, ita vt dũ nullius recordamur, ſpecies ſeruet abſcõditas in ſe. Hic rex adorans Verbum myrrham venerationis exterioris offert, qua totus homo cum omnibus ſpeciebus creatis Deo omnimode ſubiugatur. Nomine autem venerationis intelligo omnia quæ Deo exhibentur, tam corporis humiliatione quàm rerum temporalium oblatione: per quæ repreſentatur omnimoda ſubiectio totius hominis; quo ad omnes vires ſpirituales & corporales, quibus homo iuuatur & regitur: immo & quo ad omnes creaturas quas

ſubijci-

ſubijcimus Deo per actum venerationis quantum in nobis eſt. Et hoc ſpectat ad iudicium memoriæ, quia eius eſt officium, quoniam in ea ſpecies rerum continentur. Vnde in actu venerationis memoria ſe & omnem ſpeciem creatam, vt pote in ea reconditam Deo ad laudem diuinam ſubiecit, iuxta id: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Hoc figuratur in Apocalipſi, vbi dicitur, quòd quattuor animalia & viginti quattuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas mittentes coronas ante thronum Domini Dei ſui. Quid enim eſt in facies cadere, & coronas ante thronum mittere, niſi ſe & totum quod habet Deo totaliter offerre? Et talis oblatio per myrrham ſignatur, quæ habet virtutem conſumendi humores viſcoſos ad putrefactionem diſponentes in corpore: vnde carnem ſuperfluam corrumpit in homine viuo, & corpora mortuorum conſeruat: quod patet in illa muliere tangente fimbriam Chriſti, in qua fluxus ſanguinis detentus eſt. Sic dum anima Deo ſe ſubmiſerit per actum venerationis, fluxus carnis in ea reſtringitur, & ſiccatur. Sed nota quòd duplex eſt myrrha, ſcilicet quæ gratis effluit ex arbore, & hæc dicitur prima & probatiſsima. Altera eſt quæ effluit per inciſionem, cum quis perdet ſua, vel rapiuntur ab eo. Duplices ergo ſunt pauperes ſpiritu: primi voluntarie ſua impartientes: alij per inciſionem quando diripiuntur bona eorum, vtraque myrrha accepta erit quæſito regi.

Pſ. 102. a

Apoc. 5. b

Mat. 9. c

Myrrha duplex.

SECVNDA PARS.

HI ergo tres reges muneribus prædictis onuſti alium quærunt regem, cui omnia viuunt, de quo ſcriptum eſt: Rex vnus erit omnibus imperans imperator. Quæritur, qui ſuper tres prædictos ſit reges, de quo etiam alibi dicitur: Excelſo excelſior eſt alius, & vniuerſæ terræ rex imperat. Ecce igitur rex regum & dominus dominantiũ, de quo ſunt magi in præſenti Euangelio, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Hi tres quaſi ex vno ore iſtud interrogant: quia tres animæ potentiæ ſemper conueniũt, & ſe adiuuant, maxime in verbis prædictis, vbi intellectus inquirit, *vbi eſt*, quaſi de eius deitate loquens. Et voluntas addit,

Ezech. 37. f

Eccl. 5. b

addit, *qui natus eſt*, quod iam pertinet ad humanitatem. Memoria autem ſubiunxit, *rex Iudæorum*, quod eius obſequium conſiderat impenſum. Vires animæ peccatoris non dicuntur reges, quia corpus eius non regunt, nec ei dominantur, quia ingemunt: Serui dominati ſunt noſtri. Item non ſe adiuuant, nec conueniunt dum conſcientiæ remorſus contrauenit, ſed animæ iuſti potentiæ coadunatæ debent de Chriſto, quem ſuper ſe vnctum vt regnet, quærere, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Vbicumque naſcitur Chriſtus, naſcitur rex: quia ex quo naſcitur in anima, vult ei dominari, eamq. regere. Nec vllam infantiæ ſentit ætatem, quoniam fides non computatur in annis. Vult ergo puer iſte rex meus ex quo naſcitur, regni accipere moderamina, & gubernacula poſsidere, animam cum motibus ſuis intus & extra regendo, taliter quòd dicat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: felix ille qui dicere valet: Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Nec ſolum cæci indigent puero hoc, vt eos regat, & deducat ſed ſenes: quia de eo dicitur: Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat. Vide ergo Chriſtiane, quòd dum in anima noua ſentis deſideria melioris vitæ, dum caſtitatem incipis amare & humilitatem: tunc puer iſte edicta proponit, quæ ſi deſpicis, abibit, quia non erit in te, niſi ſolium regni teneat, qui antequam in te naſcatur, rex eſt in ſe: non quorumlibet, ſed iudæorum quod amplius eſt. Nam interpretatur laudantium; & forte ſunt illi, de quibus dicitur: Facta eſt cum angelo multitudo cæleſtis exercitus laudantium & dicentium: Gloria in altiſsimis Deo. Sed nota quòd quidam eſt ſeruus laudis, vt ille cui adulantur mali: & talis multum inferior eſt ipſa laude. Alius eſt ſocius laudis, & hic eſt bonus quando congrue laudatur: quia virtus laudata creſcit. Alius immo ſolus Chriſtus eſt rex propriæ laudis, quia numquam æqualiter laudatur, nec æquo pondere, qui omni laudi præeminet, vnde dicitur de eo: Exaltate eum quantum poteſtis, quia maior eſt omni laude. Ei etiam dicitur: Viciſti famam virtutibus tuis: quamuis fama ad aſtra vſque peruolauerit. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente: & venimus adorare eum.* Nato Ieſu in Bethlehem eius in oriẽte apparet ſtella ortum eius annũcians: quia

Thren. 5. b — *Pſ. 22. a* — *Iſa. 26. c* — *Habetur in 8. Reſp. Purific.* — *Luc. 2. b* — *Eccli. 43. d* — *2. Pa. 9. b* — Stella eſt gratia.

quia dum in corde noſtro naſcitur Chriſtus, ſimul in anima creatur noua gratia qua illuſtratur, vt totis viribus eum amplius exquirat, ad Ieruſalem deueniens. Nec ſolus in anima naſcitur Deus, vt magiſter ſententiarum dicebat: ſed etiam in ea gratiam creat qua magis voluntarie ducatur ad Chriſtum: ſpontaneum enim vult ſeruum & non coactum. Nemini infert vim quamuis aliquam vim patiatur regnum cælorum, & rex. Luctanti cum Deo Iacob dicitur: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Gloſſa: Iam habes gratiam. Sed iſte reſpondit quaſi vim inferens Deo: Non dimittam te, niſi bene dixeris mihi. Et ſtatim ortus eſt ei ſol, id eſt Chriſtus formatus in eo. Iam ergo ſtella iſta eſt gratia præueniens, quæ datur facientibus quod in ſe eſt: nam reges magi vigilantes erant ſuper eam, expectantes in monte beatam ſpem, & aduentum Domini. Hæc ſtella ad duo ducit, primo ducit ad Ieruſalem: quia ſtatim poſt conuerſionem pax inquiritur cordis; vnde Magdalenæ conuerſæ dicitur: Vade in pace. Et ſtatim Chriſto recepto in vlnis ait Simeon: Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace. Venientes igitur ad Chriſtum pacem inquirunt: in pace quippe factus eſt locus eius. Nec pax inquiritur niſi propter Chriſtum: vnde quamuis gratia Dei immediate inclinet ad Deum: quia vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur: mediate tamen inclinat in ea quæ ad pacem ſunt, quæcumque illa ſint. O ſi in quibuſcumque operibus dicere valeamus: *Venimus adorare Dominum*. Opera ingreſſus animę ſunt quę carens pedibus graditur operibus, quæ ſi diriguntur ad Chriſtum, vbique dicere valebit: *Venimus adorare Dominum*. Multi non veniunt ſed in domo Dei ſiſtunt abutantes eo, quod datum eſt velut pedagogus & dux ad Chriſtum. Alij veniunt ad Eccleſiam immo & ad opera de genere bonorum, non vt adorent ſed vt ſeipſos oſtendant adorandos adulatoribus. Alij vt adorent pecuniam, ſicut illi de quibus dicitur: Contemplati ſunt pecuniam in ore ſacci. Hi ſunt eccleſiaſtici cupidi. Alij ad mulieres adorandum veniunt. Omnes ij non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo. Herodes quæritur ab iſtis non Chriſtus. De bello Herodis & fraude non eſt modo dicendum, niſi quòd nos vniamur regi noſtro, cui

Gen. 32. f

Tit. 2. d

Luc. 7. g

Luc. 2. d

Pſ. 75. a

Ezec. 1. c

Venientiū ad Eccleſiā diuerſa intentio.

Gen. 44. a

omnia

omnia viuunt. Viuamus & nos ei ſoli, cui omnia viuunt, hic per gratiam, & in cælo per gloriam, ad quam nos perducat Ieſus. Amen.

SERMO DOMINICÆ INFRA OCTA. EPIPHANIÆ.

De quadruplici ſapientia Ieſu.

THEMA.

Ieſus proficiebat ſapientia. Luc. 2.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

MVltum in ſapientia proficit, qui Chriſtum quærere nouit, immo qui eum ex toto deſiderat corde, quoniam ſcriptum eſt per ſapientem: Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum. *Sap. 6. c* Cum Dei ſapientia Chriſtus ſit, nec mirum quòd eius deſiderium tantum valeat: quia prius dixit prædictus vir quòd cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus, et qui vigilauerit propter illam cito erit ſecurus, quoniam facile videtur ab his qui diligunt eam: & inuenitur ab his qui quærunt illam. Facile, inquit, inuenitur a diligentibus eum, ſed facilius a quærentibus: nam qui Chriſtum diligunt a longe eum inſpiciunt: qui autem per dilectionem operantur iam ſunt prope. Sed quo ibimus? Si mater eum amiſit, ego quo pergam? Magi eum paucis retro diebus inuenerunt cum Maria matre eius, etiam effectiue, quia in ſtella figurata eſt: quam nos inſpicere Bernardus iubet, vt portum voluntatis noſtræ attingamus. *Bernar. homil. 2. ſuper Miſſus eſt, prope finem to. 1.* Sed ſi nobis conſilium adeſt vt eamus in Ieruſalem, non forte ſecurum erit, quia diſtat, quia eſt pluſquam dierum trium. Si eum inter cognatos ſuos & notos quærimus:

rimus: minime inuenietur, quia ſcriptum eſt: Caro & ſanguis regnum Dei, id eſt Chriſtum, non poſsidebunt. Sed ne diffidamus fratres, quoniam ſi inter cognatos Chriſtus inuentus non eſt, hoc ideo fuit, quia nimis diſtabant a templo: & quia eum & ipſi omnino deperdiderant, tamen Maria eius parens numquam ipſum ſpiritualiter perdidit, nec quidquam a templo diſtat, immo eſt templum Dei. Non quærimus ergo Chriſtum ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, & quod ſpiritualiter quæritur, in templo Dei quærendum eſt: vbi eſt Chriſtum eſſe in his quæ patris ſunt, qui ſpiritus eſt. Spirituales animæ pedes, ſunt intellectus, & affectus. Quid dico pedes? immo & parentes Chriſti, de quibus dici poteſt: *Pater tuus & ego*. Voluntas loquitur, quæ intellectum præmittit non dignitate, ſed prioritate. Notandum tamen eſt quòd Ioſeph putatiuus fuit pater, & non verus: ſic noſter intellectus non generat Chriſtum, quamuis illum foueat, ſed voluntas bona beneplacens, & perfecta vbicumque ſit: magis tamen ſi eſt in vera matre Chriſti quæ eſt Maria adiutrice noſtra, ad quam pro hac inuentione gratifica in ſermone habenda, nunc genibus flexis offeramus. Aue Maria.

1.Co.15.f Maria nos perdidit in Chriſtũ qui per eam inuenitur.

Chriſti parentes qui ſint.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

NArrata littera moueas difficultates aliquas ſuper Euangelio præſenti: & dic quòd ſolum vis enodare quod thema obijcit de Chriſti profectu in ſapientia: quia hæc nimis cruciat doctores ſcolaſticos in tertio ſententiarum: vbi Gabriel quinque recitat opiniones profectus ſapientiæ Chriſti: ipſe autem huius negotij reſolutionem propinans duo faciam in ſermone. Primo dicam qualiter Ieſus in ſe proficiebat. Secundo qualiter ceteris profuit.

Gabriel 3. ſen. diſt. 14. q. Vnica, & alij ſcolaſtici ibidem. Diuiſio.

PRIMA PARS.

NOn immerito ſatis magna difficultas eſt in hoc quòd fons ſapientiæ Chriſtus proficiat: quoniam is Euangeliſta paulo ante prædixerat Chriſtum plenum ſapientiã, tali plenitudine quòd de ea ſecundum Ioannem accipiant vniuerſi. Cum ergo Ieſus cùm gloria perenni ſuſceptus ſit,

ſit, & vniatur Deo clare viſo, nullus videtur locus profe-
ctui remanſiſſe, quin eius ſpiritus repletus ſit vſque ad ſum
mum. Vt autem ſciamus ſecundum quem modum Chri-
ſtus profecit: nota quòd quadruplicem habet ſapientiam,
primam diuinam, ſecundam videlicet ſapientiam viſionis
diuinæ, tertiam infuſam, quartam acquiſitam. Nec mi-
rum quòd ſic quadrupliciter deſcripſerim Ieſu ſapiẽtiam:
Exo. 37. d quoniam ipſe figuratur per altare quadrum thymiamatis
de lignis ſethim, auro puriſsimo veſtitum, corona aurea
circumdatum per girum.

Iam ergo prima ſapientia diuina eſt quam imaginatio
noſtra non capit, nec Cherubim attingit: confortata enim
eſt, nec omnis creata cognitio poterit eam metiri, quam-
Eccli. 1. a uis in vno concurrerit angelico intellectu. Cum omnis
ſapientia a Domino Deo ſit, nulla poterit inueniri, quæ nõ
Iac. 4. d ſit emanatio quædam immenſitatis huius, & velut vapor
ad modicum parens: maxime ſi maieſtatem ſcrutari præ-
Cyprian. in præfatio. de operibus Cardin. ſupra med. to. 3. ſumat: vnde Cyprianus ait: Hebes eſt in hac conſidera-
tione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus: hanc in-
uiſibilem lucem & inacceſsibilem naturam ſex alis hinc,
& inde Seraphim ſtatu & volatu circumeunt, & abſcondũt.
Statu æternitatis immobilitatem monſtrantes, volatu ve-
ro altitudinem eius, ſic in ſuperioribus eleuatam, vt quan-
tumlibet ad cor altum homo aſcendat exaltetur Deus, &
comprehenſionis importunitatem euadat. Hæc ille. Ra-
tio ob quam hæc diuina ſapientia enodari nequeat, eſt:
quoniam vt ait Bernardus in de conſideratione ad Euge-
nium. Diuina ſapientia eſſe diuino ſolummodo coapta-
tur, radix eius & fons, Dei eſſentia eſt: vnde ſpiritus qui
ſcrutatur etiam profunda Dei, & filius qui nouit patrem,
& pater qui nouit ſe ſolus, inueſtigare ſe ſufficit iuxta id
Iſidori: Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini Chriſto. Pro-
1. Ti. 6. c pter hanc ſapientiam dicitur: Lucem habitat inacceſsibi-
lem, quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt.
Hæc ait de Chriſto, qui lucem inacceſsibilem habitare
dicitur propterea quod ad ſuam ſapientiam nemo poteſt
attingere. Hac ergo ſapientia ſe Deus ſapit & omnia poſ-
Sap. 8. a ſibilia quia attingit a fine vſque ad finem, adeo vſque ad
minimam creaturam poſsibilem: quia omnia diſtinctè in
1. Io. 1. b ſeipſo relucentia videt, melius quàm in ſeipſis. Hæc ſa-
pientia

pientia meridiana eſt vbi tenebræ vllæ nec ſunt, nec eſſe poterunt. Vnde omne factum eſt, aliquam tenebram habet in ſe, vel quia nemo adhuc ſe plene nouit, aut quia nulla creatura nouit ad vnguem aliam ſecundum quoſcũque reſpectus & habitudines: nam in grano ſinapis ſunt infinitæ partes proportionales nimiſq. eſt multiplicabile. Eius ergo diuiſionem & multiplicationem dubito, an ipſe angelus comprehendat: quia (vt ait Gerſon) ſolus Deus totam ſcripturam collocare poterit in grano tritici, cum infinitas habeat partes proportionales, & ſit ſemper diuiſibile, in ſemper diuiſibilia, taliter quòd cuilibet litteræ poſſit ſua pars ſeruari. Si ergo tanta eſt Dei ſapientia in his minutis rebus, quid de illa ſapientia diuiniſſima dicam fundata in eſſentia ſuper benedicta, de cuius immenſitate ſtupenda tremunt poteſtates? Aliam Deus habet ſapientiam de qua non plus Deus ſapit, quàm vellet ſapere, quod mirabile eſt: nam nullus niſi diuinus inuenitur intellectus ad placitum ſapiens, nec vlla creatura ad propriam voluntatem æquat, vel terminat ſapientiam ſuam. Vbi nota quòd ſapientia Dei in eis quæ neceſſaria ſunt, ſcilicet in ſeipſo, & in omnibus quæ neceſſario relucent ibi nullum habet terminum, quia de ea ideo ſcriptum eſt: Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia, ſapientia illius eruperunt abiſſi. In contingentibus autem, & in eis quæ fieri decreuit, de quibus dicitur: quòd omnia in numero pondere & menſura conſtituit, determinatur a voluntate, nec de his ſcit amplius quàm vult fieri. Si enim ſtellarum numerat multitudinem, omnibus eis nomina vocat, nõ ſapit plures eſſe quàm ſunt, ex eo quòd ſua voluntas non plures creauit. Et ſic eſt in quibuſcumque rebus præteritis, pręſentibus & futuris quibus terminum poſuit. Sed forte dices quòd rerum nouitate adueniente ſapientia Dei proficere poterit, vt fit in nobis, ad quod ego: Deus verius ſcit in ſe, qui eſt ſumma veritas, ea quæ futura ſunt quàm poſtquam fiant, nec obſcurius nouit ea quæ ſunt longe, quàm quæ prope: & ob id non feſtinant, ſed ſpatijs ſuis currunt vniuerſa per eius decretum, quo perſeuerat dies & mundus. Eius ſapientiam aliquo modo inſpicere forte valebis, ſi videas rotam carri verſatam circumcirca axẽ, quod immobile perſeuerat in

Sapientia Dei circa creata.

Prou.3. c

Sap.11. d

Pſ.146. a

rat in medio, quocumque vertatur ſemper æqualiter diſtat immobilis: quia rota non axis mouetur. Rota mundus eſt a mutatione dictus qui ſemper rotat: mutare tamen non valet ſapientiam Dei nec eam illuſtrare, quia numquam propinquior eſt, vt Dei ſapientiam clariorem, nec eſt longior, vt eam obſcuriorem efficiat. Vnde: Si aſcẽdero in cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades. Axis inuerſatus rotam verſat: ſemper eodem modo ſe habens ęqualiter, præſentialiterq. ſunt omnia ſibi: quia immutabilis Deus ęqualiter omnia nouit, qui vocat ea quę ſunt, tam quã ea quæ non ſunt. Intellectus diuinus, vt notat Scotus, diuinæ voluntati adiunctus omnia ſcit eo modo quo illa voluntas determinat res. Vnde velut in omniũ rerum originali cuncta legit, & apprehendit eo modo quo ſunt infra.

Rom.4.c
Pſ.138.b
Scot.4.ſent. d.46.q.1.

Secunda ſapientia pueri Ieſu eſt diuinæ viſionis, qua ſunt ſibi nota omnia, quæ relucent in Verbo arte omnipotentis Dei plena omnium rationum formalium. Ibi ſunt cunctarum rerum imagines: ibi non ſolum eſt mundus idealis diuino exactus ingenio, ſed quilibet mundus poſſibilis, & non ſolum exiſtentium angelorum ſpecies videt: ſed poſsibilium fieri diuerſis diſtinctos differentijs ſoli Deo notis, & animæ Chriſti. Vnde vt aliquo modo valeas imaginari quanta ſapiat in Verbo anima Ieſu, vide tu ſi eſſes inter cælum & terram, velut argus cuncta vndique diſcernens, & cito omnes percurreres cælos & maria, planctarum & piſcium differentias pernotans, & cuncta terrarum ſpatia, herbas, gemmas, & fontes, & metallorum venas, & ad infernum vſque tuus penetraret viſus, nonne videtur tibi, quòd innumera ſcires? Non ſolum hæc omnia Chriſti anima nouit in ictu puncti, ſed qualibet hora ex quo facta eſt ampliora ſciuit ex poſsibilibus fieri a Deo. Hæc ſapientia matutina eſt, clariorq. ipſa rerum euidentia, vnde hic adduci poſſet quod dicitur de quodam Cæſare Romano, videlicet quòd dum comediæ agerentur, nollet eas in ſeipſis reſpicere, quamuis perſonæ ipſæ aptiſsime eas repreſentarent, ſed iuxta ſe habens pulcherrimum ſpeculum, in ipſo reſpiciens cuncta diſtincta placide admodum cernebat. Sic anima Ieſu doctrix diſciplinæ Dei, & electrix operum illius iuxta ſe, immo & in ſe habet ſpeculum quod eſt Verbum Dei, quod ſine macula

Chriſti anima habet pro ſpeculo Verbum Dei.

macula dicitur ob id, quòd in repreſentando nullum habet defectum. Sed forte dicere conaberis, quòd hoc beatis omnibus eſt commune, ita ſane: verumtamen hanc differentiam inter Ieſum & fratres ſuos, immo & angelos attende quam ponit Henricus. Cum Dei verbum ſpeculum ſit voluntarium & liberum, ad ſuum beneplacitum repreſentans cuilibet pro captu videntis determinata obiecta, ſoli animæ Ieſu indeterminate obijcit: vt quæcumque ipſa voluerit reſpiciat, quæ etſi non poteſt omnia actualiter videre ſimul, ſucceſsiue tamen omnia metiri, & inueſtigare ad ſuũ velle datur ei: ex eo quòd propter vnionem hypoſtaticam nõ eſt ei data gratia, nec etiam gloria ad menſuram, nullusq. ei terminus præfigitur cognitionis. Dictum eſt ergo quòd Dei verbum eſt ſpeculum ſine macula cuilibet alij beato repreſentans determinata: vltra quæ non poteſt ille velle ordinate videre alia, anima autem Chriſti ad quodcumque ſe conuertere valet, nullo interdicto ſibi poſito. Nominales vero aſſerunt quòd omnia quæ ſunt in Deo videt, & cuncta Dei attributa, diuinasq. perfectiones, quamuis ſint infinitæ: nec ideo ſequitur quòd ſit infinitæ capacitatis, quia nullum ſcibilium ſcit infinite, quamuis infinita ſciat. Ponentes autem in anima Chriſti nouam conuerſionem ad aliquod obiectum in verbo, vt præſefert exemplum ſpeculi, bene aliquomodo concederent profectum ſapientiæ in Chriſti anima.

Tertia Chriſti ſapiẽtia dicitur infuſa, vbi aduerte quòd veluti angelis a creatione ſua Deus ſapientiam infudit omnium ſcibilium, ſic animæ Chriſti. Nam, ut ait Alexander, & Henricus, quemadmodum ſi ex humilitate Imperator uellet ſibi deſponſare pauperem & infimam mulierẽ, notum eſt quòd eam exornaret, ut aptior fieret tanto coniugio. Rex regum & angelorum Imperator deſponſare ſibi cupiens animam Ieſu noſtri, quæ a natura infima erat, minuta ab angelis, & tamquam tabula raſa, decreuit eam honorare, & fecit, infundens ei ſpecimen cunctorum uiuentium cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & ſpecies ſiue habitus omnium: ita quòd ſi eam reſpiceres non amplius opus eſſet ad uidendum quodcumque optabile, niſi eam perſcrutari, quia nec mapamundi nec aliqua mundi deſcriptio; ſic illud reputaret, ſiue uolatile, ſiue cæleſte illud *(Sapientia Chriſti animæ infuſa.)*

O foret;

foret: unde hanc ſapientiam animæ Chriſti infuſam nobis
Sap.18.d uolens ſapiens intimare, ait: In ueſte poderis quam habebat ſummus ſacerdos, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quattuor ordinibus lapidum erant ſculpta: & magnificentia tua Domine in diademate capitis il-
Phil.2.c lius ſcripta erant. Hæc ueſtis, qua habitu inuentus ut homo teſte Paulo, noſter Ieſus apparuit: humanitas illius eſt ubi omnium ſapientia infuſa eſt. Magnificentia Dei, quæ in diademate capitis collocatur, maieſtas Dei eſt in iudicandorum diſcretione, ubi magnificus in præmijs, & diademate ſanctus erit Deus, bonos præmiando, & malos damnando. Hæc magnificentia ſanctiſsima collocata fuit animæ noſtri Ieſu, quæ maximam præſupponit ſcientiam
Ioan.5.d ſapientiſsimam: cum enim pater omne iudicium dederit filio hominis, qui eſt iudex uiuorum & mortuorum, bonorum & malorum, oportuit ut ei ſcientiam ſapidam infunderet totius iudicij, ad officium iudicis & redemptoris condignam, ut præcognoſceret cunctas oues ſuas, quamlibet ſigillatim & nominatim, intus & extra. Hoc fuit præcipuum huius ſuperbeatę animæ ornamentum, quod
Iſa.7.c ei promittens Deus, ait: Ecce uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel: Butyrũ & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Mirum uidetur & pene ridẽdum quòd quando ipſe Deus promiſit maius donum quàm terræ umquam dederit, ſcilicet ſaluatorem ex Virgine oriundum, faceret mentionem butyri & mellis quę ſunt cibus puerorum, in quo quidem nemo didicit reprobare malum & eligere bonum: ſed animæ noſtri Ieſu humillime ex corde datum eſt non ex humilitate quæ poſtea fuit in cibo notata: ſed ex vnione Verbi prius facta conceſſum eſt, vt ſciat in vniuerſali & particulari iudicio reprobare quemlibet malum, & quodlibet malum perpetratum: & eligere ex millibus vnumquemque bonum ad gloriam, & præmiare quodlibet bonum opus impenſum. Ille pater Adam omnium ſpecierum ſcientia prædiues, immo & diuinorum in ſopore raptus, ignorauit malum & bonum hoc, illudq. radicitus ſcire concupiuit: ideoq. callidior ſerpens ſcientiam boni, & mali repromittit ei. Radicitus dixi, nam aliunde oritur
Tit.3.b electionis ratio, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus

nos:

nos : & ſi aliquæ ſint iuſtitiæ noſtræ, ſunt tamen ſicut pannus menſtruatæ, quæ eligi non merentur : vnde bonum electionis & malum reprobationis diuerſimode ſe habét. Iniquitas tua ex te Iſrael : a me tantum ſaluatio tua. Hanc ergo ſapientiam mali & boni, cur Iacob dilexerit, Eſauq. odio habuerit, nemo præter Chriſtũ accepit, non Adam, non Paulus, non Salomon, non Auguſtinus. Nec ſolum in electis & reprobis ratio bonitatis, & malignitatis eſt ignota creaturæ, ſed in alijs rebus : quis inquam enodauerit cur ex hac comedens arbore Adam moritur, & comedens ex altera viuit? Nemo certe hoc myſterium callet niſi noſter Ieſus etiam butyrum & mel comedens : adhuc feminæ vtero circumdatus : quia ex tunc vir fuit perfectæ ętaris, & plenitudinis ſcientiæ quam modo habet. In ipſo enim fuerunt ex tunc omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, & peritia ſecreti, & arcana ſecretorum quæ abſcondita dicuntur : quoniam nondum venerat complementum illius. Dabo te in lucem gentium, ſcilicet manifeſtum, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. De hac igitur ſapientia infuſa animæ noſtri Ieſu dicitur figuraliter : Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris, & præcedebat ſapientia eius ſapientiam omnium orientalium, & Aegyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus. Omnibusq. præponitur ſapientior, primo angelis qui nomine orientalium deſignantur : ſecundo dæmonibus qui ſunt Aegyptij : tertio ceteris viris, quia eſt ſapientior cunctis hominibus : vnde eius cor ita latum dicitur ſicut littus maris, id eſt ſicut diuinus intellectus, qui diuinitatem luſtrat & ambit omnium rationibus plena.

Iſa.64. b *Oſee 13. b* *Coloſſ.2.a* *Iſa.49. b* *3.Re.4. d*

Sapientia Chriſti acquiſita.

Quarta Ieſu ſapientia acquiſita fuit. Duobus modis præcipuis acquiri poteſt ſapientia, ſpeculatiue videlicet & practice. Priori modo proficere nequiuit, quia ex infuſa ſupplebatur, ſi tamen poteſt, decretum habeo quòd ad ſcholam docti ſeraph, lucifer, & Ieſus: plus iſte puer quàm ille proficeret, quia etſi natura inferior ſit angelis bonis & malis, lumine tamen erat ſuperior & gratia, ideoq. dixit Salomon ſapientiorem orientalibus angelis, videlicet & Aegyptijs qui dæmones ſunt, quos in deſerto pru-

demter deluſit, & in Herode per magos. Nec mirum videatur hoc, aquila enim homine inferior eſt, tamen acutius videt. Altero modo videlicet practico multum admodum creuit ſapientia Ieſu, de qua Durandus ſic ait: Aliquo modo eſt profectus in ſcientia quantum ad aliquẽ modum certitudinis, ſicut cum aliquis certus de aliqua concluſione per demonſtrationem, puta de eclipſi, eam poſtea ſenſibiliter intuetur. Per hoc enim noua certitudo additur, & præcedens confirmatur. Et hæc vocatur certitudo experimentalis, & quantum ad hoc creuit ſcientia Ieſu, proficiebatq. coram Deo per merita, & coram hominibus per compaſsionem: vnde Paulus de Chriſto ait: Et quidem cum eſſet filius Dei didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo pontifex. Ex ſcientia paſsionum, & ex notitia experimentali tribulationum Apoſtolus Chriſtum conſummatum vocat: quia nil amplius ei deerat, vt pontifex fieret: quod alibi diffuſius enodans, ait: Debuit per omnia fratribus aſsimilari, vt miſericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, & vt repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt, & eis qui tentantur auxiliari. Vtinam prælati noſtri, & pontifices aliquid paterentur, vt compaterentur. Mirum quidem Apoſtolus intonuit, quòd ſcilicet opportuit Chriſtum pati, vt miſericors fieret ſciens infirmitates noſtras, quia in ſuis noſtras didicit: vbi ad vltimum miſericors efficitur. Vbi attende ſecundum Bernardum quòd miſericordia pleniſsima duo habet, ſcilicet miſeri ſubuentionem, & miſericordiæ compaſsionem. Primum Deus habuit in veteri lege non ſecundum: nam miſericors fuit delicta indulgendo, neceſsitatibus ſubueniens, errata remittendo, & pœnam peccati, non tamen eam ſenſit. Si infirmus medicus ad hoſpitale pergeret, & alter ſanus bene tamen edoctus febrium qualitates tantum ex ſcientia ſcolaſtica ſciret non condoleret infirmis, ſicut alter qui ipſam infirmitatẽ perpeſſus eſt: in pluſq. haberet ęgrotus veram compaſsionem & teneritudinem tuam ad illam quàm ſubuentionem ſolam, & ſi vtrumque ſimul gratiſsimum ſit, quantum Deus niſi pateretur præſtare ad integrum vt miſericors fieret,

Durand. 2. ſent. diſt. 14. q. 4.

Heb. 5. c

Hebr. 2. d

Bernard. ad Brunon. epi. 8. to. 2.

minime poſſet: vnde Dauid orabat: Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Miſericordia quidem eſt ſperantes ſaluare, delicta condonare, neceſſitatibus ſubuenire, tamen hic nullum mirum eſt donec ipſe iudex non ſolum pepercit, ſed ſuſtulit: & paſſus eſt ea quæ ad nos pertinebant. O puer Ieſu quia parua miſericordia fuit delere flagella noſtra in tua miſericordia, niſi tu eadem reciperes in tuo mortali corpore: hæc mira miſericordia fuit. Parum fuit ante ſanare infirmos, ſed vt gallina pro filijs infirmitates aſſumere, mira miſericordia eſt. Parum extitit aquam largire ſitientibus, ſed magnum eſt pro eis ſitire. Parum eſt eſurientibus cibum dare, ſed magna eſt miſericordia, mira, inaudita, & magnifica te ipſum eis cibum facere. Parum fuit nobis mortem condonare: niſi tumet pro nobis mori dignatus eſſes. Iam mirificaſti miſericordias tuas Deus acetum noſtrum & fel potando, omnesq. labores tolerando, vt amplius miſericors fieres, nec ſolum ex cruce, ſed ex nunc, quoniam noſtri Ieſu lacrymæ non ſunt, vt aliorum infantium, quia iam ſcit reprobare malum noſtrum, & nobis conferre bonum meritum ſuum, & illud ad patrem referre pro ſuis: qui ex quo natus eſt iam rationaliter, & voluntarie pro nobis laborat, ſciens quid faciat, quidve patiatur, & pro quibus ad ſcholam poſitus ſit paſſionum: ex quibus Ieſu ſapientia experimentaliter proficiebat, vt ait thema. Ex nunc vocat aduerſum ſe tempus, & frigus, & aquilonem: quia ipſe qui patitur, hæc omnia creat & contra ſe mittit vt amplius ſapiat.

Pſ. 16. b

SECVNDA PARS.

SI partem alteram incipere tempus admittit, nota quòd quamuis ſol ſemper illuminet, in ſeq. luceat, nos diuerſimode illuminans: vnde ſol iuſtitiæ Ieſus de quo dicitur: Homo iuſtus in ſapientia permanet, vt ſol ſemper hic nos illuminat, etiam a montibus æternis: paucis retro diebus ortus eſt nobis: tamen creſcente puero Ieſu, ſol qui ipſe eſt, altior aſcendit, & amplius lucebit vſque dum ſuper nos aſcendit in cruce ſuper occaſum: & tantum lucebit quod in ſole naturali lumen obſcurabit. Sed nunc

Eccli. 27. b

radios mittit primo ſuper montana Ioannem docens & matrem, poſtea ad paſtores quibus claritas fulſit cæleſtis, poſtea ad magos, poſtea ad templum Dei præſentatus, poſtea ad Aegyptum, nunc ad templum Dei vbi alijs profuit ſapientia Ieſu ſedens in medio doctorum. Nec ſolum illos edocuit, ſed in hoc Euangelio nos omnes erudit magiſter noſter Ieſus prius ſe docuit, nunc docet nos ſtatim a pueritia (nullis petitis inducijs) Deum quærere, & templum adire. proſequere moralem ſenſuum alterius ſermonis, & vide legem amoris, vbi tripliciter exponitur hoc Euangelium.

SERMO I.

DOMINICÆ SECVNDÆ POST EPIPHANIAM,

De matrimonio Chriſtiano & præſenti.

THEMA.

Vocatus eſt Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Ioan. 2.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Maria coniungit pauperes nubentes.

DIcitur in præſenti Euangelio, quod nemo crederet, niſi Euangeliſta illud aſſereret. Quis namque dicere auderet quòd beata Virgo ſolitudinis amica, ſilentij amatrix tam recollecta, quòd vix angelis patebat ianua eius? Quis inquam diceret, quòd hæc inuenta eſt in nuptijs, niſi Ioannes hoc detegeret, dicens? *Et erat mater Ieſu ibi?* quaſi dicat, ipſa eos coniunxit, eoſq. conciliauit. O beata Virgo, viduarum & orphanorum ſolamen: cuius exercitium erat parentibus orbatas puellas maritare, & orpha-
Pſ. 44. c nis fauere, quoniam de te ſcriptum eſt: Filiæ tyri in muneribus

neribus vultum tuum deprecabuntur. Tyrus interpretatur obſidio, vel triſtitia, ſcilicet orphanis puellis per dæmonem adducta, quæ dum ſe orbatas vident, triſtes ſunt ſe a dæmone, carne, & mundo videntes obſeſſas. Beata virgo Maria quæ merẽtes erigit ſoſpitate, cum muneribus ſuis ac eleemoſinis viſitabat eas ob deprecationem adoleſcentularum: de quibus Mariæ dicebatur: Filiæ tyri in muneribus, ſcilicet poſtulatis vultum tuum deprecabuntur, vt ſcilicet earum connubia præſentia tua honoret, ac peragat. Nam ideo venit beata Virgo ad nuptias iſtas, vt vinum poneret, quæ ſi hoc fecit in carnalibus nuptijs, munificentior erit erga ſpirituales: quibus non vinum ſed gratiam impetrabit, pro cuius pretio tantum vult genibus flexis. Aue Maria. Tyrus quid.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IActantiam & magnificentiam principalem oſtendit rex Aſſuerus in nuptijs ſuis, & quilibet homo magnificat fimbrias ſuas in connubio ſuo. Dei autem filius qui ſicut angelus vixit, non ſuum connubium cuiuſdam hominis Chriſtiani ſic magnificauit, vt ibi oſtenderet gloriam ſuã coram diſcipulis ſuis, ibiq. largitus eſt munera iuxta magnificentiam principalem. Nam dedit omnibus notitiam ſui, atque diſcipulis fidem, matri petitionem, ſingulis lætitiam, Architriclino ſtuporem, patri gloriam, matri laudem: vnde ad litteram videtur impletum in iſtis nuptijs, quod in Aſſuero proceſsit. Nec mirum quòd ille ad nuptias ſuas congreget optimates ſuos: quia etiam de iſtis dicitur: *Vocatus eſt*, &c. In ſermone nil aliud faciam niſi exponere Euangelium præſens ad normam chriſtiani coniugis. Primo neceſſaria ei oſtendam. Secundo exponam bona matrimonij.

Eſth. 1. a

Chriſtus honorat nuptias ſuorũ.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

PRimum miraculum quod pater æternus effecit, erga matrimonium verſatur, dum primo viro vxorem ex proprio creauit latere ſine læſione vlla: tamen dæmon inceptis bonis inimicus contra hoc matrimonium primam

in terra malitiam oſtendit, dum ea quæ in adiutorium viri creata eſt, vertit contra eum, & fonte generationis amborum tantum effudit malum, vt eſſent ſibiipſi graues etiã ad videndum, & huic turpi damno volentes illico ſubuenire fecerunt ſibi perizomata. Dei autem filius ad patris imitationem atque dæmonis citam impugnationem, & ad noſtram ſubuentionem incœpit etiam ſicut pater ſuus mira facere, vt matrimonium reſarciret atque ſanaret, de quo incipit Euangelium: *Nuptiæ factæ ſunt in cana Galilea.* Perpendite fratres mei, quòd omnis doctrina Chriſtianis nuptijs neceſſaria in hoc Euangelio inuenitur, ſi tamen profunde intelligatur, quia connubium chriſtianum debet in Cana Galilææ celebrari. Vbi aduerte quòd Cana interpretatur zelus, non ſcelus: ſed zelus. Ille habet ſcelus in matrimonio ſuo, qui contrahit illud vt ſuæ libidini vacet ſicut equus, & mulus. Huic matrimonio non Ieſus, ſed dæmon vocatur, quia teſte angelo ſuper hos habet poteſtatem dæmon. Chriſtianum vero matrimonium debet in zelo contrahi, vt ſcilicet caſtius viuas. Vbi aduerte quòd vulgus eos qui adhuc vxores non duxerunt, vocat ſolutos. Nam vt plurimum ſunt velut equi emiſſarij nullo rationis freno detenti, quibus vtitur dæmon ad impregnandas ſuas mulas, quæ videntur ſteriles, tamen habent filios fornicationis. Sunt & iſti vt pecus macello deputatum, cui propterea licet in quocumque prato edere: nam tales dicunt: Non ſit pratum per quod non tranſeat luxuria noſtra. Vt ergo huic malo ſubuenias duc vxorem, & tunc in Cana celebrabis matrimonium in zelo animæ tuæ, vt ſcilicet caſtius viuas, & omnibus relictis vni adhærebis. Nam quis non fiet caſtior accepta vxore, dum ſe videt non ſolum ab ea ſed a parentibus & vicinis conſpici? Ille etiam in Cana celebrat connubium, qui primo non opes aut pulchritudinem ſponſæ ſuæ ſed virtutem attendit, vt ille qui ſponſæ ſuæ dicebat: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: vbi ſponſa de verecundia & caſtitate notatur, quæ duo primitus in puella quęrenda ſunt. Sed nunc videamus de ſecundo vocabulo, ſcilicet Galilea quę interpretatur tranſmigratio. Sed in quid migrare debet nubens? dum primum matrimonium fiebat, ipſe contrahens Adam in tranſmigratione erat: quando ei Deus immiſit ſoporem,

Intentio nubentis. — *Pſ. 31. d* — *Sap. 2. b* — *Cant. 1. c* — Galilæa quid. — *Gen. 2. d*

ſoporem, & extra ſe raptus extaſim patiebatur: vſque dum adducta eſt ei vxor: de qua reuerſus ad ſe prophetauit non ſolum quod eis contigit, ſed quod euenit in omni matrimonio, ſcilicet propter hanc, relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, *et c.* Hæc autem transſmigratio nemini poteſt ineſſe, nec alicui poterit euenire: tamen loquamur de tranſmigratione omni matrimonio neceſſaria. Vbi aduerte quòd, vt ait philoſophus in libro de anima, vis generatiua data eſt homini ad conſeruandum eſſe diuinum. Triplex namque inuenitur eſſe, primum naturale omnibus commune: ſecundum morale, & hoc fuit in viris philoſophis: tertium eſt diuinum, & hoc ſolummodo reperitur in bonis chriſtianis, de quibus dicitur: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Qui poteſtatiue filius Dei fit, proculdubio eſſe diuinum participat: eſſe diuinum habet animæ ſuę immiſſum, Spiritui ſancto collatum. Eſt ergo in iuſtis viris eſſe diuinum animæ imbibitum, quia in animas ſanctas ſe transfert, & iuſtos mutat in viros alteros. Iam ergo ſi nobiles mundi vxores ducunt, & volunt filios procreare, vt in eos transferant opes ſuas, & nomen: vir chriſtianus dum contrahit matrimoniũ per intentionem ſit in hac tranſmigratione poſitus, vt nubat ad conſeruandum eſſe diuinum in ſuccedente prole, vt eſſe diuinum quod habes in te, deinde conſeruetur in filio tuo, ne moriatur ſed quodammodo perpetuetur fides tua, & notitia Dei, quæ eſt in te tranſeat in prolem tuam. Hoc perpendebat illa quæ de filio ſuo dixit: Volunt extinguere ſcintilam meam, vt non ſuperſint viro meo reliquiæ ſuper terram. Scintilla fidei quæ eſt in te ardebit in filio, qui hac intentione contrahit matrimonium, ſcilicet ne deficiat fides ſua, & vt eſſe diuinum quod habet in ſe, conſeruet in prole. Hic ſane iam eſt in Galilea, iam in tranſmigratione maxima poſitus eſt. Huic opus eſt id quod ſequitur, ſcilicet, *vocatus eſt Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.* Ad quodcumque negotium oportet vocare Ieſum, qui bonis incœptis fauet, ſine quo factum eſt nihil, tamen ad matrimonium inſtantius vocandus eſt, vt per ſe ac per gratiam ſuam aſsiſtat ſacraméto matrimonij, ſicut & alijs ſacramentis: quin & loco Ieſu vocandus eſt eius vicarius ſacerdos Chriſti: alioquin merito ſponſalia clandeſtiná

ibidem.

Vis generatiua ad qd.

Ioan.1.b

2.Reg.14.b

Ioan.1.A

Eccleſia iudicat adulterina. Voca ergo ſacerdotem ad nuptias tuas, & tunc Deum vocaſti: quia in ſcripturis ſacris Dii dicuntur ſacerdotes. Ea quæ hucuſque diximus neceſſaria ſunt ad matrimonium celebrandum: tamen ad bonum ſucceſſum eius hoc quod ſequitur opus eſt, ſcilicet: *Et erat mater Ieſu ibi:* optima quidem ſocia totius vitæ contrahentium. Quis enim ferre queat onera matrimonij, de quibus plura loquuntur, & permittunt iura ciuilia: niſi ad memoriam reducat matrem Dei, quæ in ſuo matrimonio tantum laborauit? Nulla feminarum cum tanto labore filios enutriuit ſicut mater Ieſu ſuū Ieſum, cum quo a præſepio vſque ad crucem plurimum laborauit. Sit ergo mater Ieſu vobiſcum, ſit aduocata & mater veſtra, quia ſi Frāciſcani fratres beatam Claram vocant matrem ſuam: Auguſtiniani vero beatam Monicam, & fratres beati Benedicti vocant beatam Scolaſticam matrem ſuam: cur contrahentes non vocabunt beatam Mariam matrem ſuam, quæ plurimum honoris contulit matrimonio, & ab eo etiam ſatis honoris recepit, cum nec Dei filius eam voluit in matrem donec deſponſata eſſet viro ſancto? nec ſolum mater Ieſu erit vobiſcum tāquam exemplum, & tamquam iuuamen: ſed etiam obſtetrix, & nutrix filiorum veſtrorum: quia ex quo miniſtrauit Eliſabeth neminem dedignatur. Erit namque vobiſcum ſi filios veſtros ei & filio ſuo genueritis: beatus qui contrahit matrimonium, vt beatæ Mariæ ſuſcitet nouum ſemen & nouam prolem: quia ſi ſic, ipſa de filijs veſtris dicet: Nolite tangere chriſtianos meos. Sed videamus quid ſibi velit mater Ieſu, immo quid vobis, de quibus ait filio: *Fili vinum non habent*. Dum enim vocat filium, nil negandum inſinuat: quia matri & tali omnia debent concedi. Tenerum ergo affectum ingerit Maria Chriſto: quia nunc monſtrat ſe eſſe matrē, & caſtitatis matrimonialis amatricem, dum ait: *Vinum non habent*. Felices vos ſi non habueritis vinum, quia luxurioſa res vinum in quo eſt luxuria: vbi nota quòd ſicut aliud eſt ſeruire nutritioni, aliud ſeruire ingluuiæ, ſic aliud eſt ſeruire filiorum generationi, & aliud ſeruire carnalitati. Maria primis nuptijs intereſt, non ſecundis, ideo enim dixit: *Vinum non habent*, ſcilicet ad ſaturitatem. Nec enim matrimonium chriſtianum eſt ad ſaturandum luxuriam

Pſ. 81. b *Pſ. 104. b* *Pro. 20. a*

luxuriam ſed ad ſedandum eam. Boni ergo contrahentes aliquando debent carere vino fęderis coniugalis, ſcilicet tempore ieiunij, & communionis, & orationis, & prægnationis, & paſchatis, & peregrinationis, & ſimilium, & quandocumque abſtinent propter Deum. Talium ergo coniugatorum meritum allegabat beata Virgo filio Dei pro eis. Et omnem penuriam quam in matrimonio patiuntur, ob quam dixit: *Vinum non habent*. Sed videamus quid filius ei dicat, ait namque: *Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea*. Et eſt litteralis ſenſus iſte. Ego & tu conuiuæ ſumus, conuiuis autem nulla cura eſt de potu ſed de potatione, quia non inuitantur niſi ad bibēdum; ideo inuitantes caueant ſibi, ne deficiat potus eis. Si autē dicis quòd cum ego ſim vniuerſę creaturæ pater de omnibus teneor habere curam, ad hoc ego reſpondeo, quòd nondum venit hora mea, quæ eſt illa in qua talis cognoſcar, & in qua talis credar: fateor quidem quòd Deus dat eſcam omni carni: tamen debet talis interpellari, alioquin nihil dabit: niſi quis poſtulet in fide nihil hæſitans de potentia mea, quam iſti non credunt, dum tamen crediderint, veniet hora mea, qua & piſces & panes multiplicabo. Ad moralem autem ſenſum quem intendo a ſermonis principio, aliter declarantur verba illa: nam dum Chriſtus dixit: *Quid mihi & tibi mulier? non dum venit hora mea:* innuit quòd eius miſerandi hora erat illa, qua mater ſua monuit miniſtros ad obediendum verbis Ieſu: nam ſine obedientia mandatorum nec Ieſus nec mater eius de lege poterunt nobis eſſe propitii: de rebellibus enim nulla cura eſt illis: ad quod facit hoc dictum Dei: Si genuerit homo filium contumacem, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus, obedire contempſerit, lapidibus obruet eum populus. Ergo ſicut per hæc verba pater nec mater habet curam de filio contumaci: ſic nec Ieſus nec eius mater volunt habere curā de coniugibus, qui eis obedire contemnunt. Hora ergo miſerendi Chriſti eſt obedientia tua, quia nouimus Deum obedientiam præſtaſſe voci hominis obedientis ſibi. Vt ergo hanc in nobis curemus captare horam, ſequitur in Euangelio præſenti: *Et dixit mater Ieſu miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite*. In his verbis includitur ſumma prædicantium:

Obedientia matrimonio annexa.

Pſ. 135. d

Iac. 1. a

Deu. 21. d

Ioſ. 10. c

dicantium : nil breuius copioſiuſq. ſcribi aut prædicari pô tuit. Si, vt ait ſapiens, doctrina prudentum facilis pariter & vtilis eſt. Hanc beatæ Mariç doctrinam capiamus, & ſequamur quo nihil facilius, dulcius ac ſalubrius: propter quam, vt ait Albertus, meruit Maria prçmium doctorum: dum feruenti animo protulit: quodcumque dixerit vobis, facite. vbi aduerte quòd tripliciter ſe habet Deus loquendo creaturis ſuis, nam inſenſibilibus dicit: rationabilibus mandat: ſanctioribus conſulit. Ex quo venit, dictum, mandatum, & conſilium. Vbi aduerte quòd in hoc eſt homo infelicior ceteris creaturis: quia illis ipſe dixit & facta ſunt: nobis autem & mandat, & præcipit, & conſulit, & vix aliquid fit. Tamen beata Virgo cupiens, vt nulla rebellio ſit in nobis, ait: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Felices erunt coniuges, ſi ad omnem voluntatem Dei ſe extendant: ſunt namque aliqua conſilia Euangelica, quæ exiſtentes in domibus ſuis poterunt adimplere, vt notat Gerſon, ideo non ſolum miniſtris, ſed etiam contrahentibus dicat Maria: *Quodcumque filius meus dixerit vobis, facite*. Sed numquid ſunt difficilia, quæ Deus in his nuptiis iubet? ſi vbique ponit iugum ſuaue Chriſtus fidelibus ſuis, relinquet nunc dulcedinem ſuam? abſit: quoniam ſolummodo dixit Ieſus miniſtris: *Implete hydrias aqua*. Erant enim ibi ſex hydriæ ſecundum purificationem iudæorum. Nullo facilius hydrias poteſtis implere quàm aqua. Inuenimus enim in ſacra pagina hydrias plenas igne, & hæ ſunt contemplantium, quæ debent habere corda flammantia. Nec mirum quòd illæ hydriæ confractæ ſint, quia ſcriptum eſt: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Sunt etiam hydriç farina plenæ, quales ſunt intellectus doctorũ, aut bonorum ſcholaſticorum, qui in ſermone formare debent panes doctrinæ populo Dei multiplicandos. Sunt quoque hydriæ aureæ, quales fecit Salomon & ſtatuit eas in templo Dei, quas vt arbitror impleuit balſamo. Hç ſane quidem ſunt animæ beatæ in templo Dei ſtabilitæ, quæ fruitione plenæ ſunt, vt ad has pertingatis vos, qui matrimonio laboratis, interea implete hydrias aqua. Nec mirum quòd hydriæ quæ ſunt ſecundum purificationem, impleantur aqua purificante: matrimonium namque purificat, quia vt alia ſacramenta,

Marginalia: *Pro.14.a* — *Iud.7.e* — Hydria quadruplex. — *Ioel 2.c* — *3.Re.17.e* — *3.Reg.7.g*

cramenta,

cramenta gratiam confert contrahentibus chriſtiano modo: quem in ſermonis initio exponere cœpi. Nec enim alijs doctoribus placet opinio Durandi tenentis non dari gratiam in hoc ſacramento. Nam ipſe putat, quòd non datur gratia deſcendenti de maiori ad minorem ſtatum, & vt arguit, qui primo chriſtiane nubit, deſcendit de ſtatu virginitatis ad ſtatum matrimonij: hic aduerte quòd male vocatur deſcenſus iſte actus: quia vt ait Auguſt. non eſt proprie deſcenſus, nam qui vxorem erat accepturus, in meliori ſtatu eſt poſtquam eam duxit quàm antea: quoniam antea in electione ſua torquebatur, iam vero poſtquã inuenit, quam quærebat, quieſcit. Antea intentus erat vt multis placeret, ex quibus vnam acceptare volebat: ſed iam illa electa, vni placere ſtudet ſpretis aliis. Ergo matrimonium contrahens non deſcẽdit ad minorem ſtatum, nec enim aſcenderat ad ſtatum virginitatis, & dato quòd deſcenderet, non propterea negatur gratia etiam deſcendenti de contemplatione ad piam actionem, de Rachele ad Lyam. Tenetur igitur quòd hoc ſacramentum matrimonii confert gratiam chriſtiane contrahentibus. Nam in ſtatu legis antiquæ non conferebat gratiam, ſed iam poſtquam Chriſtus aquam vertit in vinum, perfectionem tribuit huic negotio, & charitatem quæ ardet in vino.

Gratia datur in matrimonio.

Aug. de bono coniug. c.17.to.3.

SECVNDA PARS.

SEd hydrias quæ ad matrimonium pertinent, oportet exprimere: vbi aduerte, quòd referente Auguſtino triplex eſt bonum matrimonii, ſcilicet bonum prolis, bonũ fidei, & bonum ſacramenti. Quodlibet horum bonorum eſt duplex, & ſic ſunt ſex bona, velut ſex hydriæ: vt autem de bono prolis agere incipiam, aduerte quòd duplex eſt proles, & ſic duplex eſt bonum prolis. Eſt enim proles manuum, & proles ventris. De vtraque prole intelligitur illud Pauli, ſaluabitur mulier per filiorum generationem. Si habes bonos filios, habes bonum prolis: nam filii non tantum faciunt ad matrimonium chriſtianum quantum eorum bonitas: ideo enim Auguſtinus non dixit ſimpliciter prolem ſed bonum prolis, quod in parentes redundat: quia ideo dicitur: gloria patris eſt filius ſapiens. De alio bono

Aug. lib.9. ſuper Ge. ad lit.c.7.to.3.

1.Ti.2. d

Pro.10. a

Pro.31. b bono ſpiritualis prolis dicitur: Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Dum ergo vxor fructum ventris non habuerit, habeat fructum manuum, & ſufficit ei, quia boni filij ſunt bona opera. Felix tamen qui vtroque bono vtriuſque prolis gaudet, quia talis mulier velut Rebecca gemellos parit: de anima, & corpore offert fructum.

Gen.25. d
Rom.9. c

Bonum fidelitatis duplex.

Pariter bonum fidei eſt duplex, quia fidelitas ſeruanda eſt, & quo ad corpora, & quo ad opes. Quo ad corpora, ne alter ſuum corpus det niſi altero coniugum, vt vxor neget ſe omni alio, & ſe præbeat viro, pariter & vir ſe omni aliæ feminæ deneget, ſuæq. vxori ſe præbeat. Sed poteſt ne inter eos infidelitas inueniri? dico quòd ſic non ſolum ſe denegando, ſed dum alter vult abuti altero, quia tunc non petit debitum, ſed rapit alienum. Non quærit quæ ſua ſunt: ſed quæ ſunt diaboli. Sunt enim quidam coniugatorum, vt equi effrænes, qui volentes bibere, prius pedibus ſuis turbidam reddunt aquam, cum eam claram bibere potuiſſent. Aquam deliciarum poteris claram bibere in matrimonio tuo, ſi pes tuæ ſenſualitatis non tranſgrediatur limites matrimonij tui, alioquin cæno ac luto peccati eam inuolutam bibes ad damnum tuum. Et tibi vertetur in morbum, quod inſtitutum fuerat ad medelam. Secundum bonum fidelitatis verſatur erga opes coniugatorum, quod quidem diſperdit luſor, & ille qui laborare negligit. Iacob enim poſtquam cœpit eſſe maritus, effectus eſt laborioſus, depoſita ignauia, qua domi ante latebat.

1.Co.10.e
Exemplū.

Eſt etiam bonum ſacramenti duplex, ſcilicet in ſe, & in eo quod ſignificat: vnde bonum ſacramenti ſecundum Scotum eſt vinculum indiſſolubile: quod ſe habet intrinſece, & pro formali in matrimonio. Hoc vinculum ſignat vnionem Chriſti & Eccleſiæ, quæ numquam diſſoluta eſt, nec debent coniuges ſeparari. Hæc autem coniugatorum vinculatio non intelligitur ſolum quo ad corporalem habitationem & corporum vnionem, ſed etiam quo ad animam in corporalibus, & ſpiritualibus debent eſſe vniti. Sanctitas huius ſacramenti vniat animas eorum, & contractus eius vniat corpora, & ſic habebunt duplex bonum ſacramenti. Sint in fidei vinculo, & in eodem amoris funiculo,

Scot.4.ſent. diſt.31.

lo, & in eadem perſiſtant deuotione, ſi volunt habere in mente bonum ſacramenti. Sint etiam vniti habitando, & conueniendo pariter, & eadem ſentiendo, & tunc habebunt etiam in corpore bonum ſacramenti. Ex quibus videtur ſequi, quòd dum diſsident, dum ſe mordent, dum rixantur, dum non ſe ad inuicem ſalutant, nec loquuntur, carent bono ſacramenti. Felices autem iudicari poſſunt, qui habent ſex hydrias dictas: hoc eſt ſex matrimonii bona, quę retulimus ad purificationem poſita & decreta: quia in vnoquoque horum bonorum requiritur puritas, & immunitas a peccato. Has hydrias iuberis aqua implere, ſaltim aqua eas adimple vſque ad ſummum, hoc eſt fac in matrimonio quod in te eſt, vt caſte viuas, & vt neſcias thorum in delicto, ſed quòd thorus tuus ſit immaculatus: quia tunc Deus adiiciet ad ſolicitudinem tuam, ita vt ex aqua fiat vinum: vnde ideo ſequitur: *Haurite nunc, & ferte Architriclino.* Hic Architriclinus patris æterni figuram tenet. Pro quo aduerte quòd pater vniuerſæ creaturæ Deus cupidus eſt filiorum, eiſq; nimium gaudet, atque lætatur. Et hac de cauſa illum filium, quē ab æterno genuit, fecit primogenitū in multis fratribus, vt illos ad ſe reduceret, vſque dum impleretur filiis & filiabus, quod vt perpendens filius Dei non inuidus fratribus, cœpit peragere negotium aduentus ſui erga nuptias, quas ipſe ſanauit, & correxit iuxta ordinem præuiſum. Sciant ergo coniuges chriſtiani, quòd ſicut Noe poſtquam egreſſus eſt de arca, animalia munda ſtatim obtulit Deo, ſic debent filios ſuos qui ſunt hydriæ Dei aqua baptiſmi adimplere, vt mundentur, & poſsint offerri Deo. Hydrias ergo imples aqua, cū filiū tuum baptizas, & aqua baptiſmi fit vinum per ordinationē Chriſti, quando illico infunditur gratia infanti baptizato. Et tunc poterit Architriclino, ideſt patri ęterno præſentari. Ecce igitur quo modo bonum prolis, ceteraq. bona matrimonii adimpleri debent aqua ſalubri, quæ in vinū conuertitur: quoniam aqua baptiſmi plus eſt quàm aqua. Felices ergo coniuges, felix humanus pater qui patri diuino præſentat fructum ſuum, eiq. ſe ſimilem facit qui paterno vocabulo gaudet, atque in gloriam primogeniti ſui vertens negotium, vocat ſponſum, & ait: *Omnis homo primo bonum vinum ponit: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.*

Sap. 3. e

Gen. 8. d

Aqua baptiſmi fit vinum.

Ioan.3.d adhuc. Spõſus eſt Dominus Ieſus, quoniam ipſe dixit: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. In ſponſa ſua Eccleſia per aquã
Io.14.a regenerationis habet nos genitos patri ſuo: quia nemo venit ad patrem niſi per eum, ideo pater eum vocat ſponſum.
Mat.9.b Nam & ipſe Chriſtus dixit: Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, dum habẽt ſecũ ſpõſum? nobiſcum habemus ſpõſum Ieſum, non eſt nobis lugendum, poſtquàm habemus ab eo
Pſ.103.b vinum quod lætificat cor hominis nõ de genimine vitis no-
Io.15.a ſtræ, ſed de ſeipſo, qui ſe dixit vitem veram: nam hoc vinũ tam pretioſum eſt, vt dicatur virgines germinare, ſcilicet animas integras, quas a peccati liberat corruptione. Nec miremini, ſed ſciatis, quòd ex induſtria ſponſus Ieſus ſeruauit bonum vinũ vſque adhuc: quoniam gratia iſta baptiſmalis, qua implentur animæ nulli ſtatui conceſſa eſt niſi noſtro, quos tantum uoluit honorare filius Dei. Qui cela-
Pſ.147.b uit ceteris gloriam ſuam, quia non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, ſicut nobis. Hic attende in architriclino & ſponſo, quo modo pater uocat filium, ut omnes mirentur de gratia Spiritus ſancti animabus collata: nam illa admiratio ad nos pertinet, nos attentos deſiderat, quia nobis manifeſtat gloriam ſuam. Hoc dicitur initium ſignorum Ieſu, quia primus ſtatus Eccleſiæ quo ſanctitas incipit, ſtat in matrimonio, in quo gloriam ſuam, ideſt diuinitatem ſuam manifeſtat Chriſtus creans filios & filias ad ſeruiendum ſibi, vt ſcilicet offerantur ei iam animalia rationalia, nõ capras aut hædos, ſed infantes ortos matrimonio, ex quibus Apoſtoli & doctores fiunt quotidie ad augumentum fidei chriſtianæ, quæ ſine hoc ſtatu cito periret: unde merito prius voluit honorare ſtatũ matrimonii, qui poſterius atque in longinquum debuit durare, & ceteros conſeruare. Si ergo chriſtianiſsimus quiſque
Thob.8.b dixerit uobis illud Saræ: Non poſſumus ita cõiungi ſicut gẽtes quæ ignorant Deum. Reſponde quòd uerum eſt: tamen propterea Chriſtus exprimere uoluit in hoc Euangelio modum matrimonij chriſtiani, quem ſi tenueris, guſtabis uinum gratiæ in præſenti, & manifeſtabitur tibi gloria Ieſu in futuris nuptiis agni: ad quas nos perducat ipſe Ieſus qui cum patre, & Spiritui ſancto uiuit, &c. Sub thema prædicto quære alium ſermonem in illo libro, quem uocaui ſtellam omnium ſtatuum.

SER-

SERMO II.

DOMINICÆ SECVNDÆ POST EPIPHANIAM.

Vel Dominicæ xix. poſt Pentecoſten, vel pro velo Monialium.

THEMA.

Vocatus eſt Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias. Ioan. 2.

In quolibet vitio ſponſæ thema repete: dicens, ſponſus antequam vxorem ducat, ſpectat finem.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NIſi nuptiis adeſſet mater Ieſu, arbitror quòd nec diſcipuli nec ipſe Ieſus vocaretur ad eas, & etiam credo quòd ipſa æmulatrix meliorum chariſmatum eum accerſiri fecit. Alioquin non dixiſſet Euangeliſta antequam de Ieſu loqueretur: *& erat mater Ieſu ibi.* Sed quis quæſo vocauit Ieſu vocatricem? quis eam venire fecit? forte dices. Illa met ſe adduxit, quæ præoccupat, qui ſe concupiſcunt, & ſe oſtendit illis memor Dei, qui prior dilexit nos, nec immerito mater Ieſu figuram tenet gratiæ præuenientis, quæ nullis meritis proprijs aduenit homini, nullis inquã meritis propriis, nam ex induſtria addidi propriis, quia ſi ob aliqua merita venit, non certe ob alia niſi propter merita Ieſu, & ideo hic non vocatur ſimpliciter Maria, ſed mater Ieſu, cui equidem ſubdita erat: quia quem genuit, adorauit. Eſto igitur quòd mater Ieſu adſit nobis ob merita filij ſui, quid ſibi velit mater Ieſu inquirendum eſt: immo quid nobis a filio, quod ipſa declarans ait: *Fili.* *Sap. 6. c* Maria eſt gratia præueniens.

vinum non habent. Non eſt otioſa mater Ieſu, nec triſtis, noouerat enim ſcriptum: Exultatio animæ & corporis vinum moderate potatum. Vt autem ſcias quantam impetrandi gratiam mater obtineat erga filium, non reſponſiua verba, ſed effectum rei attende: nam qui multum amare nouit, callet quòd nimis amator cum negat, concedit, vnde cum dictum fuiſſet Ieſu: Ecce quem amas infirmatur, reſpondit: Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Quando reſponſio hæc aures ſororum pertingit, mortuus erat frater earum, & ideo tẽpidi amatores putarunt negatum, quod petebatur. Non ſic Maria, quæ ait miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Ipſa enim ſciebat quid eſſet facturus, quæ de non hora fecit horam: nam vt tenet Scotus & ſanctus Bonauentura: Maria meruit accelerationem incarnationis, ceteris, dicente Deo: Expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Talibus reſponſis multa annorum millia præterierunt, & Maria Chriſto dicẽte: nondum venit hora mea: de non hora fecit horam Chriſti. Quòd ſi tantum valet deprecatio tua Virgo, plurimum confidimus, quòd de immeritis facies meritos ad gratiam ſermonis impetrandam, pro qua genibus flexis offerrimus tibi. Aue Maria.

Eccl. 31. d

Amor nolendo vult.

Io. 11. a

S. Bonauen. 3. ſen. diſ. 4. ar. 1. q. 2.

Iſa. 28. c

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VT ad nos vſque peruolaſſet antiquæ religionis odor, fratres chariſsimi, decreuit prouidentia Dei, vt tali teſtimonio mandaretur celebritas nuptiarum. Mariæ & Ieſu, ac diſcipulorum præſentia tantum honorata: quòd vtinam miſſam quam dicimus nouam, ſic cum timore Domini celebrare contingat. Sed iam hodie nec vitam, nec mundas nuptias cuſtodiunt, præſertim hi, quos dæmon coniunxit clandeſtine, non vocato Ieſu, nec eius vicario, quales ſunt, qui non ſaluti animæ conſulunt, ſed ſuæ libidini. Hi ergo Ieſum vocant, qui ideo vxores ducunt vt caſtius, ac perinde ſanctius viuant, pro his alieno triſtibus orat mater Ieſu eorum aduocata, de penuria vini conſolantis conqueſta. Si autem Ieſus quæſierit quid ſibi & matri, reſpondeat ipſa. Multum quidem, quia tu das eſcam omni carni, & oculi omnium in te ſperant Domine, qui

Pſ. 135. d

qui das eſcam timentibus, & melius vocantibus & amantibus te. Sed nondum venit hora Chriſti ſi tu chriſtiane penuriam tuam non oſtendis ei cuius tanta eſt miſericordia, quòd horam tempusq. miſerendi eius non poſuit in ſe, ſed in te. Et illa eſt qua ipſe te cognoueris triſtem & conturbatum in anima tua, plenum vento vanitatis: ſi tamen aquam adduxeris lacrymarum, ſaltim faciens quod in te eſt, vt Deus ſtatim det vinum gratiæ, ac iuuamen ferendi incommoda vitæ, quod Architriclino, ideſt patri æterno referendum eſt, per gratiarum actionem, qui vt manifeſtaret gloriam ſuam, miſit ad nos filium ſuum vocatum a patriarchis, & prophetis. Qui primum ſignum facit in matrimonio memor patris ſui, qui per primum miraculũ, primum conſtituit matrimonium ædificando coſtam Adæ in vxorem eius. In toto ſermone de ipſius filii Dei nuptiis agam, oſtendens imperfectiones ſponſæ ſuæ, vt eum perfectiorem videamus.

Hora miſerendi quæ ſit.

In primis ergo nota quòd quamuis inter diuinas perſonas nulla diſceptatio ſit, ibi aliquando ponitur, vt rei veritas circumſtantibus clarior ſit, & ſic Bernardus imaginatur miſericordiam Dei, & iuſtitiã adinuicem diſceptantes: immo Chriſtus in Euangelio dicit, quòd in Dei iudicio erunt iuſti reſpondentes ei: Domine quando te vidimus infirmum & viſitauimus te? nec hoc dicent ſancti nolentes regnum ſed acceptantes. Sic ergo quamuis inter Patrem & Filium altercatio fuerit, non in certamine loquelę, ſed in voluntate integra verſabitur. Si has diuinas optas intelligere nuptias, oportet vt in Chriſto vtrumque ſcias, videlicet ſponſum ornatum corona, & ſponſam ornatam monilibus ſuis, vt refert Iſaias.

Altercatio fingitur vbi non eſt.
Bernar. de Annunc. ſer. 1. prope finẽ to. 1.
Mat. 25. d
Iſa. 61. d

Iam igitur ad patrem ait filius Dei volens vxorem ducere: Vidi mulierem de filiabus philiſtinorum, quã quæſo vt mihi accipias vxorem. Cui miratus pater ait: Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum? Samſon præterita verba dixit, & interpretatur nominis iteratio, & eſt filius Dei, cum voluit iterato generari, & renaſci, filiationis nomen iteratur in eo, dum per alteram filiationem refertur ad patrem, vt ait Scotus, & ad matrem per alteram. Hic ergo filius Dei, qui vocat ea quæ non ſunt, vidit ab æterno mulierem, ſuam videlicet humanitatem, ſibi

Iud. 14. a
Incarnationis figura
Scot. 3. ſent. diſt. 8. q. 1.
Rom. 4. c

ſibi vniendam inter philiſtæos, qui interpretantur conſperſi puluere, deſcendentem videlicet ab illo cui dicitur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hanc humanitatem ſponſam ſuam voluit Dei filius accipere, ſed pater de an-
Heb.2. d gelis loquens ait: Numquid non eſt mulier, ideſt creatura aliqua in filiis meis angelicis ſpiritibus? Ille autem qui non angelos apprehendit ſed ſemen Abrae, ait patri: Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Nec alia ratio tam grandis dari poterit, niſi quia placuit oculis ſuis,
Matt.11. d immo & oculis totius Trinitatis: ita quidem pater quoniam ſic placitum fuit ante te, vt ſapientibus & prudentibus angelis in cęlo dimiſsis, reuelatus eſt filius Dei paruulis hominibus, quorum aſſumpſit humanitatem. Sed ò fili Dei cur oculis tuis placuit mulier hæc? forſan imper-
Pſ.138.c fectum eius non uiderunt oculi tui.

Chriſtus dimat paupert. Primo pauper eſt immo pauperrima, nuda & diſcalceata, ita ut non ualeat ex ſe aliquid boni cogitare, quanto magis agere, aut perficere. Huic rationi reſpondit filius Dei: Si opus miſericordiæ eſt pauperem mulierem maritare, quanto melius erit eam in uxorem accipere? in hoc opere omne aliud miſericordiæ opus includitur, & completur, ſi diues pauperem mulierem uelit miſericorditer accipere coniugem. Tantum hoc opus eſt quòd eo non utuntur homines. Non accipio hanc uxorem propter commodum proprium, ſed eius conſulens profectui, miſerans adoleſcentiæ ſuæ. Sed nec omnino pauper eſt ut pro ea loquar: quidam enim anteceſſor eius regnum habuit ualde bonum, quem inimicus homo deluſit, & fefellit ſtantem
Pſal.8. b in tali, ac tanto ſtatu, quòd de eo prolatum eſt: Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera ma-
Pſ.48.c d nuum tuarum. Iſte deluſus cum in honore eſſet non intel-
Pſ.43. b lexit: pro nihilo habuit terram deſiderabilem, & uendidit pro paruo pomo populum ſuum ſine pretio, uel ſaltim dimidio minus quàm ualebat, & ideo quamuis, quia tyrannice dominatur ille deluſor, nemo poſsit in iuſtitia cum eo contendere, ipſe uadam ad ſingulare certamen, & princeps mundi eiicietur foras: cum fortior illo ſuperueniens uicerit eum. Hac igitur dote contentus filius Dei uenit
Pro.22. a ad nuptias, iuxta illud: Diues ſcilicet filius Dei, & pauper ſponſa ſua obuiauerunt ſibi, utriuſque operator eſt Dominus,

nus, quia per communicationem idiomatum, ea quæ humanitas operatur, dicuntur de filio Dei. Venit ergo Dei filius in mundum, quia ſcriptum eſt: Nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, ſcilicet ſponſæ ſuæ, & reuerti. Fecit Dei filius prœlium cum dracone, triplici conditione: primo armis inæqualibus, minoribus ſibi: ſecundo quòd darentur vulnera in aſsignatis locis: tertio quòd uictor uictum decapitaſſet armis ſuis, ut figuraliter patuit inter Dauid & Goliath: unde ait Auguſt. Si armis aduerſatricibus uictores efficimur, duplici laurea nitemur. Duplicem ergo obtinuit coronam filius Dei, alteram ſibi, alteram uero ſponſæ ſuæ, iuxta illud ſapientię: Sponſa accepit regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, qui mortem, & auctorem mortis in ſempiternum præcipitauit. *Luc.19.c* *1.Re.17.g* *Sap.5.c*

Secundo, Domine ſponſa quam adamaſti infimi generis eſt, & ideo non apta tibi, quia ei dicitur: Pater tuus amorræus, mater tua cethea. Pater eius rebellis fuit lumini, mater formidoloſa, in terreſtri paradiſo ſibi credito a patre luminum. Verum eſt inquit ſponſus, ſed gratia coniugii uxor accepit generis celſitudinem, ſitq. generoſa, ut patet in Eſther, & Berſabæe, quæ cauſa maritorum, uocatæ ſunt reginæ, totumq. genus earum ad ſublimia prouectum eſt. Sic fit, nam ante Chriſti aduentum homines angelos adorabant, vt patet in Geneſi. Sed cum natura noſtra quæ minuta erat paulominus ab angelis, exaltata fuit ad dexteram maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effecta, quanto præ illis nomen hereditauit, nolunt iam adorari angeli ab hominibus. Nec ſolum natura humana prout eſt in Chriſto hac potitur generoſitate, de qua dicitur: Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei. Sed & nos, nam cum illa ſponſa caro noſtra & os de oſsibus noſtris ſit, ad nos vſque eius acquiſita generoſitas peruenit: unde Paulus ait: Genus ergo Dei cum ſimus non debemus eſtimare aurum, & argentum. Cum ergo oleaſter eſſemus, inſerti ſumus in bonam oliuam, diuinæ conſortes naturæ, ut ait Petrus, & Leo papa ait: Naſcens igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus homo uerus, qui numquam deſtitit eſſe Deus uerus, nouæ creaturæ in ſe ſumpſit exordium, &c. Vnius denique naturæ ſunt uitis *Eze.16.a* *Gen.18.a* *Pſal.8.b* *Heb.1.a* *Apo.19.b* *Sap.8.a* *Gen.2.d* *Act.17.f* *2.Pe.1.a*

Aug. tract. 80 in Ioan. & palmites, vt ait Auguſt. Si natura filius Dei, factus eſt miſericordia filius hominis, quanto amplius natura filios hominum, gratia conſtituet filios Dei propter filium Dei? ille natura, nos gratia. Hæc ſunt illa magna dona conceſſa per Chriſtum Ieſum parentibus & cognatis ſponſæ ſuæ: vnde ſcriptum eſt de ſeruo Abraæ quærente vxorem filio Domini ſui: poſtquam enim eam dotauerat abundanter, dicitur: *Gen.24.f* Fratribus quoque eius, & matri dona obtulit: *Eſth.2. b* Et pro coniunctione, & nuptiis Eſther, largitus eſt rex munera iuxta magnificentiam principalem, & quietem dedit *Eph.4.b* cunctis prouinciis ſuis, & Ieſus dedit dona hominibus, & abſtulit grauamina cerimoniarum, quieuit omnis terra ab onere peccati, & iugum veteris legis depoſitum eſt, quieuit tributum ſanguinis in circumciſione, & ceſſauit exactor.

Tertium ſponſæ vitium turpitudo eſt, quia deformis eſt *Nu.12.a* de limo terræ facta: ſi contra Moyſen locuti ſunt Aaron, & Maria ſoror eius propter vxorem eius ethyopiſſam, quid dicam de te ſponſe celeſtis? puritas, inquit, mea, & decor *Eze.16.b* meus ſponſæ meæ ſufficiet. Cui dico per Ezechielem: Expandi amictum meum ſuper te, & perfecta eris in decore meo. Vbi nota quòd locus nuptiarum puritatem ſignat: nam Galilea venit ab hoc nomine Galatia, quod interpre*Cant.5.c* tatur lactea; ideſt pura; quia columba Chriſti, lacte lota deſcribitur & alba. Et quamuis ipſa Chriſti humanitas puritate non egeat, vt pote fons puritatis, non paruam ſpecioſitatem attulit, & acquiſiuit in ſanguine proprio: vnde in Chriſti latere fonte Saluatoris ablutio peccatorum eſt, & animarum decor, quoniam adoleſcentula quæ eum *S.Agnes in Antiph. 2. noct.* dilexit nimis, aiebat: Sanguis eius ornauit genas meas. Audax ergo ille miles profluere fecit puritatem a Chriſto *Ioan.19.f* quando lancea latus aperuit ſubtrahens ſigillum totius Trinitatis a fonte baptiſmatis, & vitæ ſalientis in vitam æternam. Iam ergo filiæ paleſtinæ a latere Chriſti ſurgent ad mundum muliebrem quo puellæ decorant regi. Quinque modis ſponſus mundat, & decorat maculas adoleſcentularum: Primo non imputando eas. Secundo abluendo. Ter*Munditia quot modis fiat.* tio tegendo. Quarto ſanguinem ſuperinfundendo. Quinto poſt tergum per confeſsionem ponendo. Biſſus ergo & *Pro.31.c* purpura veſtis ſponſæ, de quibus & adoleſcentuli, immo

& domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, duplici videlicet puritate animæ & corporis.

Quartum vitium ſponſæ dicitur quia malæ famæ fuit, & infamiæ nota imponitur ei, quæ dicitur meretrix obliuioni tradita: fornicata cum amatoribus multis. Hoc ſponſus non negans; ait ei: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen conuertere ad me, & ego ſuſcipiam te. Inuocato nomine meo ſuper te, auferam opprobrium tuum. Et ratio huius eſt, quoniam ceteri ſponſi de virgine faciunt non virginem, de incorrupta corruptam, vnde corruptores proprie dici debent: Chriſtus autem omnino ſecus, quia reintegrator eſt, & de corrupta virginem reddit & caſtam: vnde ait per Ieremiam: Saltim voca me, dux virginitatis meæ tu es. Et ob hoc loquens Paulus corruptis ait: Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Vnde decretum eſt apud ſacros doctores, quòd animæ virginitas reſtauratur per Chriſtum: de virginitate autem corporis quæ parum valet ſola, problema eſt. Vnde quamuis ob verecundiam femineam viri ſoleant pulſare, ac inſtare puellis, vt nubant, & non econtra, tamen in matrimonio ſpirituali ſignum magni amoris, & honeſtatis ſponſæ, eſt ſponſum vocare ad nuptias, ex quo nimius accreſcit eis honor. Primo quia ſponſus eſt nobilior ac ditior eis. Secundo quia ei reſtituere habet integritatem: vnde prior ait ſponſa: Oſculetur me oſculo oris ſui.

Eze.16,b *Ier.3.b* *2.Cor.11 a* *Cant.1.a*

Hic nota quòd quemadmodum carnale matrimonium in copula carnali conſummatur, ſic ſpirituale conſummatur, & perficitur in carnis diſſolutione, quia tunc anima Deo ſponſo copulatur: cum autem hoc fieri nequeat niſi in morte: vnde ſicut carnale matrimonium per mortem diſſoluitur, ita ſpirituale per mortem copulatur, & ratificatur vnde ſponſus moriens in lecto crucis ait: Conſummatum eſt, ſcilicet opus amoris in diſſolutione carnis, quod Paulus aduertens ait: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Nã diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo melius eſt animæ deſponſatæ, vt patet in mendico, qui dum obiit delatus eſt ab angelis in ſinum Abraæ, id eſt Chriſti vbi eſt lectulus floridus ſponſi, & ſponſæ animæ. Cum enim mori ſit corrumpi, & corruptio vnius ſit generatio alterius: ideo mo-

Conſummatio matrimonij eſt mors. *Io.19.f* *Phil.1.d* *Luc.16.e* *Cant.1.d*

riente corpore regeneratur anima Chriſto, ſic fit veſpere mortis, & mane viſionis diuinæ dies vnus lucis æternæ: vnde admodum decens eſt, vt ſponſa inuitet ſponſum ad tales nuptias, per quas mors eſt in deſiderium, & vita in patien-
Leu.21.a tia. Iſte ergo ſponſus eſt ille ſummus ſacerdos qui Virginem ducebat vxorem, & Virginem matrem reliquit, & etiam arbitror quòd ſi eam talem non inueniret, Virginem faceret; & quia Virginem inuenit matrem, ideo voluit eam honeſtiorem reddere: nam eius Virginitatem patri ſuo conſecrauit per ſacramentum matrimonij, & contra legem antiquam de maledictione ſterilis, poſtquam de Virgine natus eſt, legem fecit in Eccleſia ſua de obuiando, & benedicẽdo virginibus ſuis, quod ipſe perſonaliter facit in morte ad matrimonium ſpirituale conſumandum veniens: vbi nota quòd quærit Holcoth ſuper ſapientiam, an ſi alicuius obiret vxor, et poſtea ſuſcitaretur, an ſi ſuſcitata teneretur marito, et per dictum apoſtoli concludit, quòd non, ſed poſsit nubere alteri. Si autem monialis moreretur, quærimus an ſuſcitata teneretur profeſsioni qua ſe ſponſam vouerat Chriſto, et dicimus, quòd adhuc teneretur ei, quia per mortem ſecũdum Auguſtinum ſpirituale matrimonium minime diſſoluitur, ſed ratificatur, et cõſummatur, conſummatum autem matrimonium, firmius ſtabilitur, & ideo talis monialis fidelior teneretur eſſe Chriſto.

Monialis etiam ſuſcitata religioni tenetur.

Quintum imperfectum ſponſæ dicitur ex eo, quòd ſerua, ancillaq. vendita fuerit, ipſa dicente: Poſſederunt nos
Thre.5.a domine, domini abſque te, ſerui dominati ſunt noſtri: ancilla ergo cum non ſit ſui iuris, matrimonium contrahere non poteſt. Ad hoc ipſe ardentior ſponſus, qui nimia charitate affectus eſt, ait: Si imperator ſcienter ſponſaret ſibi ancillam eã ipſo facto libertati ſuæ redderet, et Papa dum excommunicato ſcienter loquitur, habens intentionem abſoluendi ei cum ſola ſua loquela perſoluit, quanto amplius
Gal.4.d. ego ipſe hoc facere quæam cum dilecta noſtra? Iam ergo fratres non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate
Ioan.8.d Chriſtus nos liberauit, qui ait: Si filius vos liberauerit, vere liberi eſtis. Nec hoc ſolo modo contentus fuit ſponſus liberare ſponſam, animam videlicet & Eccleſiam, ſed contra eum qui eam captiuam tenebat, arripuit arma & ſcutum

ſcutum, et bellum perſonaliter, qui hoc reuera alteri cō mittere potuiſſet. Et ſic denique vt ſcriptum eſt: Fortis impegit in fortem & ambo pariter ceciderunt, tamen ſpō ſus ait: Tertio die reſurgam, ſcilicet victor. Nam tu, ò pater dixeras quòd ſi egreſſus quiſpiam fuiſſet ad bellum, ibiq. vidiſſet inter filias captiuitatis mulierem placentem oculis ſuis, eam mundatam poſsit vxorem accipere, et per matrimonium libera reddebatur, ſic ſponſa mea quam bello iuſto accepi: cui dicitur: Veni de libano: veni coronaberis. Ecce iam ex ancilla facta eſt regina coronata. Sed quis fecit vmquam tale? Iſaias dicit, quòd zelus Domini exercituū facit iſtud. Vide ergo anima mea ne adulteres in tanti ſponſi contumeliam, quia ipſe adulteræ minatur, dicens: Auferam zelum meum a te: & quieſcam. Sed forte dices: quamuis ſponſus meus auferat a me peccante amorem ſuum: reſtituta manet hereditas mihi. Nō ita eſt, quia tunc etiam hereditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos. Forte dices mobilia & monilia ſuperſunt, & opera manuum mearum, quia man ducabo. Nequaquam, ſed manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia tua, & etiam paruuli actus tui boni ducti erunt in captiuitatem. Dicas autem quartò, quòd in pulchritudine tua confides, et propter decorem concupita alicui adhærebis. Minime, quinimmo egreſſus erit omnis decor a filia Sion, in tantum quòd poſt peccatum denigrata erit facies tua ſuper carbones. Arbitraberis quinto, quòd amici & cognati tui fideles erunt tibi, qui recipient te in domos ſuas, & te fouent. Nec ipſum credas quia de adultera dicitur: Omnes amici eius ſpreuerunt eam, immo et facti ſunt ei inimici, quia pugnat pro ſponſo tuo etiā orbis terrarū contra inſenſatos, angeli, & ſancti & iuſti et ipſa Trinitas erit contra te: quia quis honorabit inhonorantem animam ſuam? & ipſe ſponſus ait: Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Adhuc dicere vltimo conaberis mihi, mea manebit libertas, qua me quo voluero transferam, diſponam perſonam meam. Nec hoc ita ſe habebit, quoniam ſponſus ait tibi: Seruies inimico tuo in fame, ſiti & nuditate, et omni penuria te affliget, imponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam donec te conterat. Vide ergo anima quam malum eſt reliquiſſe Dominum

Deu.21.e *Cant.4.e* *Iſa.9.b* *Eze.16.e* Perditio qualis per adulterium peccati. *Thr.5.a* *Thr.1.d* *Ibid.b* *Luc.16.a* *Thr.1.a* *Sap.5.d* *Eccl.10.e* *Deu.28.b*

nium Deum tuum, & ſponſum.

Vltimum ſponſæ impedimentum, quod in medio obiectum eſt, diſtantia loci fuit, qui tantum diſtabat a ſponſo quantum diſtat ortus ab occidente: ſed nec iſtud illum detenuit. Iacob inquit ad Meſopotamiam vſque abiuit ſponſam adducere. Et a finibus terræ venit regina Saba ad Salomonem. Vnde ipſe abibo pro ea, et amborum ſumptibus adducetur, nec longo itineri parcam propter eam, nec labori. Merito hæ nuptiæ in cana Galileæ celebrantur, cana interpretatur zelus, & Galilea tranſmigratio: zelus ergo tranſmigrationis amor ſuperferuidus eſt, qui transfert amantem in amatam quocumque ſit illa. Hoc eſt proprium amoris, vt transferat amantem, & magis ſit vbi amat, quàm vbi animat, nec eum ſui iuris eſſe ſinat: vnde ſemetipſum exinaniuit ob ſponſam, formam ſerui accipiens: tranſmigrauit a forma Dei vſque ad formam ſerui, & qui erat primus dignitate, factus eſt nouiſsimus virorum humilitate, infixus in limo profundi: vnde vocatus ad nuptias præfatas recumbit in nouiſsimo loco. Quid ergo ſupereſt fratres chariſsimi, niſi vt ſponſa exeat obuiam ſponſo! ſi Rachel in via obuiam Iacob venit, quanto amplius ſponſa hæc debet præcellere diligentia! ne ſis anima mea ſemper in domo propria, in domo lutea, quæ terrenum habet fundamentum, vbi putredini dices: Pater meus es tu, & ſoror mea vermibus, exi, tranſmigra, memor eſto quòd Ieſus ſponſus dixerit: Præcedam vos in Galileam, ibi me videbitis. Ipſe dux præceſsit te in aſcenſione. Venit enim et reuerſus eſt parare tibi locum, ibi eũ videbis ſicuti eſt, cuius facies plena eſt gratiarum, ibi eſt vinum nouum, quod tecum bibiturus eſt in regno patris ſui, qui ſeruauit bonum vinum vſque adhuc, ſcilicet fruitionis: nam hic ſponſus ſecus quàm mundus primo malum vinum ponit tribulationis, & laboris, ex illo videlicet quod ipſe bibit in cruce, vino compunctionis de quo dicitur: Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua: ſed venientes autem venient cum exultatione optimi vini portantes manipulos ſuos. Cum ergo venerint nuptiæ agni quæ tertio anno imperij Dei factæ ſunt tempore gratiæ, quid reſtat niſi vt vxor eius, anima deuota præparet ſe iuxta illud: Gaudeamus & exultemus, et demus gloriam ei, quia

Gen.25.c *3. Re.10. a* *Cana quid.* *Phil.2. a* *Pſ. 68. a* *Gen. 29.b* *Iob.17. d* *Mar.16.b* *1.Ioa.3.a* *Ioan.2. b* *Pſ.125.b* *Apo.19. b*

quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſos plendenti, & candido, byſſum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.

Sed forte ſciſcitaris anima mea quibus te præparare debes, vt detur tibi iuſtificationes ſanctorum ſuper quos regnat ſponſus tuus. Attende, quòd in omnibus ſacræ ſcripturæ nuptijs prædictę nuptiæ ſignatæ ſunt: vnde quattuor defectus reprehendit ſponſus iſte in nuptijs. Primus eſt indecens ornamentum, quia charitas primo requiritur ad eius honorem intrantibus cœnam agni. Secundus de apparentia loci ſuperioris, vbi notatur humilitas requiſita. Tertius defectus tarditas eſt in bonis operibus, quia quæ paratę diligentiſsime erant virgines intrauerunt cum eo ad nuptias, nec enim decet vt ſponſa ſit manu ad manū, ſed quòd inſtanter operetur, quia manus ſponſi etiam tornatiles ſunt. Quartus eſt defectus iucunditatis ſpiritualis in penuria vini notatus, hilarem enim ſponſam diligit ſpōſus iſte: qui ſemper ridet in gloria, quam mihi &c.

Nuptiarum defectus quattuor.

Mat. 25. a

Cant. 7. a

Hic ſermo medius poterit prædicari ſuper hoc thema. *Manifeſtauit gloriam ſuam.* Nam in qualibet reſponſione manifeſtat ſponſus ampliorem gloriam ſuam quemadmodum Aſſuerus magnificauit gloriam ſuam in grandi conuiuio. Dum igitur inglorios defectus ſponſæ oſtenderis, manifeſtet ſponſus gloriam ſuam ampliſsimam. Item poteſt hic ſermo prædicari Dominica xix. poſt Pentecoſten ſuper hoc thema. *Fecit nuptias filio ſuo:* & aptiſsimus eſt velo monialis ſub hoc themа. *Vocatus eſt Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.* Diſcipuli Ieſu ſunt defectuum ſponſæ ſupportationes piæ, & eorum remedia, quibus eam ad perfectionem integram reddit.

Eſth. 1. a

SERMO

SERMO DOMINICÆ TERTIÆ POST EPIPHANIAM,

De peccati lepra, & de eius mundatione etiam ab hæreſi.

THEMA.

Ecce leproſus veniens adorabat eum.
Mat. 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

LEproſus iſte felix, ideo ſanari meruit quia
monti appropinquauit, quo Ieſum deſcẽ-
ſurum præſtolabatur. Mons iſte fratres
chariſsimi beata Virgo eſt, quæ ſubuenit
infirmis, et infirmos Deo contulit, vt ob-
uiarent ſibi. Nec ſemel hoc fecit, ſed in
Iſa.2. a dies facit, quoniam ſcriptum eſt; Et erit
in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in
vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad
eum omnes gentes. Nouiſsimi dies, ideſt optimi fuere dies
incarnationis Dominicæ, nam de tempore hoc dicitur; Hi
Mat.20.b nouiſsimi vna hora fecerunt. Illis ergo diebus Maria Vir
go præparauit ſe, vt in ea ædificaretur domus Domini, id-
eſt corpus Chriſti, ſic vtique excellenter, vt in ipſa præ-
paratione ſua excederet altitudines montium et collium,
dignitates ſcilicet et merita omnium angelorum, & ſan-
ctorum hominum, quoniã ecce iſte filius Dei venit ad nos
Cant.2.b per Mariam ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Quod
vtique fecit, quando in viſcera matris reſedit. Deũ enim
humiliauit ſemetipſum, quaſi ad montem in vertice alio-
rum, ideſt in gradu heroico ſuper alios conſtituto aſcen-
dit. Eleuata igitur eſt Maria in filij Dei incarnatione, di-
gnitate et merito. Cuius præparatio vtique fuit humilla-

tio, dicens: Ecce ancilla Domini. Tunc ſane in omnium verticem ac ſuper omnia eleuata eſt iure Virgo, & fluxerunt ad eam omnes gentes, quod ipſa diebus illis in ſpiritu cernens, dixit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Cœperunt hoc facere paſtores, et magi ac ceteri. Rupertus abbas ſuper Iſaiam aliter exponit, quia nouiſsimos dies intelligit omnes dies ſæculi: Ne igitur quis diffidat: quoniam beata Virgo quemadmodum preparauit ſe, vt nobis Deū afferret, ſic etiā vſque hodie preparatur, vt nos Deo præſentet; præparauit, in quam ſe, maxime ab aſſumptione ſua, quando velut in vertice montium præmio & altitudinis loco ſtabilita eſt, vt, teſte Mardochæo, tali tempore pararetur: quo præſidio alterius caremus. Eſt igitur Maria etiam nunc mons domus Domini, ideſt Eccleſiæ. Eſtq. in vertice montium ad dexteram videlicet filij ſuper montes & colles, ideſt angelos alioſq. beatos eleuata: ſed vos imbecilles dicetis. Quis poterit ad eam? quis adducet eam de cælo altiſsimo? Ad hoc reſpondit Iſaias. Fluent ad eam omnes gentes. Ad montem hūc omnes gentes confluere videmus, dum omnes proclamant: monſtra te eſſe matrem. Saltim ad montis pedem confluamus cum turba euangelica & viro leproſo. Quid aliud eſt radix montis niſi fiducia virginis, quæ apud nos manet? Nonne radix eius, nonne fiducia eius impleuit terram? eamus igitur gentibus flexis ad radicem montis Domini, & docebit nos gratiam ſuam, quā vt ſermoni aſſequamur, ei deferamus. Aue Maria.

Luc. 1. d

Ibid. e

Rupertus li. 1. de Trini. cap. 9. to. 1.

Iſa. 2. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Diuiſio.

NIhil narrat Euangeliſta de geſtis montis, ſolum a deſcenſu incœpit narrationem ſuam, dicens: *Cum autem deſcendiſſet Ieſus etc.* De monte paterno a principio deſcendit Ieſus etiam in cælo, vbi turbæ multæ angelorum bonorum ſecutæ ſunt eum: vt beatificarentur ab eo. Ibi etiam leproſus non defuit, quia lucifer ſanus non erat, infelix tamen ſequi noluit Dominum ſuum, vti fecit iſte bonus homo, de quo ait thema: *Ecce leproſus veniens adorabat eum.* Felix vir cui lepra cedit in bonum, quoniam præ turba cucurrit, et præ turba dilexit, dum ipſa infirmi-

tas fuit ſibi velut calcaria, vt veniret citius ad Dominum ſuum. Hunc & alios infirmos felices contemplabatur Da-
Pſ.15.a uid dicens: Multiplicaſti infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt. Tantum quidem accelerauit præ turba cor et greſſum, quòd miratur vtrumque Matthæus dicens: *Ecce leproſus veniens*, hoc quo ad greſſum, *adorabat eum*, ſcilicet in corde ſuo: quod poſtea expreſsit dicens: *Domine* ſcilicet omnipotens, *ſi vis, potes me mundare*. Le-
Pſ.134.b gerat iſte illud Pſalmi: Quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, ideſt ſupra montem, & infra. Ieſus autem de potentia non dubitanti, & voluntatem ſuam, voluntati Dei præferenti, quod eſt optime orationis, dixit: *Volo*, ſcilicet quod tu vis. *Mundare:* mundus eſto. Mirabile dictu: quia ſola diuinitate diuinitus operante, confeſtim mundata eſt lepra eius. Mirabilis effectus fidei, quæ non ſolum corda, ſed corpus ad vnguem purificat. Huius ergo viri tanta reperitur fides, quòd feſtinanter mittitur, vt præco mirabilium Chriſti, dicens: *Vade, nemini dixeris*, ſcilicet neminem per viam ſalutes, ne detinearis. Sed vade oſtende te ſacerdoti, ſcilicet incredulo. Cœtui ſacerdotum ad gloriam Chriſti ſe oſtendit. Et in teſtimonium incredulitatis eorum obtulit ex mandato Chriſti, munus
Leu.14.a quod præcepit Moyſes in Leuitico. Ecce fratres quo modo mundatus conſtituitur iudex immundorum ſacerdotũ, quod fiet etiam in vniuerſali iudicio: vbi ciues Niniue ſtabunt aduerſus impœnitentes, et viri mundi aduerſus immundos, non quòd ſemper mundi fuerint, ſed quia mundatorem quæſierunt, adorauerunt, & miſericordiam poſtularunt, ſicut iſte de quo dicitur: *Ecce leproſus, &c.*
Diuiſio. In ſermone agam de immunditia lepræ: ac de eius mundatione, &c.

PRIMA PARS.

INter ægritudines diffuſior eſt lepra, nam ſtatim occupat totum hominem vſque ad capillos, immo & in parietibus domus reperiebatur apud veteres iudæos, quibus hæc infirmitas erat ſatis domeſtica: vt per eam peccata ſua cognoſcerent. Omne namque peccatum ſignatur in lepra, ideoq. leproſus iſte omnes peccatores deſignat,

quia

quia cuncti lepram peccati patiuntur, & vt ab altioribus incipiam, aduerte: quia lepra eſt contagioſa, ſignat ſuperbiam iuxta illud: Qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam, ſicut quæ communicat leproſo veſtietur lepra. Adeo namque ſuperbia contagioſa diffunditur, & extenditur, vt a lucifero tranſierit in tertiam partem ſtellarum, quæ mundæ non fuerunt, teſte Iob, in conſpectu Dei: vſque adeo etiam contagioſa eſt lepra ſuperbiæ, quòd primi hominis ſuperbi delictum in omnes nos tranſierit: quia per vnum hominem peccatores conſtituti ſunt multi. Hoc igitur maximum eſt documentum contra ſuperbos: vt ſe humilibus adiungant, humilibus conſentientes, alioquin ſuperbia vnius omnes alios in formam præſumptionis rediget. Exemplum huius rei, & figuram reperies in Ozia rege de quo dicitur: Cum corroboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſuſq. templum Domini, voluit adolere incenſum ſuper altare thymiamatis. Et dum comminaretur ſacerdotibus hoc ſibi interdicentibus, tenebat thuribulũ: tamen ſtatim orta eſt lepra in fronte eius. Fuit igitur leproſus rex vſque in diem mortis ſuæ. Quos reges hic rex non infecit ſuperbia ſua? quiſnam regum hodie ſé ſacerdotibus non præponit luthero conſentiens? quis non ſe intromittit in Papæ effectum? quis eorum non rapit bona tẽpli? propterea quippe talis confuſio reperitur in Eccleſia Dei, quòd reges non tantum ſe intromittunt in res ſuas, ſed epiſcoporum; econuerſo autem epiſcopi, vt ſua tueantur, fiunt reges, vtuntur armis, & nutriunt milites, qui propter timores nocturnos regum gladium portant. Ecce quo modo, qui communicat ſuperbo, induit ſuperbiam, ecce quantum contagij ex ea euenit, quòd a rege vſque ad ſacerdotem omnes ſuperbiunt. Tamen ſuperbia nobilium ſignatur in rege Ozia propter bona recepta ſuperbiente. Altera vero ſuperbia, quæ apud viros ſpirituales reperitur, eſt in Simone leproſo de ſua iuſtitia confidente, & peccatricem deſpiciente. Qui ergo dignitates ambit cum Ozia lepram habet in fronte elationis ſuæ; thuribulum incenſi, bonam intentionem ſignat qua fulcitur, ac decipitur. Ad altare thymiamatis accedit adolere, quando vngit manus promouentis eum, quamuis vt Ozias eſſet a templo

Eccl.13.a
Iob.25.a
Rom.5.d
2. Paral. 20.c
Superbia eſt lepra Oziæ.
Superbia duplex.

templo ſemouendus, ne alios ambitionis contagio inficeret. Auarus habet lepram Naaman, qui dicitur vir diues, & fortis ſed leproſus, & interpretatur motum præparans, quoniam auarus non præparat cum ſua ſiti quietem, ſed motum ad plus acquirendum. Cum omnia quietem appetant, & in eam tendant, ſolus auarus addens opes addit & laborem, quoniam Salomon ait: Cuncti dies eius, ſcilicet auari doloribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente quieſcit. et hoc nonne vanitas? Quis ita deuorabit, & delicijs affluit vt ego? Vt expertus loquebatur hic Salomon, qui ſolicitus fuit, quæ ſunt mundi: tamen numquam valuit ſibi requiem comparare, ſed inquietus ſe gerebat indies. Quia igitur hic morbus eſt ſitibundus ſignat auaritiam: nam infernus, & concupiſcentia carnis, & terra, & ignis inſaturabilia dicuntur. Et quia eſt etiam duplex auaritia, ſcilicet ſecularium, & eccleſiaſticorum, altera ſignatur in prædicto Naaman, altera vero in Giezi, quem ipſe ditauit, cui ob auaritiam ſimoniæ adhæſit alterius lepra. Giezi vero interpretatur vallis pectoris, quoniam auarus multum deſcendit ab inclinatione pectoris, & remorſus conſcientiæ. Ex iſto remorſu chriſtiani deſcendunt, ex quo philoſophi aſcenderunt ad cognoſcendum maius bonum, viſo quòd mundus non ſatiabat eos. Chriſtianis ergo, quod fuit occaſio contemnendi mundum, ſcilicet inſufficientia opum, ex qua nos elicimus inquietudinem, & afflictionem ſpiritus: philoſophi autem elicuerunt Dei cognitionem. Nos ergo miſeri, qui ſpeculum ſumus Deo, & angelis, & dæmonibus, nos ipſos non videmus, vt optime notat beatus Bernardus. Nam ſi non deſcenderemus a pectore certe aſcenderemus in montem. Vnde auctore Bernardo hæc eſt differentia inter Iacob, & Eſau, quòd ad Iacob dicit primo Iſaac: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. Secundo ad Eſau prius de pinguedine terræ, & poſt de rore cæli erit benedictio tua: mali namque & ſi æterna appetũt, præponunt tamen temporalia, boni autem vtraque appetunt, ſed præponunt æterna, & ſic fit ordo. Tertio autem quia lepra eſt morbus fętidus luxuriam deſignat, verumtamen apud immundos pro ſuaui odore fętor iſte habetur, eo namque delectantur canes: vnde luxurioſus ſignatur in Ioab

Auaritia eſt lepra. *4.Re.5.a* *Eccl.2.d* *Prou.30.c* *Vbi infra ſer.31.* *Bernar. in paruis ſerm. ſer.33. to.1.* *Gen.27.e* *Luxuria eſt lepra.*

Ioab,qui percuſsit in inguine Abner in dolo.Dauid autem
maledicens eũ,ait : Non deficiat de domo Ioab fluxũ ſemi- *2. Re.3. e*
nis ſuſtinẽs,& leproſus,& tenẽs fuſum,& cadens gladio, &
indigens pane. Abner interpretatur patris lucerna , & eſt Abner quid
ratio noſtra,quia in nocte huius vitæ ſola rationis lucerna
data eſt nobis, qua extincta & non lucente,miſerabiliores
ſumus brutis . Hæc in inguine percutitur, dum luxurioſus
eſt ſimilis beſtijs : & de huius domo,ideſt conſcientia, nũ-
quam deficit tenens fuſum,ideſt circuitum vitiorum , quo
filari ſolet veſtis inferni . Nec deeſt cadens gladio tenta-
tionis & miſer , quia non ſolum pane , quin etiam ſiliquis
porcorum indiget , quibus non implet ventrem libidinis
ſuæ . Quarto autem quia lepra claudit auditum,ſignat ira-
cundiam : nullam enim rationem audit iratus homo: quia
Ira impedit animum , ne poſsit cernere verum. Huiuſmodi Catonis di-
lepra peccati ſignatur in Maria ſorore Aaron, quæ dũ ira- ctum.
ta eſſet cõtra Moyſen , fit leproſa.Quinto quia lepra viſum Ira & inuidia ſunt lepra.
hebetat , ſignat inuidiam,qua etiam tabeſcebat illa Maria
dicens:Num ſoli Moyſi locutus eſt Deus? Hæc autem quia *Nu.12. b*
irata erat, impletur lepra,& quia inuida erat,agitur extra
caſtra,ne videret felicitatem aliorum,qua inuidus torque-
ri ſolet. Vide hanc figuram in ſermone ſanctæ Mariæ Mag
dalene in ſanctuario noſtro . Præterea quia lepra inordi-
nat palatum,ſignat gulam , quæ in cibo et potu inordina-
to verſatur , ideoq. figuratur in quattuor leproſis, qui ad *4.Re.7. a*
quærendos cibos iuerunt in caſtra aſſyriorum,ſe pro ven-
tre mortis periculo exponẽtes . Et quia gula eleemoſynam
interdicit, abſcondere ſatagebant leproſi , cibos & alia in
caſtris reperta . Tamdem quia lepra vires tollit , & homi-
nem debilitat,ſignat accidiam,propter quod ſignantur ac-
cidioſi in illis nouem leproſis , qui noluerunt redire , vt *Luc.17. c*
gratias agerent præceptori, eos equidem ſananti . Ecce
igitur qualiter omne peccatum ſignatur in lepra;quoniam
hic leproſus cuiuſlibet peccatoris typum gerit. Hic eſt pri-
mus homo , & hic eſt genus humanum , hic eſt totus mun-
dus , hic eſt ego & tu, vt omnes quemadmodum iſte fecit,
faciamus . Quid ergo cunctaris, quid,ò peccator detineris,
& adhuc ceſſas ? an forte non deſcendit Ieſus de monte iu-
ſtitiæ ſuæ ? an non permanet in valle miſericordiæ ſuæ , cũ
ipſe per prophetam dixerit : Omnis vallis implebitur : & *Iſa.40. a*

omnis mons & collis humiliabitur? Ecce nunc iuſtitia, & ſeueritas deponitur, ecce miſericordia ſupra modum adimpletur, cur non properas, cum iam ſit tempus miſerendi eius, qui properant? An forte non præceſsit te multa ſanctorum turba, vt peccatoribus opituletur? An Ieſus nõ extendit manum ſuam ad retribuendum? An vſque hodie non dicit, volo mundare? Quid ergo aliud in altari & in alijs ſacramentis inuicto luthero proclamat, niſi vt munderis, & te in confeſsione ſacerdoti oſtendas? Vtinam de te miraremur omnes dicentes: *Ecce leproſus veniens adorabat eum.* In *ecce* notatur animi conatus, in *veniens* delicti receſſus, in *adorabat* omnis iuſtitiæ cultus. Matthæus cum leproſi adorationem ſcripſit, memor fuit magorum, de quibus ſimiliter dixerat: Ecce magi ab oriente venerũt, ſcilicet adorare Dominum. Huius etiam leproſi orationis memor fuiſſe videtur ſapiens cum ait: Qui adorat eũ in oblectatione ſuſcipietur, &c.

Mat.8.a *Mat.2.a* *Eccl.35.c*

SECVNDA PARS.

NVnc in poſteriori ſermonis parte mũdationis modum videamus, vidimus nos leproſos, modum munditiæ quæramus, non ſane alium quàm præſentis Euangelij, de quo dicitur: Offer munus quod præcepit in lege Moyſes in teſtimonium illis, ideſt vt illi ſciant modum quo ſanari poſsint. Eadem ſunt moralia legis & Euangelij: vnde quia præſentem non habemus Dominum, ſpiritualiter offeramus ei munus prædictum, vbi contra omnia mala enumerata inuenitur medela, ſi munus illud integrum & in ſpiritu offeratur. Ipſo igitur ritu & munere emundatio ſeptem peccatorum exprimitur. Nam contra ſuperbiam iubetur offerri hyſopus, qui valet, teſte Auguſtino, contra inflationem pulmonis, quoniam humilitas contra ſuperbiam eſt. Contra auaritiam vero tres decimas ſimilæ iubetur offerre conſperſas oleo, quia corde & ore & opere eſt exhibenda proximis compaſsio hilaritatis, & pietatis. Ad hoc etiã pilos omnes iubetur radere ſuperflua pauperibus erogando. Capilli enim Magdalene proficiunt pedibus Chriſti, ideſt pauperibus. Contra luxuriam iubetur, vt lauet veſtimenta ſua, & totus purificetur aqua. Contra iram iubetur

Leu.14.b *Lib.2.de Doctr.Chriſt.c.16.in med.to.3.*

tur offerre ouem agniculam abſque macula:per quam ſine dubio manſuetudo ſignatur. Quæ enim conſequentia rationis eſt, vt ait Bernardus, quòd homine peccante aries mactetur, dicturus cum propheta: Quæ non rapui tunc exoluebam?Contra gulam lignum cedrinum offerre iubetur, quod eſt odoriferum, & imputribile: gula namque facit guttur hominis quaſi ſepulchrum patens. Contra inuidiam tenetur offerre agnum innocentem, & coccum charitatis. Contra accidiam duos paſſeres: vt anima diſcat volare. Ac de ſanguine hoſtiæ debet poni ſuper extremum auriculæ dextræ, & ſuper pollices manus dextrę, & pedis, quia vt tepida otioſitas euitetur, opus eſt vt quod auris audit dextra, ideſt id quod ratio audit, manus & pedes ſequantur. Reuera ſi Chriſti ſanguinem audiremus melius loquentem quàm Abel, omnis tepor abeſſet. Ideoq. etiã ſepties ſanguine paſſeris immolati aſpergi iubetur, vt intelligas, quòd a ſanguine Chriſti prouenit omnis munditia: quia dilexit nos & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Ideo beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni. Sed quoniam temporibus iſtis alia deterior lepra increuit, aduerte quòd in lepra ſignanter figuratur peccatum hæreſis: de quo ſuper illud Leuitici: Homo in cuius carne, vel cute ortus fuerit diuerſus color, ait Rupertus Abbas: In hac ſancta lege eſt ſancitum quando debeat homo conſideratus a ſacerdote ſtatim lepræ condemnari, & ad arbitrium eius ſeparari, & eſt quando debeat ſemel & iterum includi, ac die ſeptimo conſiderari, ſic in ſancta Eccleſia, eſt quando debeat homo, ſtatim vt a fide exorbitauerit hęreticus nunciari, & eſt quando debeat pijs monitionibus prius ſemel, & iterum conueniri. Hic etiam doctor ſuper illud Leuitici: Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt, etiam ſic ait: Vidimus qualiter lex bona ęijciat leproſum, ideſt hęreticum, eo quòd leproſus ſit, nunc videamus qualiter mũdet, ideſt reconciliet illum, vbi mundatus, vbi in catholica fide fuerit correctus. Offerat, inquit, per ſe duos paſſeres. Paſſer hoc loco Chriſtum ſignificat, qui & in Pſalmo ait: Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Ideſt reſurrexi, & aſcendi in cęlum, ſeparatus ab hominibus ad modum paſſeris ſolitarij in tecto ſeparati ab alijs auibus, & quieſcentis in loco ſuo. Sed duo paſſeres offerendi ſunt.

Pſ.68.a. *Apoc.1.b* *Apo.22.c* *Leu.13.a* *Rupertus ſuper 13.cap. Leuit. cap. 18.in princ. to.1.* *Leu.14.a* *Rupertus ſuper 14.caput Leuit. cap. 24.to.1.* *Pſ.101.b*

Et vnum, inquit, e paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes, alium autem intinget viuum ſanguine paſſeris immolati &c. Cur hoc, niſi quia oportet eũ qui reconciliatur Eccleſiæ, confiteri Chriſtum, quia crucifixus & mortuus eſt in infirmitate noſtra, & viuit nunc ex virtute Dei? Immolatur ergo in cruce lignea, & deinde ſanguine tinctus, & ſuis vulneribus ornatus volat in cęlum. Duo ergo paſſeres mors, & reſurrectio Chriſti, qui & gemino paſſere ſignificantur propter geminam naturam ſuã, humanam videlicet ac diuinam, altera, ſcilicet humanitate immolata intingitur: altera quia Deum pro nobis mortuum fatemur non abſolute, ſed per ſanguinis effuſi communicationem: hæc immolatio fit in vaſe fictili, quando in fide iteratur horum credulitas, & confeſsio. Fitq. ſuper aquas viuentes, ideſt ſacras ſcripturæ litteras. Hos paſſeres comeſtibiles vocat Legiſlator, quoniam cibant animam iuſti. Qui ergo mundandus eſt debet ſepties aſpergi ſanguine paſſeris immolati, quia Chriſtus ſeptiformem dedit ſpiritum, ſine quo nullus iure mundatur. Hoc in ſacramentis Eccleſię mirabiliter, quod fidelibus notum eſt, celebratur. Additurq. lignũ cedrinum, vermiculuſq. & hyſopus. Lignũ cedrinum imputribile ſpem reſurrectionis, & incorruptionis futuræ, vermiculus charitatem, hyſopus herba humilis; qua tumor pulmonis deponitur ipſam fidem qua corda noſtra purificantur. Sine iſtis reconciliatio non fit, immolato itaque paſſere vno, alius viuus in ſanguine eius tingitur, quo ſepties qui mundandus aſpergatur, vt rite mundetur; quia videlicet vnus idemq. Chriſtus mirabiliter: & hic in ſacramento ſuo quotidie immolatur, & in cęlo viuit non moriturus. Hac fide recepta, qui hereticus fuerit, ſepties reſperſus, ideſt ſancto ſeptiformi ſpiritu, qui in ſola catholica Eccleſia datur innouatus, dimittet paſſeré viuũ in agrũ vt euolet; confitendo ſcilicet quia Chriſtus, vt prædictum eſt, numquam moriturus in æternum manet. Vltra hoc debet pilos carnis ſuæ radere, ideſt a ſe ſuperſtitiones hæreticas amputare, & lauabitur aqua ſcilicet lacrymarũ, & ſic ingredietur caſtra, ideſt gremiũ Eccleſiæ. Ita dũtaxat vt maneat extra tabernaculũ ſuũ, ideſt extra hęreticorum conuenticulum ſeptem diebus; ideſt donec perfecte in eo Chriſtus formetur, cui eſt iterum pariente gratia natus. Sur

2.Cor.13.b.

matq.

matq. die octauo quaſi nouus homo reſurgens duos agnos immaculatos, duo videlicet teſtamenta, & ouem anniculã abſque maculã, ideſt fidem catholicam vnicam, & tres decimas ſimilæ, ideſt tres etiã confitebitur pura mente, & publica voce vnicę deitatis perſonas. Sed non ſatis eſt ſanctam confiteri Trinitatem in cõſpectu Eccleſiæ, niſi præeunte dilectionis auctoritate, & erga Deum, & proximũ fideliter operante, conſperſa, inquit, ſimila ſit oleo. Et ſeorſum habeat olei ſextarium, quia videlicet & intus corã Domino conſpergitur charitatis oleo: & foris erga proximum ſex opera miſericordię, quæ ſunt, ſcilicet eſurienti cibũ, ſitienti dare potum, colligere hoſpitẽ, cooperire nudum, viſitare infirmum, venire ad eũ, qui in carcere eſt. Hæc Rupertus: quæ vtinam noſtræ tẽpeſtatis hæretici offerrent, tamen omnia euertunt, niſi extendere dignetur in eos manum ſuam Deus, vt intus iam reconciliati Deo veniant cũ munere prędicto ad ſummum ſacerdotem Dei, cui neceſſario debent præſentari. Verũtamen pro ignorantibus, & non malitioſis hæreticis ſequitur vbi ſupra, quòd ſi pauper eſt, & nõ poteſt manus eius inuenire, quæ dicta ſunt *&c.* Pauper eſt ille, qui pro paruitate ſcientiæ non penetrat profunda ſcripturarum. Sumet ergo iſte pro peccato agnũ, ideſt pro correctione peſtis hæreticæ apprehendet apoſtolicæ fidei ſymbolum. Decimamq. partem ſimilę conſperſæ oleo, & olei ſextarium, ideſt fidem vnam abſque ſubtili diſcuſsione triũ perſonarum, ita dumtaxat, vt dilectionẽ habeat erga Deũ & proximum. Duos quoque turtures, inquit, ſiue duos pullos columbarum, alter ſit pro peccato, alter in holocauſtũ. Videlicet duplicem habendo gemitum, vel quia dixit, & fecit, quæ catholicæ puritatis non ſunt, vel quia non dixit, & non fecit, quæ ab hæreticæ lepræ contagione aliena ſunt. Hæc eſt oblatio ſimplicium hæreticorum, qui nõn malitia ſed ignorantia deuiant. Vtriſque plenus eſt mundus, quia hæc lepra inundat, niſi Deus extendat manum ſuam, apponatq. remedium intus & extra, intus in noua conſcientia, & extra, quia oportet nos teſtimoniũ habere ab Eccleſia: ideo, vade oſtende te ſacerdoti, quatenus qui publice peccauit, publice ſatisfaciat, vt ſic in præſenti gratiam, & in futuro recipiat gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen. *1. Tim. 3. c*

SERMO DOMINICÆ QVARTÆ POST EPIPHANIAM.

De fide apoſtolorum, & noſtra pariter, iuxta Euangelium.

THEMA.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Mat. 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

EX modica fide prouenit, non eleuare intellectũ ex modicis rebus Chriſti ad magna opera eius: nam ex quocumque etiam minimo eius negotio poterit animus ſurgere, velut ex cantu plano ad ſubtiliora puncta. Hoc ergo vtentes documento, poſtquam audiuimus Chiſtum in paruam aſcendiſſe nauiculam, inquiramus de altiori & maxima eius naui: ad cuius contemplationem, aduerte quòd etiam in cælo eſt mare, non mare noſtrum ſed mare Dei. A Damaſceno namque dicitur diuina eſſentia pelagus infinitæ ſubſtantiæ, ſic ſane ampliſsimus, vt ripis & fundo careat, & quocumque periculo: immo tam optima temperie abundat pelagus diuinitatis, quòd ſumma beatitudo ſit eo frui, vbi etiam ſummi angeli ſunt piſces, qui non omnem pelagum, ſed ſemitas eius perambulant, ideſt ſæpe ambulant per intellectum ex vno myſterio ad aliud, perſcrutantes etiam profunda Dei: vbi velut piſces in mari reperint alimentum ſibi neceſſarium, ita vt de ipſis, atque de hoc mari diuino dici queat: Inundationem maris quaſi lac ſuggent &c. Ecce quo modo non ſalſiſsimum ſed dulciſsimum eſt hoc mare, cuius vnda inebriat omnes angelos Dei, & eos ſemper nutrit. Tamen Dei filius non vndam ſed totum occupat naui ſuæ diuinæ perſonæ. Scitis quidem,

Damaſc. lib. 1. de ortho. fide c. 12.

Deu. 33. c

dem, quòd perſona filij Dei non partes ſed totum poſsidet atque tenet: quia magnus Dominus & magna virtus eius, *Pſ.146.a* & magnitudinis eius non eſt finis. Magnum mare & magnitudo nauigantis maximam demonſtrat ſecuritatem, quia ſecurior eſt nauta dum ampliori natat mari, ſi maiori teneatur nauigio. Nos autem ideo periclitamur, & ſubmergimur ſæpe, quia mari anguſto nauigamus, etiam a conſtitutione mundi, quia anguſta eſt omnis creatura: & ideo vniuerſalis eſt vox illa. *Domine ſalua nos, perimus.* *Mat.8.c* Hanc dederunt vocem patriarchæ & prophetæ, donec filius Dei venit ad mare noſtrum ſuccurrere nobis in anguſtijs noſtris. Hoc mare noſtrum eſt beata Maria in cuius ſtrictis viſceribus nauigare venit ille magnus dominus flante Spiritu ſancto, qui quotidie mouet atque concitat mare iſtud, maxime dum afflicti clamant pro gratia dicentes. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVando quis turbatum interrogat, ipſemet ſolet reſpondere pro illo, ſciens quòd turbatio hebetat intellectũ, & ideo nõ poterit reſpõdere vnũ pro mile. *Iob.9.a* Sic ergo fecit Deus noſter quando interrogans primum hominem turbatum Adam & abſconditum atque timidum, ipſemet interrogans Deus reſpondit pro illo, dicens: Niſi *Gen.3.b* quia de ligno quod præceperam tibi ne comederes, comedeſti? Hoc eſt reſponſum illius interrogationis. Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes? ſic denique facit nunc ipſe filius Dei, qui interrogans ſuos diſcipulos dicit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* In hac breui interrogatione totalem dedit reſponſionem, quia dum eos modicæ fidei pronunciat, cauſam exprimit timiditatis, dicens: Propterea timetis quia modicæ fidei eſtis: non quæratur alia cauſa veſtræ puſillanimitatis niſi fidei paruitas.

Duæ erunt ſermoni partes. Diuiſio.

In prima de parua fide apoſtolorum.

In ſecunda de minori fide noſtra agam.

PRIMA PARS.

LEgimus in Geneſi, quòd iudaicæ gentis principio patrem illorum voluit Deus probare, an eſſet fide præclarus: tentauit ergo Deus Abraam in morte, quam iuſsit eum inferre primogenito ſuo, de cuius fructu poſteritas magna patri fuerat repromiſſa. Ille autem magis promiſſioni Dei, quàm morti credens firmiter tenuit, quòd ſtatim ſuſcitaretur, quãuis in ſacrificio iugularetur. Plus ergo confidebat in eo, quod ſperabat, quàm in eo, quod videbat: videbat enim mortem imperatam, ſperabat vitam promiſſam. Huius ergo filios promiſsionis, ideſt apoſtolos in Eccleſiæ principio, etiam de fide voluit Deus tentare fortius, quia non morte alterius ſed propria eos tentans, exponit maximo periculo vitam illorum in nauicula fluctibus maris operta: quamuis cuilibet, apoſtolo maiorem filiorum ſpiritualium propagationem repromiſerat Chriſtus etiam vſque ad vltimum terræ protenſam. Vt ergo eos tentaret Chriſtus de fide, aſcendit in nauiculam fragilem, & ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, nonnullum periculum ſuſpicantes, tamen ſcientes quia gloria magna eſt ſequi Dominum, non dubitant pro eius obedientia ſe periculo exponere, vt poſtea læti audiant: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum intentationibus meis, ſcilicet actiuis, & paſsiuis. Væ autem nobis qui non lupum ſed vulpem, aut aliud minus malum videntes venire, fugimus. Immo fugit impius a Deo nemine perſequente, trepidans timore vbi nullus eſt timor: ſed amor in mandatis eius. Peccator eſt velut malus canis venatoris, qui inter ſpineta reliquit venationem, ne laceretur ab eis: cum ibi citius poſſet eam apprehendere. In tribulis & tribulationibus certius inuenitur Deus, qui eſt velut lilium inter ſpinas, quàm in prato viridi & ameno. Chriſtus ergo vt apoſtolos tentaret, ſe dormitioni dedit, quaſi ſinens ventos de theſauris ſuis exire. Qui & ſi locum daret inferno exiret quippe aduerſus omnes peccatores. Dormit ergo in mari vt locum det ſæuiendi atque turbandi, quia ideo ſequitur in Euangelio: *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Parui motus dici poſſunt qui naturaliter

[Margin notes: Gen.22.a — Fides vera quæ ſit. — Eccl.23.d — Luc.22.c — Pro.28.a — Pſ.13.b — Exemplũ. — Can.2.b]

ter quotidie fiunt in mari, ſi huic præſenti comparentur, non ſolum propterea, quòd iſte voluntarius dici valet, voluntate Chriſti cauſatus, ſed ob id, quòd ad magnam Dei potentiam oſtendendam fuit effectus. Vbi aduerte, quòd fuit maior, quàm ille, qui ad egreſſum Aegypti fuit factus: quando Deus diuiſit mare rubrum in diuiſiones, quoniam ille fit pro ſeruis Dei tuendis atque protegendis, iſte autem fit contra ſeruos Dei: immo & contra Dominum ipſius maris: qui & madefactus eſt aliqua inundatione huius motus feruentis. Magnus quidem quando factura ſtat contra Dominum ſuum. Deo ſubiectum eſſe ſolebat mare: vt illud, teſte Iob, quaſi pannis infantiæ inuolueret, nunc autem ferox mouetur: Quia mirabiles elationes maris huius: ſed mirabilior in altis Dominus. Dum ergo nauis vellet abſorbi, Ieſus quæritur, & in meliori loco inuenitur ſic tranquillus, vt quando in domo matris ſuæ dormire ſolebat in Nazareth. Nunc Dominus iacit lapidem, & manum abſcondit. Diſcipuli tamen ictum ſentientes concurrunt ad ipſum dicentes: *Domine* vniuerſæ creaturæ *ſalua nos, perimus*. Non eſt dormiendi ſed ſaluandi tempus & miſerendi: quia vrget ſuper nos puteus abyſsi os ſuum, et abſorbet nos profundum. Surgens autem Ieſus imperauit ventis & mari, vt fieret tranquilitas magna. Videns autem eos turbatiores mari dixit eis: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Prius ſedare voluit animos eorum, quàm mare, quia magis turbati erant. Verba tamen quæ dixit eis, non erant vt manſuetudinem prouocarent ſed meſtitiam. Vocat equidem eos modicos fidei, quod maximũ dedecus eſt. Si enim fides eſt fundamentum rerum ſperandarum, cum modica fides modicum præſtet fundamentum, cito ruet eorum ædificium, & iam prope interitum eſt. Magnam reputauit iniuriam Heliſeus, quòd pueri vociferantes dicerent: Aſcende calue, aſcende calue, & propterea obtinuit, vt animalia ſæua de monte ruerent contra pueros trucidandos. In illis tamen verbis nil aliud volebant innuere, niſi quòd ille non eſſet propheta, nec vllam haberet inſpirationem a Deo inſitam menti ſuæ, quæ propterea decapillata meruit appellari & calua. Quod ille non æquo animo tulit, ideóq. animo turbatus eſt: ita vt iuſtitiam vocaret contra eos. Nunc autem in plus mali ſe habet, vocari modicos

Pſ.135.b

Iob.38.A

Pſ.92.A

Heb.11.A

4.Re.2.d

dicos fidei, quàm caluum: quoniam caluitium iſtud non demit niſi prophetiam, & modicitas fidei aufert pene omnem chriſtianitatem, & totum chriſtianiſmum qui fundatur in fide formata. Viſo igitur quanta iniuria ſit in prædictis verbis, quærendum eſt a Chriſto, cur hanc eis fecit iniuriam, quoniam in hoc periculo probationis non modicæ ſed maximæ fidei videntur apoſtoli fuiſſe. Patet, quia, vt ait apoſtolus, per fidem acceſſum habemus ad Deum. Acceſſum inquam apertum, & citum, & certum, & nullo modo impeditum. Sic ergo accedunt iſti ad Deum ſuum ducti per fidem ſicut magi per ſtellam. Et maximum opus fidei eſt nos ad Deum ducere, quapropter maximá fidem videntur apoſtoli habuiſſe ad ſolum Deum citiſsime currentes. Item ipſe Deus vocat fideles ſuos, dicens: Salus populi ego ſum, de quacumque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos. Ecce igitur clamant ad te Domine, dum tribulantur exaudi eos, & non carpe, quia non improperas. Item hæc eſt differentia fidelium, & infidelium, quòd hos tribulatio deijcit, alios eleuat, iſtos deprimit: vnde ait Gregorius: Mala quæ hic nos præmunt, ad Deum nos ire compellunt. Si ergo malum tempeſtatis compulit apoſtolos Deum adire maximæ fidei videntur, quæ ſtimulos habet tribulationes vt ad Deum celerius pergat, quibus praui homines detinentur. Item totam fidem atque omnem chriſtianiſmum redolet hæc oratio: *Domine ſalua nos perimus*. Ad quorum verborum profunditatem enodandam tempus non ſuppetit: maxima ergo videtur fides apoſtolorum & non modica: quoniam in tanto periculo ad Chriſtum deuenit, cõfitens eum omnium periculorum dominum etiam marium & ventorum: qui & perire non poterat: cui & pericula fatentur parere: quia fides apoſtolica nouerat illud Pſalmi: Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. Nunc autem fratres iuſtitiam Domini videamus, qui merito eos modicæ fidei nominauit.

[Margin: *Rom.5.a* — Habetur in introitu Miſſæ pro quacumque neceſſitate. — *Pſ.88.b*]

Primo, quia in mortis periculo conſtituti, mori timebant: timor autem mortis modicæ fidei ſignum eſt, ideo hanc ſpreuerunt Martyres fidei defenſores, atque omnes Sancti: & orauerunt pro morte dicentes Deo: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Et alius lacrymans

[Margin: Modicæ fidei varie explicatur. — *Pſ.141.b*]

lacrymans dixit: Quis me liberabit de corpore mortis huius? & beatus Simeon ſtatim quo Deũ incarnatũ vidit, ab eo prima petitione mortem poſtulans, ait: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Qui ergo modicam fidem habent, mortem timent: qui autem habent plurimam fidem, eam diligunt, & quotidie deprecantur Deum dicentes: Adueniat regnum tuum: cuius nuncius, & præuentor eſt ipſa mors. Orationem ergo Dominicam non vere dicit qui mortem timet: qui autem eam odit, nullam credo habere fidem. Merito igitur dicit Chriſtus apoſtolos modicæ fidei, conferens eos præteritis ſanctis mortis amatoribus: de quibus ait Iob: Gaudent vehementer cum inuenerint ſepulchrum etiam in mari: vbi Ionas propheta voluit ſepeliri. *Rom. 7. d* *Luc. 2. d* *Mat. 6. b* *Iob. 3. d* *Iona. 1. d*

Secundo dicuntur modicæ fidei, quia iam, quòd ad Chriſtum cucurrerunt, neſcierunt diſtinguere maiorem a minori: quod patet, quia excitauerunt eum. Quod autem liberat nos in Chriſto, non dormit, minime per ſe valet a tanto aliquem liberare. Diuinitas Chriſti eſt liberatrix noſtra, & iſta non dormitat, neque dormit: vnde Chriſtus eſt velut leo, qui oculis apertis dormit. Sic Dominus Ieſus humanitate dormit, diuinitatis oculos habens apertos. Bene quidem, quòd eius humanitas eſt inſtrumentum noſtræ ſalutis tale, quòd etiam effectum ſalutis attingit, atque cauſat. Defectus tamen fidei eſt ire prius ad inſtrumentum, quàm ad motorem. Si autem dicas, quòd ipſa Chriſti humanitas cunctipotens eſt: aduerte quòd hæc omnipotentia prius reſidet ſeu cõmunicatur animæ Chriſti quàm membris, aut ſenſibus eius. Si autem vellent ab anima Chriſti impetrare ſaluté, hæc anima ſemper vigil fuit in portione ſuperiori, quoniam ipſe dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Anima ergo Chriſti, & etiam cuiuſlibet alterius ſi glorioſe videat Deum, deinceps dormire non poterit. Modicæ fidei ergo eos vocat, propterea quòd appellarent in Chriſto id quod dormiebat: cum non iſtud ſed quod ſemper vigilabat, eos erat liberaturus. Sic Magdalena modicæ fidei fuit in horto, quando quærebat corpus Ieſu, eius deitatis oblita, & propterea dicitur ei: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi, ſcilicet in tuo corde infirmo ad patrem meum. *Pſ. 120. a* *Cant. 5. a* *Ioa. 20. d*

Tertio

Tertio ſunt modicæ fidei: quia petũt, quod ipſi dare deberent, ſibi poſtulant, quod ipſimet ceteris exiſtentibus in naui daturi erant. Vbi aduerte, quòd Chriſtus apoſtolis
Luc.9.a dederat nomen ſuum, quo & languores curarent, & etiam mare ſedarent: quia quemadmodum in vniuerſa terra, ſic & in vniuerſo mari admirabile eſt Dei nomen feras atque dæmones, & motus maris mitigans. Quid ergo opus erat recurrere ad Chriſtum, cum iamdiu creditum eſſet eis nomen Domini, quo etiam mare poſſent aperire, atque ſcindere, illudq. caſtigare melius, quàm cum virga Moy-
S. Agatha, & habetur in 1.reſp. in feſto S. Luciæ. ſi? Quædam mulier ſancta dixit: Soror mea Lucia quid a me petis, quod ipſa poteris præſtare continuo matri tuæ? Et ſic poterat Chriſtus dicere apoſtolis: Cur petitis a me iterum, quod iam gratis dedi vobis, vt gratis omnibus da-
2.Cor.1.a retis? Iuxta hoc dixit Paulus: Ita abundat conſolatio noſtra: vt poſsimus & nos conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Quemadmodum ergo præfectus eſſet culpandus, ſi ad curiã reuocaret negotia parua, quæ ipſe in iudicio ſuo expedire poſſet. Sic apoſtoli erant reprehenſione digni non expediendo, & enodando illa pericula quæ nomine Chriſti delere poterant, atque transferre a ſe.

Vltimo dicuntur modicæ fidei, propterea quòd neſciũt nauigare in mari Dei, nec ad paradiſi portum peruenire: vbi nota, quòd mare mundi cum pari vento nauigatur, & ſimili motione ducit nauigatores ſuos. Nam ſæculares benefaciunt benefactoribus ſuis, diligunt diligentes ſe, laudant laudatores ſuos, fauent eos, qui eis fauorem præſtant:
Mat.5.g ſimili curſu nauigantes ad mundi portũ, quia ethnici hoc faciunt, & publicani complices ſuos amplexantur. Ad por-
1.Pet.3.b tum inferni etiam itur ſimili vento: nam quando reddis maledictum pro maledicto, conuitium pro conuitio: & ſuperbiæ alterius reddis ſuperbiam: & procaci vultu blandienti blanditias præſtas: & luxuriam luxuria recompenſas, & perſecutores tuos perſequeris, & mordes tuos detractores, ad inferni portum pergis, quia vento ſimili du-
Vento contrario itur ad gloriæ portum. ceris, & eadem via nauigas cum vento. Ad paradiſum autem non ſic eſt via, nec iſto modo peragitur nauigatio Chriſti: ſed contrario vento vult ducere ſuos, non ſicut vos exiſtimatis: nam ſi contrarius fuerit ventus, recta pergunt ſemita maris nauigatores, qui cum Chriſto cupiunt nauigare:

re: quod nouerat ille, qui dixit: Benedicite maledicentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Et ipſe Chriſtus ait: Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij patris veſtri, vt ad portum æternæ gloriæ ſuæ deueniatis. Attende igitur Chriſtiane quo modo vento contrario nauigare debeas, ſi attingere vis portum gloriæ. Statue igitur in corde tuo, quòd ſuperbiæ alterius reddas humilitatem, & raptori præſtes charitatem, & tuo detractori benignitatem, & luxurioſo inferas caſtitatem, irato patientiam, verboſo ſilentium: vt ſic vento contrario agas nauigationem Dei veluti ſanctus Dauid, qui ait: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Et beatus Paulus ſi attendis in Actibus apoſtolorum numquam nauigauit niſi vẽto contrario, & tempeſtate vrgente: immo ſi ipſum Chriſtum reſpicias in crucis nauicula conſtitutum, reperies ibi maximam contrarietatem, qua conſummauit nauigationem vitæ ſuæ. O Domine Ieſu in mari contrario vento permotam video viam tuam, & finem tuæ nauigationis: vbi maior contrarietas reperietur. Nam in ſacerdotibus te perſequentibus video ſuperbiam: quia ſunt contra te mouentes capita ſua, tu autem caput habes inclinatum ad eos: quia cum patereris non comminabaris: ſed ipſa capitis inclinatione ad amorẽ tuum inuitabas eos, atque vocabas ad te. In ſpoliantibus te, video auaritiam, econtrario autem in te video largitatem: quia etiam latroni famam tuam rapienti largiris regnum cælorum, dans ei protinus pluſquam petiuit. In tortoribus & maleatoribus tuis video crudelitatem, quia etiam lanceis ſuis vulnerauerunt te, tu autem econtrario labijs charitatis tuæ eos vulneraſti, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. In tuis inimicis video liuorem & rabiem tantam, vt te integrum, & viuentem cupiant in infernum proijcere, tu autem vice verſa optabas eos incolumes, viuos & ſanos portare ad gloriæ portum, vt de crucis nauicula dici poſſet: Exiguo ligno comittũt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare, ſcilicet paſsionis Chriſti, per ratem liberati ſunt. Ecce igitur quo modo ipſe Chriſtus, & omnes ſancti, & omnes chriſtiani vento contrario peruenerunt ad portum paradiſi: qua propter modicæ fidei eſt dicere, *perimus*:

Luc.6.d *Mat.5.g* *Pſ.119.b* *1.Pet.2.d* *Luc.23.f* *Ibid.e* *Sap.14.a*

mus, & maximæ fidei eſt cognoſcere, quòd qui perdide-
Mat.10.d rit animam ſuam propter Chriſtum, inueniet eam in ſtatione nauium paradiſi.

SECVNDA PARS.

NVnc in ſecunda parte de noſtra minori fide aliquid enodemus, dicente Redemptori noſtro: Cur Domine diceris nauiculam aſcendiſſe? Potius deberes in eam
Pſ. 106.c deſcendere, quoniam Dauid in ſpiritu dicit: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem *&c.* hæc omnia tibi conueniunt, qui maximam operationem nunc in
Naues,&nauiculę Chriſti quæ ſint
mari feciſti, vt eam tui apoſtoli enarrarent nobis: ideo non debuiſſes nauim aſcendere, ſed in eam deſcendere. Hic fratres mei aduertite, quòd filius Dei habet naues & nauicu-
Iob. 9. d las: naues ſunt viri ſancti, de quibus ait Iob: Tranſierunt ſicut naues poma portantes. Nos quidem ſæpe cadimus, ſancti autem non, ſed tranſierunt, quia peccatum dicitur caſus: & virtus dicitur tranſitus ad cælum. Poma ſancti detulere: quia nobis odorem bonorum exemplorum reliquerunt. Et etiam dicuntur poma detuliſſe: vt citius eos tranſiſſe credas paruo grauati onere, & ſuaui animæ ſuæ. Ad has naues dicitur Chriſtus deſcendere, quoniam viri ſancti Deum Chriſtum habent ſuper ſe & ſuper caput: quia caput mentes eleuantes ſupra, ſemper inhiant leuantes oculos ſuos in montes ſanctorum, vnde & per quos venit eis in auxilium ipſe Deus Dei filius. Nos autem quia peccatores ſumus nauicuculæ dicimur ruptæ, atque deſtructo omni conſilio deſtitutæ: vnde vobis conuenit peccatoribus conclamare atque dicere: *Domine ſalua nos perimus*. Si hoc ex animo & vere dicatis, occurret vobis gubernator atque ſaluator Dei filius: & a parte inferiori veniet aſcendens ad vos, quoniam hucuſque eum habuiſtis delectum, & vt lutum platearum ſub pedibus datum, quod nouerat
Heb.10. f ille, qui dixit: Quanta putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? Aduerte igitur peccator, quòd quando teris limina meretricis, filium Dei conculcas. Quando leuas calcaneum contra tuum proximum, filium Dei conculcas. Quando peruerſa gradiris via, ſuppeditas Deum

tuum,

tuum, qui non ad tales greſſus, ſed ad viam mandatorum percurrendam tibi pedes condonauit. Ergo optime dixit Euangeliſta: *Chriſtum aſcendiſſe nauiculam:* quia quotidie aſcendit cor peccatoris, quoties eum maiori habet æſtimationem, & pretio, eum cunctis delectationibus præponendo. Peccatores ergo dicant: *Domine ſalua nos perimus.* Et iuſti viri cantent: Oſanna in altiſsimis: & eſt ſenſus. O ſalua in cælis, quamuis in terris nos tribulari permittas. Nos igitur fratres non ſolum modicam, ſed vel minimam habemus fidem, quando noſtra mala deſideria Chriſto anteponimus, qui adaugebit nobis fidem, ſi nauiculam animæ noſtræ dignetur aſcendere. Sed forſitan ſcire cupitis, in quo poteritis noſſe, an Chriſtus aſcenderit nauiculam veſtram. De hoc ait Euangelium: *Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Quaſi dicat, ſi Ieſus aſcendit in animam tuam, ſtatim ceteri ſenſus obſequuntur ei, quia eſt ſicut magnes, quæ etiam ferrum ad ſe trahit, & ſicut ſol, qui etiam humidos, atque terreſtres vapores compellit aſcendere. Sic noſter gubernator Ieſus noſtram nauiculam, & omnia ſibi annexa ducit in altū, vt quæ ſurſum ſunt quærat, & quæ ſurſum ſunt ſapiat: non quæ ſuper terram. Accingite ergo fratres ſenſus veſtros, & date eis gubernationem gerere poſt Ieſum: quia tempore tempeſtatis plus parēt gubernatori incolæ nauis, & ad nutum eius mouentur. Nos autem ſemper nauigamus tempeſtate mundana vrgente: quia qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutiones patiuntur: & qui recedit a malo prædæ patuit: ideoq. vt citius liberetur, & ſecurius eat, eum decet gubernatorem nauiculæ ſequi. Sint ergo noſtri oculi Chriſti Ieſu diſcipuli, ab eo diſcant, quæ oportet facere. Requiritur enim conformitas diſcipulorum, ideſt ſenſuum noſtrorum ad rectorem nauiculæ: alioquin deficiet fides noſtra. Primi ergo diſcipuli Ieſu ſint oculi noſtri ſequentes eum in vigilia, & fletu: quoniam tempore tempeſtatis eſt vigilandum in orationibus, & flere peccata oportet: quoniam hoc fecit Ionas naufragium paſſus, quando & ex ipſis nautis confeſſus eſt peccata ſua dicens: A facie Domini mei ego fugio: propter me orta eſt hæc tempeſtas. Etiam orauit ac fleuit nimis in ſuo naufragio. Nec mirum, quia ſicut mare vomitum prouocat: ſic & confeſsionem

Ioā. 12. b

Exemplū.

Coloſ. 3. a

2. Tim. 3. d

Iona. 1. b

nem excitat vt euomas peccata tua. Alij diſcipuli ſunt os, & guttura, quæ ſicut noſter gubernator debent eſſe parcitate plena: in nauicula namque parciſsimus reperitur cibus, maxime in crucis naui, vbi noſter patronus fel comedit, & aceto potatur, vt nos confundat, & erudiat. Alij diſcipuli ſunt manus noſtræ, quæ etiam Chriſtum debent ſequi, de quo dicitur: Manum ſuam aperuit inopi: & palmas ſuas extendit ad pauperem maxime in crucis nauicula. Nos ergo more patientium naufragium oportet ſuperflua in mare mittere, conferentes amaritudinibus pauperum de bonis noſtris. Proijce igitur in pauperum nudorum amaritudinem eleemoſynas tuas, & in orphanos & viduas, & in viſcera pupillorum & ſuper eos, qui propter verecundiam non audent ad Eccleſiã venire, ne appareat confuſio nuditatis eorum.

Pro.31.c

In hac nauigatione videndum eſt, ne ſomnus opprimat nos, vel Chriſtum gubernatorem noſtrum: vbi aduerte, quòd in horto apoſtoli dormiebant, & in naui Chriſtus: deterius tamen euenit ipſis dormientibus: quia tunc ſomnus infidelitatis oppreſsit eos. Dupliciter igitur contigit in vita dormire: quia vel dormit Deus ſinens nos periculo expoſitos, & tentatori, immo & flagellis, ſicut euenit Antonio magno quando eum dæmones flagellarũt nimis, qui tamdem ad Chriſtum clamans exauditus eſt, & quæſiuit a Chriſto: Vbi eras Domine, quando irruerunt in me fortes? & audiuit. Hic eram tecum, ſed expectabam ſtrenuitatem tuam. Ecce igitur quo modo aliquando Deus dormit, non vt pereamus, ſed vt probemur. Nos etiam dormimus nonnumquam plurimum deterius, quando veluti apoſtoli in horto non curamus ea, quæ ſunt Dei: nec obtemperamus gubernatori noſtro, deſidiæ ſeruientes & incuriæ, quos Deus excitare non deſiſtit. Si tamen ſomno ſemper & negligentiæ volumus indulgere, dicit Deus: Dormite iã donec tempeſtas ingruerit, & repentina calamitas: & cohors ſuperueniat ad vos excitandum: quando vexatio dabit intellectum auditui. Non hoc expectemus fratres, ſed mementote, quòd hora ſit iam nos de ſomno ſurgere. Sed vt citius excitemur, videamus de loco dormitionis Chriſti, qui, vt ait alius Euangeliſta, in puppi nauis dormiebat, vbi & ſunt meliores, & eſt regimen totius nauis. Et ideo

Prou.1.d

Rom.13.c

Mar.4.d

ideo hic ſomnus negligentiam eorum ſignificat, qui in Eccleſia gubernacula poſsident, & eam regere debent, quorum peccatum redundat in plebem, quæ vt plurimum imitatur maiores natu, & eos qui videntur regere populum. *Dan. 13. a* O igitur ſi Epiſcopi, ſi clerus, & monachi, ſi magnates inuigilent ſupra regimen animarum, præcellentes ſic virtute, vt dignitate præcellerent.

In vnoquoque noſtrum aduertendum eſt, quòd eodem loco dormit Chriſtus quando ratio noſtra negligit conſiderare, & negligentia conſiderationis torpeſcit, quoniam de ſic dormiente dicitur: Noluit intelligere, vt bene ageret. *Pſ. 35. a* Qui ergo non dirigit ſe, & vitam ſuam ad Chriſtum, facit illum iuxta gubernaculum dormire, ignauiam noſtram deſignantem. Vnde aduerte peccator, ne dicatur de te: Eris ſicut dormiens in medio maris: & ſicut ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dices: Verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt, & ego non ſenſi. *Pro. 23. d* In tanto periculo dormit peccator, ac ſi eſſet in medio maris a præſidio plurimum diſtans: quod nec a ſemetipſo habet, quoniam amiſſo clauo non poteſt ſibi ſubuenire, niſi clauum rationis ſuæ, & bonum dictamen quærat. Ratio enim docet nos dolere, & periculum ſentire. Sed væ nobis, qui quando flagellamur a Deo, nimis vociferare ſolemus, & dicere: In quanto periculo ſumus. Si autem flagellemur a mundo, & carne, non ſentimus, ſed in vehementi paſsione carnalis deſiderij ſumus ſopiti, non ſolum amiſſa, ſed reiecta tota cura noſtræ ſalutis. Hic aduerte, quòd homo eſt velut nauis, præſertim in hoc, quòd non habet regimen prima fronte, nec in eo loco, qui præit: ſed in puppi, vbi eſt domus patroni, vbi & eſt clauus, & regimen totius nauis, quæ regitur non ab eis, quæ primo apparent, ſed ab occulto regimine & vigilantiori. *Exemplū.* Væ igitur hominibus, qui reguntur ſenſibus ſuis, & ſenſualitate ſua, quibus trahuntur allecti velut aſinus a viridi herba. Non ſic fratres mei, non ſic: ſed oremus Dominum Ieſum vt vigilet iuxta clauum rationis noſtræ, & eius moderamina teneat: velut equi ſeſſor habenas, quia tunc timor abibit, fides ſuccreſcet, abundabit fiducia, manente nobiſcum tanto rectore, qui dux fuit miſericordiæ populo ſuo etiam in medijs fluctibus, vbi maris vndæ non

R ad

Exo.14.c ad pauorem, ſed pro muro erant ſeruis Dei: quia etiam motus maris, & omnia pericula patrocinantur ſeruienti, Deo, qui nobis in præſenti gratiam, et in futuro gloriam conferat. Amen.

SERMO DOMINICAE IN SEPTVAGESIMA,

De vinea animæ.

THEMA.

Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes, & plantaſti eam. Pſal. 79.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

INter arbores, quæ iucundiorem fructum reddit, vinea eſt, quod ipſe Dauid conſi-
Pſ.103.b derans, ait: Vinum lætificat cor hominis. Ceteri fructus ad extra lætificant, iſte
Nu.13.d autem ad intra penetrans cor. Videntur & attendiſſe hoc ſpeculatores terræ promiſsionis: qui vt alacres redderent expectantes ſe, non lac, nec melle manantis terræ, nec oleum, vel triticum, aliave poma deferunt, ſed botrum, & racemum vineæ, reliqua verbo declarant. Talis vinea iucun-
Io.15.a diſsima eſt Maria, quæ Deum genuit, quæ de ſe ait: Ego ſum vitis vera. Qui gratiæ vinum iucundiſsime adminiſtrat, quo ad gloriam promiſſam fortius animamur. De
Deut.23.d hac vinea dicitur: Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas, quæ tibi ſufficiunt: foras autem ne educas eas. Virgo vinea eſt proximi noſtri Ieſu, qui in ea, & per eam proximus noſter effectus eſt per humanitatem ab ea receptam: Vuas ergo gratiæ præſtabit beata Virgo, non his qui foris ſunt

ſunt ad exteriora reflexi,ſed ad laudem ſuam, vel filij ſui proximi noſtri; quia totum pertinet ad domum patrisfamilias, qui ait: *Ite & vos in vineam meam*: ne igitur pigritemur genibus flexis eam adire, pro gratia dicentes. Aue Maria. *Mat. 20. a*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

INtroductio ſit litteræ narratio, & in calce Euangelij, adduc illud quod ait Origen. in epiſto. ad Romanos ſuper hoc verbũ: Vocatus apoſtolus, vbi ſic ait: Scias poſſibile, aliquẽ eſſe vocatũ apoſtolum, aut prophetam, aut vocatũ martyrem, aut virginem, aut paſtorẽ, & ſi neglexerit vocationis ſuæ gratiam, decidere ex ea, ſicut Iudas, qui vocatus fuit apoſtolus, ſed non electus apoſtolus, ſic & multi ſunt vocati, vt pro Chriſto patiantur, non tamen electi: vt ſunt illi qui poſt tormentorum agones, & carcerum non vſque in finem in confeſsionis tolerantia perdurarunt. Eſt & vocata virgo, ſed non electa, quæ, ſcilicet virgo ſancta non fuerit corpore & ſpiritu. Eſt & vocatus paſtor, ſed non electus, qui præeſt gregi quidem, & lacte eius vtitur, & lanis eius operitur, ſed infirmum non requirit, & claudum non colligit. Ita & eſt vocatus abſtinens, ſed non electus, ſcilicet, qui ieiunat triſtis, & exterminat faciem ſuam, vt hominibus placeat, & ſic per ſingulos gradus gratiarum, ſimiliter inuenies multos quidem vocatos, paucos vero electos. Hæc Origenes. Ecce igitur expoſuit doctor iſte qualiter multi a patrefamilias vocentur, qui vult omnes homines ſaluos fieri: & cum hoc pauci ſint electi, nolentes attendere vocationem ſuam: ſed propter inuidiã ex operarijs fiunt detractores aduerſus Deum de prædeſtinatione diſputantes, qui vineam de Aegypto transferens, hoc non ceſſat eijcere, vt ſecurius plantet eam: vnde ait thema: *Vineam de Aegypto &c.*

Rom. 1. a *Origen. lib. 1. in Epiſt. ad Rom. ſub princ. to. 2.* *Ezec. 34. a* *Mat. 6. b* *1. Tim. 2. b*

Tria puncta ſermo habet. *Diuiſio.*

Primum ſuper hoc: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti.*

Secundum ſuper hoc: *Eieciſti gentes.*

Tertium ſuper hoc: & *Plantaſti eam.*

PRIMA PARS,

De varijs vineis, ideſt ſtatibus hominum.

ETſi multiplex ſit vinea Dei, & de vnaquaque ſolicitus ſit, de vinea noſtræ animæ agam, de qua ſolicitior videtur, quoniã ſummo mane, vt dicitur in præſenti Euangelio, immo etiam nobis dormientibus, in vtero matris vinitorem aſsignat Angelum cuſtodem, qui ait: Die ac nocte ſeruo eam, indignatio non eſt mihi, nec dedignatio. Et nobiſcum egreſsis ab vtero, & recenter natis facit conuentionem Deus in baptiſmate ex denario diurno vitæ æternæ, in veſpere mortis recipiendo. Primo mane exit, dum iam adueniente diſcretione, antequam malitia mutet intellectum noſtrum, nos excitat: quando eſt puer doli capax, ex tunc enim tenetur Deum honorare. Aliqui doctores inducias dicunt dari puero quamuis docto, & mercenario donec ſol rationis abſque nubibus illuminet animam. Nec etiam hora tertia ſine vocatione ac pulſatione dimittitur: Illam dicimus tertiam horam, quando videlicet creſcente corpuſculo puer expedite ea, quæ ſibi dicta ſunt, percipit, ſcitq. reprobare malum, & eligere bonum. Huic ætati denarius Euchariſtiæ condonandus eſt, ſi in confeſsione laboret, & conſulat ſacerdotes pios, & peritos, perſcrutantes horologium ætatis humanæ, quod tardius eſt in hoc, quàm in illo. Dum Dominus Ieſus factus annorum duodecim in templo remanſit, & legiſperitos audit, & interrogat, optime docuit corrigendos eſſe pueros illius ætatis, ſi otioſi fuerint in his, quæ ſunt ad Deum: Quia iugum Chriſti ſuaue a puero etiam non multum ingenioſo duci poteſt: vnde Gerſon aſſerit huic ætati denarium conuenire, maxime quando fideles omnes tenentur in paſchate communicare, in vinea animæ peracto opere pœnitentiæ, vbi procuratori domus Eccleſiæ cura erit, qui ex præcepto Domini largitoris illũ ei tenetur dare, etiam vnam ſolam horam facientibus pœnitentiã, quia ipſe pater ait: In qua hora gemuerit peccator peccata ſua, numquam recordabor. Quemadmodum igitur cultores æqua-

Iſa.27.a *Iſa.7.c* *Luc.2.f* *Mat.11.d* *Eze.18.f*

æqualiter denarium receperunt, vbi paterfamilias eos æquare voluit: ſic nos omnes æquat in Euchariſtia, quæ integra ſemper datur cunctis, cuius tantum eſt pretium, quòd ſi pro totius vitæ labore nil aliud nobis conferret Deus, etiam ſanctiſsimo cuique ſatisfactum eſſet. Denarius quidem diurnus eſt, quo emi queat ille dies, de quo dicitur: Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Ait enim *Pſ.83.c* Deus: Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Niſi *Ioan. 6.f* hunc denarium perdideris Euchariſtiæ, illo emere poteris vitam æternam: & eam iam cum illo initialiter habes, & virtualiter: nec ipſe negotium tutans puerorum, volo incidere cum prauis lutheranis dicentibus, quòd pueri in cunis teneantur communicare, quoniam panis iſte, panis eſt intellectus, intellectum operantem requirit, vt probet ſeipſum homo, quod pueri vagientes nequeunt. Exit etiam circa horam ſextam pater iſte, quando in noſtra iuuentute animum pulſat, & nos cogitabundos facit de ſtatu noſtro eligendo: cum enim iuuenis eſt viginti duorum annorum vel circiter, nimis cogitare ſolet, quid ſibi eligendum. Quam peragam viam? quorſum ibo? an monachus fiam, vel vxoratus, aulicus, aut mercator, clericus vel miles? hanc vitã in adoleſcentia eligendam Salomon ignorat: nec *Pro.30.b* enim facile pergendum eſt, aut conſulendum: cum exitũ nemo ſciat, niſi proſpector Deus, qui tunc maxime vocat ad ſuam culturã, ſi ei præſtetur aſſenſus. In hac vocatione qua vocamur a Deo, vel per prędicatorum monitionem, vel per beneficiorum largitionem, vel per internam inſpirationem, vel per flagellorum correptionem, maturius agendum eſt, nec præcipitandum conſilium, præ omnibus tamẽ videat iuuenis, quòd ad vineam Domini operator accedat, non deſerat animam ſuam, quidquid decreuerit, huic accommodet, vt non obliuiſcatur animæ ſuæ, nec obliuiſcatur eſſe Chriſtianus: in hoc enim vineto, & in hac parte vinea animæ plantanda eſt, vt aſpires ad Chriſti conformitatem, attendens quòd ſalues animam tuam quocumque eam duxeris: ſiue eam plantes in montibus Samariæ, qui ſunt religiones: nam Samaria interpretatur cuſtodia. Vnde quilibet ordo mons eſt, ſi verus ordo ſit, & religio ipſa *Samaria quid.* eſt Samaria: vbi vinea, hoc eſt, animas quietiores, ac ſecuriores eſſe putamus. De hac plantatione ſatis ad longum

Ier. 31. a loquitur Ieremias: tamen procuratores, qui ſunt prælati, hoc videant, qui ſunt & cuſtodes. Alij nolentes plantari
Iſa. 5. b in montibus Samariæ dicunt illud Iſaiæ: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Alii autem engaddi ſe plantatûros decernunt, in ſtatu videlicet matrimonij: nam engaddi oppidum, vel vinetum eſt, vbi antiquitus fuit vinea balſami, quam poſtea longo tempore tranſtulit Cleopatra in Babylonem: vnde merito vinetum iſtud ſignat matri-
Cant. 1. d monium, vbi Chriſtus natus eſt, de quo ait ſponſa: Botrus cipri dilectus meus mihi in vineis engaddi. Sunt & alij,
2. Paral. 26. a qui in monte carmelo cum rege Ozia vineas habere volunt: vbi & propheta Elias celibem duxit vitam, & miracula fecit. Hos eremitas dico in montibus, & in ſpeluncis, vel milites quibus non licet vxorem ducere, quos commendatores vocant. Et huius generis eſt, qui per ſe ſolitarius Chriſtianiſmum ducere vult, arbitrans quòd ſe regere ſciet, ait enim: Satis eſt mihi, quòd in domino Ieſu Chriſto planter. Nunc de vineis, quæ a Chriſto ſunt alie-
Pſa. 67. d næ, vtpote in ſuburbanis gomorrhæ plantatæ, nolo verbum facere, video enim quoſdam homines peccato deditos quo-
Exod. 7. a rum Deus vineas grandine duritiæ occidit, qui ait: Ego indurabo cor eius. De primis autem vinetis, vbi vineę plantari ſolent, in quattuor videlicet locis prædictis, non eſt facile indagare, quid cui conueniat, Deus ſcit. Sicut enim multi coniuges ſunt, quos Deus non coniungit, ita multi monachi, quos Deus nõ, ſed dæmon ad monachiſmum vocauit, vt alios monachos cruciarent, aut commonerent de
Pericula vinearum. loco ſuo. Sic multi ſunt clerici nec beatum Petrum, nec Chriſtum, ſed Simonem, aut ſimoniam ſequentes. Vnuſquiſque attendat ſtrenue vocationem ſuam, nam in vineto religionis non deeſt ſingularis ferus depopulator, fratrum
Iudic. 15 a malleator. Vulpes in caudis ignem deferentes non abſunt a vineto matrimonij: tot enim videmus adulteros, ac ſi nemo haberet vxorem. Nec in vineto clericorum deeſt illud
Nũ. 22. d periculum de quo dicitur: Stetit angelus, anguſtijs duarũ maceriarum quibus vineæ cingebantur. Propter ſimoniam minabatur angelus prophetæ illi cupido: Eremitis au-
Iudicum 14. b tem non deeſt leo, de quo dicitur: Cum veniſſet ad vineas apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens occurrit ei. Leo

iſte

iſte magna tentatio eſt, vbique ſane periculum, vbicumque laquei ſunt, nec ſub cælo aliqua integra eſt ſecuritas, nullibi tamen remedium deeſt, nec alicui præcluditur via ſalutis, ideo clamemus ad patremfamilias, de quo ait thema: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti: eieciſti gentes*, et cet. In omni vinea ſua hoc fecit pater iſte. Aduerte quòd vbi nos habemus vineam de Ægypto, tranſlatio Hieronymi habet, vitem de Ægypto: nam quemadmodum dicitur quòd vinea domini ſabbaoth domus Iſrael eſt, pari forma ſcribitur vitis frondoſa Iſrael: vnde etiam litteraliter idem eſt vitis & vinea Iſrael, quia pro eodem accipiuntur: quam vt plantaret Deus, gentes eiecit a terra promiſsionis. Si Ægyptus interpretatur tenebræ, vt plantaretur in cælo vinea angelorum, ipſi de tenebris educti ſunt, quia palmites longinqui in plus habentur: vbi nota quòd vt ait Pſal. Deus poſuit in tenebris latibulum ſuum: ex eo quòd huius abyſſi profundum nulla penetrat creatura: vnde lux illa dicitur inacceſsibilis: quia nullus creatus intellectus eam ex toto penetrare valet: ex hoc igitur tam ignoto Ægypto potentiæ Dei, & tam inſcrutabili, educti ſunt angeli, non velut de potentia materiæ, ſed velut ab exemplo efficiente in monte gloriæ. Gentes quas Deus eiecit, vt vineam plantaret angelorum, illæ ſunt de quibus dicitur: Eieciſti eos dum alleuarentur. Dæmones elatos qui eleuari voluerunt veluti vitis fatua iuxta flumen, Deus deiecit, qui peccantem cherub eiecit de monte ſancto ſuo. Angelos ergo Deus plantauit eiectis dæmonibus: quia de ſanctis angelis intelligi valet illud: Vineæ florentes dederunt odorem ſuum, ſcilicet in terris. Nulla arborum congregatio ita ordinate ponitur ſicut vinea: angeli ergo manent velut plantati ordine ſuo. Odor vinearum harum ad nos vſque deſcendit: vbi aduerte quòd odor vineæ ſerpentes fugat, ſi odor angelorum ad nos vſque properat, quia omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſsi propter eos qui hereditatẽ capiunt ſalutis. Hereditas ſalutis denarius diurnus eſt. Operarij ergo noſtri ad vineam animæ miſsi a patrefamilias angeli ſunt, in quibus Euangelij præſentis murmuratio in præmij receptione, potius eſt grandis admiratio: nil ergo reſtat niſi quòd anima noſtra de alio Ægypto, eorum adiutorio transferatur, ſcilicet ignorantia: Ignoramus

Pſa. 17. b
1. Tim. 6. c
Pſal. 72. c
Can. 2. c
Vineę odor fugat dæmones.
Hebr. 1. d
2. Paral. 20. b

1.Pet.2.b enim quid agere debeamus: niſi adſit ille, qui de tenebris infidelitatis nos vocauit in admirabile lumen ſuum. In vinea noſtra Deus ipſe, & angeli, & ſancti, & filius Dei, & nos ipſi operari oportet, maxime in eijciendo gentes occupantes conſcientiam noſtram, vbi anima plantari debet, vt in Eccl.14.a quocumque ſtatu prædictorum ſecura ſit: Nam qui ſibi malus eſt cui vnquam bonus erit? Si in te iuſtus fueris, vbique terrarum bene te geres. In hoc enim vinea animæ ab iſtis vineis materialibus differt, quia materialis a terra ſumit Locus parū prodeſt ſanctitati. bonitatem ſuam: anima autem loco tribuit probitatem: vnde ſcriptum eſt, quòd non gentem propter locum, ſed 2. Mach. 5.c locum propter gentem elegit dominus. In apice apoſtolatus erat Iudas & lucifer in cælo, nihil tamen eis profuit: Iob. 2. c Iob tamen in ſterquilino ſaluatus eſt, quia nec iſte immundus fuit in ſe, nec ille mundus: vnde in quodam decreto Tex. in cap. Porrectū & ibi Abbas num 1.4. & 8. de Regularibus. dicitur, quòd habitus non facit monachum, immo nec alta profeſsio, ſi ei vitam non aptauerit. Vt generaliter igitur aliquid loquamur aduerte, quòd ſi a conſcientia eieceris gentes de quibus thema proloquitur, recenter plantaberis: Deut.7.a & gentes eiectæ a promiſsionis terra fuerunt gergezæus, chananæus, pherezæus, amorrhæus, iebuſæus, heuæus, hethæus. Ecce capita gentium, & duces populorum. Vbi nota quòd vinea domini ſabbaoth, & vitis frondoſa Iſrael has gentes eiecit, priuſquam ſecure plantaretur: nam has dimiſit dominus, vt ſuperarent eas filij Iſrael, vt dicitur Iudicum 3. a in libro Iudicum. Non tamen ſine Dei & angelorum auxilio, propria induſtria.

SECVNDA PARS

De gentibus eijciendis.

IAm ergo in ſecundo puncto ſermonis videamus eijciendas gentes, quas & forte videmus ingreſſas ſanctuarium Gergezæus quid. noſtrum interius. Gergezæus interpretatur colonum eijciens, & eſt ſuperbia quæ eiecit Adam colonum paradiſi Gen. 2. c terreſtris, vbi cum Deus poſuerat operarium: Vt operaretur & cuſtodiret illum: immo & hæc primum angelum in cælo poſitum operarium abegit: nam & in vinea angelorum

rum operatio eſt, videlicet purgatio, illuminatio & perfectio. Gentes huius primi ducis ſunt amor propriæ excellentiæ, iactantia, inobedientia, inconſtantia, pertinacia, præſumptio, diſcordia, ambitio, ſingularitas, adulatio, ironia, dedignatio. Hæc vitia vincere tenetur quilibet chriſtianus, & ab angelis, & Deo adiuuantibus habet donum timoris: nam hæ ſeptem gentes facile eijciuntur per ſeptem dona Spiritusſancti. Et tunc promiſsionem conſequetur, quæ ponitur in Apocalypſi: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Natura columnæ eſt fortiter ſupportare quod ſibi ſuperponitur: & ſuperbiæ eſt nil ſupportare ſibi impoſitum, nec aduerſa tolerare: quia nititur eſſe ſuper alios, non ſub alijs, ideo vincentem ſuperbiam facit Deus columnam. Inter ligna ſiluarum quod minus portat, eſt lignum vitis, tamē per humilitatem Deum portabit. Chananæus interpretatur poſſeſſor, vel negotiator, & eſt auarus, qui per negotiationem ſuam acquirit, & auget poſſeſsionem ſine fine: gentes iſtius ſunt inordinatus amor habendi, affectus ſæculi, deſperatio, horror futuri ſæculi, odium Dei, proditio, fraus, fallacia, periurium, violentia, inhumanitas, aſtutia, dolus, furtum, rapina, ludus, vſura, ſimonia, proprietas fratrum, tenacitas, acceptio munerum: contra quæ ait Auguſt. Deterior quàm beſtiæ, eſt hæc auarorum cupiditas. Beſtiæ rapiunt quando eſuriunt, parcunt prædę cum ſenſerint ſaturitatem: auaritia ſemper rapit inſatiabilis, nec Deum timet, nec hominem reueretur, nec patri parcit, nec matrem cognoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem præſtat, viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in ſeruitium reuocat, teſtimonium falſum profert, nequiter occupat res mortui. Hic dux vincitur per donum pietatis erogando: vt centuplum accipiat in cælo & habeat hanc victoriam: Qui vicerit poſsidebit hæc, & ero illi Deus: & ipſe erit mihi filius. Dux tertius plures habet gentes, ſunt enim illi. Illicitus ardor libidinis, fornicatio, meretricium, adulterium, ſtuprum, raptus, inceſtus, ſacrilegium, ſodomia, cæcitas mentis, amor ſui, inconſtantia mentis, inconſideratio inferni & mortis, præcipitatio peccati. Iſte tertius vocatur pherezæus, qui interpretatur diſſeminans terram, & eſt luxuria illecebris data, quæ illicite ſeminat ſemen ſuum, & metit

Apoc. 3. c

Chananęus quid.

Auguſt. de verb. Dom. ſer. 19. ſub princip. to. 10.

Apoc. 2. d

Pherezæus quid.

metit momentaneam delectationem, & in fine pœnam
Gal. 6. b æternam. Qui ſeminat in carne de carne metet corruptionem. Iſte vincendus eſt per ſapientiam, ideſt per ſaporem cæleſtium: quia guſtato ſpiritu deſipit omnis caro: & ſic
Apoc. 3. b victoriam conſequitur, quæ ponitur in Apocalipſi: Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis. Quartæ gentis dux dicitur
Amorrhæus quid. amorrhæus, qui interpretatur amaricans, vel amara loquens, & eſt inuidus, qui totus eſt fellitus intra, qui in ſe ſemper amarus, ſemper amara effundit. Cohors iſtius ſunt odium alienæ felicitatis, odium fratris, exultatio in aduerſis alterius, triſtitia in proſperis proximi, detractio, ſuſurrium, inſectatio, machinatio mali, temetarium iudiciũ, falſum teſtimoniũ, interpretatio in malũ, deriſio. Dux iſte ſemper ſi auſcultat, de malo ſuo audit: nam vt ait Ariſtoteles: Reperitur animal magnitudine cerui, quod cõtra naturam aliorum animalium habet fel in aure, ſimile felli hominis in colore, & eſt animal amarũ, & velox nimis, & ſignat inuidum qui fel in aure gerit, quia omne quod audit in offenſionem amaritudinis conuertit: vnde poeta:

Pectora felle virent lingua ſuffoſſa veneno, &c.

Iſte vinci debet per donum intellectus quo homo aduertens proximum ſuæ naturæ participem dulcem ſe præbeat ei, & compaſsiuum, vt ſequatur illam coronam
Apoc. 2. e Apocalypſis: Vincenti dabo manna abſcõditum. Quintę
Iebuſæus quid. gentis dux dicitur Iebuſæus, qui interpretatur præſepe, & eſt gula, quæ ſuadet ſemper ſtare ad præſepe, vt equus cui viride præbetur. Cuneus iſtius ſunt inordinatus appetitus mentis, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, ſtultitia, hæbetudo ſenſuum, crapula, ebrietas, multiloquium. Has vincere gentes oportet per donum ſcientiæ, qua ſci-
Phil. 4. c mus viuere temperate iuxta illud: Scio abundare & pe-
Apoc. 2. b nuriam pati. Et tali victori dabitur illud: Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Quoniam ad litteram temperantia
Eccl. 37. d prolongat vitam. Qui abſtinens eſt adijciet vitam, & per oppoſitum gula in mortem, & in morbum inducit. Sextæ
Heuæus quid. gentis dux dicitur Heuęus, qui interpretatur lapides colligens, & eſt iracundus colligens lapides offenſionis, & pe-
2. Re. 16. b tras ſcandali in iurgium, vt Semei contra Dauid quem maledixit: quia eius verba lapides ſunt. Exercitus huius ſunt vlciſcendi libido, indignatio, tumor mentis, clamor,

blaſphe-

blaſphemia, rixa, intemperantia, litigium, maledictio, conuitium, ſæuitia, bellum, homicidium. Has vince per donum conſilij ſequendo Chriſti conſilia de patientia & tollerantia: vt detur tibi id: Qui vicerit non ledetur a morte ſecunda, ideſt infernali pœna. Vltimę gentis dux eſt Hethæus, qui interpretatur ſtupor vel formido, etiam eſt accidia, quæ facit hominem ſtupidum & formidantem opera virtutis. Huius exercitus eſt tædium boni, torpor circa præcepta, deſperatio, diffidentia, euagatio mentis circa illicita, puſillanimitas, malitia, dilatio, ſegnities, ignorantia, inquietudo, inconſtantia, otioſitas, verboſitas, murmur, taciturnitas mala, grauedo, ſomnolentia, negligentia, omiſsio, ingratitudo, indeuotio, languor, tædium vitæ, impeditio bonorum, impœnitentia. Omnia iſta vincenda ſunt per donum fortitudinis, de qua Gregorius ait: Iuſtorum fortitudo eſt carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis præmijs amare, proſperitatis blandimenta contemnere, aduerſitatis metum, cordis audacia ſuperare. Reproborum fortitudo eſt trāſitoria ſine ceſſatione deligere, contra flagella ipſius conditoris inſenſibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec aduerſitate quieſcere, ad inanem gloriam etiam cum detrimento peruenire, malitiæ argumenta acquirere, bonorum vitam non ſolum verbis, & moribus, ſed etiam gladijs impugnare, in ſemetipſis ſpem ponere, iniquitatem ſemper ſine vllo pœnitētiæ deſiderio perpetrare. Peccatores ergo mutent fortitudinem, vt vltimam gentem deijcere valeāt: nam dominus dicit: In prœlio gradiar ſuper vineam meā. Sic prœlianti dabitur illa vltima victoria, de qua dicitur: Qui vicerit dabo illi ſedere mecum in throno.

Apoc. 2. 8 — Hethæus quid. — *Gregor. lib. 7. moral. c. 8. in princ. to. 2.* — *Iſa. 27. a* — *Apoc. 3. d*

TERTIA PARS

Vbi plantatio vineæ deſcribitur.

NVnc in ſecuritate poſitis, reſtat plantare vineam, cuius vites, vt ait Chryſoſtomus, virtutes ſunt: ſi ſuperbiam eieciſti planta humilitatem, ne illa pullulet. Hęc

Chryſoſt. homil. 34. in opere imperf. Matt. c. 20. to. 2.

vitis

Gen.40.b vitis humilitatis tres propagines habeat, vt te humilies, & Eccl.24.c maiori, & æquali, & minori. Secunda vitis eleemoſyna ſit, quæ quaſi vitis fructificat in cælo, & in terra. Tertia vitis caſtitas eſt, quæ dicitur agreſtis, quia amara eſt in princi- 4.Re.4.g pio, vt fuit puero Heliſei, donec farina adueniat, ideſt ma- Io.15.a ior puritas. Quarta vitis charitas eſt, quæ ait: Ego ſum vitis vera, & vos omnes reſpectu mei, palmites eſtis. Quinta vitis eſt abſtinentia, ad quam dixit propheta, quòd vir Gen.49.b iuſtus applicet carnem ſuam: Ad vitem, o fili mi aſinam ſuam. Sexta huius vineæ vitis manſuetudo eſt, de qua di- Iudic.9.b ci poteſt: Locuta ſunt ligna ad vitem, veni & impera nobis. Omnes enim mitē & manſuetū regem volunt iuxta Pſ.140.a illud: Corripiat me iuſtus cum miſericordia, &c. Septi- Pſ.127.a ma vitis diligentia eſt, de qua dici valet: Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Felix qui contrahit matrimonium cum tali vxore, ſcilicet diligentia, quia in filijs bonorum operum, & racemis abundans erit. Eia ergo & vos, qui perfectiores eſtis, attendite, quòd vt ait Richardus: Diuerſæ vocationes ſunt diuerſi ac diſpares gradus profectus, hora prima venit Ieſus in templum animæ & docet: hora tertia Spiritus ſanctus mittitur: hora ſexta ſitit Ieſus in cruce, & petit a Samaritana aquam: hora nona Ieſus expirauit, & Petrus & Ioannes aſcendunt in templum orare ſanantes claudum: hora vndecima ad quietem cordis noſtri ſepelitur Chriſtus, vt poſtea denarius perfectionis integre detur animæ ſic auctę, & creſcenti vſque ad perfectam diem, hic per gratiam & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis, et cet.

Varia hora vineæ eſt varius profectus.

SER-

SERMO DOMINICAE IN SEXAGESIMA

De ſemine ac terra mala: & quo modo poſsit fieri bona, & de effectu.

THEMA.

Exijt qui ſeminat ſeminare. *Luca.* 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

PRimum quod agricola requirit ad ſeminandum eſt terra optima, & ſic ille cæleſtis & diuinus ſator, Spiritū ſanctum dico, quādo voluit ſeminare verbū Dei, quod dicitur in ſcriptura omne ſemen verum terram optimam exquiſiuit, quę eſt Maria, in qua ſemen quod eſt verbum Dei, Spiritum ſanctum dico ſeminaſſe, quia eius opere conceptum ſine dubitatione credimus, nec hanc ſimilem credas ſeminatori terreno, quia hic nullum fuit inſtrumentum, nulla vis humana, ſed ſolo verbo conceptum, & ſeminatum eſt verbum Dei. Maria dixit vt conciperet: Ecce ancilla Domini: Spiritus ſanctus ait: Producat terra herbam virentem in genere ſuo. Nos mater noſtra ſiccos producit ſine virore gratiæ, ſed herba virens & lignum viride Chriſtus eſt conceptus non in genere olerum niſi in genere noſtro: quia noſtri ſimilis effectus eſt, palea noſtræ mortalitatis indutus Deus: & quoniam licitum eſt ſecundum legem ſpicas colligere pauperibus, & in agro Mariæ multæ ſuperſunt ex tanta & tam optima meſſe, quam optima terra attulit, exemplo ſanctæ mulieris Ruth eamus ad agrū viri Booz, hoc eſt Spiritusſancti pro gratiæ ſpica, quam humiliati, & dicentes aue, colligere oportet.

Spiritusſancti ager eſt Maria.

Luc. 1. *d*

Gen. 1. *b*

Ruth. 2. *a*

ARGV-

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SIcut plurimæ turbæ aderant Ieſu, & ex multis ciuitatibus, ſic inerat eis diuerſitas voluntatum. Erant enim multarum, vt aiunt, matrum filii, quòd filius Dei luce clarius, ac euidenter inſpiciens, declaratiuam ponit parabolam; qua differentiam audientium expreſsit in ſex terræ partibus: prima ſpinis plena, & hæc mala: ſecunda petroſa, & hæc peior: tertia iuxta viam, & hæc peſsima. Alia autem pars terræ optima dicitur, quæ etiam tripartita eſt: quia aliud ſemen trigeſimum fecit fructum bonum: aliud ſexageſimum, & meliorem: aliud centeſimum, & optimum. Quamuis hæc iuxta triplicem mundi ſtatum bonum & malum, ſcilicet ſæcularem, clericalem, & religioſum deſcribi potuiſſent, ſatis erit ad præſens iuxta Euangelium procedere, vbi Chriſti Ieſu expoſitio myſterium regni cæleſtis vocatur, & ſecrete eſt apoſtolis enodata ab ipſa veritate, a qua & adducta eſt: vnde exemplo Gregorij, aliorumq. ſanctorum non addam quidquam verbis illius, ſed moneam expoſita, & intacta diſcutiam.

Sex partes ſeminis. — *Matt. 13. b* — *Gregor. homil. 19. in Euang. to. 3.*

Diuiſio. In prima parte agam de ſemine: in altera de terra ad quam exijt ſeminator.

PRIMA PARS.

NOn immerito mirantur diſcipuli, & quærunt a magiſtro, cur in parabolis loquatur, breuius enim veritas poterat propalari, ſed non vtilius: nam gemmæ ſolent filo mandari, ne perdantur, & ſic Dei verba ſolent terrenis comparationibus adaptari, ne a memoria cadant. Dicunt enim aliqui ideo Chriſtum parabolice locutum, vt malis latens myſterium, minoré pœnam intulerit, quoniam dicere poſſunt cum Paulo: Veniam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Et etiam ex parabola præmium occaſionaliter accreſcit iuſtis, qui vt abſcondita producant in lucem, ſolicitius ſapientiam indagari conantur memores illius dicti: quaſi is, qui arat & is qui cauat, accede ad illam, & huius: Qui mane vigilauerint ad me, inueniēt me. Nam vigiles requirit ſapientia inquiſitores & non huius ſæculi

Exemplum — *1. Tim. 1. c* — *Eccli. 6. e* — *Prou. 8. b*

ſæculi qui videntes non vident, & intelligentes non intelligunt, dum ad interiorem ſenſum non perueniunt, in eis quæ foris ſunt detenti: diuina ergo ſapientia & quo ad malos, & quo ad bonos miſericorditer fecit taliter ſe contemperans, quòd ea boni non carerent, & malis celeretur, quia ipſamet ſapientia ait: Vbi non eſt auditus non effundas ſermonem, ſcilicet explanatum & clarum: vnde mali homines, vt infra referam, aures audiendi, ideſt intelligendi non habent, quamuis ſapientia Chriſtus in plateis clamitet, ideſt in parabolis, quarum prima qua ad turbas prædicat, eſt hæc: *Exijt qui ſeminat*, &c. vbi innuitur quòd ſeminator iſte diuinus ſemper ſeminat, & ſemper exit ex quo eſt, & qui ſeminat in abſcondito exit in publico ſeminare. Ex illo egreſſu dierum æternitatis quo a patre exijt, in angelis ſeminat eſſe naturæ ignorantibus ipſis atque dicentibus: Ipſe fecit nos & non ipſi nos. Poſtmodum etiam in eis ſeminauit verbum Dei, quia angeli dicuntur audientes verbum illius: & faciunt verbum eius ad audiendam vocem ſermonũ eius. Dum ſecundo egreſſus eſt a cęlo, & venit in Bethlehem, hoc eſt in Mariam domum panis cælici, non ſolum in ea ſeminauit ſe, ſed ſtatim geſtiuit ex illa ſeminare ſuper montana iudęę verbum Dei in Ioanne, & parentibus eius: & egreſſus inde ſecrete, & nocte per angelos ſeminat in paſtoribus: publice autem in magis: vnde vtrique veniunt vt videant hoc verbum Dei quod factum eſt. Exijt etiam inde vt ſeminet verbum Dei ſecrete in templo, & publice in Ægypto, ſed quoniam dictum eſt ei: Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua. Ad litteram præſentis Euangelij ipſemet aperiens os ſuum ſeminare diſpoſuit verbum Dei, & etiam exijt & ſeminauit antequam exiret, & poſtea: *vnde qui ſeminat, exit ſeminare*. Opus erat quòd exiret Chriſtus ad mundum, qui iam multis retro annis latuerat: vnde & apoſtoli dicebant ei: Domine oſtende teipſum mundo. Exiit Chriſtus etiam a ſe, dum inuiſibilia Dei viſibilibus parabolis induit, & arcana ſecretorum in publicum prodijt, & ſe rudibus coaptat auditoribus, velut mater dum puerulo blanditur & loquitur quæ nondum ad plenum verba format, ſed pro modulo infantis. Ad terrenos terrenis vtitur comparationibus, nõ ſiderum nec ſignorum cæleſtium.

Exijt

Eccli. 32. a
Pſ. 113. b
Prou. 8. a
Pſa. 94. a
Pſ. 102. d
Luca. 2. c
Eccls. 11. a
Egreſſio Dei varia.
Ioan. 7. a

Exijt etiam a ſe nimio amore & clamore prædicans, ac ſi ſe totum transfundat in monitionem: & zelum atque profectum animarum audientium ſermonem eius feruentiſſimum. Neceſſe eſt quòd exeat ſeminator, quamuis decentius eſſet vt nos ad eum exeuntes iremus: quia ſcriptum

Deut.33. a eſt: Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Tamen quia peccatores ab eo egreſsi ſunt

Gen.4. b vt alter Cain: qui ait: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro interfecit fratrem ſuum Abel. Et ait dominus ad Cain: Vbi eſt frater tuus Abel? qui reſpondit: Neſcio. Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? dixitq. ad eum Dominus: Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Nũc ergo maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua: cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos. Egreſſusq. Cain a facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Cain interpretatur poſſeſſus, & eſt peccator qui poſsidetur a dæmone, cuius ſeruus efficitur dum peccat, & in eius redigitur poteſtatem: immo ex tunc raperetur, & ſuffocaretur

Peccator quilibet eſt Cain.

Tob. 6. c & 8. c ab eo, vt viri Saræ, quos vt in Thobia legitur, Dæmon ſuffocauit, & ſuffocaret quemlibet peccatorem, niſi ſpeciali prohibitione impediretur a Deo: quod ſenſit Cain, dum ait domino: Omnis qui inueniet me interficiet me? cui ait Deus: Non ita fiet. Hic ergo Cain egreditur foras per

Sap. 2. b campos licentiæ, vt nõ ſit pratum per quod non tranſeat, ſi

3.Reg.21 b in agrum mundi peruenit, quia dicitur plenus vrticis. Hic eſt ager Naboth, vbi comedunt canes Hiezabel, ideſt tentationes animam, In hoc ſunt mordaces viperæ detra-

Ier. 14. c ctorum, vt ait Ieremias: Et huius agricolæ ſunt confuſi coram Deo, quia ager mundi ſiccus eſt & ſine herba, immo in eo ſunt occiſi gladio, non verbi Dei, ſed diaboli per blaſphemiam. In hoc agro laborat filius ſenior, de quo reddit laſſus Eſau, vt vendat primogenita de quo Exe-

Ezech. 7. d chiel ait: Qui in agro eſt, morietur. In hoc agro peccator fratricidium perpetrat, & quaſi deicidium, vt ait Bernardus. Nam Abel interpretatur anhelitus, & eſt ſpiritus oris noſtri Chriſtus, quem interficimus peccando, iuxta il-

Peccãs Chriſtum occidit.

Heb.6. b lud Pauli: Rurſum crucifigentes filium Dei: & infra ſimile

Heb.10. f ſubiungens, ait: Si irritam quis faciens legem Moyſi ſine

vlla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filiũ Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? hæc omnia Deus ad Cain dixit, dum ait: Vbi eſt Abel frater tuus? quaſi dicat, vbi Chriſtus anhelitus tuus & animæ tuæ vita, qui ſe dignatus eſt fratrem tuum facere? Cain ſe non eſſe cuſtodem fratris reſpondit, cum dicat Apoſtolus: Depoſitum, ideſt, Chriſtum cuſtodi, vt ſerpẽs prudens caput: nam portamus theſaurum Chriſtum in vaſis fictilibus cordium carnalium, quæ frangi non dicũtur per peccatũ: Quia tunc ſanguis fratris noſtri Chriſti clamat ad patrem de terra corporis noſtri, vt vindicet ſanguinẽ ſuum qui effuſus eſt: vt amplius hic clamor intelligatur, vide quòd quando ſeruum tot talentis emiſti, & fugam inijt, vel forte obijt dicere ſoles: tot mihi talentis ſtabat, & hoc dicitur ſuſpirio & ſingulto, quia ſanguine animæ comparaſti eũ, & fles pretium perditum, quod & facit Chriſtus, dum ait: Quæ vtilitas in ſanguine meo ſi deſcendero in corruptionẽ? ergo Chriſtiane da Chriſto pretium magnum ſanguinis ſui ſi alienari vis: quia ſanguis eius exquiritur, & pœna imponitur tibi, dum dicitur: Maledictus eris ſuper terram: alia ſcilicet, vel ſimili maledictione: Ite maledicti. Et cum operatus fueris eam per opera de genere bonorum, ſi manes in peccato, vel pro reatu, vel pro voluntate peccandi non dabit tibi fructus ſuos dignos pœnitentiæ, niſi cæleſtis agricola exeat miſericorditer ſubueniens, qui exire dicitur, dum ad malos verbũ ſeminis iacit: vnde qui quotidie ſeminat in bonis, exit ſeminare inter impios, qui venit peccatores ſaluos facere per verbum ſuum, quod ſemini comparat & non dicit quale ſit hoc ſemen, quoniam omnium ſeminum proprietates habet verbum Dei a quo facta ſunt omnia: quædam ſemina medicinalia ſunt: & Deus miſit verbum ſuum & ſanauit eos, ſcilicet in ſacramentis. Semen agrum purgat: Quia vbi plura ſemina ſunt, minus ſpinæ abundant: & ſic verbum Dei purgat cor a malis cogitationibus, immo & peccatis: Quia in verbo virtutis ſuæ purgationẽ peccatorum facit Deus, quo portare dicitur omnia: quia quidquid boni habemus a verbo Dei prouenit, ſicut a ſemine tota ſeges: Quid habet

2.Tim. 1. d · *Gen. 4. b* · *Pſal. 29. c* · *Gen. 3. d* · *Mat. 25. d* · Semen cur ſit verbum Dei · *Pſ. 106. b* · *Hebr. 1. a*

S ager

ager quando ſemine caret? certe nihil boni & multum mali: vnde homo qui verbo Dei caret, nec ei aures veloces ad audiendum aperit, nil gloriæ ſperet, poſtquam hiems vitæ huius tranſierit. Semina in domibus non fructificant, niſi terræ applicentur: ſic verba Dei in codicibus niſi ea cordi applicueris per iugem meditationem: vnde Dauid: In corde meo abſcondi eloquia tua: & quaſi fructum ſubiunxit: vt non peccem tibi. Semen habet virtutem attractiuam, ſi ſic verbum Dei totum mundum poſt Deum abire fecit: & Petrum qui ait: Domine quo ibimus, quia verba vitæ æternæ habes? Semen habet virtutem aſsimilatiuam, ſic & verbum Dei: quia eos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt: vnde per verbum Dei incarnatum facti ſumus, ſic per verbum creatum regeneramur maxime in baptiſmo. Vbi accedit verbum ad elemẽtum, & fit ſacramentum. In verbo creato vident beati omnia quæ ad ſuam pertinent gloriam, & in verbo creato vident viatores quæ ad ſuam pertinent ſalutem: videant tamen prædicatores, quòd prius ſemen manu accipitur quàm ſeminetur: vnde illud præcipiãt manu operationis ſicut ipſe Ieſus qui prius cœpit facere quàm docere. Iam ergo libenter audite verbum Dei rebelles: quia per illud venire poteſtis ad ipſum verbum, quod eſt in principio apud Deum, & Deus erat verbum: vnde ſicut Deus non acceptat perſonas, ſic nec eius verbum quod ſeminatur & prædicatur omni creaturæ & omni terræ, ſcilicet quæ eſt iuxta viam, & habet petram & habet ſpinas, vbi tria mundi principalia vitia notantur. Iam ergo de rationali terra nobis agendum ſupereſt, quæ tripliciter qualificata dicitur, erat enim iuxta viam, & erat petroſa, & ſpinis plena.

Pſ. 118. b — *Ioan. 6. g* — *Ioã. 10. g* — *Auguſt. in Ioan. tract. 80. ſub med. to 9.* — *Ioan. 1. a*

SECVNDA PARS.

Triplex terra mala.

IN via notatur luxuria, in petra ſuperbia, in ſpinis notatur auaritia. Nec arbitreris hoc a Chriſti expoſitione deuiare: nam in expoſitione primæ partis ſementis, ait: *Venit diabolus & tollit verbum de corde eorum ne credentes ſalui fiant*, quod omni peccato conuenit: & in declaratione ſecundæ partis ſeminis, ait: *Cum gaudio ſuſcipiunt verbum, ſed radices non habent: & ad tempus credunt & in*

tempore

tempore tentationis recedunt, quod etiam omni peccato conuenit: vnde in his non peccatum ipſum ſed modum quo peccatur declarat. Tum in expoſitione ſequenti ſigillatim omnia tria vitia tetigit, dum ait: *Hi ſunt qui audierunt & a ſolicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ*,& c. vbi ſolicitudinem ſuperbiam vocat: nam ambitio ſolicita eſt quæ ſunt mundi. Auaritiam notat in diuitijs ſuffocantibus verbum. Luxuriam in voluptatibus: de his ergo tribus oportet loqui vt Euangelium proſequamur: & primo de luxuria quæ dicta eſt via, qua verbum Dei conculcatur & tollitur per diabolum a corde luxurioſi. Forte miraris cur luxuria dicitur via, cum vt plurimum, qui hoc malũ agit, odiat lucem,& perpetret illud in occulto, iuxta illud: Conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obſcuro, adueſperaſcente die, in noctis tenebris & caligine, & c. hoc peccatum ideo viam dico, quia per illud venerunt omnes in hunc mundum, ſenſus enim & cogitatio hominis prona ſunt ad hoc malum ab adoleſcentia ſua: de hac via vniuerſæ carnis dicitur: Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua a facie eius. Quocumque it luxurioſus de luxuria cogitat: & in quacumque actione imaginatur eam: vnde bene dicuntur omnes viæ eius inquinatæ, & omni tempore, per quæ verbum Dei tollitur: vnde ideo dixit: Auferuntur iudicia tua a facie eius. Per viam ergo intellige cor hominis deditum peccato luxuriæ, quia ſicut via publica omnibus patet, ita cor luxurioſi patet omnibus cogitationibus immundis occurrentibus,& nullæ cogitationi immundæ reſiſtit, ſed eas ſibi procurat: & quando occurrerint, delectatur in eis, inſtar meretricis ſe omnibus exponens, cui increpando & ſubſannando dicitur: In vijs ſedebas,& expectabas eos quaſi latro in ſolitudine, polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis: ſic ergo expectat, & ſuſcipit quaſcumque cogitationes immundas & polluitur in eis: vnde per Iſaiam dicitur: Poſuiſti vt terram corpus tuum,& quaſi viam tranſeuntibus: ſic ergo ſemẽ quod cecidit in via: quia quod non eſt occultatum in terra conculcatur: & ob defectum clauſuræ perijt: de quo Iob conqueſtus ait: Simul venerunt latrones eius & fecerunt

Prou.7. b — *Gen.8. d* — *Pſal.19.d* — *Pſal.9. c* — *Ier.3. a* — *Iſa.51. g* — *Iob.19. b*

ſibi viam per me & obſederunt in giro tabernaculum meũ. Latrones Dei, qui ſemen Dei furantur dæmones ſunt, qui ſimul dicuntur venire, quia ex omnibus luxuriæ ſpeciebus hominem incuſtoditum tentant, per quem viam faciunt etiam ad alios decipiendos, cuius cor tritum eſt. Tabernaculum corporis eius dicitur obſeſſum vndique ob nimiam luxuriæ paſsioné in eo ex multis occaſionibus motam. Sit ergo nimia verecundia tibi, qui noluiſti erubeſcere, nam nihil deteſtabilius quàm quòd veniat diabolus, & tollat verbum de corde tuo, & illud tritum habeat & conculcet, quod maxime fit in luxuriæ peccato, quia de eo dicitur: Eos, qui coniugia ita ſuſcipiunt, vt ſuæ libidini

Pſa.48.c vacent: Sicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, in eos habet poteſtatem dæmonium, quanto magis in alios? venit ergo dæmon ad cor tuum: & tollit verbum, quia in eo habet poteſtatem, quam ei das dum aſsiduis luxuriæ

Remedia luxuriæ. cogitationibus vacas. Ne tranſeat tantum malum ſine remedio, quia terra iuxta viam remedium habet, ne viatores intrent: & primo ſolemus ei ſepem apponere, vel maceriem, ſeu parietem, vel foſſam facere inter viam & hereditatem, & his modis poterit cor tuum a luxuria protegi, ne id lædat hoc vitium quamuis ſit iuxta illud, quia caro dormit, & luxuria eſt in ſinu tuo: a quo debes cor, quod

Oſee.2.b ſecus eam eſt, cuſtodire. Scriptum eſt enim: Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria. Viam diximus cor luxurioſum, quod ſi ſpinis coronæ Chriſti Ieſu circumdaretur, ſecurum erit: quia cogitatio paſsionis Dei multum per omné modum valet contra luxuriam. Quis enim carnem ſuam non ſeruabit mundam videns Chriſti carnem pro ea tantum afflictam, & laborantem in iniquitatibus noſtris? Maceria ſeu paries ſit vigilans cuſtodia occaſionum: vnde non ſolum debes a luxuria ſeruare cor tuum,

Eccli.21.a ſed ab eius occaſione: quia ſcriptum eſt: Tamquam a facie colubri fuge peccatum & fornicationem, & mulierculas, & colloquia turpia, & ſuſpectam ſocietatem. Tertio, foſſa fiat cordi per diſciplinam & pœnitentiam, iuxta illud

1.Cor.9.d Apoſtoli: Caſtigo corpus meum &c. nam caſtitas ſine caſtigatione non acquiritur. Dum ergo ieiunas, & abſtrahis a vino carnem tuam foſſam facis cordi tuo, vt in eo ſeruetur ſemen Dei. Solent quoque agricolæ arare etiam viam

ipſam,

ipſam, ſi per ſuam tranſit hereditatem, & ſic ſeminatur via, quæ etiam fructum reddit, ſi prædictis cuſtodijs ſeruetur adhibita diligentia, & ſic aratro crucis poteris cor tuum arare, iuxta illud: Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & planctu, & fletu, & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra. Alia terra dicitur petroſa, & eſt cor ſuperbum de quo dicitur: Cor eius indurabitur quaſi lapis. Superbus eſt populo ſuo lapis offenſionis, & petra ſcandali, quia omniũ pedes offendit, dum rixæ crebreſcunt & lites per eum qui litigioſus eſt, & deriſor. Lapis hic in montem magnum creſcit ſi de monte præſumptionis tollitur ſine manibus, quando homo male meritus carens manibus operum bonorum, per ſolam ſuperbiam eleuatur ad magnam dignitatem vt alios percutiat, quemadmodum figurate vidit Daniel. In petra ergo ſuperbiæ non permanet verbum Dei, quia non habet humorem, ideſt humilitatem, quæ dicitur ab humo, ignorat enim ſuperbus, quòd homo ſit ſimilis nobis paſsibilis, & ideo ſit immobilis & inflexus quaſi lapis, durus & obſtinatus. Hic ſuſcipere dicitur cum gaudio verbum: quia ſermonem curioſum aliquando deſiderat audire, non vt ſe corrigat, ſed vanam gloriam incurrat: vnde in tempore tentationis quando ira eius tentat animum: tunc recedit a radice propoſiti debilis, & ab inualida conſtantia, quam tepide ſtatuerat in ſermone apud ſe. Et hæc terra remedium habet, ſi cultor eius vigilans fuerit: nam vt ait Iob: Timebunt angeli & territi purgabuntur: quòd ſi etiam dæmones contremiſcunt, & deſinunt ab ira, & derelinquunt furorem ob Dei metum, quanto magis homuncio qui habitat domum luteam, qui terrenum habet fundamentum? Primum ergo huius terræ petroſæ remedium ſit oratio deuota, quia Deus ait: Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouũ tribuam in viſceribus eorum: auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantq. ea, & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum, quorum autem cor poſt offendicula & abominationes ſuas ambulat: horum viam in capite ſuo ponam dicit Dominus Deus. Secundum remedium eſt timor Dei, quia malleo molliuntur lapides, & ideo dixit Deus, quòd ſuper caput duri cordis ponet viam

Ioel. 2. c

Superbia eſt petroſa.

Iob. 41. c

Dan. 2. c

Iob. 41. c

Ezec. 11. d

Sap. 6. a eius: Quia potentes potenter tormenta ſuſtinebunt: & ali-
Eccli. 27. d bi dicitur: Qui in altum mittit lapidem, ſuper eius caput cadet: & plaga doloſa doloſi diuidet vulnera. Vnde ſi Dei iuſtitiam punitiuã times, tumor & duritia ſuperbiæ molleſcet, quia ipſa eſt malleus vniuerſæ terræ petroſæ. Et ſi
Mat. 27. f ſanguine hirci frangitur adamas, & in paſsione Chriſti Petræ ſciſſæ ſunt, ibi contemplare humilitatem agni immaculati, & tunc concipies ſemen Dei. Vbi nota quòd præcipue propter aquæ defectum perijt ſemen, quia non habebat humorem, vnde cum cor tuum habuerit humorẽ lacrymarum creſcet in ſemen verbi, & ſi lacrymas cupis,
Exo. 17. b exemplo Moyſi percute bis ſilicem cordis tui, & fluẽt aquæ largiſsimæ, ideſt duplici conſideratione, attendẽs qualiter per ſuperbiam cęlum perdidiſti cum lucifero, & infernum acquiſiſti cum eo.

Auaritia ſpinoſa eſt.

Aliud cecidit in terram ſpinoſam, & eſt cor auari ſpinis,
Iob. 30. b ideſt curis diuitiarum occupatum, de quibus ait Iob: Eſſe ſub ſentibus diuitias computabant filij ſtultorum. Hæ quę dicuntur diuitiæ, non ſunt diuitiæ niſi in computatione noſtra, qui ſæpe fallimur, & ideo fallacia diuitiarum, vt
Mat. 13. c ait alius Euangeliſta: Suffocat verbum: vnde vt ait Paulus: Si vere diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate, quia hæ quæ videntur potius fallunt, & cruciant quàm repleant theſaurum, & ditent poſſeſſorem ſuum: vnde Eccleſiaſt.
Eccl. 5. a ait: Auarus non implebitur pecunijs: & qui amat diuitias fructum non capiat ex eis: vbi multæ ſunt opes, multi qui comedant eas, & quid prodeſt poſſeſſori niſi quòd cernit diuitias oculis ſuis? dulcis eſt ſomnus operanti ſiue parum ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire. Ecce qualiter fallaces ſunt diuitiæ, quia cor non implent: & quia ex eo quòd amantur non dant fructum, & multi alij eas comedunt, & nil aliud afficiunt niſi oculos, qui accidentibus delectantur. Et vltimo peius quidem dormit qui plus habet: & pauperes ſomnum mor-
Eccli. 37. a tis dulciter captant. Non autẽ diuites, quia. O mors quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantijs ſuis! Diuitiæ dicuntur ſpinæ, quia dæmon ſicut venator in ſpinas diuitiarum laqueos nobis peccatorum parat:
1. Tim. 6. b vnde Paulus: Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri incidunt in tenta-

tentationem, & in laqueum diaboli,& in deſideria multa etiam inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis: tu autem homo Dei hæc fuge. Terra ſpinoſa dupliciter ſubuenitur. Primo igne, ſecundo ligone, vt eradicentur: vnde ſi in terrenis diuitijs cæleſtes contemplatus fueris, & illarum amore exarſeris, has igne combures, quãdo pro Dei amore pauperibus dederis. Si auté vt ad altiora conſcendas, reliqueris eas, velut ligone eas eradicaſti a corde tuo, quod eis non apponas, ſed Deo & verbo eius, quo pauperes euangelizat, ille qui vt pauperes euangelizaret, miſſus eſt. Audiamus ergo fratres verbum Dei humiliter & caſte, & pauperes ſpiritu ſimus, vt fructum plurimum afferat verbum Dei, alium trigeſimum, alium ſexageſimum, alium centeſimum, qui fiet, ſi audientes verbum, retinuerimus illud. Sed non omnes habent aures audiendi, quæ verbum retinent, vt fructum afferant in patientia. Vbi nota quòd auditus fit ex duplici aere, ſicut viſus duplici lumine, ſcilicet naturali intus, & naturali extra, quæ iunguntur in organo oculi: & ſic auditus ex connaturali aere, quem vermem vocant, & ex ſono extra: & ſic ſpiritualis auditus ex duplici fide, ſcilicet infuſa quę eſt intus aliqualiter inclinãs, & acquiſita, quæ venit ab extra, dum eis quæ fidei ſunt, inſiſtimus. Qui ergo habet aures animæ fide informatas audiat verbum Dei, quia ſcriptum eſt: quòd non effundamus, aut ſermonem perdamus, vbi non eſt auditus. Multi habent aures, ſed non audiendi verbum Dei: ſimiles magnis canibus, qui habent aures deiectas, & ex parte ſuperiori ne audiant cæleſtia clauſas, & ex parte inferiori pro terrenis apertas, vacãtes in foro fabulis, & in curia vaniloquio: tales habent aures, tamé non audiendi, quia non audiunt, quamuis videatur eis quòd audiant, quia nihil eſt quod ſonat. In repetitione verbi cupiditas rei notatur: ideo qui habet aures audiendi, audiat, quia ſicut cibus eſuriem requirit, ſic verbum Dei cupidum poſcit auditorem: vnde dicitur, quòd concupiſcentia ſapientiæ deducit in regnum perpetuum, ideſt in expoſitionem ſacræ Scripturæ, quæ vocatur in Euãgelio myſterium regni Dei, notum Apoſtolis

1.Tim. 6. b

Auaritiæ remedia.

Matt. 13. c

Eccli. 32. a

Exemplum

Luca. 8. b

Sap. 6. c

Matt.21.d nam ipſamet Scriptura dicitur regnum Dei, ibi: Auferetur a vobis regnum Dei, & tradetur gentibus. Sicut dum fameſcimus, retinemus cibum, ſic dum verbum Dei cupide audimus, illud mente ſeruamus, vt fructificet. Semen in agro multa ſuffert, ſcilicet turbinem, gelu, & niuem, ſic bonus verbi auditor, quæcumque tribulatio occurrat, verbum retineat ſi fructum deſiderat: nam multi ſunt vaſa lignea vini male ligata, quæ liquorem puriorem emittũt, feces retinentes fabularum. Et etiam contigit aliquod verbum dici in ſermone minus bene, quod mordaces ſeruant, meliora obliuioni tradentes, ſimiles muſcis & canibus macelli, qui deterioribus adhærent & fœdis carnibus. (Exemplũ.) Lutherani etiam in libris ſanctis non quærunt niſi deteriora, relinquentes bona, nec enim retinent niſi feces antiquorum, in quibus errores ſuos fundant. Alij ſunt in ſermone, vt oua ad ignem, qui pro tunc guttas lacrymarum ſudant: & ab eo elongati frigeſcunt. Sed alij ſunt vt vina probantes, non vt emant: ſed vt alijs referant iudicium ſuum, ac ſi concionator cenſores vocaſſet, & non factores verbi. (Luca.8.b) Non ſic fratres, ſed verbum in patientia veſtra retineatis, quæ vobis neceſſaria eſt vti & prædicantibus de quibus dicitur: Bene patientes erunt; vt annuncient. (Pſal.91.c) Verbum Dei retentum pullulat in bona cogitatione, ſpicam facit in bona locutione, fructificat in bona operatione, 1. vt 30. 2. vt 60. 3. vt 100. (30. 60. & 100. numerus ad quos pertineat.) Primus numerus pertinet ad incipientes: ſecundus ad proficientes: tertius ad perfectos, vel vt aiunt ſancti doctores ad vxuratos, viduas, & virgines. Vel ad ſæculares, clericos & religioſos: immo & in vnoquoque homine hunc triplicem fructum inuenire poſſes, dum tria præcipua vota ſeruas, ſcilicet caſtitatem, & obedientiam, & paupertatem euangelicam. Et aliter, quia ſi legem naturæ ſeruas trigeſimum fructum habes. Si legem ſcriptam quæ ſtat in duabus tabulis decalogi, habes fructum ſexageſimum. Si legem gratiæ addentem conſilia cuſtodis, tunc habes fructum centeſimum: & hi tres fructus ad triplicem animæ potentiam poſſunt pertinere dum habueris memoriam recollectam per ſpem, qui eſt primus; & intellectum illuminatum per fidem, qui eſt ſecundus: & voluntatem inflammatam per charitatem, qui eſt tertius; Et hos tres fructus habent beati in cælo: nam viſio Dei

eſt primus, & huius viſionis tentio eſt ſecundus: & harum fruitio eſt vltimus fructus gloriæ, qui centeſimus dicitur, quia perfectiſsimus erit nobis: ſi tamen hic prius habemus fructum trigeſimum contritionis, & ſexageſimum confeſsionis, & centeſimum ſatisfactionis: vt eadem menſura triplici additione poſtea detur in ſinu noſtro plena, Luc.6.f coagitata & cōferta: hic per gratiam præuenientem, concomitantem & ſubſequentem, & in futuro per harum gloriā, quæ erit intra nos, & extra nos, & ſupra nos, ad quam nos perducat cū Confeſſoribus, Virginibus, & Martyribus Ieſus noſter, qui cum Patre, &c.

SERMO
IN PVRIFICATIONE
BEATÆ MARIÆ
VIRGINIS

Habitus altera die poſt ſexageſimam, quo feſtum hoc celebratum eſt.

THEMA.

Quod autem in terram bonam: hi ſunt, qui corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. *Luc.* 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

PLagati & pauperes ad Eccleſiæ ianuam conuenire ſolent, vt ab ingredientibus eleemoſynam accipiant, & maxime alacres fiunt, ſcientes ad miſſam fore venturam præcelſæ dignitatis perſonam, a qua aliquid magni ſe accepturos arbitrantur. Cum ergo ita pauperes ſimus, quòd Apoſtolus aſſerat nos inſufficientes cogitare aliquid 2.Cor.3.a. ex nobis tamquam ex nobis: ac perinde nec loqui, aut efficere.

cere. Inſuper & a planta pedis vſque ad verticem capitis nos dicat Iſaias vulneratos: impotentes calcare terrena, & aſpicere cæleſtia. Duplex igitur nobis ineſt malum, paupertatis ſcilicet, & infirmitatis, quod ambobus oculis flendum eſt. Nam ſi ſolum pauperes eſſemus, labor excluderet ægeſtatem, quia labor improbus omnia vincit, ſed infirmitas labori obſtat, & impedimentum præſtat: vnde nimis coarctati cogimur mendicare. Felix tamen neceſsitas maxime hodie cum regina cæli ad miſſam incedit: ad miſſam, inquam, quia idem oblatura eſt in templi altare, quod ſacerdos in miſſa: & ſicut nec tunc pauperes qui ad ſpecioſam portam templi ſedebant vacuos dimiſit: ſed largitiori eleemoſyna præuenit: ſic hodie illius oblationem recolentes duplici, ſeu ampliori gratia condonabit, ſi tamen ei nos offeramus. Aue Maria.

Iſa. 1. b

Inopia noſtra nimia eſt.

Act. 3. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

HEſterna die fratres chariſsimi ſemina quæ perierunt diſſeruimus, nunc autem de ſemine quod eſt ipſum verbum Dei agendum eſt, quod ortum multum attulit fructum. Et quoniam in terra optima carnis Mariæ ſeminatum eſt, vbi eius ſpiritus & anima verbum auditum retinuerunt plures menſes corde & corpore, & iam natum templo afferunt, vt ſiſterent eum domino: ideo ait thema: *Quod autem*, &c.

Diuiſio. Duæ partes erunt ſermoni. Prima de terra ſeminata. Secunda de fructu templo allato per manus Mariæ.

PRIMA PARS.

NEmo indignum arbitretur Mariã terram vocari, quia ex ipſa naſcimur, mouemur & ſumus, immo & paſcimur, quique terrigenæ & filij hominum: vnde in ſacra pagina mater omnium dicitur terra, etiam hæc mala ex qua nati ſumus. Maria vero terra bona eſt, quæ malis conditionibus in Euãgelio poſitis caret, nec enim eſt iuxta viam, quia cum ei per angelum tranſmitteretur verbum Dei: dicitur Gabriel ingreſſus ad eam, quæ quidem in penetralibus erat: vbi nulli hominum patebat acceſſus, ſed

Pſ. 48. a

Maria eſt terra bona.

Luca. 1. c

ſolis

ſolis angelis de quibus indomita Virgo & perterrita fuit, ex eo quòd ſpeciem gerebat humanam. Non ſicut noſtræ calidæ virgines per cancellos & feneſtras proſpicientes: immo & ſedentes ad ianuam vt panes venales, cupientes vt mercator accedat. Secundo terra noſtra petris rixarum caruit: Quoniàm rixoſa mulier virum de domo etiam propria expellere dicitur: Maria vero attraxit ſponſum Ioſeph volentem eam dimittere. Caruit etiam Maria ſpinis peccatorum: nec enim ſpinas & tribulos potuit germinare, quæ Deum paritura erat. Sed vt ait Anſelmus, oportet quòd inter ſpinas & a ſpinis remota alatur & formetur non ſuffocata, nec tacta ab eis vt caſtanea, & vt lilium inter ſpinas ſine ſpinis. Eſt etiam terra melior, quoniam habet tres conditiones bonæ terræ: quarum prima eſt nigredo, nigra quidem terra panem afferre dicitur, nigredo autem in Maria humilitas eſt: nigredo autem ex multo ſole prouenire ſolet, & in Maria humilitas ex multa Dei participatione: vnde ipſa ait: Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: ſi creaturæ pulchritudo Deo referatur, tantum deterior apparebit quantum Deus ipſe clarior videbitur, & ille tunc amplius in nobis magnificabitur: idcirco Maria dixit: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Anima & ſpiritus Mariæ audientes & retinentes verbum Dei in illo ſalutari ſuo nunc exultant, de quo poſtea Simeon dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Secunda melioris terræ conditio eſt, quòd inueniatur dulcis ad os applicata & madefacta, quia tunc citius deguſtatur. O quam ad plenum in Maria hæc inuenitur conditio, quæ tota dulcis ait; Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & fauum! Hereditas ſua pacifice poſſeſſa caro ſua eſt, madida quidem ab illo qui ait: Ecce ego declinabo ſuper ipſam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem, inundantem gloriam gentium ſugetis. Vtinam hanc terram comederemus cunctis diebus vitæ noſtræ, vt bonæ indolis pueri. Tertia melioris terræ conditio eſt, vt ait Virgilius, quòd ſi in ea fiat foſſa, & impleatur aqua, abundare debet, ſi cito ſiccatur mala eſt

Pro. 21. b

Terræ conditiones.

Can. 1. b

Luca. 1. e

Luca 2. d

Eccli. 24. c

Iſa. 66. d

eſt terra, ſi permanet plena foſſa, bona eſt terra, ſi aliquantulum per tempus abundet aqua in foſſa, ſatis bona iudicatur terra illa. O beatiſsima Virgo quia tibi dicitur:
Eccl.33.c In omnibus operibus tuis præcellens eſto: ne dederis maculam in gloriam tuam. Nulla macula fuit, ideſt nullus defectus in Mariæ operibus, quoniam in quocumque opere etiam conſilij abundauit: nam ſi conſilium datur caſtitatis illam virginitatem addit, opus quidem ſupererogationis. Si eſt conſilium paupertatis illa pauperrima fuit. Si eſt conſilium obedientiæ non ſolum ipſa obediuit maiori, ideſt filio Dei deſeruiens ei die ac nocte, immo & Ioſeph æquali, & inferiori Helizabeth. In omnibus ergo beata Virgo præcellens fuit, quia virginitatem habuit conſecratam Deo, obedientiam immediatam ei, paupertatem tam ſublimem, quòd ea nos omnes ditauit. Vt ſanctos ditaret pauper effecta eſt. Tres itidem ſunt optimæ terræ conditiones, videlicet quòd omnes afferat fructus, trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum: nil amplius debet optima terra, immo nec vlla eſt quæ hunc afferat fructum præter Mariam, quæ habet trigeſimum fructum, quia coniugata fuit: ſexageſimum, quia vidua mortuo Ioſeph: centeſimum, quia Virgo fuit. Sed hos fructus quo ad ſe forte dicetis computandos fore, quo ad nos tamen ſterilis iudicatur, neutiquã, immo & quo ad nos eos abundantiores habuit: nã attulit quidem nobis carnem Chriſti, quæ eſt fructus trigeſimus, & eius animam pariter, quę eſt fructus ſexageſimus, & deitatem Chriſti, quæ eſt fru-
Pſ.66.a ctus centeſimus. Terra hæc, fratres, dedit & fructũ ſuum: dedit & fructum noſtrum. Quid de te Virgo referam, quę hodie præcipue omnes prædictas conditiones, vel earum plures habuiſti? nam ſi malæ terræ conditiones exterius oſtendis, hoc melius & tibi, & nobis eſt. Hodie Maria inuia & deſerta in publicum exit ad medium templi. Et petram angularem pro nouo templo conſtruendo defert, & ſpinas in cõceptione ſenſiſſe videtur oſtendere, dum ad purificationem prodijt, nos arguens immundos, qui purificari dedignamur: ſed reuera hodie nigra, ideſt humilis & ferax hæc terra oſtenditur, & dulcis dum affert ad templum fructum deſideratum cunctis gentibus: oſtenditur etiã abundans & in virginitate deifera, & in obedien-

Terræ bonę conditiones quę.

Mariæ fructus triplex eſt.

tia dum legi paret, cui non tenetur. Hodie triplicem denique fructum affert, quia triplicis ſubſtantiæ filium præſentauit. Nunc ad puerum. O infantule, talis terræ fructus, vbi nobis in virgine inuia via factus es: ſine petris nobis factus es petra firmiſsima, ſine ſpinis aptitudinē aſsūpſiſti, vt ſpinis pro nobis coronari patiaris. In hac terra nigra niger factus es vt coruus, ſaltim in hominū reputatione, quia exinanitus & minoratus. In hac terra dulci dulciſsimus & pijſsimus etiā naturaliter factus es, & in miſericordia abūdantiſsimus, in hac tā feraci denique terra nobis diuitias attuliſti meritorū pœnitētiæ vt triginta: iuſtitiæ vt ſexaginta: contēplationis vt centum. Nec miremini fratres, quòd talē nobis afferat fructū Maria terra noſtra, quia Dominus, qui dedit benignitatē, Spiritus ſancti fuit ſeminator eius, qui ait: Ego plantaui in te omne ſemen verū. Ibi verbū Dei in Maria ſeminatū dicitur omne ſemen verum, quia omnium ſeminum vtilitatem habet & virtutem. Tres præcipue ſunt excellentiæ ſeminum, prima quia ſunt ſanatiua: nam ſeminibus nos medici curant: ſic vel ſic diſpoſitis. Secundo ſunt illuminatiua: nam ex aliquibus ſeminibus oleum educitur quo illuminamur, & linimur. Tertio eis ditiſsimus fit mundus: nam opes & mundi gloria ex ſeminibus oritur, dum nimis abundant. Has tres excellentias ſemen ortum in terra noſtra habet, teſte Simeone, qui quo ad primam ait: Viderunt oculi mei ſalutare tuum o Maria. Quo ad ſecundam dixit: Quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium. Quo ad reliquam ſubiungit: Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Nec miremini fratres, quòd ſemen Dei, & verbum Dei tali terra, & a tanto agricola ſeminato hæc efficiat, quia de primo ſcriptum eſt: Miſit verbum ſuum & ſanauit eos. De ſecundo autem dicitur: Lucetis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes ad gloriam. De tertio ſcribitur: Verbum autem Domini creſcebat & multiplicabatur. Ex eo igitur quòd tam frugifera eſt terra noſtra, figuratur in illa de qua dicitur: Nomē primi fluuij phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Euilath vbi naſcitur aurum: & aurum terræ illius optimum eſt: ibique inuenitur bdellium, & lapis onichinus. Hæc terra Euilath prima laudatur in diuina Scriptura, & in

Ier. 2. d
Lucæ 2. e
b
Pſ. 106. b
Phil. 2. b
Act. 12. d
Gen. 2. b

in multis extollitur non ob aliud niſi quia matrem Dei ſignat: nam Euilath interpretatur annuncians illi, ſiue parturiens, & eſt Maria quæ partui ſuo optato penuriam noſtram nunciauit. Vnde cum Maria oſculabatur filium, ingerebat ei penuriam omnium creaturarum, & plus hominum pro quibus ad illius brachia deuenerat: immo & in cælo idem quotidie facit dicens: Fili vinum non habent, aut ſalutem ſiue pacem aut pluuiam, pro quibus ei vbera interponit, offerens ſe pro nobis vt ait Bernardus. Hæc ergo terra optima primo laudatur a paradiſi propinquitate: ſi prius fit irrigua, hoc ideo eſt, quia propinquior inuenitur paradiſo diuino a quo in eã flumen influit phiſon, quod interpretatur multitudo, ſcilicet gratiarum ei collata inexplicabilis nobis, immo ipſe Deus non eas explicat dum ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agripleni. Plenus eſt ager iſte gurgite aquæ immenſæ, fluente impetu de libano deitatis. Nec huius fluminis abundantia terram deſtruit: ſed fecundiorem reddit. Nec immerito dicitur, quòd omnem terram illam circuit fluuius iſte, in nobis enim maior fere pars ſterilis inuenitur, nec vnquam ſanctus fuit, qui ſaltim in parte ſterilis minime fuerit, prȩter Mariam, in cuius inferiori gleba ſeminatum verbum Dei triplex attulit incrementum, vt tactum eſt in figura, vbi dicitur quòd aurum terræ virgineæ optimum eſt, caro videlicet Chriſti ibi nata, quæ paſsionibus deſtinata & malleis plagarum impreſsionem accepit, quibus empti ſumus pretio magno. Secundo inuenitur ibi bdellium quæ eſt arbor aromatica animam Chriſti repreſentans, quæ in plateis mundi aromatizans dedit per doctrinam ſuauitatem odoris. Et quotidie per orationem aſcendebat ſicut virgula fumi vniuerſi pulueris pigmentarij. Ibi denique etiam inuentus eſt lapis onychinus qui eſt admodum vnguis, vbi Chriſti deitas deſignatur, quæ admodum vnguis humanitati inſedit, cui nimio vnitur amore. Merito igitur terra bona, melior & optima dicitur Maria, quia pater eius Dauid in Pſalmo de ea intulit Deo: Viſitaſti terram, ideo bona eſt, & inebriaſti eam, ideo melior, multiplicaſti locupletare eam, ideo optima, & tantȩ bonitatis aſsignans cauſam ſubiunxit: Flumen Dei, quod ſcilicet in Mariam influit, repletũ eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita

Margin notes: Euilath quid. — *Ioan.2.a* — Phiſon quid. — *Gen.27.d* — *1. Cor. 6. d* — *Eccli. 24. b* — *Cant.3. c* — *Pſ.64. b*

ita eſt præparatio eius. Videte ergo qualiter de terra virginea paſcuntur animæ noſtræ, in qua eſca vniuerſorũ per flumen Dei paratur. Vidimus ergo de terra & de ſemine.

SECVNDA PARS.

Vbi eſt alter ſermo.

NVnc videamus qualiter per manus Mariæ fructus adducitur templo, iuxta id: Fructum afferunt in patientia. Nullo modo credendum eſt Maria ſine patientia ſibi neceſſaria ad templum veniſſe, ſicut nec pater Abraam ad montem Moria oblaturus & iugulaturus filium ſuper ligna compoſita. Gemebunda ſecum attulit mater Dei volatilia offerenda cum filio, & pro filio. Aues illæ gemitus pro cantu habent. Euntes igitur ibant Maria, & Ioſeph, & flebant in auibus triſtitiam ſuſpicantes: ſciebant enim quòd oblatio illa non erat neceſſitatis, quoniã de Chriſto ſcriptum eſt: Frater non redimit, redimet homo, qui non dabit Deo placationem ſuam: & pretium redemptionis animæ ſuæ. Frater, ideſt in delicto particeps non redemit nos, ſed Chriſtus qui ſe non redemit, nec pro ſe aliquid obtulit, niſi in ſignũ, quamuis dicatur: *Obtulerunt pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum*. Duas aues pro eo Domino repræſentant gemebundas, in ſignum quòd nos a duplici væ liberat: primo a væ culpæ in pullis columbarum: & ſecundo a væ pœnæ in turture: tamen hoc fit duplici Chriſti gemitu, ſpirituali videlicet & corporali, animæ & corporis: quia duplici contritione pro nobis contritus eſt. Hoc igitur Maria cogitans, ſciens filium ſuum virum dolorum quo ad animã, & ſcientem infirmitatem paſsionis quo ad corpus, patientia protecta templum adiuit, præparans animam ſuam ad ea quæ propheta ille Simeon prænũciaturus erat: qui dum accepit puerum prophetare cœpit factus ab illo. Veluti organorum magiſter qui quamuis ordinatiſsimum reddit ſonum, adiuuatur a puero flatum miniſtrante, ſicut & Helizabeth, quæ a puero, Spiritu ſancto plena agebatur: vt mira de matre Dei eructaret. Sic ergo iſte ſpiritu pueri afflatus ait: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum

Luca 8. b · *Gen. 22. a* · *Pſ. 125. b* · *Pſ. 48. b* · *Ier. 17. a* · *Iſa. 53. a* · Exemplũ. · *Luca 2. d*

dum verbum tuum in pace,&c. Secundum verbum tuum, inquit, nam ei promiſerat Deus quòd minime moreretur donec videret Chriſtum: vnde detentus erat ad promiſſam viſionem a multis regibus & prophetis deſideratam, qua nunc oſtenſa ſe dimitti poſcit in pace: quod ſibi conceſſum denuncians,ait: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine puer in pace. Maria autem videns, quòd iam ſenex cupiebat mori,ait ei: Memor eſto Domine patris noſtri

Pſ.117.b Dauid,qui ait: Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini: Tibi verbum ſalutis huius miſſum eſt,quod fecit Dominus & oſtendit tibi: vt enarres mirabilia eius, noli pater deficere,puer tibi vires adminiſtrbit,& vitam. Si vt ipſe ais iam Dei ſalutare vidiſti,fugiat mors a te; tali per-

Maria ſenē hortatur vt viuat.

Pſ.29.d cepta medicina. Nunc tempus viuendi eſt,quia viuit Dominus & miſertus eſt nobis: fias obſecro cum puero puer: vt ei ſeruias ſicut & nos. His ipſe ſenex ſic reſpondit: O mater gemebunda velut turtur ſola relinquenda es in paſsionis guerra, ego iam decrepitus in pace mori volo, leuioris pugnæ curſum adeptus, tibi maior manet de diabolo triumphus. In duello paſsionis huius pueri omnes ſuccumbent præter turrem, quoniam ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. O mater pietatis patientia tibi amplior neceſſaria eſt, donec tranſeat iniquitas. Ecce poſitum dico filium tuum, non tamen a quo ponendus eſt nec vbi, quoniã a multis ponetur, & multiplicabitur in pluribus locis. Poſitus eſt in brachijs tuis in ruinam innocentium puerorum & in reſurrectionem multorum contra eum: taliter quòd denique aperte ponetur velut ſignum cui contradi-

Pſal.2.a cetur a multis: Reſurgent filij impij aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Et tota perinde vita ſua hic ponetur in mundi medio velut ruina impiorum, & reſur-

Pſ.90.b rectio iuſtorum: Cadent millia hinc,& decẽ millia a dextris eius,donec mors appropinquet,vbi etiam iuſti cadent de cęlo fidei,& iſte ponetur in terra in ſignum cui per plures blaſphemias contradicetur, ſicut ſignum denique ad ſagittas. Et tunc tuam animam,quæ eſt ipſius, pertranſibit gladius paſsionis eius: & lancea quam ſenties in corpore ſuo iam defuncto, vbi per amorem tua erit anima, vt

quæ

quæ Chriſti ſunt ſentias cum eo, quando etiam gladius acutus linguæ impiorum conuitiabitur Chriſtum, Mariæ animam penetrans. Nec opus eſt, inquit Simeon, vt puerum redimas quinque ſiclis, vt ceteræ matres facere ſolent, ipſe enim quinque plagis, quas in corpore paſſurus eſt, redimet Iſrael. Hic aduerte, vt ait Claudius, quòd Euangeliſta prætermittit in hoc Euangelio id quod de ipſo maſculo quinque ſiclis argenti redimẽdo in ea ipſa lege expreſſum eſt, & conſulto quidem hæc tacuiſſe arbitror, ea enim erat legis illius ſanctio, vt præter eos qui ex Leuitico genere erant, ceteri primi partus Deo conſecrarentur, non tamen in templo ſacerdotibus relinquebãtur, neque ad ipſius templi miniſterium dedicabantur, ſed pecunia ſe a ſacerdotibus redimebant, quinque ſcilicet ſiclis argenteis. Tamen quia Saluator noſter non ex Leuitico ſed regio genere foret, at vero quia ſacerdos in æternũ a Deo conſtitutus eſt, vt latius probat Paulus in epiſtola ad Hebreos, ideo non legitur pecunia redemptus a Dei obſequio in templo: toto quippe vitæ ſuæ tempore in templo corporis ſui Deo patri ex forma ſerui acceptabile obſequium præſtitit. Deo autem per omnia paruiſſe in illo templo, de quo ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud: & facta eius & dicta omnia conteſtantur. Ecce igitur qualiter Chriſtus non eſt a matre redemptus, ex eo quòd ponendus erat in ſignum crucis: vbi illam ſuſtinuit contraditionem de qua Paulus ait: Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet. Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum. Vſque ad ſanguinem reſiſtit Chriſtus impijs & peccatis, quẽ quinquies effudit pro quinque ſiclis: primo in circumciſione: ſecundo in horti oratione: tertio in flagellatione: quarto in coronatione ſpinea: quinto in crucifixione, vbi redemptio copioſa conſummata eſt. Iuſte igitur Simeon Spiritus ſancti habitaculum prædicatur, qui ex eo quòd puerum accepit in vlnas ſuas, illico ſciuit ponendum in vlnas crucis: & Mariam

Num. 3. & 18. f &c.

Chriſtus nõ redimitur.

Ioan. 2. d

Heb. 12. a

Chriſti ſanguis quinquies effunditur.

matrem eius iuxta eum : vnde prædicta verba, vt ait Lucas ad ſolam Mariam retulit, cui detegit ſui & pueri baiulati paſsionem & guerram, & antequam veniat tempus eius in pace ab angelis prædicata abire deſiderans, ait : Nunc ſtatim domine dimittis, ideſt dimittere digneris ſeruum tuum, hactenus corporis carcere detentum in pace præſenti: quia futurum bellum quo aduerſus te Iudas accepturus
Ioan.18.a eſt cohortem cum facibus & armis, ſuſtinere non potero quin ipſe ſuccumbam. In te puer qui es pax noſtra : & in fide tua mori volo, recepto iam oſculo ſancto patris æter-
Cant.1.a ni, quod petebat ſponſa. Nunc & nos o fratres chariſsimi pectoris pace dimitti poſtulate a ſæculi negotio & peccato abſolutos : quia vſque hodie Chriſtus in ſignum ponitur certiſsimum, ac patentiſsimum : quo & pœnitentes ad diſciplinam reuocantur, & proficientes in via adiuuantur, & perfecti reficiuntur atque fruuntur, per quod, inſuper & in quo præterita recogitamus, præſentia cognoſcimus, futura contemplamur : quo item via monſtratur, viatur, dirigitur, animatur, & adiuuatur, & merces oſtenditur, quo ducimur, agnoſcimur, recipimur : in quo deitas cernitur, humilitas exprimitur, & omnia creata præterita ſimul & futura videntur & præſentia : a quo trahimur, in quo viuimus, & ad quod tendimus. Item eſt ſignum ſagittantium, vexillum pugnantium, & brauium currentium. Et omne quod quocumque ſigno monſtrari aut effici ad hominum ſalutem poteſt, ſolus hic oſtendit, & præſtat. Et ſicuti bonis eſt gaudio magno, vti Magis ſtella fuit, ſic reprobis terrori :
Pſ.64.b Quia turbabuntur Gentes, & timebunt qui habitant terminos a ſignis tuis Ieſu. Sed vnuſquiſque ne ſibi contradicat, nec huic ſigno repugnet, quia & a malis chriſtianis ſi-
Pſal.17.f cut & a Iudeis ſecurus euadet, dũ patri ait : Eripies me de contradictionibus populi. Olim contradictũ fuit illius maieſtati, & doctrinæ, & mandatis, & voluntati, immo & hodie ſic etiã fit: nam ſuperbi Chriſti maieſtati contradicunt, qui ideo ironice vocantur dij. Dij fortes terræ vehemẽter
Pſal.46.b eleuati ſunt. Ab hęreticis lutheranis eius doctrina contradicitur, qui ſemine diuerſo ſeminant agrum Scripturæ, ſenſu videlicet bono & malo : dogmate ſuo & non ſuo. Ceteris mandatis contradicunt peccatores, qui & ſi chriſtiani

ſtiani vocantur, non vt chriſtiani operantur: fatētur Chriſtum verbis, operibus autem negant, vbi contradictio videtur implicata. Nos igitur cum ſimus mali, & voluntas Chriſti bona, beneplacens & perfecta, tota ſæculi die ait Chriſtus: Expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi. Non ſic fratres, ſed in cordis vlnas Chriſtum recipientes, faciamus omnes voluntates eius viribus & poſſe: vt in templo gloriæ præſentemur. Amen.

Tit. 1. d

Rom. 10. d

SERMO DOMINICAE IN QVINQVAGESIMA.

De deſcenſu peccatoris, & aſcenſu Chriſti.

THEMA.

Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Lucæ. 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

HAEC eſt maxima virtus charitatis, quòd ſine ea ſcripturæ adimpleri non poſſunt, nec exponi: vnde ait Paulus in epiſtola: Si linguis hominum, ſcilicet philoſophorum & angelorum loquamur, dempta charitate, nulli placebit ſermo, nulliuſq. animæ aures afficeret, quamuis corporeo auditui tumultum redderet. Vt ergo loquamur ad cor Ieruſalem, non ſolum opus eſt gratia ſermonum, quæ gratis data dicitur, quam etiam philoſophi habuerunt, & rethorici, & multi hæreticorum lutheranorum, qui loquuntur ſublimia gloriantes: ſed quoniam charitatem non poſſederunt, propterea perierunt. Si ergo vt fructum plurimum afferamus, tam neceſſaria eſt charitas, eam

1. Cor. 13. a

Sermoni Mariæ charitas ſubuenit.

Ariſt. 3. anim. contex.4. & Boetius lib. 5. de Conſol. proſa 4.

inquirere oportet, non ſolum vt ipſe loquar, ſed vt & vos audiatis: quoniam ſi inutile eſt ſine ea loqui, inutilius erit abſque ea audire, quia neceſſarior eſt auditori quàm loquenti: quia omne quod recipitur per modum recipientis recipitur. Vt patet in ſtomacho. Et quoniam hæc charitas eſt in Maria tã abunde, quòd in amorem videatur conuerſa: eſt enim adeo amatrix Dei, quòd dicat: Anima mea liquefacta eſt, dum dilectus locutus eſt. Ecce ex vtraque parte charitatem, quia diligens dilectus loquitur tam uide, quòd animam, ideſt animalitatem dilectæ totam vertet in ſpiritum amoris diuini. Si Maria liquefacta eſt in amore, fluidus erit eius amor, & ad nos vſque percurret. Quod ſi ita non eſſet, minime ipſa caneret: Ego mater pulchræ dilectionis, & magnitudinis. Vnde ſi ipſa eſt mater, & nos filij ad eam recurrentes, genibus flexis dicamus. Aue Maria.

Can. 5. b

Eccli. 24. c

ARGVMENTVM DICENDORVM.

CVM Chriſtus aſcenderet a Galilea in Ieruſalem attulit ſecum duodecim apoſtolos: & vt aſſolet loquũtur in via de eo, quod in termino fiet, vtinam & nos dum iter agimus vtilia loquamur, ſed Dominus it ad patiendum: & vt prouocet pullos ſuos ad idem, narrat eis paſſionem ſuam, non caſu euenturam, ſed per prophetas de filio Adæ prænunciatam. Nec omnium prophetarum auctoritas, nec ſigillata magiſtri narratio, eis ſenſum paſſionis aperuit: quia non intelligebant quæ dicebantur. Tantus eorum viſceribus dominicæ vitæ inerat amor, quòd eiuſdem mortem prædicatam, nullatenus capere poterant, nec intelligere, quoniam intellectus ſequitur affectum: & hinc eſt quòd nimis vitam amantes de morte non cogitant, nec audire volunt huius ſermonem. Et ad hoc facit Chriſti diuinitas, quam credentes apoſtoli, arbitrati ſunt non viſurum corruptum corpus tali balſamo præuentum, nec mortuum hominem deificatum: & forte etiam credebant, quòd ſpiritualiter venirent intelligenda, quæ dicebat, ſicut & alia quæ ab eo audierant. Vel forte non intelligunt, ex eo quòd quinque verbis perſtrinxit omnia quæ paſſurus erat, ſcilicet tradetur, illudetur, flagellabitur,

Cur apoſtoli non capiãt Chriſtũ de morte loquentem.

tur, conſpuetur, occidetur. In hac ergo Chriſti locutione, & apoſtolorum ignorantia qua cæci erant, venitur ad Hierico: vbi cæcus audit ſtrepitum, in hoc acutior apoſtolis, quia etſi ignoraret quid hoc eſſet, interrogat, & dicitur ei: quòd Ieſus Nazarenus tranſit. Quo audito reuixit & ait: En dies quem expectabam: en plantatio roſæ in Hierico, ex quo bonus odor & fama eſt mihi audita. Ergo Ieſu fili dauid miſerere mei, qui cunctorum miſereris, miſerere mei inopis, cæci, & infirmi. Increpatur a præeuntibus, qui vtinam clamarent, vt ipſe, qui vt vocem increpantium ſuperaret, acrius clamat: nam cum malediceretur non maledicebat, ſed audiri cupiebat. Ieſus autem increpato propter eum condolens, iam non tranſit eum: ſed tranſierat increpantes ſine cauſa. Et per eoſdem iuſsit illum adduci ad ſe: oſtendens in hoc quòd maledicti mentientes ad ipſum nos ducunt, ſi ſuſtinemus, & in bono firmius ſtamus. Quid ergo, ait Ieſus, tibi vis faciam? Ecce aperta largitatis ianua, cui antea increpantes, ora claudere nitebantur. In corde ſuo orans Chriſto dixerat cæcus: Si inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; & ideo miſerere clamabat: tamen increpatur vt taceat, & Dominus iam loqui iubet, vt altius tertio clamet: Domine vt videam. O cæce quantum videt anima tua, quæ virtute venientis experta ab eo tale poſtulat munus. Domine a te non pecuniam peto, non vindictam expoſtulo, non honorem, ſed quia mihi oculos dediſti, condeſcende, & eis viſum præbe. Domine qui es lux mundi, vt videam exoro. Videte fratres deſiderium cæci quantum videat, quantumque bonum inſpexerit cum petat inſtrumentum, quo frui poſsit, & tendere in eum, quem deſiderant angeli proſpicere. Reſpice homo, & vide lumen cæli, non angelum, vt Tobias cum piſcis felle ſanatus, ſed fide & miſericordia vide magni conſilij angelum: reſpice Creatorem tuum ac redemptorem. Quis dicere valebit qualiter Deum magnificauerit iſte, cum per tres horas Tobias, poſtquam in humana ſpecie angelum vidit, extaſim paſſus ſit? Euelli non potuit iſte cæcus a Chriſto, ſed eum ſequebatur, ac plebem hortatur, dicens: Magnificate Dominum mecum &c. vſque accedite ad Deum & illuminamini, & facies veſtræ

Eccli. 24. b
1. Pet. 2. d
Gen. 18. a
Tob. 11. c
Tob. 12. d
Pſ. 33. a

non confundentur increpationem ſuſtinentes.

Diuiſio. Tria puncta erunt in ſermone. In primo agam de Adã. In ſecundo de quolibet peccatore. In tertio de Christo.

PRIMA PARS.

MVLTA myſteria inculcantur in hoc Euangelio, in hac ſpica multa conduntur grana: quia figuratur in hoc negotio humani generis cæcitas, & cæcitas gentilis populi, & cæcitas patrum limbi carentium viſione Dei, & cæcitas mentis, & iudaicæ prauitatis, ſed præcipue agam in ſermone de cæcitate Adæ per Chriſtũ curata, vbi & nos cu-
Rom.13.a rabimur, & quilibet peccator. Cum dicat Paulus quòd quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, & dicat propheta in perſona
Zach.13.c Chriſti: Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea: videamus ea quæ ſunt in exemplo & ei ordinemus, quæ ſunt in hoc Euangelio, vbi vtrumque inuenies: nam cum primus homo aſcendere Ieroſolymam niteretur, cecidit in Hierico per tot mala, quot in hoc Euangelio ſunt: vnde
Ieroſolyma quid. Ieroſolyma interpretatur viſio conſummata. Viſionem quippe habuit homo dum creatus eſt, non ſolum per ſpeculum creaturarum, vt ſanctiſsimus quiſque, ſed per ſpeciem infuſam deitatis ſecundum Scotum, tamẽ ipſe cupiẽs eſſe ſicut dij, ideſt ſicut angeli, qui vident Deum ſicuti eſt, nitebatur aſcendere Ieroſolymam, ideſt viſionem conſummatam, & cum neſciret aſcendere corruit in Hierico, ideſt in defectum, quoniam ablatum eſt ab eo quod videbatur habere. Sed videamus quouſque deſcenderit: quia ſicut multum aſcendere voluit, ſic errata via multum deſcendit, ita vt traditus ſit gentibus, hoc eſt dæmonibus, quando ius in hominem quaſi in ſeruum habuerunt. Hi
Eze. 2. b dicuntur gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt a Deo. Tra-
Iſa. 52.a diti ſumus vt emptitij iuxta id: Gratis venundati eſtis. Vere gratis quia pro vno pomo vetito: ideo alibi ei di-
Pſal.43.c citur: Vendidiſti populum tuum ſine pretio. Hæc traditio ſignatur in Samſone, quem Dalila tradidit philiſtæis, qui eum, erutis oculis, vinctum tenent. Dalila interpretatur ramus eius: & eſt Eua ex Adæ coſta ſumpta. Samſon interpretatur ibi dormiens, ſcilicet in gremio Euæ, quæ ei blandiebatur, vt eum traderet per blanditias philiſtæis,

ideſt dęmonibus, ita vt dicere valeat homo: Domine poſſederunt nos Domini abſque te. Dum prælatis ſubijcimur etiam malis, vt Dauid Sauli, tunc poſsident nos Domini, ſed cum Deo, quia propter eum ſubiecti ſumus, ſed dum dæmon te poſsidet, eſt hæc poſſeſsio abſque Deo, & ideo peſsima. Item traditus eſt gentibus quando anima, quæ antea dominabatur ſenſibus & carni ſuæ, iam ſic eſt tradita vt dicatur: Oculus meus depredatus eſt animam meam. De carne autem dicitur: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Et: Non quod volo bonum hoc ago: ſed quod nolo malum hoc facio. Optime hæc traditio ſignata eſt in omni captiuitate, tam babilonica quàm Ægyptiaca, vbi gentes dominatæ ſunt Iſraeli. Iuſte enim permiſſus eſt ſui carere poteſtate, qui poteſtatem ſibi traditam inique tranſcendere voluit. Secundus gradus quo deſcendit homo, eſt illuſio; quia dicitur: Tradetur gentibus, & illudetur. O quàm illuſus eſt, cui cum promitteret hoſtis Dei ſcientiam & ſimilitudinem, dedit ignorantiam & diſsimilitudinem, iuxta id: Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Honorabilis valde erat ſtatus innocentiæ, in quo eſt homo conditus: & præſertim mulier non intellexit callidioris ſerpentis illuſionem: qua relicti ſunt ſimiles iumentis non quibuſcumque ſed inſipientibus: voluntas immunda manſit vt iumentum, & intellectus inſipiens remanſit. Hæc illuſio ſignata eſt in Ioab qui ſimulans ſe velle oſculari Amaſam, tenuit manu dextra mentum eius, & occidit eum in dolo. Ioab interpretatur paternitas, quia eſt pater omnium iniquorum dæmon, Amaſa dicitur populum tollẽs: quia pater Adam nos abſtulit a Deo: & hunc voluit oſculari dæmon quando blandis verbis decepit eum per mulierem arma diaboli. Taliter igitur illuſus eſt pater Adam vt clamare poſsit: Lumbi mei repleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea. Plenos vtique habuit lumbos illuſionibus Adam, quia quotquot in eius lumbis fuimus per rationem ſeminalem in eo illuſi ſumus. Nec vlla fuit ſanitas in carne eius, ſed tota humani generis maſſa corrupta eſt, & infecta: vbi apparet quòd non habet locum opinio Magiſtri ſententiarum tenẽtis quòd in lumbis Adæ

Iſa. 26. c
Tren. 3. f
Rom. 7. d
Ibid. e
Luca. 18. f
Pſ. 48. c
2. Reg. 20. c
Ioab, & Amaſa quid
Pſ. 37. b
3. Sent. 3.

biſ Adæ fuit reſeruata quædam portio pro Chriſti humanitate formanda. Tertius gradus deſcenſionis Adæ fuit, quia flagellatus eſt: & hoc omnibus pœnis, quas ei Dominus inflixit propter peccatum. Audi flagella ei data per
Gen. 3. c iuſtitiam Dei: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & come des herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ecce multa flagella peccatoris, ſic Eliodorus flagellatus
2. Mach. 3. c eſt, volens templum Ieruſalem ſpoliare: & vix precibus Oniæ ſacerdotis vita eſt ſibi & ſalus reddita. De his ergo
Iſa. 16. b flagellis dicitur: Flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt, ideſt vſque ad adiutorem Chriſtum, qui mala pœnæ eius ſuſcepit. Quartus gradus deſcenſionis noſtri parentis eſt, quia conſputus inuenitur: vnde nota quòd facies conſpui ſolet, & in ſaliua notatur verbum, quia de ore per linguam procedit. Facies ergo hominis erat notitia, quam de Deo habebat, & hæc notitia per verbum dæmonis deturpata eſt, & pene abolita, & obſcurata, ita vt non ſit
Iſa. 53. a ei iam ſpecies, neque decor: vnde merito ſeparatus eſt a Deo, donec plenitudo & conſummatio temporis veniret: immo vſque hodie eſt homo rubore ſuffoſſus, vſque
Num. 12. d ad octauam etiam ætatem mundi, Domino dicente: Si pater eius ſpuiſſet in faciem eius, nonne debet ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? & equidem omnis peccator patrem & imitatorem habet diabolum. Merito conſputus manet homo, quia ipſe conſpuit Deum, quando in
Gen. 3. c ipſum culpam reiecit dicens: Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Vltimus gradus deiectionis eſt occiſio, quæ notatur ibi: In qua hora comederis ex eo, morte morieris: vbi reduplicatio ver-
Ibid. a bi mortem duplicem ſignat. Nam in ſtatu innocentiæ ſi relinqueretur homo, ibi moreretur, non tamen duplici morte vt poſt peccatum.

SECVNDA PARS.

HAEC omnia non ſolum primus incurrit homo, ſed etiam omnis qui peccat, qui etiam vult Ieroſolymam

mam aſcendere, & ruit, dum vt ſua quieſcat paſsio, perpetrat mala, complens appetitum ſuum, quo expleto ſe quieſcere putat. Vnde Dionyſius de diuinis nominibus, ait: Mali quique perexiguis quibuſdam pacifici deſiderij ſimulachris detinentur, dum perturbationibus varijs aguntur: quas imperite deſiderant ſiſtere, & arbitrantur ſe pacem habere, ſi ſemper fluentibus voluptatibus hauriendis inſiſtant, perturbanturq. ſi eis quæ ſeipſis fruſtrentur. Hi volunt ad pacem aſcendere, & in maiorem huius defectum ruunt, velut in Hierico, quia in vitijs non quieſcit, ſed irritatur appetitus: vnde viſcera fatui dicuntur, quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius, quia numquam ſiſtit, & videtur, quòd conqueratur, eo quòd numquam dixit: ſufficit. Vnde irati dicere aſſolent: Vindicabor me de ipſis inimicis meis: & conquieſcet furor meus. Luxurioſi dicunt: Voluptatem optatam explebo, melius eſt fornicari quàm vri. Ambitioſi dicunt: Obtenta dignitate & officio, ſedebo, nec vltra perquiram. Auarus ait: Vtinam impleantur horrea mea ſaturitate: ne vnquam laborem vltra ſub ſole. Inuidus ait: Si omnes æquales eſſent, nemo torqueretut de aliena felicitate. Gulæ deditus ait: O ſi ſaltim ſemel ventrem meum impleam tali cibo, vt ſatiatus ceſſet appetitus. Piger ait: O ſi dormiá vſque ad miſſam pro oculis meis, qui nunquam ſomno vel ſemel ſatiantur. Sic vnuſquiſque cupit implere ventrem ſuum, ignorans qualiter actus generet habitum, aptitudiniq. foueat. Nam quolibet vitio dato in te, locus fit maior ad ſimile. Non implet loculum pecunia, ſed ampliat, quia:

Dion. de diuin. nom. cap. 4.

Eccli. 33. a

Iſa. 1. f

1. Cor. 7. b

Prou. 3. b

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Iuuenalis.

Dignitas & officium non ſatisfaciunt, nec imperiũ, quoniá amplius habens, plura quærit etiam ex omni vitio: ne ergo des aquæ tuæ, ideſt luxuriæ exitum. Nec facias viam amplam ſemitæ anguſtæ iræ tuæ, eam exercendo. Sepeliatur in te & ſtringe ſtomachum tuum: quia cibus parcus nutrit corpus, & non grauat animam, nimius autem grauat corpus, & famem pro altero die futuro generat: vnde putans aſcendere Ieroſolymam, ruit in Hierico.

Videamus ergo qualiter peccator traditur gentibus, illuditur, flagellatur, conſpuitur, & occiditur. De primo dicit Gregorius quòd peccatum, quando per pœnitentiam non

Gregor. lib. 25. moral. c. 9. to. 1.

non deletur, mox ad aliud trahit. Vnde cum peccas, funibus peccatorum tuorum conſtringeris, ne te poſsis liberare iuxta illud: Dedit me Dominus in manus, de quibus non potero ſurgere. Vnde captiuus es, o peccator, & taliter quòd teipſum, tu redimere non potes, nec te ſolo a peccato ſurgere, taliter irretitus es. Nec ideo cares libertate, ſed eſt in ea languor. Item de ſecundo: illuditur peccator, dum ei pro temporali delectatione tollitur ęterna fruitio, & pro lenticula ſupplantator ei abſtulit legitimam, & primogenita ſua: & adhuc paruipendit, quòd primogenita vendidiſſet, ſed ad benedictionem paternalem, qua dicitur: Venite benedicti patris mei: videbis illuſionem diaboli. Quis vnquam crederet, quòd pro concupiſcentia mulieris, vel pro fornicatione perdit peccator, patris æterni hereditatem, & benedictionem ſuam, niſi hoc Scriptura diceret, & figuraſſet, quamuis ipſe nunc paruipendat? illuditur ergo peccator amplius: quia non ſolum primogenita tolluntur ab eo, ſed etiam edulium delectationis ſuæ: quia tranſit etiam mundus & concupiſcētia eius: & mundanorum gaudium, quod eſt inſtar puncti, quia fere nil habet exiſtentiæ. Vnde melius venderes cælum pro minimo denario, nec eſſet ita culpabile, quàm ſi illud pro ſuperbia alij peccato vendidiſſes, quia peccatum nihil eſt, ſed pura priuatio recti. Nummus autem aliquid eſt. O quanta illuſio minus quàm lenticula vendere cælum & perdere Dei filiationem. O quàm ſe ſentiunt illuſos, qui vſque hodie clamant: Quid nobis profuit ſuperbia vitæ, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? omnia illa tranſierunt tamquam vmbra, quæ veſtigium non relinquit. O nos miſeros, qui adhuc illud ſuſtinemus libenter, cum quotidie mundi deceptiones experiamur: qui cum promittat vitam, dat mortem, diuitias, & dat penuriam, fauorem & dat controuerſias, gaudium & dat triſtitiam. De tertio autem, peccator flagellatur, dum ipſum peccatū non perpetrat ſine verme conſcientiam rodente: nam fere nullus eſt qui dicere poſsit: Numquā reprehendit me cor meum in omni vita mea. Flagellatur ergo peccans, dum, vt ait Auguſtinus, eſt ſibi pœna vnuſquiſque peccator, & a ſeipſo in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator, & flagellatur, dum timet infamiam & Dei iudicium. Item flagella

Thren. 1. c · *Ge. 25. d* · *Matt. 25. d* · *1. Ioan. 2. c* · *Iob. 20. a* · *Sap. 5. b* · *Iob. 27. a* · *Pſal. 9. c*

flagellatur, dum peccat, quia nec peccata facilè acquiruntur. Sunt enim peccatores martyres diaboli, & fere plus patiuntur multi pro eo quàm iuſti pro Deo: vnde flagellari dicitur, quia laborat in acquirendo, quoniam cum ſolicitudine acquiruntur mundana, cum timore poſsidentur, cum dolore & triſtitia perduntur. Quarto conſpuitur, dum angelis Dei exprobrabilis redditur, qui a peccatore cooperto faciem auertunt, non fugientes ſtercora. Conſpuitur peccator, dum imago Dei, peccato fędata, denigratur ſuper carbones, vnde animæ dicitur peccatrici: Abominabilem feciſti decorem tuum. Item conſpuitur facies eius dum notitia Dei cæcatur in eo: vnde Bernardus: Apoſtolus dicit quòd ignorantiam Dei quidam habent. Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad eum: neque enim ob aliud proculdubio renuunt, niſi quia grauem & ſeuerum imaginantur, qui pius eſt, durum & implacabilem; qui miſericors eſt, ferreum & terribilem, qui amabilis eſt, & mentitur iniquitas ſibi, formans ſibi idolum pro Deo, quod non eſt ipſe: reuera vides ergo, quòd dum mentitur iniquitas ſibi, ſuam turpat, & quaſi conſpuit faciem: ita ſane. Sed vltimo ſe occidit peccator, quia talibus dicitur: In peccato veſtro moriemini, non ſolum in peccato Adæ, ſed veſtro quamuis ipſe non peccaret: vnde peccator eſt incartatus ad mortem latæ ſententiæ contra eum, non ſolum enim moritur anima peccantis, & priuatur vita gratiæ, quia ei dicitur: Imaginem habes quòd viuas & mortuus es: ſed ſe indignum reddit vita naturali, & vt plurimum minus viuit peccator quàm iuſtus: Quia viri doloſi non dimidiabunt dies ſuos: & hoc eſt quia minor ei adhibitur angelorum cuſtodia, & ſanctorum ſuffragium orationis.

Eze. 16. e
Bern. ſer. 38 in Cãt. to. 1
Pſal. 26. d
Ioan. 8. c
Apoc. 3. a
Pſal. 54. d

TERTIA PARS.

VIſo ergo qualiter cadimus, opus eſt vt tertio die reſurgamus, ideſt tertia lege non naturæ, nec ſcripturæ, ſed gratiæ, & per illum reſurgere oportet, per quem gratia & veritas facta eſt Ieſum Chriſtum, qui ex quo ſe humiliauit, & exinaniuit, ſumpſit duodecim diſcipulos ſuos, hoc eſt omnes prædeſtinatos, ac portauit in humeris ſuæ miſericordiæ, vt eos perduceret in Ieruſalem, & cœpit aſcendere, quo nos deſcendimus, omnia ſuſtinens propter electos,

Ioan. 1. b
Phil. 2. a
2. Tim. 2. b

ctos : vt ſalutem conſequantur, quæ dicta ſunt per prophetas de eo, quæ in illis quinque verbis quo ad pęnalia reſoluuntur. Primo traditus eſt gentibus, vt nos a dæmonibus
Pſ. 87. b & peccatis liberaret. De hoc primo dicitur: Longe feciſti notos meos a me : poſuerunt me abominationem ſibi: tra-
Traditio Chriſti. ditus ſum & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Longe facti ſunt iudæi a Chriſto in fide, quia ei
Sap. 2. c nullam adhibent. In vita, quoniam aiunt: Diſsimilis eſt operibus noſtris. In doctrina, quia non docuit vt phariſęi, ſed quaſi poteſtatem habens, & ideo ſamaritanum vocant
Act. 17. e quaſi alienũ a ſecta eorum, & aiunt: Quæ doctrina eſt hæc noua? Longe in amore: quia grauis erat eis ad videndum
Matt. 27. b ex inuidia: quia etiam Pilatus ſcit, quòd ex inuidia tradũt eum pontifices. Item longe in conuitu: nam nolebant, non ſolum eius conuerſationem, ſed ſi quis eum confiteretur, extra ſynagogam fieret, vnde eum poſuerũt abominationẽ ſibi, intantum quòd traditus ſit Pilato & gentibus: vnde non parum ſceleratum Chriſtum putauerunt, quem ipſi corrigere noluerunt, nec ſecundum ſuam legem ſolam iudicare, ſed etiã ſecundum legem Romanorũ. Vnde quando aliquis eſt morte plectẽdus, eum tradit Eccleſia brachio ſæculari, vt iudæi Chriſtum, quem traditum perſequi non ceſſant, ſed conſtanter inſtant: ſed Chriſtus dicit quòd non
Ioan. 18. b egrediebatur, cum in horto egreſſus ad eos dicat: Quem quæritis? Sed intelligitur de egreſſu iræ, quæ facit feruere coleram, & in geſtus ſeu voces egredi: tamen Chriſtus quaſi agnus, non quilibet ſed manſuetus: aliquando enim
Ier. 11. d magna erit ira agni, ſed tunc fuit manſuetus, qui portatur ad victimam deuote, & cum gaudio. Vbi nota quòd in paſsione nil aliud pręcipue Chriſtus cogitat, niſi victimam ſuam, qua ſe pro noſtra ſalute deuouit. Et ſi pertinax duritia eorum occurrebat animo, tunc fiebat, quod ſequitur:
Pſ. 87. b Oculi mei languerunt præ inopia, ſcilicet ſenſus & conſilij
Luc. 19. g eorum, vt patet quando flet ſuper Ieruſalem dicens: Si
Matt. 23. d cognouiſſes & tu. Et: ò quotiens volui congregare filios tuos ſub alas & noluſti! Traditur ergo vt extraneus, & vt ſamaritanus, putantes eum indignũ: vt iudicaretur ſecundum ſanctam legem ipſorum. Et ſic proijciunt heredem extra vineam patris ſui, hoc eſt extra legem. De illuſione autem Chriſti dicitur, quòd iudæi in domo Caypha velarunt

runt faciem eius: & palmas in faciem & collum dantes, aiunt: Propheciza Chriſte, quis eſt qui te percuſsit, & alia *Mar. 14. g* vilia. Sed ipſi prophetæ fiunt actu, quia denotant quòd faciem Chriſti videre non merentur, nec poterant ſinè confuſione aſpicere faciei ſerenitatem: & ideo eam velant ne videant. Et denotant quòd deitatis ſecreta non omnibus patent. Velatus Moyſes docuit filios Iſrael legem: ſic Chriſtus quando opere docet legem ſuam. Sed illi non audent tangere montem: hic autem quia non legem amoris das, te tangi permittis, optans velatores tuos in cælo gloria cooperiri. O cæci, quia Chriſtum non videtis, velamen habentes ſuper cor durum: viri ergo fœderis tui *Abn. 1. b* Domine illuſerunt tibi. Quæ illuſio figuratur in Dauid coram Achis. Sed nota quòd ſæpe Chriſtus illuſus eſt, primo hic, & hæc figuratur in Samſone cæco & illuſo a multitudine philiſtinorum: ſed Chriſtus nunc opertos habet oculos. Secundo illuſus eſt coram Herode, & ſic eſt Dauid coram Achis rege. Tertio illuſus eſt coram iudeis veſte purpurea, & ſic eſt Noe coram filijs ſuis. Quarto illuſus eſt *Marc. 15. c* in cruce, vbi dicitur ei: Vah qui deſtruis templum Dei &c. & ſic eſt illuſus Heliſeus a puerili caterua dicentiũ: Aſcen- *4. Reg. 2. d* de calue, ideſt ſine prophetica inſpiratione, vbi ſanctitas erat Nazarenorum, qui caput irraſum habent: ſed duo vrſi veniunt contra hos: qui ſunt Titus & Veſp. Illuſus eſt ergo Chriſtus vt illuderet draconem, quem formauerat ad illudendum ei. Et dum tacet ipſe, illudet illuſores. Tertio Chriſtus flagellatur, quoniam apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit: in tantum quòd a planta pedis, qua *Iſa. 1. b* ſuum calcat ſanguinẽ, vſque ad verticẽ capitis, euulſis capillis non eſt in eo ſanitas, ſed vulnus, liuor & plaga tumens, vnde ipſe conqueſtus ait: Fui flagellatus tota die: & *Pſ. 72. b* caſtigatio mea in matutinis. Quãuis vt aliqui probare nituntur, bis Dominus ſit flagellatus, non tamen per totum diem paſsionis ſuæ: bene quidem quòd in matutinis eum Cayphas flagellauerit, & Pilatus hora tertia, non autem tota die: ſed attende, quòd tota ætas mundi vnus dicitur dies, quo vinea Domini colitur, cuius nunc nouiſsima hora eſt: dum ergo pro tota mundi ætate, & pro omnium peccatis flagellatur, ait: Fui flagellatus *Pſ. 34. c* tota die: & etiam in matutinis mundi pro primis parentibus.

Chriſti illuſio multiplex.

Pſ. 34. c rentibus. Quod clarius innuit, cum ait: Aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui, ſcilicet cauſam in meipſo. Non ſolum iudæi, ſed & quicumque peccatores lætantur etiam
Prou. 14. b aduerſum Chriſtum in rebus peſsimis, quia riſus noſter dolore eius miſcetur, vt purgetur, & conuenimus contra eum: & flagella noſtra congregata ſunt ſuper eum:
Iſa 53. b Quoniam diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Quarto eſt conſputus, & hoc opprobrium tam fœdum apparet, quòd etiam qui illud ingerunt, aliquid ſuſtinere videntur, vnde
Iob. 30. b dicitur: Abominantur me, longe fugiunt a me, & faciem meam conſpuere non verentur. Vbi nota quòd homo qui repudiabat mulierem, ab ea ſpuendus erat dicen-
Deu. 25. c te: Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris ſui. Vnde iudæi putantes quòd Chriſtus nollet ſinagogam & templum ædificare, ſpuunt in eum, quaſi repudiantes ſponſum: ſed quia ipſe Eccleſiam meliorem ſponſam tunc
Iſa. 50. c elegit, ait: Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me: & ideo non ſum confuſus. Quod amatur non confundit. Vbi attende quòd ſicut hic Chriſtus non auertit faciem, ſic nec in vllo tormento, quia omnia voluntariè pertulit. Sed qui aliam nimis dilectam accepturus eſſet vxorem, non confunderetur ſpui a fœda,
Pſ. 68. b immo gloriaretur, & diceret ei: Ecce propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam: extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ: quoniam zelus domus tuæ comedit me. Ecce anima qualiter tuus amor fecit, vt Chriſtus propter te conſpueretur, & gaudet repudiari a fratribus, vt fiat ſponſus tuus. Vltimum terribile quod pro te paſſus eſt Dominus Ieſus, o anima mea fuit mors, quia ille, qui vt te in ſuperna Ie-
Phil 2. a ruſalem aſſumeret, humiliauit ſemetipſum vſque ad mor-
Mar. 14. d tem crucis, ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, quamuis Chriſti paſsio mare magnum, & ſpatioſum fuerit, pro termino habet mortem. Et quoniam nos obimus mortibus frequenter, ille autem ſemel, nec vltra illi mors dominabitur, voluit eſſe tribus diebus ſub mortis imperio, vt a triplici morte, tertia die reſurgens, nos liberaret, in cuius figura tres mortuos viuus ſuſcitauit: in domo primum, & ad ianuam ciuitatis ſecundum, & ter-

tium

tium fœtidum : quoniam aliquando moritur anima in domo conſcientię, ſecrete peccato conſentiens, aliquando ad ianuam oris verbum peccati effertur, & aliquando opere perpetrat, quod manet in eſſe. His igitur quinque verbis,ſeu dietis ſanãtur defectus cæcitatis noſtræ, qui ſunt in Hierico: per hos ingreſſus nobis appropinquare voluit Chriſtus Ieſus filius Dauid : quia vt dicitur in Tobia,eius *Tob. 6. c*
fel, quæ eſt paſsio, valet ad vngendos oculos intellectus & affectus: ſi enim paſsionem domini intuitus fueris, & meditatus cum corde tuo, inuenies ibi qualiter non ſolum quinquies, ſed ſeptuagies ſepties ſubuenit cæcitati *Matt.18.*
noſtræ. Vnde o Domine Ieſu qui pro me tradi voluiſti *c*
vt extraneus, quatenus me ad patriã paradiſi perduceres, qui cruci affixus, ais : Hodie mecum eris in paradiſo. Fla- *Luca. 23.*
gellari voluiſti vt reus, quatenus me vere reum innocen- *f*
tem redderes. Illudi voluiſti vt ſtultus, quatenus me ſenſatum tuis pœnis faceres. Conſpui voluiſti vt immundus, quatenns me ab omni macula ablueres. Sanguinem fluentem in terram ſudaſti, vt me terrenum hominem ſanguine calido foueres, & ad fructum vitæ mortuum animares. Oſculum Iudæ recepiſti, vt mihi patrem placares, & angelos, & vt blanditias mundi in abſinthium mihi conuertas. Ligatus es, vt me ſoluas, & colligationes impietatis tollas a me. Falſos teſtes admiſiſti, vt veros a me iuſte excluderes, qui in multis offendi. Velatus es, vt a me auferas mentis caliginem, quam per peccatum incurri. Negari a dilecto permiſiſti, vt ipſe in te ſolo habeam fiduciam. Pecunia pretij quo appretiatus es, agrum emi pro peregrinis voluiſti,quia mihi peregrino Eccleſiam tuo ſanguine acquiſiſti. Iudicibus præſentatus es, vt ipſe abſque tremore Dei aſpectibus præſenter in iudicio ſoluendus. Siluiſti interrogatus, vt eloquia mea improba purgarentur, & me ſilentium in perſecutionibus doceres. Spoliatus es, vt a me veterem amoueres hominem, & te nouum indueres. Falſo es conoratus, vt me in regno tuo corones veraciter. Arundinem vacuam tenuiſti, vt ſolida & æterna ſceptra donares. Pro me ſententiam pertuliſti vt electis diceres : Venite benedicti. Inter latrones pe- *Mat. 25.*
pendiſti, vt me qui ſi videbam furem currebam cum eo, *d*
inter angelos collocares, ex quo mihi innocendum inſi- *Pſal.49.e*
nuas,

nuas, & me capite inclinato vocas, vt ſim tecum in paradiſo. Venite ergo fratres, aſcendamus in Ieruſalem, per ſcalam paſsionis ſuæ, qui hucuſque per præcipitia paſsionis noſtræ deſcendimus, lapſiq. ſumus. Ecce ſcala paradiſi, per quam & angeli aſcendunt. Ecce ei Dominus eſt innixus, vt uos aſſumat ſecum, neque enim ſine eius auxilio aſcendere poterit peccator grauatus malis, pondere iniquitatum præſſus. Ecce dominica in quinquageſima remiſsionem ſignat peccatorum: reſipiſcamus & redeamus ad priſtinum Dominum Deum noſtrum. Nam tali anno poſſeſsio reſtituta erat, & ſeruus liber euaſerat. Nunc, ſi hactenus ſeruiuimus peccato, liberi iam ſimus iuſtitiæ, dicamus cum cæco Pſalmum miſerere mei Deus, qui ponitur quinquageſimo loco, ex eo quòd remiſsionem denotat, ex quo ille qui ad Ieſum adduci iubetur petitionem formauit, docens nos finem dare piaculis, & initiare iuſtitiam.

Fac duas partes tantũ. In priori age de peccatoris deſcenſu. In poſteriori de Chriſti aſcenſu. Vtrumque figuratur in Euangelio præſenti, dum dicitur: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*: peccator vt aſcendat, cadit: quia dum immeritus nititur aſcendere Ieroſolymam, cadit in babylonem. Eieciſti eos dum alleuarentur. Pſ. 72. c

SERMO

SERMO I.

FERIAE QVARTAE CINERVM.

THEMA:

Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Gen. 3.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

POSTQVAM Deus decreuit cineres noſtros accipere, noluit eos ab alijs manibus niſi virgineis aptari ſibi: vnde filius Dei vt eos reciperet, ei ſe reuerenter humiliauit, quia ipſe in viſceribus eius flectit genua. Vbi Pater æternus gloriam ſuam, ideſt filium ſuum, in puluerem noſtræ mortalitatis redegit, quando ibi eum noſtra carne veſtiuit, iuxta id: Gloriam meam in puluerem deducat. *Pſal. 7. a*
Vbi trãſlatio Hieronymi habet, gloriam meam in puluerem collocet. Maria filium Dei in puluerem mortis collocauit, quando eum fecit mortalem, dans ei cineres ſuæ carnis, quos ipſe tantum extimat, quòd non ſolum eos in capite ſuo habet, ſed velut iactanter ſe eis coronatũ oſtendit, dicens: Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. His cineribus lætatus eſt filius Dei in die incarnationis ſuæ: quando in vtero virginis in ſponſam duxit naturam humanam diademate mortalitatis circumdatus, iuxta quod thema ingerimus ei dicentes. *Memento homo &c.* Sed quare? Quia hoc multum eſt nobis proficuum. Nam Deus nobis promittit coronam pro cinere, non certe alio, niſi pro cinere illo, quem ei Maria dedit, quia meritis ſuæ mortis omnes coronamur, non per aliam manum, niſi feminæ, quæ eum coronauit: quoniam, vt ait Bernardus,

Cant. 3. A

Iſa. 61. A

Bernard in ſer. de natiuit. B. Mariæ to. 1. quidquid Deus, nos habere voluit, hoc per manus Mariæ tranſire diſpoſuit, quod ſi ita eſt, ad eam genibus flexis recurrentes, pro cinere ſacro gratiæ ſuæ dicamus: Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

THEMATIS ſententia, Dei præceptum eſt, vbi etſi pulueris iubemur reminiſci, tamen non dicitur quis puluis ſit iſte. Et mater noſtra Eccleſia, cum ſint pulueres terræ, ex quibus fiunt ciniphes in regno Aegypti: & ſint pulueres pigmentarij, ex quibus fit thymiama: & ſint pulueres vitulæ rufæ, qui ſanctificant inquinatos, compluresq. alii, ſolum cinerum puluere nos conſpergit in hac feria, quæ cinerum vocatur, qua reminiſci iubemur, quia cinis ſumus, & in cinerem conuertendi. De quo ad *Diuiſio.* præſens erit ſermo. In cuius prima parte de malo agam cinere. In ſecunda vero de bono cinere tractabo.

Prou. 1. a Cum multiplex ſit lex matris noſtræ, quam audire iubemur, & homo ipſe non ſimplex, ſed compoſitus ſit, & varius: opere pretium eſt inquirere qualiter verba huius cæremoniæ veniunt intelligenda. Eccleſia Romana dicit: *Memento homo, quia puluis es, & in pulnerem reuerteris.* Aliæ autem particulares Eccleſiæ dicunt: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et idem eſt ſenſus, quia dum dicit puluerem, & ponit cinerem, pronunciat nomen generis: & ponens cinerem, quam ſpeciem ingerat, delucidat: memento igitur homo, quia puluis cinereus es, in quem te reuerti oportet. Si verba ſcrutentur, *Gen. 3. d* mira inueniuntur, & ſic oportet, quia Dei ore primo dicta ſunt primo homini. Cinis ergo reuertetur in cinerem: vnde, *memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Quando per figuram ſinedochem pars pro toto accipitur, opus eſt, vt maior pars explicati vera ſit, vt patet in triduo mortis Domini. Cum homo ex partibus cõſtet, & vilior ac pars minima eius ſit caro, hęc tã parua eſt quòd nil facit ad eſſentiam hominis: ſi volumus tenere cum magiſtro. 2. diſtin. 30. quòd tota veritas corporum humanorum deſcendit ab Adam, ita quòd in veritatem humanæ naturæ nihil præter hoc tranſit extrinſecum. Tenet & iſte

iſte quòd anima exuta a corpore ſit perſona. 3. diſtin. 5. immo ſecundum Hugonem, & Albertum magnum forma eſt tota eſſentia hominis, quamuis in hoc non teneantur a Scoto in 3. diſtin. 22. & ſecundum illos cinis corporis, quod nos multum colimus, nil facit ad eſſe hominis, & dato quòd faceret, ſcimus quia parum facit, quoniam magis nos facit anima quàm corpus, quo brutis aſsimilamur, & ſecundum illud reminiſci nõ poſſumus, quia caro non prodeſt quidquam. Nec etiam ſecundum corpus cinis ſumus actu, ſed aptitudine. Vnde ſi ad corpus verba referri debent, quia dici debuit cinis fuiſti, & in cinerem reuerteris: & hoc nullum in ſe myſterium habet, cũ pueri hoc ſciant, qui & ſolent nimis confricare manus tempore caloris & dicere, viſis quæ ibi cauſantur: Ecce qualiter terra ſumus & cinis. vnde ſic & ante peccatum dici poterat homini: *quia cinis es, & in cinerem reuerteris*, quamuis de ligno vitæ edas, ſi non fueris a Deo antea in cælum aſſumptus: & hoc non erat dedecus homini, ſed proprietas conditionis humanæ, ſicut eſſe riſibile: iam ergo aduerte quòd alius concupiſcentiæ ignis præceſsit in homine, qui & animam ipſam combuſsit, quia cinis combuſtionem deſignat: pro quo nota quòd Creator ipſe Deus ignis cõſumens, ſcilicet ſacrificia, eſt, non elemento conſtans, nec fomentis indigens, nec cinerem reddens: ſed eſt ignis abſolutiſsimus in ſua æternitate permanens, in cuius ſpeciẽ Spiritus ſanctus viſus eſt: conſtat ergo hic diuinus ignis in ſe omni imperfectione ſemota, qui dum ſuam imaginem creat, non alibi melius quàm in igne relucere decreuit. Et ob id igneos creauit Spiritus, de quibus in Pſalmo dicitur: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Spiritus eſt nomen naturæ, & angelus nomen officij: & quamuis dicantur Seraphim ignes vrentes, quia ſunt ardentes & incendẽtes, tamen hoc omnibus (etſi non ita excellenter) conuenit: quia nemo eorũ eſt, qui non ardeat amorẽ, & incẽdat miniſterio interiori per actus hierarchicos, quos etiam infimus ordo, ſaltem erga animas in terra, exercet. Omnes igitur angeli ignei dicuntur, & in equis igneis ſæpe figurantur, vt eſt videre in libris Regum. His Deus ſpiritibus tantum contulit bonum perfectæ naturæ, totq. accumulauit dona, quòd inde

Ioan. 6. g

Deut. 4. d

Pſ. 103. a

Angeli ſũt ignis.

4. Reg. 6. d

ſuperbire auſi ſunt, indeq. præſumere, vnde in gratiarum actiones prorumpere debuiſſent, quam ob rem conquerens Creator ait: Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Enutriui donis, exaltaui gratijs, & ſpreuerunt me: nam qui horum principatum tenebat non curans iam de igne amoris Dei, quo accenſus in medio lapidum ignitorum ambularat, nec de ipſo Deo mentionem facit, ſed eum relinquens, & in contrarium tranſiens, ait: Ponam ſedem meã in lateribus aquilonis, vbi magis frigiditas viget, & cum eo refrigerata eſt charitas multorũ, qui de igneis facti ſunt tenebroſi: ideo ſignantur, vt ait Auguſtinus, in illis tenebris, de quibus dicitur: Diuiſit lucem a tenebris. Quando Deus dixit, fiat lux, angelicam creauit naturam. Sed tertia pars facta eſt tenebroſa propter ſuperbiam donorum naturalium: & ideo Deus, vt horum impleret ruinas, Spiritus, & animas iuſtorum creare decreuit, qui etiam ignei ſunt: nam de homine paſsibili ſimile nobis dicitur: Ille erat lucerna ardens & lucens: nec ſolum ignis iſte ardebat intus per charitatem indeſinentem quo ad amorem Dei, ſed extra lucebat bono exẽplo quo ad proximi amorem. Quilibet ergo ſpiritus iuſti hominis ignis dicitur. habet enim igneas proprietates præſertim quo ad hoc, quòd numquam dicit, ſufficit, ſicut qui cõbuſtibili non ſatiatur: vnde rex duodecim tribuum Iſrael, qui ſuper ſenes intellexit, videns ſe adhuc famelicum ait: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Sicut ignis non quieſcit dũ eſt infra, ſed ſemper nititur ſurſum aſcendere, ſic mens iuſti. Vnde Chryſoſtomus ait: Inuadat nos ſacra quædam ambitio, vt mediocribus nõ contenti, anhelemus ad ſumma: dum ergo mens iuſti eſt ſeipſa robuſtior, & vadit quotidie proficiens, atque ſubcreſcens, igneam ſeruat naturam ſpiritus. Vnde ſecundum Scotum angelus, & anima ſunt eiuſdem capacitatis paſſiue, quæ numquam dicit ſufficit, niſi in termino, & in gloria: vbi, vt ait Scotus, Anima fertur in Deum ſub ratione infiniti, quamuis non valeat infinitum comprehendere. Nam, vt ait Nicolaus de Cuſa, ſi Deum anima comprehenderet, iam nõ beatificaretur in eo: quoniam aliud optaret. Dum ergo Deus animas creauit igneas, cinere corporis eas inuoluit, vt melius ſeruarentur: nam cinis calidus ignem conſeruat.

Iſa. 1. a — *Iſa. 14. c* — *Gen. 1. a* — *Auguſt. de Gen. ad lit. lib. 1. c. 12. & 17. to. 3.* — *Ioan. 5. f* — Iuſti anima eſt ignis. — *Pſ. 16. d* — *Scot. 3. ſent. diſt. 13. q. 1.*

conſeruat : & ſic anima ob corporis humilitatem ſeruatur. Ne ergo anima noſtra per ſuperbiam intumeſceret, vnita eſt cinereo corpori : vnde dicitur de primo homine: Fecit Deus hominem de limo terræ. Vel vt in hebraico habetur, de puluere terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ : ignis eſt altior ceteris tribus elementis, & ideo dicitur homo factus, vt præſit piſcibus maris, quo ad aquam, & beſtijs terræ, quo ad ſecundum elementum, & volatilibus cæli, quo ad aerem. Vnde excelſior erat homo. Sed ſpiritualiter intelligendo ſic erat conſtitutus, vt præiſſet, & præueniret motus luxuriæ fluidæ, qui ſunt aquæ piſces, & præueniret motus auaritiæ, qui ſunt beſtiæ terrenæ, & motus ſuperbiæ, qui ſunt aues, & cogitationes in cælo animæ volantes. Sic ergo erat homo in ſphæra ſuperiori, velut ignis nil extraneum in ſe creans niſi cor ardens, dum ſibi loquebatur Deus in via vitæ: ſed dum inordinate aſcendere voluit per peccatum, hic ignis extinctus eſt flatu ſerpentis, & etiam anima redacta eſt in cinerem. Nam ſanctus Abraam Deo dixit: Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Quo ad corpus ſum puluis, quo ad animam vero cinis, taliter quòd vix in ea maneat ſcintilla rationis, quæ ſæpe non inuenitur, quia non ſemper ratio deprecatur actualiter ad optima : tota natura noſtra in cinerem peccati conuerſa eſt, præter Mariam matrem Dei, quæ ignis diuini coopertura erat flammam, vt faceret veluti panem ſubcinericium, veſtiens cinere ſuæ carnis ignem deitatis. De hac ergo ait Origenes: Quæ neque ſerpentis perſuaſione decepta, nec eius venenoſis afflatibus infecta eſt. Flatu ergo ſerpentis extinctus videtur ignis animæ noſtræ, quo Deus ab ea expulſus eſt, & manſit ignea anima, iam cinerea. Si corpus abſque anima, non eſt niſi cinis, qualis remanet anima abſque Deo, qui per igneam charitatem eam animabat, vt operationes ſuas vitales, quæ ad vitam æternam ducebant, exerceret? Similitudo Dei, quæ per charitatem fit, nullo modo manet in anima peccante. Dum Deus ignis charitas adeſt animæ, conſumit animæ mala. Sed dum abeſt, anima conſumitur redditurq. in cinerem, præter igniculum ſindereſis, qui in malis ſopitus manet. Reſidet ergo anima ſine Deo, ſicut ignis abſque calore & leuitate, ſine quibus operationem

Gen. 2. b. *Gen. 18. d.* *Orig. hom. 8. in Leuit. 10. 1.* Anima ſine Deo, eſt ignis ſine calore.

rationem ſuam exequi non valet, ſed pene in cinerem re-
Sap.15.c uertitur, iuxta id: Cinis eſt enim cor eius, & terra ſuper-
uacua ſpes illius, & luto vilior vita eius: quoniam igno-
rauit qui ſe finxit: & qui inſpirauit illi animam quæ ope-
ratur, & qui inſufflauit ei ſpiritum vitæ. Ecce qualiter
cor peccatoris cinis eſt, non ſolum corpus, ſed anima:
Pſ.83.a quia cor pro anima accipitur, ibi: Cor meũ & caro mea
exultauerunt in Deum viuum. Habet quippe anima pec-
catoris ad integrum cineris cõditiones, quia eſt mollis vt
1.Cor.6.b cinis, & molles, vt ait Paulus: Regnum Dei non poſſide-
Gen.8.d bunt, ſed violenti. De hac mollitie dicitur: Senſus & co-
gitatio hominis prona ſunt ad malum ab adoleſcẽtia ſua.
Non ſolum caro eſt prona ad malum, ſed ſenſus & cogi-
tatio ab adoleſcentia, quando incipit rationis vſus, & hoc,
quia cinis ſumus, qui facile recipit quæcumque veſtigia
colubri, & latronum, qui fecerunt ſibi viam per me. Spar-
giturq. omni vento tentationis, quod flens Ieremias ait:
Tren.4.a Quo modo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color opti-
mus: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capita omnium
platearum? Aurum igneum habet colorem, qui optimus
dicitur: quia ſicut in ſole ſunt omnium virtutes vnitæ,
ſic in igneo colore lucis eſt decor vniuerſi, quod ſine luce
fuſcum manet. Vilior ceteris eſt color cineris, & vilis fa-
Tren.4.b cta eſt anima peccatoris, intantum vt ei dicatur: Denigra-
Pſal.17.b ta eſt facies tua ſuper carbones. Nam dum ignis a facie
Dei exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Velut prunæ ar-
dentes ſunt animæ ſanctæ: peccatrices denigratæ & mu-
tatæ in colorem prauum, & diſperſæ faciliter in capita
ſeptem, ſcilicet vitiorum principalium, quæ per plateas
Matt.7.b amplas ſignantur: vbi non eſt arcta via quæ ducit ad vi-
tam, ſed ampla quæ ducit ad perditionem. Item cinis
quamuis iunctus ſit & collectus, ſemper diuiſus eſt: quo-
niam numquam fit vnum, niſi aqua vniantur pulueres: &
ſic peccatores nec ad alios, nec ad ſe fiunt vnum, de qui-
Oſe.10.a bus dicitur: Diuiſum eſt cor eorum, propterea interie-
runt. Diuiſum a proximo, a fratre, & a vicino, ab vxore,
a bono conſilio, & ratione, & Deo: & propterea interie-
runt. Item cinis amarus eſt: & etiam peccator carens de-
uotione, cuius conſcientia caret bono teſtimonio: & ama-
ricatus eſt venter eius, id eſt memoria. Igitur o peccator

memento,

memento, quòd cinis es, & in cinerem reuerteris, ſed quorſum hæc? Si cinis ſum, tam vilis & miſer, heu me quid faciam? Quid a cinere petitur? O mi Deus ſtipulam ſiccam perſequeris? quem perſequeris rex Iſrael, quem perſequeris? canem mortuum, & pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus? Quid inde Domine ſi meminerimus iniquitatum noſtrarum antiquarum, quis non deficiet recogitans tibi vitam ſuam? Sed nota, quòd quando Deus homini improbat improba, & carpit errata, & mala noſtra reuocat ad memoriam noſtram, hoc non facit vt nos cõfundat, ſed vt nos reducat, & vt reſipiſcamus: vnde carpi a Deo, & improbari, laudari quidem eſt: quod minime inter homines valet inueniri. Iam ergo quando Deus ait: *Memento quia cinis es*: tu poteris ei reſpõdere: Ergo Domine ſi cinis ſum, quid ſine tuo auxilio poſſum? Si oſtendis debilitatem, præſta fauorem: & ita fiet quod patet in Dauid, quia quando dixit: Numquid confitebitur tibi puluis: aut annunciabit veritatem tuam? Statim addit: Dominus miſertus eſt meĩ, Dominus factus eſt adiutor meus: conuertiſti planctum meũ in gaudium mihi &c. Habetur ergo quòd hæc confuſio eſt adducens gloriam: vnde ſcriptum eſt, quòd Deus dabit coronam pro cinere. Nota etiam quòd a cinere aliquid petitur. Valet enim multum facere, quoniam ſi tranſeat aqua per cinerem, fit lixiuium mundatorium. Quo faciem tuam lauari iubet Euangelium. Ergo vngere caput cinere, eſt peccata ad mentem humiliter reuocare: damna ergo ex peccato peccatum, & tranſeat aqua lacrymarum per cinerem peccatorum tuorum, & valebit ad emundationem tuam. Nec eſt qui ſe abſcondat ab hoc, quia & iuſti iuſtitias menſtruatas habentes, ſuppleant etiam lacrymis quod deeſt in bonitate: & ſic fiet purificatio eorum. Iuſtis ergo vt iuſtiores fiant, & peccatoribus vt iuſtificentur, proderit cinerum recordatio. Omnibus enim dicitur in Euangelio: *Cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua*. Cum ieiunas inquam a peccato: quoniam nemo fructuoſe recordatur peccatorum ſuorum, niſi ea reiecerit a voluntate & vſu: ideo cum ieiunas a peccatis cinere, id eſt eorum memoria pie contritus, vnge deuote mentem tuam: iam ſpiritualiter ſolummodo & ad cæleſtia deferendo eorum

Iob 13. d
1. Reg. 26 d
Pſ. 78. b
Dei improbatio, ipſius laudatio eſt.
Pſ. 29. d
Iſa. 61. a

damna, recogita quæ perperam egiſti: nam vſque ad verticem capitis vulnerauerunt te: verumtamen eorum vnguento ſanaberis. Contere peccata tua, ita vt fiant ſicut cinis qui facile deletur: & dum lacrymæ aduenerint, faciem animæ lauabis: ita vt rex concupiſcat munditiam tuam. Sic ergo peccatum membratim, ſecundum omnia mala quæ induxit tibi, cogitetur, & fiat cinis, & iam adde lacrymas, & valebit tibi hoc pro cibo & lauacro: qualiter
Exo.32.c figuratur in Exodo, vbi dicitur: Arripiensq. vitulum &c. vſque, ex eo potum filijs Iſrael: amarum certe, ſicut lixiuium &c. expone totum.

SERMO II.

FERIAE QVARTAE CINERVM.

THEMA:

Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Gen. 3.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

CINERES ſancti quos capitibus recipimus, non ex quibuſcumque lignis fiunt, ſed ex lignis benedictis, anno præterito reſeruatis ex lignis oliuarum, quibus in proceſsione ramorum Dominum lætanter accepimus, obuiantes ei. Sed quæ obſecro eſt hæc oliua, ex qua fiunt cineres ad gloriæ Dominum ſuſcipiendum, niſi beata virgo Maria, cum qua Dominum ſuſcipimus, & cuius cineres Dominus recepit, vt per eos & iam noſipſos acciperet? vnde per Mariam omnes Deum recepimus, & ipſe per eam omnes recipere dignatus eſt. Et quo modo? ſuſcipiendo equidem cineres eius, ſicut cineres oliuæ benedictæ:

nedictæ :

nedictæ: vnde ſuſceptio hæc fuit in cauſa, vt nos Deum reciperemus, & ab eo pariter ipſi reciperemur. Et hoc totum pertinet ad oliuam, quæ olim, teſte Iſidoro, portabatur in ſignum pacis: vnde columba videns diluuium reuocari, Deumq. iam hominibus pacatum, in huius fœderis ſignum, detulit ad Noe ramum oliuæ, & ab eo gratanter ſuſcipitur. Qui ergo in ore ſuo per orationem detulerit Mariam ad ipſum Deum, credat ſe bene recipiendum: nam ex quo ab ea ipſe recepit cineres ſuos, decreuit propter eam quoſcumque recipere in recõciliationem peccatores. Sed qualiter obſecro diſpoſiti erãt cineres illi? certe per ignem Spiritus ſancti, qui fuit ſacriſta & ſacerdos vteri virginalis, in quo per amoris ignem ardentiſsimum redegit in cineres humilitatis Mariam, quoniam ad hoc Angelus dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, ſcilicet tamquam ſuper ligna concremanda in holocauſto: & tu ipſa dum te videbis accenſam, & in cinerem humilitatis redactam, clamabis: Ecce ancilla Domini, quaſi dicat, ecce Domini cinis paratus ei: vnde nil ſupereſt, niſi vt fiat matri ſecundum verbum tuum: tunc ſane ex cælo deſcendens filius Dei genua flectit in vtero matris: vbi cineres humilitatis ſuſcepit, quibus poſtea glorioſus apparuit dicens nobis inuitandis: Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo beata Virgo filio Dei præſtitit cineres, nonne opere pretium erit eam deprecari, vt capitibus noſtris imponat ſaltem ſuam adiutricem manum, vt mentes noſtræ gratiam valeant percipere? Antiquitus omnes qui mundandi erant ad locum cinerum mittebantur: quo (ad emũdationem filiorum Iſrael) cineres vaccæ combuſtæ ſeruabantur: nos igitur eamus ad matrem Dei pro gratia ſermonis acquirenda, quam vt obtineamus ei, Aue præſentemus.

Gen. 8. e
Iſid. lib. 17. Orig. cap. 7. parum ante finem.
Luc. 1. e
Matt. 11 d
Num. 19 c

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN alio ſermone vidiſtis fratres qualiter cinis ſumus malus quidem, ſicut erat ille, de quo dicitur: Tollite plenas manus cineris de camino &c. vſque factaq. ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iumentis, id eſt in animabus, & corporibus. In hoc malo cinere, vt

Exo. 9. b

Colligitur. q.31. ſuper Exod. 10.4. ait Auguſtinus: Peccata Ægyptiorum deſignantur, qui proijcitur in altum: quoniam rebelles fuerant cõtra Dominum: in caminò autem ex quo cinis calidus eſt acceptus, fornax concupiſcentiæ deſignatur, vbi combuſti ſunt innocentes, id eſt boni cogitatus, & bona propoſita, & ſanctæ inſpirationes ad nihilum redactæ. In iſto camino coquebantur lateres, quo premebantur filij Iſrael, quia mali mores generantur in concupiſcentia carnis, & etiam cor fit lapideum: immo & omnia membra noſtra igni turpi comburuntur in camino concupiſcentiæ, poſtea vero nihil inuenimus niſi cinerem malum, veſicam faciei generantẽ,
Rom.6.d de quo ait Paulus: Quem fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Reſponde cum magis Pharao-
Pſ. 43. c nis illud Dauid: Confuſio faciei meæ operuit me.

De bonis cineribus agam ſuper thema præcedens.

Memento, quia cinis es, & in cinerem reuerteris: cinis in cinerem. Nec repetitio inutilis videatur: quia eſt cinis malus, & cinis bonus. Cinis vitulæ, cinis bonus eſt quando inquinatos ſanctificat. Cinis altaris, vbi ardet ignis nutritus a ſacerdotibus bonus eſt, & conſecratus quando caro tua crematur in operibus pœnitentiæ, dicens cũ Iob:
Iob 16. c Operui cinere carnem meam, id eſt carnalia operui pœnitentia. Et anima ſi in alis ſanctis & cogitationibus verſata fuerit, & accenſa primo in ſpiritu iudicij. Deinde in ſpiritu ardoris, tunc bonus cinis es. De malis cineribus iam diximus, de bonis autem in quos conuerteris, quid reſtat, niſi quòd quando quis caſtitatis amore macerat carnem ſuam, abdicat venerea, nec operi procreandi filios inſiſtit, ſua cuncta diſtrahens, pauperibus elargitur, tunc iam incipit bonus cinis vitulæ immolatæ, dum immolas
Phil 4. d hoſtiam Deo viuentem non mundo, ſanctam Deo placentem, non carni & ſanguini, quibus non eſt in hac parte acquieſcendum: ſed humilibus conſentiendum vt te exinanitum reddas, & nõ rapias honorem alienum, ſed tuum
Leuit.6.b ſpernas, & tunc velut cinis ſacrificij Dei viui bonus videberis a ſacerdotibus, id eſt angelis, qui horũ cinerum cu-
Cinis ſanctus. ram gerunt. Si anima incenſa fuerit, & thymiama offerre voluerit, quod ex multo puluere odorifero conſtat, tunc ſanctis cogitationibus inſiſtet, & interiori deuotioni, cui

aderit

aderit ſacerdos in æternum Chriſtus ſubijciens ligna, id eſt beneficia ſua, & inſtruméta paſsionis ſuæ: quibus ignis non alienus incenditur & nutritur ab eo, qui ignem venit mittere in terram cordis noſtri, quod eſt altare ſuum: vbi non vult niſi vt intus ardeat amor eius in nobis: in quo cremabitur thymiama ſanctarum cogitationum ſubtiliter ſicut puluis tritus: ex quo igne ſanctiſsimus cinis ſupererit, dum teipſum pro ipſo filio Dei exponendum decreueris, & dices: Cupio ego diſſolui, & eſſe cum Chriſto: quis ergo me liberabit a corpore mortis huius? Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: me etenim expectant iuſti donec retribuas mihi. Ecce cinis altaris, ecce thymiama odoriferũ ſub altare cæli, vbi ſunt animæ interfectorum propter verbum Dei dicentis: Venite benedicti Patris mei &c. quod verbum ſemper ſonat in aures deuotorum. Si ergo fuiſti cinis Sodomæ fœtidæ, memento quàm peſsimus es, & in cinerem vitulæ reuertere per pœnitentiam: & vitulæ non ſaginatæ, ſed maceratæ. Nã malus cinis ſpargi & diſpergi ſolet ne memoria eius remaneat: & bonus ſeruatur in loco mundiſsimo. Vitula ergo caro noſtra eſt: & anima eſt thymiama in altari cordis offerenda ſancto puluere conſperſa, qui non cæcat, ſed illuminat oculos mẽtis: nam cinis gladios eliminat, & elucidat: ſic ergo coquetur ad purum ſcoria noſtra, & ſedebit Deus in nobis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, qui ſunt opera iuſtorum. Nec ſufficit emundatio, quæ eſt ſeparatio pretioſi a vili, niſi addatur purgatio, quæ eſt munda mundiora reddere, quoniam Dominus ait: Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſsimo: vt ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: quia pro peccato vacca combuſta eſt. Thymiama eſt mentis contemplatio, & cinis vitulæ carnis eſt maceratio in pœnitentia, & pro vtroque hæc figura proderit nobis: & vt potiora dicamus, nota, quòd thymiamá offeres, & puluerem minutiſsimum redolentem, quando ea, quæ Chriſti ſunt, myſteria contemplatus fueris: nam cinerem benedictum ſuper caput ſuſcipis, quo mundaris in mortis Chriſti memoriam: vbi attende religionẽ victimæ, quam conſtituit Dominus; vt adducant, ſcilicet filij Iſrael vaccam

Luc.12. f *Phil.1. d* *Pſ.141. b* *Mat. 25. d* *Mal. 3. a* *Num.19 b*

Thymiama quid.

cam

cam rufam ætatis integrę ad Eleazarum,& hæc omni ma-
cula careat, iugumq. minime portauerit. Et ille publice
extra caſtra eam immolet,comburens pellem,carnem, &
ſanguinem,& fimum : lignum quoque cedrinum & hyſſo-
pum, coccumq. bis tinctum cum ea : & hoc faciens im-
mundus erit vſque ad veſperum : vacca eſt Chriſti huma-
nitas apta labori,& ſacrificio,& fœcunda. Rufa autem di-
citur propter ſanguineum ſudorẽ, qui eam tinxit in hor-
to,dum paſceret herbas terræ, & tribulos,& ſpinas Adæ.
Hanc tradiderunt filij Iſrael ex horto ad Caypham, qui
eſt Eleazarus. Nam hic interpretatur Dei adiutorium.
Et Cayphas Deum adiuuit prophetando in cõſilio, quam-
uis hoc a ſemetipſo non dixit: vnde nõ dicitur Dei adiu-
tor, ſed adiutorium quo ignarus diuini conſilij præſtitit.
Hic Chriſtum extra portam & caſtra Ieruſalem duxit.
Ioan.18.f Vnde Pilatus ait: Gens tua,& pontifices tui tradiderunt
te mihi. Et in hoc, quòd pellis & caro, & ſanguis, & fi-
mus dicuntur comburi, notatur quòd omnia, quæ Chriſti
erant, extinguere voluerunt, eradicantes eum totum inte-
Ier.11.d grum de terra viuentium: taliter quòd nomen eius non
memoraretur amplius. Sed in hoc nobis vocatis ſanctis
Aug. q.33. ſuper Num. to.4. alia maior virtus innuitur,quia ſecundum Auguſtinum,in
hoc ſignificatum eſt, quòd non ſolum ſubſtantia mortalis
corporis Chriſti, quæ cõmemoratione pellis, & carnium
intimata eſt: ſed etiam contumelia,& abiectio plebis,quæ
in ſtercore ſignatur,conuertantur in gloriam,quam com-
buſtionis flamma ſignificat. Sed in fimo ſignatur eſuries,
& laſsitudo, & quicumque carnis defectus, quia Chriſto
abijciendus erat, nobis tamen ad emundationem nimis
profuit. Et vt ait Gregorius: Infirmitates carnis eius cre-
mantur: quia per diſpoſitionem Spiritus ſancti intelligi
debent. Hæc ergo vacca ætatis integræ, id eſt operationis
perfectæ, eſt ſine macula peccati, & ſine iugo malæ incli-
nationis: nam pronitas ad malum,eſt graue iugum ſuper
filios Adam, quia ab eo hoc habent iugum impoſitum.
Per hoc autem quòd in combuſtione vaccæ ponebatur li-
gnum cedrinum,hyſſopus,& coccus, ſignantur tres perſo-
næ cum Chriſto paſſæ: duæ per compaſsionem mentis,&
tertia per compaſsionem carnis. Prima fuit Maria Do-
mina noſtra,per hyſſopum quæ eſt humilis herba ſignata,

quia

quia fuit tã humilis, quòd ex cruce reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, quæ humiliauit ſemetipſam vſque ad crucem: ſecunda perſona eſt Ioannes, qui ſignatur per cedrum arborem nimis altam, quia ipſe tunc nimis eleuatus eſt, Chriſti latus aſpiciens, ex quo ſacramenta ab eo intellecta fluxerunt. Tertia perſona fuit latro Chriſtum confitens in cruce, qui ſignatur per coccum bis tinctum, quia Chriſto compatiebatur mente, dicens: Hic autem nihil mali fecit. Et cum Chriſto patiebatur in corpore cõcrucifixus iuxta eum. Ecce igitur qualiter aſſociata crematur vacca in ara crucis. Vir mundus colligat cineres eius, quæ vſque hodie remanent in Eccleſia, quia pro peccato noſtro vacca combuſta eſt. De Chriſti cineribus ait Auguſtinus: Congreget homo mundus cinerem iuuencæ, reliquias ſcilicet interfectionis & combuſtionis, ſcilicet famam quæ ſecuta eſt paſsionem, & reſurrectioné Chriſti: quia ſunt reliquiæ homini pacifico. Cinis erat Chriſti mors, quia velut mortuus ab infidelibus condemnabatur, & tamen mundabat, quia reſurrexiſſe a fidelibus credebatur. In loco mundo iubentur cineres collocari, qui eſt cor deuotum: vbi ſpiritualiter morté Chriſti nunciamus, donec veniat: ibi ex ſanctis cogitationibus fit thymiama extra caſtra, id eſt extra tumultum mũdanæ vitæ: nam extra portam ſaltim mente egredi oportet. Hi cineres dicuntur eſſe in cuſtodiam noſtrã, quia niſi Chriſtus pro nobis paſſus reliquiſſet nobis exemplum, quo ſaltim cogitando armaremur, ſimiles Sodomæ, & Gomorrhæ fuiſſemus. Vel locus mundiſsimus vbi cineres ferendi ſunt, eſt locus iudicij, vbi purgabit Deus ad vnguem aream ſuam, & illuc defert cineres Chriſti, qui cogitat qualiter ibi redditurus eſt vſuram receptorum bonorum, vbi reddemus nouiſsimum quadrantem. Fac ergo anima mea expiationis aquã ex Chriſti cineribus flens paſsionem eius, & mortem ſi purgari deſideras: quia cineres eius ſeruantur ad expiationem tuam, nec ſolum ad expiationem, ſed vt inquinatos ſanctificent: quia plus & multo amplius valet aqua, quæ tranſijt per Chriſti cineres, hoc eſt, dolores, & mortem, & vulnera ſua, quàm ſi pro peccatis tuis fleres. Vnum eſt quod nunc difficultatem attulit, ſcilicet quòd ferens cineres hos reddebatur immundus ex contactu eorum &

Luc. 23. f

Aug. ſuper Num. q. 33. ſub medio to. 4.

Pſ. 36. d

Iſa. 1. e

pro quo notat Gloſſa, quòd dupliciter cõtrahitur immunditia, videlicet vno modo ex immunditia rei tactæ, & ſic tangens mortuum reddebatur immundus. Alio modo ex indignitate tangentis, ſicut ſi laicus tangeret calicem cõſecratum, peccaret, & hoc modo colligentes cineres hos, redduntur immundi: vnde vir mundus iubetur colligere cineres paſsionis Chriſti, & hoc reddet illum immũdum, quia non ſumus ita feruidi in hoc nec deuoti: & ideo addere oportet alium cinerem pœnitentiæ noſtræ: de quo ſi aliquid tactum eſt nunc iuxta prædictam hiſtoriam, moraliter reliqua tangamus. Hodie mater Eccleſia cinerem capiti noſtro imponit, & vult quòd deſcendat in barbam, & vſque ad oram veſtimenti: vt poſt quadrageſimam lauet pedes noſtros, & etiam manus, & caput ſi opus fuerit. Cinis ergo pœnitentiam ſignat, quia Iob ait: Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Caput mentis intẽtio eſt, per quod totum corpus regitur, & eſt melior pars hominis, quia intentio prædominatur in corpore actionis noſtræ. Et vt nos Chriſtus doceret ſemper rectam, & ad bonum habere intentionem, caput habet ad dexteram inclinatũ in cruce, quapropter ſemper habere conuenit oculum, & vultum ad æquitatem, vt ſi erratũ feceris opus, dicas cum Paulo: Veniam conſecutus ſum: quia ignorans feci. Iam ergo caput eſt intentio, cinis autem pœnitentia, quæ debet eſſe per totam quadrageſimam in intentione noſtra, dum per totum pœnitere debemus: vbi attende, quòd nõ ſolum eſt pœnitentia, quam ſacerdos imponit ſecundum Scotum, ſed etiam pœna, quam tu patienter acceptas, oblata pro peccatis tuis. Iuſtus vir, & mundus agat pœnitentiam, ſi minus reuerenter tractauit diuina, quia ex hoc immunditiam incurrit: adducat vaccam carnis ſuæ ſacerdoti, & bono exercitio; & pellem mundanæ conuerſationis adurat: ſciens quoniam caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt: eas abdica, & trade ſacrificio pœnitentiæ cum fimo imperfectionum tuarum: & vt rectius fiat, iunge cedrum quæ eſt alta, & exalta ſpem, vbi non ſunt fures. Et iunge hyſſopum herbam purgationis, quæ eſt fides purgans intellectum a phantaſmatibus: & vltimo trade ſacrificio coccum bis tinctum, hoc eſt duplicẽ charitatem, Dei & proximi, quæ ardens in te ſanctum cinerem

[Margin notes: Moralis ſenſus. — Pſ. 132. a — Iob 42. a — 1. Tim. 1. c — Scot. 4. ſent. diſt. 14. q. 2. & 3. — 1. Cor. 15. f]

rem faciet veræ humilitatis, quæ eſt ad cuſtodiam filiorum Iſrael, id eſt operum tuorum: quia cuſtos virtutum eſt humilitas: quoniam vt ait Gregorius: Qui ſine ea virtutes congregat, quaſi qui puluerem in ventum portat, qui vnde ferre aliquid cernitur, inde cæcatur deterius: quia cinis humilitatis in imo ſeruatur ſecurius, & in loco mundiſsimo ponitur humilitas, quando collocatur in nouiſsimo, & tunc ſecurior eſt humilis, quando eſt humilior: quia tunc citius dicitur ei ab inuitante Deo: Amice aſcéde ſuperius, & erit tibi gloria, iuxta id: Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra? Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus. Ecce qualiter exaltat Deus eos, qui veraciter cinerem ſe reputant, nec hoc parum eſt ei, in hoc enim Dominus & Deus noſter confitetur ſe eſſe, qui in altis thronis reſidens in cælo, reſpicit humilia Eccleſiæ ſuæ, quæ eſt domus pulueris & figuli, vbi loquitur ipſe. Si in cælo Deus non niſi humilia angelorum agmina reſpexit, deponens ſuperbos, quid faciet in terra? Si angeli per humilitatem placuerũt ei, intantum vt eos altos faceret & ſedes ſuas, qualiter nos eum poterimus promereri? Non aliter poteris inter eiuſdem cæli principes collocari, niſi per eam humilitatem qua ipſi principes eſſe meruerunt, quia quando depoſuit potentes de ſede, exaltauit humiles, qui mitis & humilis corde non dedignatur in terra etiam corporis noſtri eſſe ſicut in cælo animæ: ſi tamen vbique fiat volũtas eius, quæ eſt, vt non ſimus alta ſapientes ſed humilibus conſentientes: nam oportet animam eſſe humilem in ſui reputatione, & corpus in ſua exercitatione, vt ſint humiles opere & veritate, veritate extimationis, & opere actionis: & ſic anima ſuſcitabitur a terra, quia terrena habitatio deprimit eam: & corpus a ſtercore carnalitatis, vt ſimus in cælo ſicut angeli Dei, qui per humilitatem ab initio placuerunt ſibi, & nunc etiam coram eo tremunt poteſtates: & patriarchæ mittunt coronas ſuas ante thronũ Dei. Si ergo in cælo tanta viget humilitas, cur homuncio non recordaris, quòd *puluis es, & in puluerem reuerteris?* cur non magnificas humilitatem? cur non ponis eam ſuper caput tuũ? cur non eam adoras? an forte ignoras pretium eius?

Gregor. in Euang. homil. 7. circa fin. to. 3.

Luc. 14. c

Pſ. 112. a

Domus figuli eſt humilitas.

Luc. 1. e

Rom. 12. c

Humilitatis præconia.

eius? hæc eſt quæ fiducialiter etiam Deo loquitur, dicēs:
Act.3.a Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, ſcilicet cinerem vilitatis, hunc tibi do. Benedicendos hæc paruulos ſuos Chriſto adducebat, qui propter eam am-
Matt.19. plexabatur eos, dicens: Talium eſt regnum cælorum: &
b.& 18.a niſi conuerſi fueritis &c. Confuſio eſt hæc adducens glo-
Eccli.4.c riam, teſte Salomone, quia hæc adduxit e cælo Deum. Digitus Spiritus ſancti, propter hanc ſcribit in terra, quia communicat dona ſua ſe terram cognoſcenti. Electorum
Iob 22.d ratio eſt hæc virtus: quoniam humilis Iob ait: Qui ſe humiliauerit, erit in gloria figuli domus, vbi loquitur Deus:
Prou.3.d quia cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Granum ſinapis quod creſcit ſuper omnia olera, quia ceteræ virtutes deſeruiunt humilitati, eamq. magnificant, & tacent in conſpectu eius, vt magis luceat. Hæc eſt Heſter, quæ præ ceteris laudatur a rege, & interpretatur abſcōdita: quia humilitas, vt radix Ieſſe, debet abſcōdi in terra vilitatis humanæ vt fructificet. Inuocat abyſſus virtutis huius abyſ-
Pſ.41.b ſum miſericordiæ Dei non ore ſuo, quia loqui non præſumit, ſed ore Chriſti, id eſt in voce chataractarum ſuarum: nam eius vulnera, & ſanguis melius loquitur pro magis humilibus: Lazarum hæc promeruit ſuſcitandum, pro no-
Ioā.11.e bis namque dicit: Domine iam fœtet: in fœtore humilitatis glorificatus eſt filius Dei. Matrem Dei hæc virtus decorauit: ita vt eam Deus reſpiceret, concupiſcens hunc decorem ſuum. Nigredo amabilis eſt humilitas, non ab alio quàm a ſole iuſtitiæ cauſata: vnde pulcherrime ait
Cant.1.b ſponſa: Quia decolorauit me ſol. Humilitas quidem plurimum ambulat ad ſolem. Oleo gratiæ facit hæc virtus impleri vaſa præſumptione vacua. Prolem virtutis, quæ hereditet gloriam, præſtat in valle Mambre, id eſt in abiectione propria, vt patet in Abraam. Quæ etiam a turbine ſuperbiæ protegit: quoniam humilis in foſſa humo latet, dum infima ſua præ oculis habet. Refugium eſt cunctorum errantium, humiliter dicētium: Peccatores te rogamus audi nos. Sede gloriæ ſuos exaltat: depoſitis ſuperbis, quibus reſiſtit. Turtur eſt hæc, cuius vox Deum delectat ſi audiatur in terra noſtra: quia humilitas ſemper de profundis loquitur, neſciens ambulare in mirabilibus ſuper ſe, nec volare. Vacuum altare ſibi iuſſerat fieri, Deus:

Deus: hæc autem euacuat cor humanum, vt capiat Deum Chriſti hora, vt præmiet ſiue dona tribuat. Humilitas eſt, quæ ait: Vinũ non habent. Si ergo nil tibi contulit Chriſtus, nondum venit hæc hora miſerendi eius: hydriæ nondum implentur vino niſi aqua, id eſt ſpiritus noſtri humilitate, ex qua Deus vinum gloriæ facit: Zachæus quia ſtatura puſillus, inſpicitur a Ieſu, qui in humiles figit oculos, qui & ponit in theſauris abyſſos, id eſt humiles, quibus pro cinere humilitatis dat coronam gloriæ, quam mihi & vobis præſtet Ieſus, Amen. In tertia parte alphabeti noſtri apud litteram I I. reperies de humilitate plura. *Ioan. 2. a*

SERMO

FERIAE SEXTAE CINERVM,

De amore inimicorum: vbi & exponitur vtiliter, ac ſubtiliter littera Euangelij.

THEMA.

Pietas ad omnia valet. 1. *Tim.* 4.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

SI Deus ipſe ſemper benedictus ſic amator eſt, vt etiã inimicos diligat, de amicis nulla erit dubietas, quin amati erũt: ita vt dicatur de eis: Oculi Domini in diligẽtes ſe. Quid amplius dici potuit? nam communiter dicitur, quòd oculi inſpiciunt eos, quibus bene volunt, & hoc videtur ſumptum ex illo: Oculi Domini ſuper timentes ſe, quia reſpicit, & ſeruat illos ac ſi oculos haberet ſuper eos. Sed altius eſt & excellentius, quòd oculi Domini ſunt diligentes ſe. Alibi dictum eſt, quòd qui tangit amicos *Eccli. 34. b* *Ibid. c*

Dei ſic tranſgreditur, ac ſi tangeret pupillam ipſam oculorum eius, ſed nunc abſolute dicitur: Oculi Domini diligentes ſe. Si intantum dilecti ſunt amici, vt Dei oculi dicantur, quid de matre ſua dicet ille, qui amator eſt formæ illius? quid referet de illa, qui eam amauit, & exquiſiuit a iuuentute ſua? Si illi ſunt oculi Dei, hæc erit corona eius, cui etiam ſubditus eſt Ieſus vt matri: cuius imperium ſignatur in Berſabee, quæ thronum habet ad dexteram filij: & in omnibus filius Mariæ pluſquam Salomon eſt, qui dicit fas non eſſe faciem matris auertere, vnde nunc Adoniam oportet imitari, qui matrem regis adijt vt petitionem per eam daret filio: ſed vt ipſa pro nobis oret, eam exoremus, dicentes. Aue Maria.

Zach. 2. c

3. Reg. 2. c

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN hoc Euangelio Dominus Ieſus monere, & perſuadere nititur nobis paternam erga inimicos charitatē, qua nihil rarius apud nos, qui vix amicos diligimus, & quamuis ſuammet propalare potuiſſet. Qui cum inimici eſſemus, pro nobis mori voluit: altius nos voluit eleuare, ſciens quòd nihil difficilius in vita humana quàm inimicos diligere: quoniam nil repugnantius quam amor & odium: quia & amicitia & inimicitia contraria ſunt: inimicus nocet, ferox eſt & inſultat: amor non tendit in hæc. Si enim amator vt communiter dicitur ſemper deſcendit, impoſsibilis videtur eius aſcenſus ad inimicos, quibus ei clauſa eſt ianua. Nam amor actiuus parum graditur ſolus, quoniam amor petit amorem: niſi enim adiuuetur, minime tendit in alterum, niſi taliohem ſperet; vnde quando odium conuenit, fugit amor, & terga vertit: ſed his thema reſpondit, quòd pietas ad omnia valet, & omnia vincit quamuis non ſenſualitas: vnde vt notat Chryſoſtomus: Sicut non concupiſces dictum eſt ad animam, non ad carnem: ſic diligite inimicos veſtros, quia eos caro non poteſt diligere, anima autem poteſt. Vnde quando triſtaris viſo inimico, ſi ei malum non cupis, anima eum diligit, caro non diligit: quia non valet ex eo, quòd impia ſit: animæ autem pietas ad omnia valet, quod videbimus in Euāgelio præſenti: vbi agitur de amore, quem ad inimicos ſuos

Rom. 5. b

Inimicorū amor omnibus difficilior.

1. Tim. 4. c

Chryſoſt. in opere imp. hom. 13. in c. 5. Mat. to. 2.

ſuos habet Deus: & de eo quem nos ad eoſdem tenemur habere.

Defectum rei debet ſupplere factor eius, patet in artifice, qui deficientem fecit veſtem, quam ideo perficere tenetur, ac reparare: patet & in homine qui eſt opus Dei, de quo ait Deus: Ego feci, & ego feram: patet & in lege veteri defectum habente. Ergo cum Chriſti benignitas & pietas patris veniret vt legem impleret, noluit hunc ſinum imperfectionis eius vacuum relinquere, ſed vt noſtra abundet iuſtitia pluſquam ſcribarum & phariſæorum, ait: *Audiſtis, &c.* nil frequentius oportet prædicare quàm dilectionem inimicorum: quia in terra inimicorum habitamus, vbi etiam inimici hominis domeſtici eius: nec eſt in fratre habenda fiducia. Si antiquis dictum erat, vt odirent inimicum: ille eſt, vt ait Origenes, de quo dicitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem &c. quæ ſententia ab Adam poſteris tradita, & deinde non bene intellecta, vigebat etiam tempore Chriſti, qui eundem diabolum vocauit inimicum, dicens: Dum dormirent homines, inimicus homo ſuperſeminauit zizania: tamen ſed aperte nos vult inducere, & obligare, vt inimicos diligamus, quia eius pietas ad omnia ſe extendit. Et quamuis multiplices ſint inimici hominis, nunc de hominibus inimicis loquitur Chriſtus, dum ait: *Ego autem dico vobis*. Nunc ipſe filius Dei legiſlator, qui in lapides ſcripſit legem veterem, eam innouat, implens defectum, qui tacuerat manifeſtam inimici dilectionem, immo dixerat: Cum introduxerit te Deus tuus in terram, quam daturus eſt tibi, delebis gentes multas. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, nec ſociabis cum eis coniugia. Hæc permiſſa ſunt populo infirmo, vt ait Auguſtinus: Ne commixti inter gentes diſcant opera earum. Sed nunc Deus neminem volens perire, hæc ab Apoſtolis relegat: nec vult eos gladium eximere, vt eum defendant. Nunc gladio verbi Dei, & amore totum vult capere mundum: & apoſtolos mittit vt vulpes Samſonis ad incendendum orbem, quibus ait: *Ego autem dico vobis*, quaſi dicat: Ne excidat hoc a memoria. Sed recedant vetera rudimenta legis veteris: maiores maiora quærite, *diligite* corde *inimicos veſtros*. Carere non poteſtis inimicis, qui eſtis ſicut oues

Iſa. 46. b

Imperfectio eſt nō amare inimicos.

Mich. 7. b

Gen. 3. c

Matt. 13. d

Matt. 5. g

Deut. 7. a

Ratio diligendi inimicos.

inter lupos. Sed *vos diligite inimicos veſtros*, & tunc facile
1. Ioã. 4. d eritferre mundi pericula, quando perfecta charitas veſtra
foras mittet timorem, quia ſi inimicos amaueritis nihil
formidabitis. Vbique terrarum pergere debetis, nec eſt
aliud impedimentum niſi multitudo inimicorum, ſed ne
ſalus humana impediatur, *diligite inimicos veſtros*: quia
quod diligitur, non ægre fertur, cum amanti nihil ſit dif-
ficile. Sed, o Domine cum dilectio cordis inuiſibilis ſit,
quid inimicis proderit ad hoc vt credant & conuertantur?
immo nec deſinent inimicari, quia parum valet amor ab-
Eccli. 20. d ſconditus, & theſaurus inuiſus, de quibus dicitur: Quæ
vtilitas in vtriſque? quibus addit Dominus: *Benefacite his*
1.Pet.2.c. *qui oderunt vos*, vt ſcilicet benefacientes obmuteſcere fa-
ciatis inſipientium hominum ignorantiam. Nam ſaltim
operibus viſibilibus, experientia compertis, credent. Non
enim decet diſcipulos veritatis amorem fictum: ſed cha-
ritas ſine æmulatione vlla, vt diligant opere & veritate.
Intus ſit veritas, extra ſit opus veritatis: quia culpabilio-
res ſunt amicitiam deturpantes quàm pecuniam. Nec
amori otioſo credendũ eſt, quia ſi ceſſat, iam nõ eſt amor.
Domine quamuis ita ſit, nihil hæc proderũt inimicis, quia
Pſ.108.a ſcriptum eſt: Dederunt mihi mala pro bonis: odium pro
dilectione mea. Si horum finis eſt lucratio inimici, & hæc
non ſequitur, ad quid tantum conari debemus, ſi non
emendantur? Quibus addit Dominus: *Orate pro perſe-*
quentibus & calumniantibus vos: vt eos Deus conuertat
Eze.11.d ad bonum: vt auferat cor lapideum de carne eorum, &
det eis cor carneum, & videant & confundantur, & con-
uertantur a via ſua mala.

Si ergo ipſi tria vobis fecerint, odium cordis, perſecu-
Inimicorũ amor triplex. tionem operis, calumniam oris: vos econtra *diligite*, *be-*
nefacite, *orate* pro eis, quia ſic oportet impleri omnem
iuſtitiam, & contraria contrarijs curari, quia de vobis di-
Pſal.91.c citur: Bene patientes erunt, vt annuncient: multiplica-
buntur in ſenecta vberi. Non ſolum oportet patientes eſ-
ſe, ſed bene patientes, reddendo oppoſita acceptis, vt an-
Prou. 19. b nuncietis exemplo, quod prædicaturi eſtis verbo: quia
doctrina viri per patientiam noſcitur, & ſic multiplica-
bimini, propulſato bello, oblita repulſa: ſed obuiate con-
uitio cum beneficio, & odio, & amore, Domine Deus quid

propter tantum opus dabis nobis? ecce reputati ſumus ab inimicis ſicut oues occiſionis: ecce propter te mortificamur ab eis tota die, quid ergo erit nobis? ſequitur in Euangelio: *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*. O dignitas maxima, o res miranda: hic nota quòd melior filiatio poſt naturalem, eſt, quæ acquiritur per imitationem. Si ergo eſſe gener regis magnũ iudicat Dauid, quid cenſendum eſt, & ſentiendum de hac deifica filiatione? Si rem maiorem dixiſſet nobis Chriſtus, debuiſſemus facere, vt eſſemus filij Patris cæleſtis, a quo cuncta bona nobis proueniunt. Ipſe dedit mihi cor, & vult vt eo diligam inimicum meum: quia imago illius eſt. Ipſe dedit manus ad operandum, & vult vt ei inſeruiam: quia proximus meus eſt. Ipſe dedit mihi linguam, & vult vt illa oret pro inimico meo: quoniam adhuc aptus eſt ad conſequẽdum vitam æternam, & dum pro eo orauero, oratio mea in ſinum meum conuertetur: quia nulla exaudibilior oratio, quàm ea, quæ pro inimicis fit: quoniam iuſſa eſt, & dum pro inimico oramus, pro nobis impetramus, qui in multis offendimus omnes. Sicut velis tecum fieri, fac tu cum illo: quoniam infirmus ſemper debet curari donec viuit. Dum vixerit inimicus tuus curabilis eſt ab infirmitate rancoris: curari autem non poteſt niſi per amorem, qui eſt medela optima: ergo dilige inimicos tuos, vt curentur. Si occurrens animal inimici tui teneris per legem illud ad eum reducere: quanto amplius debes inimicum tuum qui eſt animal rationale Dei, ad ipſum per amorem perducere? & etiam inimicus tuus filius Dei eſt, quamuis cõſumpſerit ſubſtantiam dilectionis ſuæ erga te, & veſcatur porcinis cibis. Si ergo tu es filius ſenior & ſanior, duc per amorem infirmum ad Patrem vt mederi poſsit, & etiam tu aliquo opere bono interea cura eum, & ipſum Patrem exora, vt miſereatur filij ſui quamuis alienati & inueterati. Nec dilationem hæc oratio accipiet, quia ideo ſequitur in Euangelio: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, &c.*

Pſ.43. d

Præmium dilectionis inimicorũ.

Exo.23.a

Hic iam vult Dei filius oſtendere qualiter pater hanc amandi legẽ impleat, vt eum imitemur: quia dicit, & facit prius, nec eius maieſtas dedignatur amare, quod dignatus eſt creare. Reſarcire vult imaginẽ, quam condidit. Primo

nota, quòd hic inducimur ad inimicorum amorem exemplo totius Trinitatis, conformiter ad tria quæ eis præſtare debemus. Pater cæleſtis expreſſe ponitur eos diligere, & nunc cæleſtis vocatur: quia ad cæleſtia eos diligit. Et etiã quia peregrinarum impreſsionum per odium non eſt ſuſceptiuus. Ergo Pater noſter, pater orbis terrarum, rex vniuerſæ creaturæ, omnium Creator naturaliter diligit omnia quę fecit, & nihil odit niſi peccatum. Filius Dei dicitur ſol, qui ortus eſt nobis vt calefaciat tepiditatem noſtram, & viam oſtendat qua reuertamur ad Patrem: tamẽ
Ioan.3.b dicit quòd Pater eum oriri fecit: Quia ſic Pater diligit mundum etiam totum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.
Pſ.67.b Spiritus ſanctus dicitur pluuia, quia vbique diffunditur, & dicitur pluuia voluntaria, quia per modum volũtatis procedit a Patre & Filio. Si tripliciter iuſsit Deus vt amaremus inimicos: ecce beata Trinitas vnus Deus tripliciter eos amat. Pater ex paternali & cordiali affectu. Filius ex opere redemptionis. Spiritus ſanctus orat pro perſequen-
Rom.8.e tibus & calumniantibus ſe: Quia poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: & adiuuat infirmitatem noſtrã,
Ioel 2.d & nos orat quòd conuertamur ad ipſum: Quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia. Sed ſi ad ſolum Patrem quæ dicta ſunt referas, ſolẽ ſuum dices amorem ſuum: ſed ne putes hunc amorem ſolummodo naturaliter fieri, vel habitualiter: dicit quòd hunc ſolem ipſe oriri facit, dum etiam actu peccatores amat: nam Deus ipſe puriſsimus actus eſt, qui in ſole amoris ponit tabernaculum ſuum, & ibi valde amans dicitur: quia tamquam
Pſ.18.b ſponſus amore feruens, procedit tam generaliter, quòd nõ eſt qui ſe abſcondat a calore eius: cuius calor feruor amoris eſt. In generalitate ſolis extentio amoris Dei notatur,
1.Tim.2.b qui vult omnes homines ſaluos fieri. Ecce amor intrinſecus, qui etiam patet ex diffinitione amoris: nam amor
Amoris diffinitio. eſt velle alicui bonũ, & Deus ſe etiam peccatoribus vult: alioquin non eis dediſſet filium ſuum. Ad hunc actum ſaltim priuatiue quilibet chriſtianus tenetur habitualiter erga inimicos, propulſo omni odio & cordiali rancore: ita vt in corde tuo nihil ſit quo velis inimicum tuum æterno
Matt.20.b bono priuari: nam ſi Deus ipſe te donat, non ſit nequam oculus tuus eo quòd ipſe bonus eſt. Comparatur etiam amor

amor Dei ſoli, quia ſol minime lædi poteſt, nec vmquam eclipſatur in ſe, quibuſcumque nubibus interpoſitis: & ſic Dei amor numquam læditur. Nulla iniuria Deo illata, eius extinguit omnino amorẽ: immo aliquo modo accenditur, quia tunc conqueritur, dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas. Ecce qualiter non ſe dicit offenſum, ſed derelictum. Non de iniuria cauſatur, ſed quòd deſiſtat amari. Et ſi peccata inimicorum eius diuiſerunt inter Deum, & ipſos, non ceſſat eius amor nobis remedia quærere, quoniam apud ipſum non eſt trãſmutatio, nec in eius ſole eſt viciſsitudinis obumbratio. Vtinam & nos tanti Patris exemplũ ſequeremur fratres mei: Ne ſol occidat amoris ſuper iracundiã noſtrã: ſed audiamus Dauid, immo Deũ per Dauid dicentem: Inquire pacẽ, & perſequere eam. Abſtulit pacem ferox inimicus, tu autem inquire eam: renuit ipſe, tu perſequere pacem, infeſta eum, importunus eſto ei, vt det pacẽ tibi. Non eum perſequaris, ſed pacẽ ruptam, donec reformetur, quia radius amoris diluit peccatorum nubes, quòd amplius Dei amor facit, iuxta id Pauli: Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiã te adduxit? vtinam non amor attraheret inimicos noſtros ad amicitiam, ſicut terreos & humidos vapores, quos ſol ſua vi multum eleuat. Itidem amor ſoli cõfertur, qui acerba dulcia reddit poma ſuo calore viuido. Si ſol eſt amor, calor eius beneficium eius eſt, Deus autẽ inimicos beneficijs domat, qui tranſit quotidie benefaciendo malefaciẽtibus. Nulla ergo fratres diuinior concertatio quàm inimicos beneficio vincere. Ecce noſter Deus qui cum poſsit cuiuſlibet inimici ſui animam, & corpus perdere in gehennam, in profundum laci: patiens & multæ miſericordiæ, non ſolum expectat vt miſereatur noſtri, ſed condonat immerita, dat etiã non petita. Adijcit ad ſtaturam noſtram, nos creat & noſtra, eius amor, nobis etiam reluctantibus, & blaſphemantibus eum. Sol quoque dicitur oculus mundi: vbi notatur quòd Dei amor cæcus non eſt, ſed cognoſcitiuus, & actu intelligens: vnde ſimul inimicum ſuum intelligit & amat, & ſic ſcit & amat quælibet beneficia, quæ cuilibet impartitur, ita quòd noſcat & actu intelligat amorem quo amat, & quemlibet ſingulariter quem diligit, ac ſingula beneficia diſtincte

Dei amor nũquã extinguitur.

Ier. 2. c

Iſa. 59. a

Iac. 1. c

Epheſ. 4. f

Pſ. 33. c

Rom. 2. c

Sol amoris acerba facit dulcia.

Sol amoris etiam oculus Dei eſt.

quę donat atque donabit. Eſt enim intellectus purus Deus, agere autem conſequitur eſſe rei, quare intelligit amorem ſuum & actũ. Noſcit etiã ſingulos quibus donat, aut quos amat, cuius amare eſt etiam noſſe. Et vt Auguſtinus dicit: Sicut vnum ſimul totũ perfecte conſiderat, ſic ſingula quælibet ac diuerſa perfecte ſimul, totaq. conſpicit viſus eius. O ſi nos fratres mei hoc imitemur, ſed vę nobis, quia nulla acrior, nec amarior cogitatio animum noſtrum pulſat quàm inimici. Nulla viſio inquietior, nulla confabulatio ingratior ſe nobis offert. Quis vmquam ferret ſemper ſuũ inimicum præ oculis inſiſtere ſibi? quis eum in domo ſua patietur? ſi eis benefacimus, nolumus eos videre. ſi eos forte amamus (niſi mentiatur iniquitas ſibi) nolumus eis loqui. O ſáncte Pater qui in domo tua, quæ eſt Eccleſia, inimicos vides, coram te aſtant, in te mouentur, viuunt & ſunt, numquam eos obliuioni trades, & ſuper eos ſolem amoris tui oriri facis. Non ſolum ergo Pater noſter inimicos diligit, benefacit eis, & orat eos, vt ſaluos ſe faciant in monte gloriæ, ſed pluit ſuper eos, ac ſi iuſtorum facta haberent. Immo pluit vt iuſtificentur. Cui vmquam baptiſmi aquam denegat, qui nõ ſolum minime eſt acceptor perſonarum, ſed pluit etiam dona ſecretiſsima ſuper iuſtos & iniuſtos, velut ſuper terram & vellus Gedeonis? Iuſti ſunt terra benedicta, quibus aqua prodeſt, vt fructum plurimum afferant. Iniuſti vellus ſunt molles & infructuoſi, qui vtinam eſſent ſicut lana munda, dealbati gratia Dei, aſcendentes de multiplici lauacro, eis ab amore diuino præparato. Fulgura Deus in pluuiam facit inimicis ſuis, dum ſententiæ rigorem detinet, ne adhuc inimicos ſuos feriat.

Pluuia donorũ ſuper iniuſtos.

Pſ.71.a

Pſ.134.b

In eo quod ex Euangelio ſequitur, vult Chriſtus oſtendere, quàm parui ſit meriti, ea tria, quæ dixit amicis exhibere, ſcilicet dilectionem, beneficentiã, & orationem, nec ab his meritum excludit. Sed quia vt plurimum naturaliter amicos diligimus, & eis benefacimus, & ſalutamus fratres noſtros, & cum in natura non ſit meritum, ſed in gratia, ideo ait: *Si enim diligitis, &c.* Non ſolum peccatores ſe diligentes diligunt, & iuuant, & ſalutant: Sed fere & animalia hoc facere videntur. Eſtote ergo perfecti non ſicut publicani, ſed ſicut Pater veſter cæleſtis. Quamuis fratres,

fratres, aliosve amicos ex charitate diligere perfectionis ſit, tamen quia naturaliter fieri aſſolet, Chriſtus paternam perfectionem in amore inimicorum ponit, vbi non attingit natura, quæ lædentem fugit, immo odit: vnde quando inimicos diligis ſola charitas operatur, & opus ipſum difficilius eſt: & ipſe amor a difficiliori amplius retardatur, conaturq. natura, vt in contrarium tendat: ideo Patrem cæleſtem nobis Chriſtus oſtendit, ad quem violenti aſcendũt: vnde arbitror, quòd inimicos diligere eſt genus martyrij, & in hoc caſu fortis eſt vt mors dilectio: & dura vt infernus æmulatio talium chariſmatum meliorum & perfectorum: vnde vt ait Seneca: Multum addicit ſibi virtus laceſsita. Et quia naturalis amor in ima fluenter ruit, & ſine aliqua vi impenditur: charitas autẽ ad amicos ordinata per planũ incedit, & per agrum floridũ, ſed ad inimicos arcta eſt via, & ad cælũ vſque protenſa, vbi non ſine ſcala, vt dicitur, aſcendere valemus: ergo vt faciamus ſecundũ exẽplar amoris quod monſtratũ eſt, ſequitur in Euãgelio. *Cant. 8. b*

Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Iuſtitia noſtra amor ipſe eſt, qui animas iuſtas reddit, & in quo fundatur omnis lex iuſtitiæ, tamen in hoc caſu locum non habet amor coram hominibus, qui non dicunt eſſe iuſtitiam, niſi vbi ſimilia ſimilibus compenſantur: & cum inimici odium inferunt, locum apud homines habet, quod dictum eſt antiquis, ſcilicet odio habebis inimicum tuum. Sed noua lex, & chriſtianus qui in nouitate Spiritus, & in dilectione ambulare debet, iuxta id: Qui ſpiritu Dei agũtur, hi filij Dei ſunt. Hic non ponit iuſtitiam ſuam, id eſt amorem ſuum, erga inimicum coram hominibus, vt videatur, & iudicetur ab eis, ſed mente aſcendit ad Patrem cæleſtem, & ait: Pater peccaui in cælum, & coram te, & lucratus ſum te inimicum gratis, tu tamen monſtrás te eſſe Patrem, non es oblitus, quòd es pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: ideo inimicum me dilexiſti, amaſti, vocaſti, benefeciſti: hanc vicem tibi impendere teneor, & hunc vltimatum amorem, ſcilicet quòd inimicum ipſe diligam, quia cum creſcunt recepta, creſcit receptorum debitum. Tu ipſe numquam inimicus

Iuſtitia noſtra eſt amor.

Rom. 8. c

Luc. 15. d

2. Cor. 1. A

micus es,oſtende ergo quem elegeris,cui talem amorem, quem tibi debeo, impendam, ſcilicet amorem inimicorum: ad quod ait Deus: *Diligite inimicos veſtros* propter me. Ecce iuſtitia noſtra apud Patrem noſtrum, ſcilicet quòd diligam inimicum,quia prior ipſe me inimicum di-

Exo.32.g lexit, quòd ei dimittam hanc noxam: quia mihi multo amplius dimiſſum eſt. Indigno pepercit Pater, indigno inimico parcam & ipſe: & iuſtum eſt gratis dare, quod ad hoc gratis recepi: nolo frangere ponté veniæ per quem ad Deum tranſiui: maneat pons per quem tranſeat inimicus. Ecce ergo qualiter inimicorum amor iuſtitia eſt apud Deum & patrem, cui talia in ſe,vel in ſuis me oportet præparare, qualia ab ipſo recepi. Non cures ergo videri ab hominibus qui non diuinam, ſed humanam iuſtitiam quęrunt,tibi de vindicta proloquentes,vt exardeſcat

Eccl. 28. a ſicut ignis ira tua, quibus ipſe reſponde: Homo homini ſeruat iram, & a Deo quæret medelam? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecabitur? Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro peccatis ipſius? Memento nouiſsimorum & deſine inimicari. Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo tuo. Cum ergo qui vindicari vult a Deo inueniet vindictam, non eſt hominum iuſtitia quærenda,ſed Patris volentis pacem filiorum: & nota quòd id, quod vocatur reſpectu Dei noſtri iuſtitia, vocatur reſpectu hominum miſericordia: de qua ſubditur in hoc Euangelio: *Cum ergo facis eleemoſynã,&c.* nulla melior eleemoſyna quàm delinquenti errata dimittere: & quamuis teneatur quilibet inimico eleemoſynam impendere in caſu extremæ neceſsitatis, & eum iuuare vt mortem euadat, & eum docere, ſi non habet alium inſtruentem de neceſſarijs ad ſalutem animæ: tamen eleemoſyna quam inimico communiter dari debet,venia eſt,

Eccl. 28. a de qua dicitur: Dimitte proximo tuo nocenti te,& deprecanti tibi peccata ſoluentur. Ecce quale centuplum accipies,quia deprecanti tibi peccata ſoluentur. Dimittis peccanti in te,ecce quàm parum: ſed deprecãti tibi, qui peccaſti in Deum peccata ſoluentur, etiam ſi ſint ſicut arena maris. Hæc eleemoſyna facienda eſt de cellario cordis, & etiam aliam, ſi volueris, de cellario domus tuæ: ſicut

Ioſeph

Ioſeph fratribus ſuis, qui eum vendiderunt Iſmaelitis, quos de vtraque eleemoſyna prouiſit: & hoc propter reuerentiam patris eorum, de quo narrantur ei a fratribus hæc: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, vt ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Ecce qualiter fratribus ſuis peſsimis Ioſeph propter patrem, iniquitatem dimittit: quod Chriſtus in hoc Euangelio, nobis voluit commendare dum dicit, quòd turba non ſit ante nos, qua in ſynagogis ad diuina ſacrificia homines congregabantur. Cum ergo hoc ſacrificium dimittẽdi peccata inimico facis, non id facias laude humana, ſed cogita quòd patri tuo dimittis iniquitatem, quam inimici exercuerũt in te. Alioquin ſi id facis propter homines, vt te honorent, recepiſti mercedem tuam, quia vt ait Hieronymus: Non virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet. Si vis ergo quòd pater tuus, qui eſt in abſcondito cordis & intentionis tuæ, reddat tibi, neſciat ſiniſtra tua, quæ eſt gloria mundi, quæ dormit in ſinu tuo, a qua te obſeruare debes: hæc ſenſualitas neſciat, noli eius accipere in tanta re conſilium ſed dexteræ, illam amputa, hæc operetur opus Dei, quæ eſt fides charitate formata. Patrem ſequere animæ non corporis, & loquere bona inimico tuo, vt refrigeretur, iuxta id: Nonne ardorem refrigerabit ros: ſic verbum melius quàm datum. Cum inimicum ſalutas, Deum adoras, & vtriuſque ardorem iratum extinguis, quoniam pietas ad omnia valet: promiſsionem habens vitæ gratiæ quæ nunc eſt, & futuræ quæ erit in gloria, ad quam nos perducat Ieſus. Amen.

Gen. 50. c

Hier. lib. 1. in c. 6. Mat. in prin. to. 6.

Eccl. 18. b

SERMO I. DOMINICAE PRIMAE QVADRAGESIMAE.

De ignorantia praua Dæmonis iuxta Euangelium.

THEMA.

Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorat Ioſeph. Exo. 1.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Mariæ immunitas.

QVAMVIS dicatur quòd omnis Ægyptus ſubdita, immo & tributaria fuerit Pharaoni: & ideo merito nõ ſolum reſpectu filiorũ Iſrael, ſed etiam propter Ægyptios, vt notat Origenes, dicatur domus ſeruitutis: tamen terram ſcimus ſacerdotalẽ fuiſſe a captiuitate immunem, quia ex ea oriundus erat Chriſtus ſacerdos in æternum, qui eam ſibi conſecrauerat ante ſæcula. Si ergo ſacerdos & rex Chriſtus omnes liberare venerat, iuxta id:
Ioan. 8. e Si filius vos liberauerit, veri liberi eſtis, quanto putas liberiorem fore matrem eius, in cuius mortali corpore nũquam regnauit peccatum? quotidie nos experimur aliam
Rom. 6. d legem ſeruitutis in membris noſtris captiuantem nos in legem peccati: ſed terra ſacerdotis magni nulla lege tenebatur, quoniã in Ægypto duplex erat lex: prima contra Ægyptios, qui tenebantur quintam partem regi dare: ſecunda contra Hebræos, quam quidẽ arbitror acerbiorem, quia aduenæ erant in terra non ſua: vnde & ſe & ſua ſubiacuiſſe puto ſeruituti: & iuxta hanc duplicem legem eſt duplex malũ in nobis, animæ & corporis: vtrumque enim amplectitur peccatum originale, & vtrumque fecit & ſubiugat. Depredatum eſt enim animam meam, & adurit car-

nem meam ſub Ægyptiaca ſeruitute: ſed terra ſacerdotalis Maria nullo tenetur vinculo, cui quintam partem dedit, & in qua laterem igne Spiritus ſancti decoctum fecit, quo Eccleſia fundatur: vnde propterea munda ſeruatur. Quia non regnauit peccatum in mortali corpore ſuo, & anima eius magnificat Dominum, qui eam totam liberauit: vt libera eſſet iuſtitiæ, quæ ait: In vijs iuſtitiæ ambulaui. Prima via eſt immunitas animæ, ſecunda immunitas corporis: vtrumque enim gratia occupat, quia ſtatim quo eam angelus vidit totam occupatam a gratia, ex hoc eam ſalutauit: nos admonens, vt ad eam pro gratia obtinenda recurramus, dicendo, Aue Maria. *Prou. 8. c*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

REGES & vina eodem modo probanda veniunt, nam quo antiquiores, dicuntur meliores, non ſolũ quo ad ætatẽ: quia væ terræ cuius rex puer eſt, ſcilicet ſenſu, ſed quo ad lineam regiam, qua propagantur, & quo ad regni durationem, vnde dicitur de Deo: Regnum tuum regnum omnium ſæculorum. Sæculum, vt aiunt, ſpatium eſt quinquaginta annorum: & quoniã ex quo factus eſt mundus, numquam defuit in eo, qui conditorem mundi cognoſceret, & adoraret, nec deficiet vſque ad iudicium: ideo eius regnum dicitur omnium ſæculorum. Sed interea dum eſt regnum Dei in terra, quod eſt Eccleſia: nam in Ægypto mundo, ſcilicet eſt regnum Dei, quamuis non ſit de hoc mundo, vt Pilato dictum eſt. Interea ergo dum regnũ Dei peregrinatur in terra, ſurgit arroganter nouus rex nõ ſolũ ſuper filios ſuperbiæ Ægyptios, ſcilicet dæmones principes tenebrarũ, ſed regnare vult ſuper omne quod eſt in Ægypto, & fieri princeps mundi huius. vnde oſtendens in hoc Euangelio omnia regna mundi, ait: Hæc mihi tradita ſunt: & cui volo do illa. Iſte ergo nouus rex ignorabat noſtrum Ioſeph, qui eſt antiquus rex, cui dæmon collatus recens dicitur: quia iſte rex noſter ab æterno regnat cum Patre Deo: & antequam conciperetur, eſt ei promiſſum regnum Dauid patris eius, qui etiam natus eſt rex, & obijt in cruce rex Iudæorũ, morte regnum confirmans. Hic & opere & nomine eſt verus rex, quia ſemine & frumento

Regnum quo antiquius eo melius.

Eccls. 10. c

Pſ. 144. c

Sæculi deſcriptio.

Ioã. 18. g

Chriſtus eſt rex.

ſuæ

ſuæ doctrinæ, vt alter Ioſeph, mundum ſubiugat voluntarie, & ideo vocatur lingua Ægyptiaca Saluator mundi: lingua namque cæleſti vocatur Deus filius Dei, ſed hic, in Ægypto frequentius vocatur Saluator mundi. Iſte ergo tam verus, ac rex antiquus ignorabatur a nouo rege Pharaone, qui interpretatur vindicans, & eſt dæmon, qui cupiens in cælo regnare ſuper aſtra Dei, non valuit: & cadens inde, nunc ſe in terra vindicare vult regnando ſuper Ægyptum, non tamen ex Deo, quia ignorabat Ioſeph, qui vere transfert regna atque conſtituit reges. Et quia ſolum Ioſeph & ſuos timet: ideo ſcire nititur, an ipſe ſit qui regnaturus eſt ſuper Iſrael: vt ſe cautius ab eo caueat, ad ſecurius regnandum ſuper Ægyptum. De duobus ergo iuxta thema in ſermonibus agam. In primo de ignorantia dæmonis. In ſecundo de modo quo regnat.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

CVM in hoc Euangelio dicatur, quòd Chriſtus ductus ſit ab ipſo ſpiritu, qui manſerat ſuper eum, ductus, inquam, vt tentetur a diabolo, & ad eum tentator acceſſerit: & tentatio ſit experimentum ſumere de ignorantia, & Chriſto dæmon tentatiuã fecerit per argumenta: nunc congruit de eius ignorantia agere, quæ quo ad præſens fundatur in Chriſti occultatione. Ad modum enim occultus deſcendit Ioſeph in Ægyptum, & tam diſsimulatus, & tam media nocte ingreſſus eſt Ægyptum, vt promiſerat filius Dei, quòd nouus rex etiam inueteratus malitia ignorauerit: nec mirum, quia ſcriptum eſt: Semitam ignorauit auis, quamuis ſit ipſe callidior cunctis animantibus terræ. Filius Dei venit animatus de cælo, & ſuper omnes eſt, & a celantibus ſe, abſcondit conſilium aduentus ſui. Nullus hominum poteſt ſcire conſilium Dei, & ſolus dæmon callidior nobis ſcrutatur illud. Tamen ſi ſecundum Auguſtinum ipſe Lucifer tentator eius fuit: & vt ait Guilielmus Pariſiẽſis inter dæmones, quia maior eſt in malitia, eſt etiam maioris ignorantiæ: quia intellectus ſequitur affectum prauum. Et cum Lucifer malitia maior ſit, ſequitur quòd ignorantiſsimus eſt. Nec militat hoc contra Dionyſium, qui aſſerit naturalia in dæmonibus remanſiſſe

Tentatio quid.

Iob 28. b

Dion. lib. de diuin. nom. cap. 4. inter med. & fin.

manſiſſe integra, quia in hoc nõ innuit, niſi quòd Deus ipſe ea non minorauit, aut deturpauit, & tamen omne peccatum aliquo modo eſt contra naturam, & eam deturpat ſuper carbones per malos habitus: & cum omnis malus ſit ignorans, ſequitur quòd magis malus amplius ignorabit. Vnde Origenes ponderãs quòd dæmon cõfitebatur Chriſtum eſſe filium Dei, dicens: Veniſti ante tempus torquere nos, ait: Conſidera quòd minor in malitia nouerit Saluatorem: qui vero maior eſt in ſcelere & malitia, eo ipſo quo in malo maior eſt, impeditur noſſe Chriſtum filium Dei veniſſe. Sed attende quòd quamuis malitia, vt ait ſcriptura, cæcum faciat peccatorem, quo dicitur: Tranſlatus eſt ne malitia mutaret intellectum eius: alias quidem taliter inſtat ei, & eum ſolicitat, quòd faciat eum multa coniectare, & ſcire, vt patet in Luthero, & alijs hæreticis, quibus ipſe callidior ad calliditatem aperuit viam. Vnde dicitur: Sapientes ſunt vt faciant mala. Iam ergo ex malitia, quæ multa docet mala, & ex rei magnitudine dæmon ſuſpicatus eſt aduentum ſuperioris ſe, quia tantum negotium non potuit ita abſcondi, quin ſigna aliqua viderentur. Nam dæmon memor erat paſtorum, & magorũ, Simeonis & Annæ, ac diſputationis in templo, quæ ſupra curſum puri hominis videbantur: tamen tunc ſiluit, quia nulla viderat amplius opera Chriſti, qui latuit deinde vſque ad annos triginta: cuius ætatis erat Ioſeph quando eductus a carcere magnificatus eſt in Ægypto. Sic Chriſtus, in quo ad integrum completa eſt figura, noluit a vita infima exire nec publice honorari vſque dum triginta eſſet annorum, vt res matura videretur. Tunc vt alter Ioſeph triticum cœpit animarum in horreo Eccleſiæ congregare cum vẽtilabro prædicationis, & factum eſt ei hoc quod dicitur de Ioſeph: Tulitq. annulum de manu ſua, & dedit in manu eius, veſtiuitq. eum ſtola biſsina, & collo torquem auream circumpoſuit. Fecitq. eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundũ, clamante precone: vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti. In annulo regio poteſtas Patris data Chriſto velut ſub annulo piſcatoris deſignatur, quæ tanta eſt vt cælos aperire poſsit quibuſcumque: quia ideo cæli in Iordane aperti ſunt ſuper eum. In veſtitu byſsinæ ſtolæ

Matt. 8. d

Sap. 4. b

Iere. 4. f

Chriſti & Ioſeph cõparatio.

Gen. 41. e

ſignatur

ſignatur Spiritus ſancti abundantiſsima gratia, quam alba columba præfigurat: & hæc gratia non datur pro ſe, quia ad ſummum habet, ſed pro ſuis: & ideo dicitur quòd mãſit ſuper eum, vt ſcilicet alijs communicaretur. Datur inſuper torques, quæ eſt Eccleſia qua Christus ornatur, vt

Iſa.22.d dicit Iſaias, cui iubetur, vt ipſum audiat, Item eum ſedere ſecum fecit rex Deus in curru ſuo, hoc eſt in eſſentia qua eſt ſimul cum Patre, quæ dicitur currus gloriæ Chri-

Mat.17.b ſti: & ideo vocatur Filius dilectus, in quo ſibi Pater complacuit. In curru Ioſeph eſt ſecundus a rege, quia filius in eſſentia, eſt ſecundus a Patre. Præco clamans eſt Ioannes qui tot præconia intonuit Chriſto, vt etiam eius diſcipuli ſequerentur Chriſtum relicto Ioanne. Immo & Pater ipſe Chriſti præco fuit, quia in Chriſti commendatione vox de cælo facta eſt. Sic ergo innouata ſigna, & mirabilia immutata videns dæmon, ignorat an Chriſtus ſit filius Dei, quia hoc dato indubitanter, ſcit impleri pro-

Iere.17.b phetia illa, qua de ipſo dicitur: Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias & non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſsimo ſuo erit inſipiẽs.

Perdix fouet aliena oua. Perdix, vt dicunt Gloſſæ, oua aliena fouet, & nutrit, educens pullos qui naturali inſtinctu eam relinquunt, & matrem naturalem ſequuntur educti: ſic dæmon peccatores Dei facturas nutrierat, & totam gentilitatem vſque ad Chriſti aduentum poſſederat, viribus & poſſe omnia nutriens, & fouens: tamen quando ea, quæ omnium bono-

Prou.1.c rum mater eſt ſapientia, Chriſtus dedit in plateis mundi vocem ſuam, prædicans pœnitentiam, & appropiuquari regnum cælorum: relicta eſt perdix ab eis, quos nutrie-

Pſal.9.b rat. Vnde dicitur in Pſalmo: Ciuitates eorum, ſcilicet dæmonum, deſtruxiſti. Quia idolis reiectis ibi iam colitur Chriſtus, diuitiæ autem quas dæmon fecerat, ipſi ſunt peccatores, quos vendicat ſibi. Et dicuntur non eſſe in iudicio: quia tunc fiunt dæmonis, quando relinquunt rationis iudicium, & memoriam iudicij Dei, iuxta illud:

Pſal.9.e Aufers iudicia Dei a facie eorum. Has diuitias, & mundi gloriam in dimidio dierum ſuorum derelicturus erat: vbi attende, quòd ſi hos dies ad Chriſtum referas, vita humana communiter ſtat in ſeptuaginta annis, quorum dimidium ſunt triginta quinque, quo tempore Chriſtus iuit

ad por-

ad portas inferi ſpoliandi, iuxta id: In dimidio dierum *Iſa.38.a*
meorum vadam ad portas inferi. Nam tunc Chriſtus erat
triginta quinque annorũ: quia tribus annis,& dimidium
prædicauit ſuper triginta: & iuxta decem menſes fuit in
ventre Mariæ a primo inſtanti homo: vnde ab eo quia ex
tunc vir fuit, computa dies eius, & inuenies quòd ſpoliat
infernum cum eſt fere triginta quinque annorum. Dicitur
vltra quòd dæmon in nouiſsimo ſuo erit inſipiens, & nouiſsimum
eius eſt quando facit vltimũ potentiæ ſuæ, quo
facto contra Chriſtũ adeo inſipiens manſit, quòd ei valeat
dici: Cani effuſi ſunt in eo,& ipſe ignorauit. Cani dæmo- *Oſe.7.e*
nis ſunt experimenta eius ad decipiendum probata. Multos
deiecerat his tentamentis, quibus Chriſtum aggreditur,
tamen ignorans manſit. Iam ergo poſtquam Chriſtus
a Iordane aſcendit, homo tota Trinitate aſſociatus, deſertum
petijt: vnde incipit Euangelium.

Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum, &c. Nunc ad litteram,
nota quòd Chriſtus non inuaditur a tentatore, niſi
eſuriens: quia neminem dæmon tentat niſi occaſione accepta.
Nec Chriſtum hactenus tentarat: quia cum in faciem
ei Chriſtus reſtiterat, fugiebat ab eo, iuxta id: Reſi- *Iac.4.b*
ſtite diabolo,& fugiet a vobis. Sed vt ei locum accedendi
daret, nimis voluit eſurire: quia dæmon nimis afflictos *1.Reg.30*
inuadit. Scimus quòd puer Amalecitæ, dominum ſuum *d*
fame compulſus negauit, dum ab eo deſertus eſt. Et Eſau *Gen.25.d*
pro paruo edulio primogenita vendidit: & propter parum
mellis ſententiam mortis Ionathas incurrit. Poſtquam
ergo ieiunat quadraginta diebus, & tot noctibus, eſurijt,&
memor dæmon illius dicti: Cum eſurierit inimicus tuus *Prou.25.*
ciba illum, accedens (qui hactenus fugerat) lapidibus *c*
onuſtus, ait Domino: *Si filius Dei &c.* Dic, inquit, quaſi
ipſe Deus: quia ipſe dixit & facta ſunt omnia. Non igno- *Pſ.148.a*
rat dæmon quòd Chriſtus ſit filius Dei adoptiuus: quia
hoc facile valet ſciri, cum corda hominum manifeſta ſint
prudentibus: ſicut in aqua vultus clarent proſpicientium.
Et ex fructibus cognoſcantur homines: & per foramen
oris pateat arcanum cordis. Et ab occurſu faciei ſuæ cognoſcatur
ſenſatus. Quærit ergo dæmon an Chriſtus ſit
filius Dei Patri conſubſtantialis, quia ſcit patrem non eſſe
ſterilem. Tamen dic tu dæmon, ſi diuinus Filius Dei eſu-

Pſ.135.c riet,qui dat eſcam omni carni quid eſſet nobis, nonne periremus fame? Diuinus filius Dei eſurire non poteſt, ſed humanus,vel humanatus, quoniam ſciebat tentator quòd talis futura erat vnio humanitatis ad Verbum, quòd ibi fameſcere poſſet filius Dei: iam ergo ſcire dæmon cupit, an homo quem eſurire cernit, vnitus ſit filio Dei verbo æterno hypoſtatice. Pro hac ergo ignorantia intulit Chriſto: *Si filius Dei es, &c.* Sed vt meminerimus ignorantias eius,dicamus ei: Hoc quod ſcire cupis nõne melius ſcies, dicens Chriſto: *Si filius Dei es*, ſubſtentare in Verbo cui vniris? Nam ſi efficientia eſt in verbo Verbi, cur non erit in ipſo verbo? Quid opus eſt,vt dicat, ſi velit? Melius eſt vt abſque pane tranſeat, quàm quòd cum ex lapidibus faciat: ideo ingeris ei: *Si filius Dei es*, non eſurias, neque
Pſ.49.d ſitias iterum. Sed vt amplius arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam inſipientiam tuam, quid cõſequentiæ habet: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant?* Eſto quòd fecerit de tuis lapidibus panem: nam ſi ob hoc cre-
Exo.14.e deres, crede quoque filium Dei fuiſſe Moyſen, qui fecit
Pſ.135.b mirabilia in Ægypto, diuiſit mare rubrum in diuiſiones:
Ioſ.10.c eduxit aquam de petra. Et Ioſue qui aperuit Iordanem, ſolem detinuit: proſtrauit funditus muros Iericho. Cre-
3.Reg.17 de etiam filium Dei Heliam,qui mortuum ſuſcitauit, plu-
d uiam poſt tot annos impetrauit & ignem de cælo. Crede
4.Reg.4. ſimiliter filium Dei Heliſeum, qui plura fecit miracula.
a Sed forte reſpondebis,quòd iſti hæc fecerunt implorantes Dei auxilium, & tu vis, quòd Chriſtus poteſtatiue hoc faciat,& ideo iubes, vt dicat ſolummodo, quia per Verbum facta ſunt omnia: ſed hæc eſt tua peior dementia, quia intra cor ſuum orare poterit, quòd tibi nullo modo patet: vnde in ſilentio poterit orare, ſicut orabat Moyſes, quan-
Exo.14.d do ei tacenti dixit Deus: Quid clamas ad me? nam deſi-
Pſal. 9.g derium pauperum exaudiuit Dominus,non ſolum videtur ignorantia dæmonis de Chriſto, ſed quòd ignoranter tentatiua argumenta proponat:pro quo tamen aduerte,quòd tot tentationes in hac prima inculcat,quot lapides Chriſto monſtrat, & taliter reſpondet ille, qui comprehendit
Iob 5.b ſapientes in aſtutia ſua,quòd vnica ſentẽtia ſatisfacit omnibus. Seriatim autem procedamus, & iam quo ad primũ ſcire eſt,quòd ſatis ſapienter interrogat dæmon,quia niſi

Chriſtus

Chriſtus fregiſſet argumentũ ſuum, ipſe ſciret intentum. Pro quo aduerte prius, quòd nil contra dæmonem facit, quæ ex noſtro diximus contra eum. Nam ſi amplius eſt vitam ſine cibo agere, hoc non releuat dæmonis ignorantiam erga Chriſtum, quia cum ipſe cupiat ſcire vtrum Chriſtus ſit filius Dei, & omnem efficientiam poſsibilem haberi in humanitate, habeat tota Trinitas, vt diximus, ſicut & in alia quacumque re ad extra, ſequitur quòd ſigillatim de filiatione nihil ſciret. Non ergo dæmon ignorat poſſe Chriſtum ſuam ſine cibo ſubſtentare humanitatem, ſed ex illo nullum argumentum ipſe poterat ſumere, nec ideo conſequens eſt, aliquem filium Dei eſſe, ſi per multos annos etiam cum diuini Verbi adiutorio ſine cibo conſeruetur, quia hæc Verbi efficientia & præſeruatio à fame non ita requirit hypoſtaticam vnionem, vt illam verbum præſeruationem facere non poſſet, niſi in humanitate ſibi vnita. Omnem namque efficientiam quam verbũ in humanitate Chriſti habuit, aut habere potuit, omnem actionem illam habere potuit, quamuis ei vnita non eſſet. Sicut de facto illam Pater, aut Spiritus ſanctus habuit, cui non erat vnita, & ideo ex illa tali famis carentia non potuit conijcere an filius Dei eſſet. Et vltra hoc ſcias, quòd plus eſt in Chriſto lapides panem facere, quàm per totam vitam non comedere, quia hoc ſecundum non eſt in Chriſto niſi deſitio, vel ceſſatio miraculi: nam diſpenſatiue comedebat, qui vnitus erat Deo, in quo ſolo viuunt ſancti in cælo ſine cibo. Ad illud autem de miraculis ſanctorum, quæ non eos filios Dei concludunt, dicitur quòd magis facit ad probationem alicuius veritatis intentio qua ſit miraculum, quam ipſum miraculum. Quemadmodum Hieronymo teſte: Plus facit apud Deum cauſa virtutis quàm ipſa virtus: vnde minimum miraculum verum factum pro confirmatione alicuius veritatis eam indubitãter concludit, aliter Deum ſe teſtem falſitatis adhibebit, & ideo ob miracula Chriſti iudæi tenebantur credere eum eſſe filium Dei, quia ad hoc confirmandum, & illa intentione fiebant: vnde aiebat: Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me, & teſtimoniũ perhibet de me Pater, qui in me manens ipſe facit opera. Iam ergo miracula quæcumque non oſtendunt aliquem filium Dei, quia

Hiero. lib. 1. in c. 6. Mat. in prin. to. 6

Iudæi tenebantur credere Chriſtum Deu.

Ioan. 5. g

non ea intentione ſiunt. Sciens ergo dæmon hanc theologiam bene ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiãt.* Et eſt ſenſus, in teſtimonium huius veritatis, quòd tu es filius Dei, *dic vt lapides iſti panes fiant.* Si ergo Chriſtus de lapidibus oſtenſis, panes faceret, non concluderet nec probaret ſe eſſe Deum: ſed hoc facere hac intentione, vt oſtẽdatur miraculo veritas filiationis: optime probaretur filius Dei maxime apud dæmonem, qui quod ipſe non fecerit, bene nouit Dei poteſtate factum. Sed verſæ ſunt ei, vt ait Iob, lapides fundæ, id eſt malitiæ in ſtipulam, quia Chriſto cum eis non nocuit, nec intentum concluſit. Non eſt enim conſilium contra Dominum. Vt ergo videas qualiter Chriſtus lapidem fruſtratus eſt, vide quid reſpõdeat ei: *Non in ſolo &c.* vſque *ore Dei.* Hoc reſponſum dedit ei: & communiter aiũt Poſtillæ, quòd voluit dicere Chriſtus potiorem eſſe cibũ mentis quàm ventris, alimentoq. animæ inſiſtendum & non corporis, quia cum homo cõſtet ex duplici natura, ſcilicet corporea & ſpirituali, & ſpiritualis ſit potior, ei potius eſt indulgendum. Hæc dicuntur communiter ſuper Chriſti reſponſum, quæ nec ad propoſitum faciunt, quamuis vera ſint, nec os dæmonis opprimerent, nec talis ſenſus eſt dignus Chriſto, quo ad præſens: nam ſi hoc dicere voluiſſet, ſtatim dęmon replicaret ſic: Bene noui quòd potior eſt cibus mentis quàm ventris, nec aliud aſſero: ſed notum eſt, quòd vt rationabile ſit obſequiũ veſtrum, oportet parce, & cum gratiarum actione cibũ ſumere corporis, vt mens valeat orationi vacare. Ipſe nõ diſſuadeo orationem, ſed cum hoc ſuadeo refectionem, nec talem quòd ſpiritualia impedire valeat, ſed iuuare: quia initium vitæ hominis panis & aqua, etiam initium vitæ ſpiritualis, vbi in pane & aqua incipientes ieiunare ſolent. Si ipſe tibi ſuaderem, quòd numquam a comedendo vacares, nec cura carnis in deſiderijs ceſſaret, bene quidem reſpondiſſes, quòd *non in ſolo pane viuit homo, &c.* ſed vt melius viuas, conſulo ne pereas fame, quòd panes facias ex lapidibus, & adeſt aqua in fonte ſanato ab Heliſæo, quam deuote bibere potes. Vnde ſecundum Cyprianum quaſi compatiens Chriſto dæmon, ſubuenire periclitanti naturæ hortatur, vt obaudientem ſibi reddat obnoxium, & ſe de compaſſionis ſpecie reddat acceptum, quamuis multi

Iob 41. d
Prou. 21. d

Abſtinẽtia moderata iuuat, immoderata nocet.
Eccli. 29. d

Cypr. de ieiunio & tẽtationibus. to. 3.

multi ex neceſsitate faciunt virtutem, tamen plures in neceſsitate deficiunt: & ſic dæmon cogitauit, quòd Chriſtus neceſsitate compulſus, obediret ei ne fame periret. Sed maluit Chriſtus incidere in manus Dei, quàm in conſilium dæmonis, & ideo ait: *Non in ſolo pane, &c.*

Hic aliqui dicunt, quòd dæmon Chriſtum cognouerat, & quia credidit poſt paſsionem eius perdere regnum mũdi, voluit Chriſto dicere: *Fac vt lapides iſti*, id eſt corda iudæorum *panes fiant*, id eſt mollia, ne lapident te, neque cruci affigant. Nam ſi hoc faciunt, perdam ego regnum mum. Et reſpondit Chriſtus: *Non in ſolo pane* hoc, id eſt, molli tactu, viuit homo hic quem vides, *ſed in omni verbo, &c.* vſque *Dei*, id eſt oportet impleri Scripturas: Quia iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege donec omnia fiant. Sed hoc non mihi arridet: vnde pro vera declaratione nota, quòd ſupponebat tentator Deum non poſſe alere hominem niſi communi cibo, quo vtuntur homines ſub forma comeſtibili, tamen Chriſtus inſinuat, quòd Deo omnia poſsibilia, immo & facilia ſunt: vbi aduerte quòd Chriſtus contra peruerſos numquam adducit auctoritatem niſi in ſenſu litterali, nec niſi in tali ſenſu debet adduci cõtra alienos: vnde in Deuteronomio dicitur: Nõ in ſolo pane viuit homo, ſed in omni quod egreditur de ore Domini: & loquitur ad filios Iſrael, dicens: Afflixit te penuria, & dedit cibum mãna quod ignorabas, vt oſtenderet tibi, quòd *non in ſolo pane, &c.* nam Deus in deſerto populũ aluit manna, quo nunc purgantur ægroti, & nullo modo poteſt comedi lungo tempore, tamen eo viuere fecit Iſraelitas. Totus naturæ curſus in tranſmutationibus poſitus eſt, certum eſt enim quòd nos terram comedimus, tamen prius vertitur in panem, & aquam bibimus pluuialem, ſed prius conuertitur in vinum, quando per vitis radices prodijt in vuas: & ſic dæmon hac traſmutatione voluit vti Chriſtum ſubito facta, vt ſe aleret, non attendens quòd facile Deo eſſet alere homines etiam ipſis lapidibus, qui vẽto paſcit coruum, & ſtructio carbones ignitos comedit. Putabat ergo dæmon quòd ſicut natura non poteſt præbere hominibus lapides comeſtibiles, niſi eas in agro prius conuertat in panes diuerſis mutationibus: ſic Chriſtus nollet vti lapidibus ad eſum, qui hoc poſsibile

Matt.5.b

Deut.8.a

ſore Deo, reſpondit. Vnde aduerte quòd litteralis ſenſus verborum Chriſti, ſecundũ Abulenſem ſuper Matthæum, eſt iſte. Homo non viuit in ſolo pane, ſed in omni alia re, qua eum viuere iuſſerit, ac nutriri Deus: cum ergo Deus ſuos alere poſsit lapidibus, ſi ego ſum filius Dei, lapidibus ipſis cibari potero. Non ſine myſterio Chriſtus non mutato ſenſu ſcripturæ mutauit verba: nam illic dicitur: In omni quod egreditur de ore Domini: ipſe autem dixit, in omni verbo quod procedit, vbi non vertitur ſententia, ſed conuenientius aptatur ſpecialiter alicui: nam verbum in Scriptura accipitur ſæpe pro quacumque re, vt quando di-
Iſa. 39. b xit Ezechias, quòd non fuit verbum, quod non oſtenderit nuncijs Babylonis. Et proprius accipitur verbum pro ipſo filio Dei: vnde Chriſtus ſententialiter dixit tentatori, quòd homo poteſt ali in omni re, quam Dominus locutus fuerit, vt comedat taliter, quòd vis alẽdi, & nutriendi hominem magis innitatur in Dei iuſsione & locutione de illa, quàm in ipſamet re. Et cum hoc voluit addere ly *verbo* & mutare ly *egreditur* in ly *procedit*, vt ſibi poſſet conuenire ad vnguem ſententia illa: ſed ſtando in primo, fregit Chriſtus dæmonis argumentum, illud euertens & ſerpenti, draconiq; illudens, docuit vitare ambages voluntatis humanæ, & totum Dei præcepto committere, qui om-
Pſ. 113. c nia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra, & in omnibus abyſsis. Et planius dixit: Si ipſe filius Dei ſum nihil vetat lapides edere, nec ſolo pane viuere cogor. Non ergo in ſolo pane, id eſt in ſua diſpoſitione viuit homo:
Sap. 9. c Quia incertæ ſunt prouidentiæ noſtræ, ſed viuit optime in omni verbo, eum diſponente: quod ad hominem dirigendum in omnibus procedit de ore Dei, cui non at-
Iſa. 30. a tendunt illi, de quibus ipſe cõqueritur dicens: Os meum non interrogaſtis.

Secũdus lapis eſt pertinacia diaboli. Alio lapide voluit dæmon percutere Chriſtum, ſcilicet ſua pertinaci voluntate, optans vt ſe proderet: tamen ipſe Chriſtus in eadem ſententia dixit, quis ipſe eſſet: & tunc allegorice eſt ſenſus: Homo iſte, quem eſurire cernis, non in ſolo pane viuit naturali, ſed in omni verbo ſubſtantiali quod ab æterno procedit de ore Dei Patris: quia verbum illius eſt. Suppoſitatus eſt homo quem vides in omni verbo, id eſt in illo verbo per quod facta ſunt omnia. Vnde

ly

ly *omni* denotat perfectionem, ſicut quando dicitur: Time Deum, & mandata eius ſerua, hoc eſt omnis homo, id eſt faciens hoc habet perfectionem integram. Caro Chriſti etiam dicitur omnis caro, ibi, vbi ait Maria: Ego quaſi nebula tegi omnem carnem, & ſic verbum Dei dicitur omne verbum, quia per illud omnia habent eſſe, quod eſt omnium contentiuum. Vnde quia Chriſtus vixit vita diuina, de hoc reſpondit dæmoni, quaſi diceret, quòd mirum eſſet, quòd comedebat: quoniam ſi Moyſes paſtus eſt quadraginta diebus conſortio ſermonis Domini, cur non ſemper paſci potuit Chriſtus vnione Verbi, quod eſt panis viuus, & viuere facit in æternum? *Eccl. 12. d* *Eccli. 24. a* *Exo. 34. d*

Tertius lapis dæmonis contra Chriſtum fuit deſperatio: nam de impatientia eum lapidibus tentauit, quia repræſentans lapides, clarum eſt quòd opere dicebat ei: Iam multum ieiunaſti, & ecce cibus tibi a Deo præparatus, ſcilicet lapides, quos tu vide ſi in panem potes cõuertere: alioquin non porcorum, ſed nec dæmonum edulium habes, tanta Deo eſt cura de te. Simile eſt illud prophetæ: Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes, ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem: & tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt. Huic lapidi peſſimo reſpondit Chriſtus, quòd non viuit homo tranſitoria conſolatione, quæ eſt panis mendacij, ſed in lege Dei, & in omni lege Dei, vt nec iota vnum, aut vnus apex prætereat, donec omnia fiant propter amorem illius, a quo procedit, vt faciunt filij, & non propter mercedem tantum, vt mercenarij, qui nunc abundant panibus. Vbi nota, quòd cæleſtia bona dicuntur ex ore Dei procedere, quia illa ſæpe ſuadet: terrena autem quia diſſuadet non ita procedere dicuntur. Repete ſemper quo modo adhuc dato tam profundo reſponſo rex nouus ignorat Ioſeph, quoniam inſipiens remanſit dæmon. Tertius lapis eſt deſperatio. *Mala. 3. d* *Matt. 5. b*

Quartus lapis, quem Chriſto dæmon intulit, ſpiritualiter eſt cor peccatoris, ſecundum Origenem, quia ipſe hominum corda lapidea, & duræ ceruicis fecerat, & vult videre quid Chriſtus ſentiat de hoc: an poſſit inter dicendum, & prædicandum talia corda in panes propoſitionis Quartus lapis eſt cor peccatoris.

Deo conuertere, quod eſt opus filij Dei, qui de lapidibus iſtis faciet filios Abraæ. Vult ergo videre, an Chriſtus ei cõtrarius, ſit maioris virtutis in molliẽdo corda hominũ, quàm dæmon indurando. Et etiã huic lapidi aptatur Chriſti reſponſum, quia non in ſolo pane doctrinæ viuit homo, quamuis ſacra ſit doctrina, ſed ab ore Dei procedit ſecrete aliud verbum mirabilius, cuius venas, & monitus ſuſurrij

Pſ. 84. b eius audiuit auris mea, & audiã quid loquatur in me Dominus Deus, loquens ad cor Ieruſalem: nam dum Chriſtus ipſe mundo prædicat, etiã malos ab intus aliquo mo-

Ioã. 10. e do ad ſe quidem traxit, quia ipſi aiunt: Vſquequo animas noſtras tollis! ſi tu es Chriſtus dic nobis palam. Qui ergo habet doctrinam, panem fractum paruulis habet. Sed niſi vim verbi, & gratiã adminiſtret Dominus, non viuet homo

Iſa. 30. e audiẽs in ſolo pane: beatus ergo cui dicitur: Dabitur pluuia gratiæ ſemini tuo, id eſt doctrinæ, vbicumque ſeminaueris. Non ergo Chriſtus in ſolo pane doctrinæ hominem traxit ad ſe, vt philoſophi, ſed vltra hoc adiecit quandam vim verbo, & ſic verbum ſuum erát omne verbum omnẽ ſufficientiã habens. Ergo ait Chriſtus: O dæmon, non in ſolo pane ſciẽtiæ viuit homo, vt tu qui multa ſcis & calles: ſed recipit verbum Dei omnigenum, & omni virtute refertum, quod tu reſpuis, contentus lapidibus inſipidis mẽdaciorum, & erroribus falſitatis, quia es pater mendacij.

Quintus lapis eſt gula.

Quintus lapis gula eſt, vt communiter dicitur, de quo vbique multa reperies.

Sextus lapis eſt dæmonum aggregatio.

Sextus autem lapis eſſe poteſt dæmonum aggregatio, de quibus ironice dicitur Chriſto: *Si filius Dei es, dic vt lapides,* hoc eſt dæmones obſtinati panes molles fiant, quos Chriſtus renuit cõuertere, quia iam damnati ſunt in ignẽ æternum. Noluit ergo Chriſtus primum miraculũ ad eius ſuggeſtionem facere, vt in nouiſsimo ſuo dæmon eſſet inſipiẽs, tam ante Chriſti aduentũ quàm poſt. Et noluit, quia primum miraculũ ad orationem Mariæ fieri debuit, & nõ hic, quia aqua legis prius mutari debuit in vinum Euangelij, quam lapides gentilitatis in panem Chriſti conuertendi, quoniam poſtea hoc per Apoſtolos fieri debuit, qui

Act. 13. g aiunt: Ecce conuertimur ad gentes. Attende, quòd Chriſtus fecit contrarium diabolo: nam ille voluit lapides in panem fieri, & Chriſtus panem conuertit in lapides, quo-

niam

niam Scriptura panis eſt, quæ frangi debet paruulis per varias expoſitiones: hunc pané Chriſtus conuertit in lapidem, quando dæmonem auctoritate Scripturæ percuſsit, Prudentia eius, vt ait Iob, percuſsit ſuperbũ, non potentia: quia hic Chriſtus non inquantum Deus, ſed inquantũ homo vincit. Quam vincẽdi artem primus docuit dux noſter per totum hoc Euangelium: quod nos facere debemus, vt in pugna erudiamur: vnde Gregorius: Tentatus a diabolo Dominus ſacri eloquij præcepta reſpondit, & qui tentatorem ſuum mergere in abyſſum poterat, virtutem ſuæ potentiæ non oſtendit, quatenus nobis præberet exemplum, vt quotiens a prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potius quam ad vindictam. *Iob 26. d* *Gregor. in Euan. hom. 16. ſup. med. to. 3.*

Attende ergo tibi o peccator, quia etiam nunc dæmon lapides oſtendit, quos mollitos vult te comedere, ſicut ipſe qui terram comedit cunctis diebus vitæ ſuæ, durante ſcilicet mundo: vnde vt ait Chryſoſtomus: Qui peccatũ conuertit in vſum, lapides conuertit in pané. Ideo peccata dicimus lapides, quia mala, inſipidaq. ſunt palato ſano: dæmon ergo vult vt tu dicas, id eſt iudices ſaporoſa per errorem deceptus, quod poſtea doleas ad te reuerſus. Non ſis vt pueri terrã comedentes, quia infirmi ſunt, nec tibi credas: ſanos perquire, quid ſentiant de lapidibus peccatorũ ſuorum. Interroga tẽperatos, quid de luxuria ſentiãt, quid de gula, ne tu dicas contra caput tuum, & lapidem conuertas in panem, quoniã dum retines odium fratris in corde, dum aliena domi reſeruas, dum cõcubinam poſsides, dum inuidiæ indulges, dum vacas comeſſationibus, dum animæ tuæ curam negligis, lapides conuertis in panem: quia peccatum conuertis in vſum. Ne viuas in hoc pane, quia mors tibi eſt: ſed in omni verbo gloriæ Dei. *Chryſoſt. in opere imperf. Mat. cap. 4. hom. 5. lõge a fine to. 2.*

Solent etiã peccatores ingerere hæc verba præconi verbi Dei, optantes vt lapides reprehenſionũ panes fiant, id eſt verba blanda, nec enim volunt audire comminationes ſeueræ iuſtitiæ, aut minas iudicij Dei, ſed panes, id eſt promiſſa miſericordiæ, ac rationes indulgentiæ: tamẽ veriſſimum eſt, quòd homo non viuit, dum viator eſt, in ſolo pane miſericordiæ, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, id eſt tam in verbo iuſtitiæ, quàm miſericordiæ: ideo alternatim panem, & lapidem debemus populo propinare:

vnde

vnde tabulæ lapideæ, & manna ſunt ſimul in arca cum illa
Pſ.44.b virga, de qua dicitur: Virga directionis, virga regni tui.
Cauete igitur, ne quis vos ſeducat pane mendacij & promiſsionibus vanis, quia & in iudicio Dei erunt lapis & pa-
Matt.25.d nis: nam lapidea verba ſunt illa: Ite maledicti, & velut panes ſunt illa: Venite benedicti &c. Primus ergo lapis, id eſt prima tentatio, fuit ſuperbiæ: vnde ait: *Dic vt &c.*
Pſ.148.a Dic ſicut Deus, qui dixit, & facta ſunt. Secunda tentatio fuit gulæ. Tertia deſperationis. Quarta potentiæ. Quinta ſapientiæ. Sexta peccati. Septima vero adulationis, vt adularetur peccatoribus, miſericordiam tantum eis prædicando, ne tot comminationes vibraret in eos: Chriſtus autem lapidibus ſuis dæmonem percuſsit. Tamen ſi diuitibus huius ſæculi habentibus magnas domos lapideas loqueretur dæmon, vt eas in panes eleemoſynæ conuerterent, bene eſſet eis, quia obtinerent gloriam. Amen.

SERMO II.

DOMINICAE PRIMAE QVADRAGESIMAE.

De duabus reliquis tentationibus, & de noſtris, iuxta Euangelium, & iuxta figuram præaſſumptam.

THEMA.

Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorat Ioſeph. Exo.1.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Exo.2.a MATER Moyſi legitur filium ſuum expoſuiſſe curſui fluminis, quem fere iam naufragium patientem filia regis eripit, & a mortis ſententia liberum reddit, & nutrit, donec iam grandæuus efficitur & cognominatus filius filiæ Pharaonis.

Quilibet

Quilibet noſtrum ſpiritualiter intelligendo ipſe Moyſes puer eſt, quia ex quo nati, immo concepti ſumus, expellimur peccato ab ipſa natura matre noſtra, & mergimur culpæ originali. Dum a vulua progredimur, deorſum currimus ad vitia: rarus eſt qui ad altiora virtutum aſpiret. Quis poteſt a fluctibus tentationum exire? quis diabolum Pharaonem vincere? quis eius iugum malarum inclinationum fugere? quis totam ſuam familiam, & deſideria ſalubriter educere ab eius importuno imperio? nemo quippe niſi a filia nõ regis, ſed Dei adiutus, quia de ea dicitur: Filiæ Tyri, in muneribus vultum tuum deprecabũtur, omnes diuites plebis. Diues eſt, qui idoneus vt eam oret, inuenitur: & ditior fiet cum eam fuerit deprecatus. Sed filia Pharaonis non miſereretur prophetæ niſi eius audiſſet eiulatus: & ideo vt nos audiat & miſereatur noſtri Maria primogenita Dei, clamemus ad eam in muneribus ſalutationis angelicæ, dicendo. Aue Maria. *Pſ.44. c*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

NVNC in ſecundo ſermone videre eſt, qualiter nouus rex ſuper Ægyptum regnet, totumq. mundum poſsideat, vel ſubiugare nitatur: & quoniam Chriſtus in mundum venit, quamuis eum mundus non cognouit: ideo quia dæmon eſt contra Dominum ſemper, voluit non ſolum tangere Chriſtum Dominum probamentis, ſed aduerſus eum ſe armans etiam ſuper ipſum Chriſtum voluit regnare: quoniam ſcriptum eſt, quòd extollitur dæmon ſuper omne quod dicitur Deus. Et permiſſum eſt ei prœlium facere etiam contra perſonam Chriſti, vt innoteſceret ſuperbia eius ad timendum, & Chriſti humilitas ad imitãdum, & nos potentiam timeremus in dæmone, & patientiam imitaremur in Chriſto. Item, vt vires dæmonis in Chriſto eneruarentur, vt ait Gregorius, ne tantum vigerent contra nos. Quarto, vt tentatus per omnia omnibus ſimilis eſſet. Quinto, vt ex eis, quæ paſſus eſſet, diſceret miſereri, expertus malorum: Vnde, non habemus pontificem qui neſciat infirmitatibus compati. Sexto, vt victoria capitis membris valeret. Vltimo, vt dæmon merito perderet in Chriſto, quod iuſte poſsidebat in nobis: quoñiã volens

Ioan.1. a

2.Theſſ. 2. a

Chriſtus quibus de cauſis tentari voluit.

Hom.16. in Euan. to.3.

Hebr.4. d

mittere

mittere falcem in meſſem alienam, ſuæ perdidit facultatem, vt ait magiſter ſententiarum, vnde peccatores dimiſit, propterea quòd iuſtum iuſtorum inuaſit ſegregatum a peccatoribus.

Diuiſio. In prima parte ſermonis videbis quo modo Chriſtum voluit ſuo imperio ſubiugare.

In ſecunda quo modo eius membra.

PRIMA PARS.

VISA prima tentatione, aduerte nunc quòd voluit Chriſtus locum dare diabolo, ei leuiter reſpōdendo, taliter quòd non intelligeret reſponſum, quamuis non eſſet reſponſione dignus, ſed indignatione ſancta vincēdus, vel ſpiritu furoris, ſiue labiorum Chriſti proijciendus in tenebras exteriores: tamē paulatim voluit Chriſtus agere cum eo, vt nil ſciret dæmon. Vnde Cyprianus: Nil certitudinis ſeductor extorſit, ſed dubius, incertusq. dimiſſus eſt: nec obtinuit vt ſe proderet Chriſtus miraculo. Sic ergo dæmon in cæcitate permanens callidiora tentamenta perquirit, & vt Chriſtum ſubiugaret, eum in vanā gloriam voluit erigere de præterita victoria, putās quem gula non vincerat, vana gloria ſuperari: quia, vt ait Cyprianus: Experientia rerum didicerat, & in multis probauerat vitiorum victores ſæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum, propinquumq. eſſe virtutibus malum adulationis. Contra hoc malum nos armat Scriptura dicēs: In die honoris tui ne extollaris, id eſt in deuotione, vel victoria vitiorum ne appareat cornuta facies tua, eo quòd Dominus tibi ſit locutus: nam in loco cinerum iuſsit Deus proijci veſiculam inflatam gutturis & plumas: ne volatum incipias vanæ gloriæ attollere. Memorans ergo dæmon, quòd Saul poſt victoriam voluit honorari a Samuele coram populo, aſſumpſit Chriſtum in Ieruſalem. Non ſine tremore legendum eſt: *Aſſumpſit eum Diabolus*, qui factus eſt vt nullum timeret. Quid faciet de nobis quando ſic Chriſtum voluit ſubiugare? Væ, væ, væ terræ, quia deſcendit diabolus ad vos cum ira magna, ſciens quia modicum tempus habet. Magna equidem ira eius, & amara valde, & amariſsima in pace noſtra, qui ſine dæmonis inuaſione

Cypr. de ieiunio & tentationibus, circa med. to. 3.

Ibid. parum infra.

Eccl. 11. a

Exo. 34. d

Leu. 1. d

1. Reg. 15 f

Apo. 12. c

uaſione putamus tranſigere vitam noſtram, cum talia de Chriſto capite noſtro legamus ad cautelam noſtram, vt ſimus pauidi. Iam ergo de modo quo Chriſtum aſſumpſit diabolus, dubium eſt. Cyprianus enim dicit quòd imaginarie ductus eſt, ſicut Ezechiel ſuper flumen Cobar. Alij cum Auguſtino dicunt, quòd eum manu ad manum duxit in forma humana perſiſtens, & dicẽs ei: Veni, quia in Eccleſijs benedicendus eſt Dominus, & ob id pergamus ad templum. Chryſoſtomus autẽ dicit, & Hieronymus eum per aera ductum, quod & magis credo: nam ſæpe ſancti viri volare ſibi videntur, & etiam corpus contemplantium ſæpe ſolet a terra eleuari. Et etiam hoc de aliquibus ſanctis legitur, hoc ergo genere tentamenti Chriſto illudere voluit, per aera ducens in templo ſpirituali ſine ficto volatu, quem Spiritus ſanctus per terram duxerat in deſertũ. Et vt ait Hieronymus: Neceſsitatem putauit dæmon Domini voluntatẽ, qui ſua arte eum ducebat, & vt ait Chryſoſtomus: ingerebat dæmon Chriſto, quòd ab omnibus videbatur volare, tamen ipſe Chriſtus ſecretius faciebat, vt a nemine videretur. Vnde dæmon vt rex Hai non timuit aggredi verum Ioſue, ignorans inſidias ſibi parari, ſcilicet deitatis, & ſic victus eſt. Dum ergo Chriſtũ ferebat, ei ſuggerebat: Sanctus es, & beatus, quia vide qualiter angeli deducunt te. Et denique ſtatuit eum ſupra pinnaculũ templi, ſiue cathedrã, a quo multos deiecerat, & eum veluti ſupra legẽ, & prophetas collocat. Et vt ait Origenes: Chriſtus quodam modo loquebatur intra ſe dicens: Duc quo vis, tenta vt placet, inuenies me in omnibus fortiorẽ. Statuto autem ſuadet inde ſe præcipitem dare. Vt oſtendat quòd ad hoc eleuat vt deijciat, nec aliud vult quando applaudit, niſi mordere. ait ergo: *Si filius Dei es, &c.* Si multum confidis in eo, de quo dixiſti, quòd in eius verbo viuit homo, non morieris. *Mitte te deorſum: quia angelis ſuis &c.* Præco in malo eſt iſte, qui per ſcalam honoris homines aſcendere facit, vt eos poſtea deijciat, ſubtracta ſcala proſperitatis. Non ob aliud primis parentibus promiſit, quòd futuri eſſent ſicut dij, niſi vt eos compares iumentorum faceret. Igitur, o dæmon eieciſti eos, dum alleuarentur, & etiam nos. Sed dic tentator, nonne certius ſcires, quòd volebas, dicendo ei: *Si filius Dei es* cælum aſcende,

Vbi ſupra.
Ezec. 1. a
Chriſtus quo modo ducitur in pinnaculũ.
Chryſoſt. in opere impf. Matt. ho. 5. circa med. to. 2.
Hier. lib. 1. in c. 4. Mat. to. 6.
Chryſoſt. vbi ſupra.
Orig. ho. 31. *in Luc. to. 2.*

aſcende, quàm mitte te deorſum? nullo modo volebat dæmon quòd Chriſtus cælum aſcenderet, timens ne Chriſtus faceret vere, quod ipſe illudens ſuadebat. Et cum angelos eum recepturos promiſit: vt notat Origenes: Voluit minuere gloriam Saluatoris, dicens quòd egeret angelorum miniſterio, ne offenderetur, cum potius ſit econtra. Et ſi forte alibi ſimile in Scriptura reperitur, debet intelligi, quòd tollent eum in manibus, tamquam Deum honorandum, non autem tamquam ſeruum adiuuandum: quia quamuis ſe minuerit paulominus ab angelis, tanto melior eis eſt per gratiam effectus, quanto differentius præ illis nomen habet. Ideo cecidit deorſum Lucifer, quia non eſt vſus Chriſti auxilio. Et ideo ſerui Chriſti angelos iudicabunt. Chriſtus noluit ſe deorſum mittere, & paſſus eſt ſe duci a dæmone: quia vt ait Rabanus, ad diaboli, vel alterius mali inſtinctum bene poſſumus altiorem vitã ſequi, non autem deteriorem: vnde bene eſt quòd annuncietur Chriſtus in nobis, ſiue per occaſionem. Et hoc ait ne tu dubites altiora ſequi, fugiens dæmonis ſuggeſtionem, & putans tibi velle illudere: ſed tu eum illude, ſequens meliora vota, non tamen poſtea recedas: quoniam filij Iſrael exierunt Ægyptum, ipſis Ægyptijs eos compellentibus, & poſtea noluerunt reuerti, etiam vocati, & illis arma ſumẽtibus contra eos. Sic ergo ſanctis etiã dæmones ſeruiunt, dum eos tentant, quia occaſionaliter in altum eos ducunt, & conſulunt altiora a quibus poſtea nequeunt eos euellere. Malos ad malum duxit dæmon in altum, & male: & bonos ad bonum & bene: vnde nil boni poteſt dæmon impedire quia quod ad noſtros deſeruit profectus ſolum ſuggerit: quia debilis, vt ait Hieronymus, eſt hoſtis qui non vincit niſi volentem. Dum ergo in bonis tuis vis ab hominibus laudari deorſum te mittis, deijcis intentionem tuam, & dum prædicator populo placet, & non Deo, deorſum ſe proijcit. Potuit dæmon Chriſtum ducere ad pinnaculum, & ei dicere: Ecce qualiter pro templi vtilitate huc per angelos ductus es. Et non potuit illum deijcere: quia nullo modo tibi nocebit, niſi tu volueris noceri. Ne ergo cauſeris, nec in eum culpam tuam reijcias: quia nil mali tibi facere poteſt.

Orig. ho. 31. in Luc. ca. 2.

Exo. 12.

Hier. in c. 4. Matt. to. 6. ita habet: perſuadere poteſt, præcipitare nõ poteſt.

Videns ergo dæmon, quòd ſic non valuit Chriſtum ſubiugare:

iugare: tertium perquirit modum, & ad ſe rediens memorat ſui caſus cauſam; notans quòd quando ipſe voluit in teſtamenti montem aſcendere, & ſuper aſtra Dei ſedem collocare, tunc cecidit tamquam fulgur. Cum ergo Ieſus iſte, nunc in terra ceteros antecellat, ſicut tunc ego in cælo, ſimilitudo perſonarum ſimilem caſum inducet, appoſita ſimili occaſione, ſi non deſit ſolicitudo mea. Hoc ergo baculo ſuffultus: *iterum aſſumit Ieſum in montẽ, &c.* Dic reliquũ Euangelij. Cum dæmon Chriſto voluit mundum oſtendere, vt propoſito ſibi gaudio, certior redderetur de promiſſo, & per viſum inuitaretur ad aliud. Tunc eum arbitror duxiſſe ad montem Nebo, quia ex eo moriturus Moyſes vidit terrá promiſsionis. Sed aduerte quòd per viſum dæmon allicit hominem. Vnde ait Iob: In oculis ſuis quaſi hamo capiet eum, depredans animam hominis. Bene ſuadere, & promittere poterat dæmon mundum inuiſum Chriſto, ſed ſcit quòd non frangit cor, quod non videtur: vnde merito noluit videre Alexander filias Darij regis ne victor vinceretur ab eis. Sed, o Domine Ieſu quibus oculis mundum deſpexiſti perditum? noſtri oculi læduntur videntes pretioſa, ſed non tui ob Dei viſionem, quæ pretioſior eſt cunctis opibus. Et oculi faciei tuæ multum conformes ſunt oculis mentis omnia cernentis. Nos miſeri oculos habentes plenos adulterij, oculis rapimur nil videntes niſi concupiſcentes: oculi autẽ tui, oculi medicantis ſunt non inficientis, vt mei, qui omnia immunda reddunt. Oculi Chriſti figurantur in Moyſe, de quo dicitur: Non caligat oculus Moyſi, quia oculus Chriſti ſimplex fuit, nec concupiſcentia caligauit. Non caligauit ratio, quia non prædominata eſt paſsio. Oculus ſingulariter dicitur, non quia luſcus erat, ſed quia non habuit Chriſtus oculum ſcandalizantem ſe, quem eruere debent, vt cum vno oculo vitam intraret. Dum ſunt in monte Nebo Chriſtus, & Moyſes ex parte gaudent, & ex parte flent. Gaudent, quia vident terram promiſſam iam reſtitutioni propinquam: flent, quia eam adhuc vident inimico traditam. Dimiſſa ergo iam filiationis quæſtione non curat, an ſit filius Dei, ſed aperte ſe prodijt dæmon, videns quòd noluit ſe prodere Chriſtus, cui etiam in mõte Nebo ſtanti, ait ſecundum Origenem: Ideo veniſti, vt aduerſum me

Iob 40. d

Deu. 34. a

Orig. ho. 30. in Luc. 10. 2.

me dimices, & tollas ſubiectos, nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando moleſtiam, vnum ſolum precor, vt omnia tibi cedant. Procidens adora me, & accipe ex nunc omnia, quæ vides, mundum, & gloriam eius: vbi poteris tuum exercere zelum, & ſciētiam. Pone leges, ſtatuta conde. Indignum eſt tantū doctorem & inſignium operum patratorem ignobili ſchemate obumbrari. Magnanimum magna decent, oblata ergo accipe, & pro tanto munere gratias age. Procidens adora tanti culminis largitorem: hic nota, quòd plus peccauit nunc dæmon quàm olim in cælo, cum uoluit æquari Deo: quia nūc non ſolum æquari voluit, ſed adorari, & coli ab illo cui ſimilis voluit eſſe: vnde miratus Cyprianus de audacia dæmonis
Cypr. de ieiunio & tētat. 10. 3. ait: Inſaniſsime Sathan qua fronte, qua lingua auſus es dicere Saluatori, vt ante te, qui ſtat immobilis, caderet, & te damnatum, ipſe qui te damnauerat, adoraret? quid deſperate ſperaſti? an filium Dei putabas poſſe tecum apoſtatem fieri? ſi de mundo viſibili te iactas habere dominium, & de eis quæ in eo aguntur, nec cæli, nec terræ tu
Ouid lib. 1. de arte amā. conditor; nec horum aliquid tu diſponis. Sed vt ait Poeta:

Pollicitis diues, quilibet eſſe poteſt.

Tamen ſi aliquid poteſt dæmon in eis, qui regnant, & non ex Deo, hoc Chriſtus noluit ab eo recipere: & ratio
Orig. ho. 30. in Luc. 10. 2. eſt, vt ait Origenes: Quia Saluator vult regnare, & omnes habere ſubiectos, vt ſeruiant iuſtitiæ, veritati, ceterisq. virtutibus, vt abſque labore regnet. Nec ſic vt ipſe regnetur a diabolo, vnde ait: *Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Quaſi dicat, hos propterea volo mihi ſubiectos, vt Dominum Deum adorent, & ipſi ſoli ſeruiant. Hæc eſt cupido regni mei: tu autem vade, ſcilicet retro, memorans in quanta gloria conditus fuiſti, & in quantam miſeriam cecidiſti, nolens adorare Dominum Deum tuum. Vel vade ſubaudi ſecundum Hiero-
Hiero. lib. 1. in c. 4. Mat. circa princ. to. 6. nymum, in ignem æternum, in quo verbo finem ponit ei, eum tentandi vſque ad tempus, ſcilicet paſsionis, vbi pro vindicta huius miſsionis in ignem, Chriſtum fecit crucem
Luc. 23. c aſcendere, per os ſuorum clamans: Crucifige, crucifige eum. Nunc angeli acceſſerunt, qui receſſerant, vt bello darent locum, & tentatori auſum veniēdi, & ne videretur Chriſtus eorum viciſſe auxilio. Nunc accedunt angeli non

deſcen-

deſcendentes de cælo recenter, quia ex quo natus eſt, cum eo manſerant, vt miniſtrarent ei. Non dicitur quot erant: Quia millia millium miniſtrabant ei. Nota quòd poſt victoriam veniunt angeli applaudentes, quòd eorum vicerat inimicum ſolus, quem etiam ipſi omnes in prœlio magno, quod factum eſt in cælo, vix vicerant. Angeli obuiãt Iacob, vt confortatus vincat Eſau. Sed nũc poſt victoriam accedunt Chriſto victori. Non dicitur quæ miniſtraſſent ei, ſed contemplari poteris, quòd contraria diabolo miniſtrarunt Chriſto, in quo eſt triplex ſubſtantia, ſcilicet corporis, & ſpiritualis animæ, & deitatis. Primæ ſubſtantiæ cibos miniſtrant paratos a Maria, nõ lapides diaboli. Nec mirum quòd cibaria Chriſto miniſtrentur poſt ieiunium, qui ea Heliæ miniſtrarunt, vt ieiunaſſet. Tam amici ſunt ieiuniorum angeli quòd illud ſuadent Tobiæ, & vt ieiunemus vires & cibos miniſtrant, vt patet in Helia: & ne deficiant ieiunantes, defert cibaria Chriſto. Secundæ ſubſtantiæ Chriſti, ſcilicet animæ, miniſtrant victoriæ laudes, congratulantes Chriſto, & dicentes: Domine niſi in ſanguine agni animati nos in cælo vt elephantes, minime victoriam tanti inimici obtinuiſſemus, quem ipſe ſolus nunc quo ad omnia victum habes, quia in te non habet quidquam, nec concupiſcentiam carnis in deſerto, nec ſuperbiam vitæ in templo, nec concupiſcentiam oculorum in monte. Vere nunc ſcimus, quòd non in ſpiritu ſuperbiæ Dominus, nec in igne auaritiæ, nec in commotione carnali deliciarum, vt vidit propheta, ſed in ſibilo auræ tenuis quo potenter dixiſti: *Vade ſathana*. Nunc ſapientia tua Domine non inuenitur in terra ſuauiter viuentiũ, ſed in deſerto ſicco: nec in mari, quæ eſt elata ſuperbia ambitione feruens, quia non te deorſum mittis: nec inuenitur nunc in abyſſo auaritiæ, quia non eſt tecum. Si ergo lætati ſunt angeli coram Chriſto ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia, ſcilicet Chriſti. Huius laudis inuitatio ad angelos eſt in Pſalmo, ab eo loco: Dominus in cælo, vſque in finem pſalmi. Sic ergo tollunt angeli in manibus Chriſtum vt exaltent opera eius, & ipſum tamquam Dominum, ex eo quòd per humilitatẽ, qua vicit diabolum, ſe miſit deorſum: & nunc impletur in eo id Iob: Qui ſe humiliauerit, erit in gloria, ſcilicet

Dan. 7. c · *Gen. 32. a* · Angelorũ miniſteria. · *3. Reg. 19 b* · *Tob. 12. b* · *1. Ioã. 2. c* · *3. Reg. 19 c* · *Iob 28. b* · *Iſa. 9. a* · *Pſ. 102. d* · *Iob 22. e*

ſcilicet victoriæ. Tertiæ ſubſtantiæ, ſcilicet deitatis miniſtrant adorationem, quam ſibi dæmon poſcebat, & non cadentes, ſed mittentes coronas ſuas hunc Deum adorant, viuentem in ſæcula ſæculorum: immo eleuantur mirabiliter in contemplatione adorando Chriſtũ: quia adoratio eſt eleuatio mentis in Deum: vnde Deũ adorare, eſt aſcendere: & dæmonem adorare, eſt cadere. De hoc miniſterio dicitur in Pſalmo: Qui ponis nubem, id eſt orationẽ, aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum, id eſt angelorum: qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Latria præcipue ſtatim amore vrente, id eſt vrgente & viuido, quia vt ait Paulus: Charitas Chriſti vrget nos.

Adoratio quid.

Pſ. 103. a

2. Cor. 5. e

SECVNDA PARS.

NVNC in ſecunda parte, vidẽdum eſt qualiter membra Chriſti ſubiugare nitatur, quod mire ſcribitur in primo capitulo Exodi: vbi thema reperi: cui cõſequenter adiungitur: Et *ait ad populum ſuum &c.* Narra totum capitulum. Pro cuius morali ſenſu conformiter ad præſens Euangelium, aduerte quòd dæmon dicitur nouus rex, quia ſemper noua quærit: vnde Hieronymus ſuper illud: Væ terræ cuius rex puer eſt, ait: Væ terræ cuius rex diabolus eſt, qui ſemper nouarum rerũ cupidus, etiam in Abſolon aduerſus parentem rebellat. Hic rex nouus terræ, qui ſe de mundi dominio iactat, dicitur Pharao, qui interpretatur diſsipãs, ſcilicet omnia, quæ ſunt Chriſti: & ideo alibi dicitur: Cuius nomen exterminans, quia omnia eradicare, euellere, & diſsipare conatur: & ideo ait ad populũ ſuum. Ad Chriſtum ſolus tentator acceſsit princeps tenebrarum harum: ſed contra nos concilium cõgregat populi ſui, vt populus populum ſuperet. Populus eius ſunt filij huius ſæculi, & peccatores filij ſuperbiæ, & vitia, delitiæq. & alij dæmones, atque omnes hæretici, populus eius ſunt; quorum omnium ipſe eſt rex & caput: quoniã omnia iſta ei voluntarie tradita ſunt. Ad iſtum populũ ſuum validum ait: Ecce populus Iſrael multus & fortior nobis eſt. Iſrael interpretatur videns Deum: & eſt Chriſtus qui facie ad faciem Deũ videt, quo in cruce mortuo, vt grano frumenti

Hiero. in c. 10. Eccleſiaſten infra med. fo. 5.

Apoc. 9. b

Exo. 1. b

Iſrael quid.

multus

multus accreuit fructus, qui vſque hodie germinat: vnde a fructu frumēti dicuntur fideles multiplicati: quia ex merito Christi meſsis multa Eccleſiæ dilatatur. Sed attende quòd fortiores ſe, nos dicit dæmon & ſuis: tamen vtinam non mētiretur, vtinam boni non eſſent ſicut racemi, in autumno rari, ſicci, & deſiccati, ſed tanta eſt diaboli inuidia, quòd parum accremētum noſtrū putat multū, ex eo quòd nullum vellet. Et ideo ait ſuis: Venite ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & ſi ingruerit cōtra nos, bellū addatur inimicis noſtris: expugnatisq. nobis egrediatur de terra. Venite, inquit, vt facto impetu vnanimiter ſimus contra vnanimes, & opprimamus eum, opprimamus os eius ne confiteatur, & cor ne conteratur, & manus ne ſatis faciat, & membra & ſenſus ne faciant, nec cogitent quæ recta ſunt. Opprimamus eum ſapienter etiā per auctoritates Scripturæ, vt nunc fecit dæmon Christo. Sed ſapientia diaboli eſt, vt faciat malum: & illud conſulat callide, & aſtute, & caute, aperte & palliate. Opprimit etiam nos corporaliter & ſpiritualiter ne multiplicemur numero alios conuertendo, vel merito virtutes augendo, vt bona opera. Opprimere ergo nos nititur, vt exortæ ſpinæ ſuffocent triticum. Et ratio huius oppreſsionis eſt timor belli ingruentis pro nobis & cōtra dæmones: ſed quæ acies ordinata ad nos venire poteſt contra hos malignos ſpiritus? neſcio aliam, niſi ſit iſta, de qua dicitur in Euangelio: *Acceſſerunt angeli, & miniſtrabant ei*. His enim rex noſter mandauit de nobis: ita vt ſi opus fuerit in manibus tollāt nos, ne ad lapides dæmonis offendantur pedes noſtri. Addamur ergo his contra dæmones dimicantibus, ſi vincere cupimus, puritatem angelicā imitemur. Timet iſte ignarus & nouus rex, ne egrediamur de terra angelis aſſociati, ſicut ille cui dicitur: Egredere de terra tua, &c. ſed nos exuamur imaginē terreni, nec in eius ditione maneamus; hoc autem timēs, ſequitur: Præpoſuit eis magiſtros operū, vt affligerent eos oneribus. Magiſtri malorum ſunt principalium vitiorum rectores, vt vrgeant, & doceant opera carnis. Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Onera conſcientias grauantia, ſunt ſæculi negotia, & ſolicitudines quæ animam affligunt turbatam, & diuiſam erga plurima.

Pſal. 4. b *Exo. 1. b* *Gen. 12. a* *Pſ. 105. f*

Nunc videamus quas vrbes magiſtri faciunt ædificari Pharaoni, qui tres iuſsit fieri, quibus etiam tenebantur Iſraelitæ, nam erant cuſtodiendæ: vnde contra ipſos ſunt ædificia & fortalitia diaboli, hoc eſt tria principalia vitia, quæ in hoc Euangelio voluit imponere Chriſto. Prima vrbs dicitur Phiton, quæ interpretatur oris perſuaſio, ſiue buccella eorū, quæ eſt gula, quam perſuaſit dæmon Chriſto. Et quia in gula intelligitur omnis voluptas: ideo etiā interpretatur dilatatio eorum: quoniam in gula vitia & peccatores dilatantur ad luxuriam, & ad alia mala: quia ideo primo tentati ſunt de gula Chriſtus, & Adam, vt citius in alia vitia prolabarentur. Sed gula ſolum eſt oris perſuaſio, quia ſolum in ea delectatur palatum, & non alia membra, immo alijs membris nocet: vnde gula eſt minoris delectationis ceteris vitijs, & magis occaſionaliter nocet: & ideo interpretatur Phiton buccella eorum, ſcilicet vitiorum. Hæc fuit buccella Eſau, & Iudæ, & de hac dicitur: Omnis labor hominis in ore eius: quoniam omne quod lucratur, comedit: & vtinam non plus. Sed guloſorum etiam omnis labor futurus erit in ore: vt patet in diuite Epulone epulante quotidie ſplēdide, cuius lingua ardet, quia poſt prandium ad murmur cita erat. Ex his ſequitur quòd in prandio cautius te ſeruare debes a noxijs: quia tunc vitia omnia reuiuiſcunt. Secunda vrbs dicitur Rameſſes, & interpretatur cōfractus a tinea: & eſt auarus, quia ſatis confractus eſt, qui cadit coram idolo auaritiæ, quæ eſt idolorū ſeruitus. Tinea concupiſcentiæ eſt in auaro, quæ eum intus demolitur, vt cadat, & confractus ruat, diabolumq. adoret. Hoc ſolum intereſt a gentilium idolatria, & auari, quòd illi in longa forma idolū habent: & iſte in rotunda nummorum. Et attende quòd quo magis auarus aſcendit in excelſam poſſeſsionem, eo profundius cadit, & confractior redditur, quia tinea eius maior, quæ eſt cupiditas radix omnium malorū, vnde Iſaias ait: Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Intus eſt tinea & cupiditas habendi, & *auri ſacra fames*, quæ ſemper dicit, affer, affer. Poſtea in inferno operietur vermibus: quoniam eiſdem curis affligetur, & acrius ſub eis cadet, qui nunc eſt ſupra, vnde dicitur: Sub te erit appetitus eius: ſed in inferno erit ſuper te, quo eris oppreſſius a dia-

Phiton interpretatur oris perſuaſio.

Eccl.6.c

Luc.16.d

Rameſſes quid.

Iſa.14.c

Virg.3.Aeneid.

Gen.4.a

a diabolo: & ideo ait Dauid: Diues cum obierit non ſu- *Pſ.48.d*
met omnia, nec deſcédet cum eo gloria domus eius. Bene
quidé non ſumet omnia, ſed aliqua, hoc eſt de diuitijs cu-
ras & cócupiſcentias, & de vitijs affligentia nó delectantia
ſumet. Gloria non deſcendet, ſed ignobilitas & miſeria, vt
totaliter ſit inglorius. Vt legit Origenes: Rex Ægypti iu-
bet etiá fieri ſibi ciuitas Solis, quæ falſo nomine ſuperbia
ſpiritualis eſt: Vbi ſe transfigurat dæmon in Angelum lu-
cis, vt patet in hoc Euangelio, quando Chriſto apparuit in
pinnaculo templi, angelica figura veſtitus, & de angelis lo-
quens: & vt ſe Chriſtus mittat deorſum per falſam humi-
litaté, vt ab alijs laudetur, & velut manibus angelicis per
applauſum, & extollentiá ſublimetur. Nec immerito ſpi-
ritualis ſuperbia quæ Deum tentat, ciuitas Solis vocatur,
quia ſicut ſol cetera excedit aſtra: ſic talis putat in mani-
bus angelicis ſuper aſtra Dei, quæ ſunt Sancti, exaltari ho-
minum reputatione. Qui ergo nequiter ſe humiliat, ad
diaboli ſuggeſtioné, & interiora eius plena ſunt dolo, ædi-
ficat Pharaoni falſo nomine ciuitatem ſolis, quæ eſt ſuper-
bia ſpiritualis, quam vſque hodie flagitat dęmon in Eccle-
ſia Dei, & in pinnaculo doctrinæ: his operibus occupatos
dæmon tenet chriſtianos, vt in eis exerceat iram ſuam ma-
gnam: quia ſi Chriſtum fallere non potuit, nos fallendos
ſperat, & ſolicitat. Sed de bonis & iuſtis Chriſti fidelibus
ſequitur: Quanto opprimebant eos, tanto magis multipli-
cabantur, & creſcebant. Quia quo magis in bonis vitio-
rum occaſiones creſcunt, ipſi magis increſcunt: vnde ait
Paulus: Cum infirmor, tunc fortior ſum, virtus in infir-
mitate perficitur: & ratio huius incrementi eſt maius Dei
auxilium, quod patet in hoc Euangelio, quando dicitur,
quòd angeli acceſſerunt Chriſto, vt innuatur quòd iuxta
nos ſi viriliter agimus ſunt angeli: quoniam & agonizanti
Chriſto apparet angelus, quia non deeſt Dei auxilium tri-
bulatis, ſed ſuccurrit placatus, qui hodie pro nobis eſu-
rire & tentari acriter voluit. Quod ſequitur, in hac fi-
gura eſt de odio, & inuidia, & illuſione, quibus animas
noſtras ad amaritudinem afflictionis perducunt dæmo-
nes: quia Eccleſia oppreſſa eſt amaritudine. Cetera au-
tem ſunt opera dura & ſeruitia, de quibus ait Origenes:
Per ſæculum te diſcurrere facit dæmon: maris, & terræ

Superbia eſt ciuitas Solis.

2.Cor.11.c

Eccli.19.d

Exo.1.b

2.Cor.12.c

Thre.1.b

elementa pro cupiditate turbare, forum litibus pulſare, & pro exiguo terræ ceſpite propinquos iurgijs fatigare, caſtitati inſidiari, decipere innocentiam, domi fœda, foris crudelia, intra conſcientiam flagitioſa committere. In huiuſmodi ſcito te regi nouo militare, quod eſt mundi huius

Exo.1.c d ſpiritu agi. Hæc ſunt opera dura luti, & lateris. Sed alia rex maleuolus machinatur, quia obſtetrices adducit contra nos, vt necent maſculos, feminasq. reſeruent. Vbi attende, quòd non ſolum vult rex iſte ſua ſibi inſeruire, ſed aliena quin etiã bona ſibi tradita putat. Vnde duæ obſtetrices, duo ſunt teſtaméta quæ pro ſe adducit. Prima voca-

Sephora quid. tur Sephora, quæ interpretatur tuba: & eſt lex vſa tubis, & data buccina. Altera dicitur Phua, & interpretatur ap-

Phua quid. parens, ſcilicet clare, quæ eſt lex Euangelica, non vt tuba rauce ſonans, ſed apparuit iam in ea, quod latebat in figuris. Sic ergo dæmon ſcripturas vocat pro ſe, vt hodie fecit, contra Chriſtum eas adducens. His ſcripturis iubet maſculos necare dum naſcuntur, id eſt vitare opera virtutum in ipſo initio: quod fit quando dæmon adducit tibi aliquam auctoritatem, vt vites bonum, faciasq. malum, & ſi attendis, eam falſo vel truncatam adducit, vt Chriſto hodie. Et nota quòd iſtæ obſtetrices dicuntur hebræorũ non Ægyptiorum: quia non eſt opus vt dæmon obſcœnas paginas moneat, ſed ſanctas vt eas peruertat, quod & facit per hæreticos lutheranos hodie. Sed timent iſtæ obſtetrices Deum, id eſt timorem docent. Et ad ſe iterum vocat eas rex de eis conquerens. Sed reſpondent, quia hebrææ ſciũt obſtetricare, quoniam naturaliter inſerta eſt nobis ſcientia Dei, qua etiam bonum a malo diſtinguere valemus: vt ante malam perſuaſionẽ ſiue occurſum, pariamus in opere bonum propoſitum, conceptum in corde. Et Deus obſtetricibus facit domos, id eſt Eccleſias, quibus doctrinæ ſanctæ leguntur. Et domus ſunt conſcientiæ, quibus ſeruãtur. Iubet vltimo rex populo ſuo in flumen proijcere pueros, id eſt ſæcularibus curis dare virtutes, vt ſuffocẽtur, & flumen eſt magnum periculum, quod dicunt mali imminere bonis incœptis minando, ſed contra hæc omnia dic: *Vade Sathana:* veni Chriſte Ieſu, da nobis hic gratiam, & in futuro gloriam, qui cum Patre, &c.

SERMO I.

DOMINICAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE.

Ex Euangelio myſtice.

THEMA.

Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sydonis. Matth. 15.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DVM Chananæa Chriſtum exoratum habere vellet, vocauit eum filium Dauid: nos autem Mariam exoratã cupientes, cuius filiam dicemus eam? proculdubio ipſius Dauid per generationem, qui vocat eam in Pſalmo filiam non humana teneritudine, ſed ſpe Chriſti ex ea naſcituri: vnde propterea dixit in ſpiritu ei: Audi filia, ſcilicet angelum, & *Pſ. 44. b* vide, ſcilicet quem paritura es, ideo inclina nuncio aurem tuam, præſtans aſſenſum. Tamen quia huius filiæ partus ſublimis erat, vel potius diuinus quàm humanus, addidit ipſe Dauid: Et obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Maria videtur oblita populi ſui, dum vocatur mater Dei, quia contemplamur eam extra terminos noſtros, & extra domum patris ſui, quod ipſe Dauid prænoſcens, dixit, dum ſubiunxit: Concupiuit rex decorem tuum, rex inquam cæli, quoniã ipſe eſt Dominus Deus tuus: & adorabunt eum. Ecce quo modo beata Virgo tanto ſublimata honore, omnium inferiorum videtur oblita, dum cernit filium ſuum adorari, & etiam ſeipſam: quoniã propterea ſequitur in eodem loco: Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: filiæ, inquam non paucæ, aut qualeſcumque, ſed omnes diuites plebis. Inter filias Tyri

Chananæa ditior erat in fide, quæ quidem ſi tunc tẽporis præſens eſſet Maria, potius clamaret poſt eam, quàm poſt apoſtolos. Et in muneribus labiorũ deprecaretur vultum Virginis. Quando aliud non eſt ad manum, loco muneris laudes ſolemus impendere, laudes autem Mariæ quo ad præſens hæ ſint, quòd iam vix aut numquam vocetur filia Dauid, ſed filia primogenita Dei ante omnem creaturam honorata, & filia Sion: fuit nãque in Sion habitatio eius, id eſt in arce, & in turre altiſsima, ſicut decet filiam principis, quatenus omni diligentia & ſolicitudine cuſtodiretur. Hæc eſt celſitudo contemplationis: nam Sion ſpeculatio interpretatur, de qua ſapiens ait: Filia patris abſcondita eſt, vigilia & ſolicitudo eius aufert ſomnum. De hac abſconſione dicitur in Pſalmo: Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, id eſt vbi nullus intuetur niſi facies tua, o Deus, qui delectatur in pulchritudine huius filiæ tuæ abſconditæ plus quàm olim Aſſuerus in Heſter venuſtate, quæ etiam abſcondita interpretatur: quòd autem Deus in Mariæ decore ſibi ſoli noto delectetur, patet per illud Cãticorum: Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem. Sublima verba ſunt iſta, quibus pulchrã, ſuauem, & honoratam matrem Ieruſalem cæleſtem Deus vocat Mariam, hæc ſunt munera laudum, quibus eius vultum deprecantes gratiam obtinere poterimus, ſi ei quoque genibus flexis offeramus. Aue Maria.

Eccli.42.b *Pſal.30.f* *Heſter 2.e* *Cant.6.a*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN præſenti Euangelio innuitur, ac depingitur Dei aduentus in animam iuſti eum cupientis, ideo Baptiſta Ioannes, aut Gabriel angelus, aut alius ex prophetis enarraturus, deberet aduenire, aut expertus aliquis, & ſciẽs qualiter ſponſus animæ recipi debet, qualiterq. obuiare oportet ei: nam & eius aduentus, & animæ obuiatio agitur in præſentiarũ: de quibus & ego diſſerã, oſtendens quo modo ad animam in anguſtijs detentam venit Deus, eam cõſolaturus. De cetero autem oſtendam quemadmodum ipſam exire decet obuiam ſalutari ſuo, vt diues Deus prior, & pauper anima poſterior ſibi inuicem obuient feliciter.

Intẽtio auctoris in toto ſerm.

Vt ait beatus Dionyſius, in rerũ creatione Deus exceſsit,

& a ſe

& a ſe egreſſus eſt, quaſi extra ſeipſum factus, quod quidẽ mirabile eſt, ac vix poteſt intelligi: nam quo Deus ibit, ſi egrediatur a ſe? quo inueniet quietem, ſi ſeipſum tranſgrediatur? Si Dionyſius dicat quòd Deus exceſsit ſe in hominum redemptione, credemus ei, quia tũc ſe exinaniuit, & quodam modo egreſſus videbatur a ſua maieſtate. Verbum infinitum eſt abbreuiatũ ſuper terram, & ita videbatur egreſſus a ſua magnitudine. Tunc manibus impiorum ſe reliquit, ac ſi a diuina eſſet egreſſus fortitudine: tunc temporis fit velut leproſus, & ſic iudicatur alienus a ſua pulchritudine: tamen in creatione minime fit ab aliquo iſtorum alienus, ideoq. non videtur egreſſus a ſe. Tamen aduertendũ eſt, quòd dupliciter Deus præter alios modos egredi poteſt: altero dando notitiã ſui: altero autem amorem. In mundi creatione Deus notitiam ſui exhibuit: in mundi autem minoris iuſtificatione amorẽ. Exiuit ergo Deus a ſe, quia etſi infinitus ſit, tamen creato mũdo relucere dignatus eſt vbi non erat, relucere dignatus eſt in omnibus creaturis. Ignorabãtur attributa Dei, quia in ſe tenebat ea: mundo autem condito, extendit ſe Deus, & in ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ita ſe aperuit, vt Pſalmographus dicat: Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentũ. Dies diei eructat verbũ, & nox nocti indicat ſcientiam, ſcilicet Dei. Nulla creatura ignorantior eſt nocte, quæ ipſius ignorantiæ figuram tenet: attamen ſcientiam Dei nobis indicat, qui diuiſit ſapienter lucem a tenebris: & lucẽ vocauit diem, & tenebras noctem. Et hæc vſque hodie perſeuerant. Modo etiam altero Deus egreditur a ſe, quando amorẽ ſui exhibet, cuius, eodẽ Dionyſio teſte, hæc eſt proprietas, vt amantem ſui iuris eſſe non ſinat, ſed eum transferat in amatum, quod equidem fecit amor in Deo, & facit. Hunc namque amoris gradum Apoſtolus cõmendans, ait: Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione: Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Hæc olim fecit Chriſtus, ſed numquid ceſſat? numquid non idem facit in altari quotidie? nonne quotidie fit in manibus noſtris hoſtia pro peccatis noſtris? nonne patri eum offerimus? quod autem offertur, offerentis dicitur,

Dion. de diui. nom. c. 4. circa med.

Dei egreſſus duplex.

Pſ. 18. a

Gen. 1. a

Dion. ibid. parũ ſupra.

Eph. 5. a

& ad

& ad fructum ſuum immolat illud, vel in peccati remiſsionem, vel in gratiarum actionem, vel ad aliam neceſsitatem, qua præmitur repellendam: dum enim affligimur patri filium offerimus, quia ſicut olim puer datus eſt nobis, vt eo patrem placaremus: ſic nunc glorioſus datur nobis Chriſtus ſpiritualiter, & ſacramentaliter, vt eo patrem reddamus nobis propitium. Ecce igitur quo modo noſtri iuris eſt filius Dei per amorem tranſlatus ad nos, noſtris deſeruiens profectibus, de cuius tranſlatione ac fructu incipit Euangelium.

Iſa. 9. b

Egreſſus Ieſus ſeceſsit. Duo hæc verba ſignificantia motum, deſignant velocitatem venientis, quoniam amor deſidiam neſcit, maxime iſtius, de quo dicitur: Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia: & ſequitur: Per nationes in animas ſanctas ſe transfert: amicos Dei, & prophetas conſtituit. Ne piger filius Dei putetur ad ſe transferendum in eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: dicitur mobilior cunctis mobilibus, id eſt iuſtis & peccatoribus non confirmatis. Damnati & beati ſunt iam in ſtatu ſuo ſtabiliti: viatores tamen vix in eodé ſtatu permanent, dicente Salomone: Septies enim cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum. Septies dixit, vt omnes caſus includeret, quos quoniam ſunt incerti, numero vniuerſitatis expreſsit. Impios autem corruere dixit: quia ſemper in deterius cadunt. Illi ſurgunt de malo in bono, aut de virtute in virtuté, hi autem de malo in peius ruunt: Deus autem paratus eſt vtriſque conſentanea præſtare, ideoq́; omnibus mobilior eſt eius ſapientia. Sciat ergo peccator quòd nec vnum verbum fatur otioſum, quin iuſtitia Dei mutetur acrius in eum; & pari forma ſcit vir iuſtus, quòd nec vnam bonam cogitationem aſſumit, quin eadem iuſtitia promoueat eum in melius, ne capillus de capite ſuo pereat: vnde propterea dicitur eius ſapientia cunctis mobilior. Nimis ergo velox *egreſſus Ieſus ſeceſsit in partes Tyri, & Sydonis.* Nemo hucuſque in duos terminos eodem egreſſu viuit: Ieſus autem in ambas dicitur ſecedere partes, quamuis nobis ſit impoſsibilius, quàm duobus dominis ſeruire.

Sap. 7. d

Rom. 8. f

Dei mobilitas & noſtra.

Pro. 24. b

Hic Ieſu in vtrumque profectus ad prædictam velocitatem eius facit. Sed hoc eſt diſcriminis, quia velocior eſt ad ſub-

ad ſubueniendum iuſtis,quàm ad peccatores puniendos: vnde,vt ait Dionyſius,quaſi nolens recedit a nobis Deus: & caput vertit reuocari deſiderans. Illæ autem duæ partes,in quas Ieſus ſeceſsit,eandem animam iuſti reſpiciũt, quæ habet regiones ſuas, ideoq. velocior Chriſtus egreſſus in illas ſeceſsit. Tyrus ergo interpretatur anguſtia, & eſt memoria noſtra, quæ dum oramus anguſtat, & cruciat nos, iuxta quod ait Sapiens: Sicut parturientis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſsimo fuerit emiſſa viſitatio,ne dederis in illis cor tuum. Ad hoc etiam facit,quod cum quidam philoſophus gloriaretur, dicens alteri ſe artem memorandi reperiſſe, reſpondit ei: Ego autem ſolicitus quæro artem obliuiſcendi, ne me tot ſcibilia perturbent. Hic erat Platonicus: & iſti vacabant contemplationi veritatis ſeparatæ tam profunde, vt raptus paterentur: hæc igitur phantaſiæ ſunt aues irruentes in ſacrificium Abraæ, quas ipſe ſolicitus abigebat, ſic & tu abige impertinentes cogitationes,dum oras, ne lacerent animã tuam. Altera ciuitas dicitur Sydon, quæ interpretatur nauis iudicij, & eſt noſter intellectus,quo per argumenta pia, & rationes nauigantes ad portum iudicij & veritatis debemus peruenire,ſi tamen Auſtro flante nauigamus, id eſt fide, non Aquilone opinionum: quoniam Deus ab Auſtro veniet,& ab Aquilone incœpit malum,dum Eua vertit in dubium, quod ſibi Deus aſſertiue dixerat,illa vero ambigua dixit: Ne forte moriamur. Propter hoc dixit Spiritus ſanctus in canticis: Surge Aquilo,veni Auſter,perſla hortum meum, & fluent aromata illius: hortus terreſtris paradiſi non Aquilone opinionum deberet agi, vt flagrantiam emitteret, ſed fide verbo Dei ſuffulta, quæ ad cæli portum feliciter perducit. Iam ergo ecce nunc dies ſalutis: quia egreſſus eſt Ieſus in ſalutem animæ cupientis illum, qui quidem ſicut quando rigore vtitur, manet integer in ſe,a peccatoribus longe factus, ita quando miſericordia vti placet, egreditur prior ad memoriam & intellectum noſtrum,vt cogitemus quæ recta ſunt: & nauis intellectus noſtri, non iam poma,id eſt negotia mundi portet, ſed iudicium Dei: taliter quòd ſecuri dicamus cum Dauid: Feci iudicium,& iuſtitiam,non tradas me calumniantibus me. In toto anni circulo adire Deum nolumus, nunc

Tyrus qd. *Eccli. 34. a* Philoſophi notabile dictum. *Abac. 3. a* *Gen. 3. a* *Cant. 4. d* *Pſ. 118. ſ*

nunc autem ipſe ad oues ſuas egreditur, nosq. vocat, quo-
Rom.2.a niam Paulus dixit: An ignoras quòd benignitas Dei ad
pœnitentiam te adduxit? Cum ergo fratres memoriã no-
ſtram ſubierit cogitatio bona, ſcitote quòd donũ Dei eſt:
2.Cor.3.b Quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,
tamquam ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.
Dum autem iudicas vitam tuam, ac dinumeras quæ feci-
ſti: & tãquam redditurus rationem villicationis tuæ, am-
bulas triſtis, ac timoratus, ſcito Deum egreſſum ad te,
ſcito quòd tetigit cor tuum, ſcito quòd vult ad ſe reuocare
vitam tuam: oportet vt expeditus egrediaris ad illum,
quoniam propterea ſequitur in Euangelio.

Et ecce mulier Chananæa, &c. Hoc ſpectat ad nos, quo-
niam ad animam noſtram erudiendam pertinet, quæ ſi vt
Chananæa fecit, fecerit, viuet. Felix anima, quæ obuiam
Chriſto exire ſatagit: nam ſunt aliqui dormitantes, qui
ſomno grauantur cum Petro, ea hora qua Dominus venit
ad eos, ideoq. ab ipſo Domino increpantur omnes, qui ait:
Apo.3.d Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis mihi aperuerit &c.
Ego, inquit, ſto ad oſtium, ego cui ianua claudi non debe-
ret, ego qui feſtinanter eſſem quærendus, ego cui via eſſet
Iſa.40.a paranda, quia ſcriptum eſt: Parate vias Domini, rectas fa-
cite ſemitas eius, non ſolum viam aut ſemitam vnam, ſed
vias plures, & ſemitas excogitatas deberet omnis homo
mihi aperire: numquam deeſſet occaſio veniendi ad eum,
& cum hoc debuiſſet fieri, ecce ego ſto ad oſtium. Sto, in-
quit, cui angeli ſunt ſedes, & thronos habeo ſpiritus cæle-
ſtes, cui ſaltem deberet ad ianuam ſedes poni, vt expectarẽ
ad miſerendum, eisq. indulgendum. Nec ſolum ſto, ſed
pulſo, nec adhuc aperitur mihi, nec adhuc locus exhibetur.
Certe fratres mei neſcio quid cenſeam de nobis, niſi
Iona 1.b quod de Iona fugace, cui dictum eſt: Quid tu ſopore de-
primeris? ſurge & inuoca Deum tuum, ſi forte recogitet
Deus de nobis, ne pereamus: quilibet peccator eſt huic ſi-
milis, nam iſte Deum fugiebat, ac dormiebat. Videte re-
Peccator dormit. pugnantiam, videte ineptiam peccatoris, Deum fugit, ac
Matt.25.a dormit, cũ potius Deo deberet obuiare, ac vigilare: Quo-
niam media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit,
Chananæa quid. exite obuiam ei. Iſte Chananæam non imitabatur, quæ
operata eſt iuxta nomen ſuũ: interpretatur enim contrita,

aut recte reſpondens. Hæc eſt voluntas noſtra quæ dum conteritur, ſola recte Deo reſpondet per illa duo priora, quæ iam vidimus in priori ſermonis parte. Iam ergo ſola bona voluntas inter alia Deo recte reſpondet: nam in alijs Deo per circumloquium reſpondetur, quia ſi Deus mihi parcit, ego non parco ei, ſed proximo propter eum. Si Deus mihi dona dederit, ego nõ dabo ei, ſed pauperi propter eum: attamen ſi me amauerit, immediate ac directe reſpondere teneor, vnde propterea in Canticis ſcribitur: Recti diligunt te, o Deus, qui diligentes te diligis. Egreditur ergo, qui prior dilexit nos, & præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, & foribus aſsidet quærentium ſe, id eſt memoriæ & intellectui, ad oſtium pulſans, id eſt perſuadens voluntati, vt ſe diligentem, & inuitantem, ac præuenientem diligat, vt fecerat ille, qui dixit: Diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos. Hic aduerte qualiter anima viri iuſti egreditur fines illos Tyri, & Sydonis, ſcilicet memoriam & intellectum per exceſſum amoris: dum ſcilicet igne charitatis in corde flagrante extra ſe agitur, excedens terminos ſuos, vt lac, dum igni ſuper poſitum, ac bulliens vaſis metas egreditur. Hic exceſſus aut egreſſio, quæ tantum ab amore prouenit, ſolum prorumpit in laudem venientis Dei, quem anima iubilo ſuſcipit, vt eſt videre typice apud Lucam dicentem: Loquente Ieſu ad turbas extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. Turbæ ſunt memoria & intellectus cum varijs actibus ſuis, & alijs potentijs, quæ ad eos pertinent. Hic primo loquitur Ieſus, ac ſuggerit pietatem ſuam, & aduentum ingerit, tamen quæ præ ceteris eum recipit eſt mulier de turba, ſcilicet voluntas prædictis vicina, quæ vocem, id eſt amorẽ extollit, dum plus amat, quàm intelligit, plus deſiderat, quàm explicare ſciat, plus cupit quàm capit, immo plus iã tenet quàm valeat ſuſtinere: quapropter amore compulſa proclamat: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Quaſi voluntas amore flagrans, dicat: Iam teneo te, iam veniſti dilecte mi ad me, non meis meritis, quia ego non portare potui tantum bonum, ſed beatus ille venter charitatis tuæ, ac viſcerum miſericordiæ tuæ, in quibus viſitaſti nos oriens ex alto: quia ſupra nos eſt

Amor ſolus recte reſpondet.

Cant.1.a

Sap.6.c

1.Ioã.4.b

Animæ egreſſus duplex.

Luc.11.d

Volũtas eſt mulier de turba.

Luc.1.g

eſt aduentus tuus. Et beata ſunt vbera, quæ ſuxiſti, quia vix lac poſſumus dare venienti, vix pauca merita & tenera ingerere valemus tibi: tamen erunt beata ſi tu acceptaueris ea, quæ iam, vt videtur, ſuxiſti, quia veniſti, nosq. ſuſpenſos tenes. Hæc verba optime Chananææ, ſcilicet accenſæ ac feruidæ voluntatis extra intellectum & memoriã formantur, quoniam a finibus illis egreſſa, loquitur Deo in ſpiritu, cui & cantat Eccleſia: Cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur. Sola voluntas loquebatur cum dicebat: Dilectus meus mihi, & ego illi. In his duobus verbis voluntatis, tota lex Chriſti pendet, & prophetæ, quia verba voluntatis, ſunt ſimilia verbo æterno: quod cũ ſit vnum omnia dicit. Voluntati etiam Deus reſpõdit, cum dixit: *Fiat tibi ſicut vis:* quaſi dicat clamorem amoris audiui potius quam oris: & ei primo reſpondeo, quòd fiat tibi ſicut vis. Loquamur nunc de alio egreſſu animæ afflictæ, qualis erat hæc mulier Chananæa, quæ per filiam & pro filia nimis cruciabatur, dicens:

Habetur in orat. poſt miſſã de Spiritu ſancto. *Cant. 4. d* *Matt. 22. d*

Miſerere mei fili Dauid: filia mea male a dæmonio vexatur. Eſt vexatio dæmonis, ideoq. mala: & eſt vexatio a Deo, ideoq. bona: de altera dixit Iſaias: Vexatio dat intellectum. Hæc bona eſt, & panis vitæ & intellectus dici poteſt, quandoquidem acuit intellectum. Vexatio contritionis, qua Chananæa interpretatur cõtrita, illuminat intellectum vt peccata diiudicet: ne vt inquit Paulus a Domino iudicetur. Vbi eſt ergo Lutherus negans contritionis fructum? nullos ditiores in Chriſto vidi, quàm eos, qui a propria contritione vexabantur, quia vexatio, id eſt dolor de peccatis, dat intellectum, & operatur triſtitiam, vt inquit Paulus, quæ ſecundum Deum eſt: ideoq. vexatio Dei, id eſt ad Deum agens, dici poteſt. Altera eſt vexatio mala ex parte radicis, quia mota a dæmonio, tamen ex parte finis poteſt fieri bona, ſi ea vt calcaribus vtamur ad pergendum in Deum, quemadmodum Chananæam feciſſe legimus. De hac ergo vexatione ait Chananea: *Miſerere mei fili Dauid, &c.* vexatio hæc dæmoniaca præſertim eſt illa, quam ex parte dæmonis filiam, id eſt carnem vexantis, inſurgere cognoſcimus. Hæc animam torquet male, id eſt ad malum agit eam: vt pariter ruat, & carnis tentatione anima quoque teneatur, & ſic filia

Iſa. 28. e Vexatio cõtritionis bona. *1. Cor. 11 g* *2. Cor. 7. c* Vexatio carnis mala eſt.

ſilia confundat matrem ſuam, quam inſtinctu & actione dæmonis iam moleſtat, dum libidinem carnis patitur. Quoniam propheta dixit: Filia conſurget aduerſus matrem ſuam. Animæ filia dicitur caro: qui eam debet vt mater bene morigerare, ac ſubijcere ſibi melius quàm Lia ſubiecit Dinam filiam ſuam aliquantulum vagam, qua filius Emor abuſus eſt in contumeliã domus patris ſui. Iam ergo quando filia ſurgit aduerſus matrem, id eſt naturaliter mouetur caro contra rationem, pro eo quòd prona eſt ad malum. Si tantum naturaliter hic motus fiat, dicitur filia ſurgere contra matrem: tamen tunc faciliter ſubijci poteſt, & corrigi: tota difficultas eſt, quando conſurgit, id eſt ſimul cum dæmone, ab eoq. acta inſurgit aduerſus matrem: habet enim poteſtatem dæmon in carnem noſtram, quam & ſi blanditijs, & luxu, aut ſuauitate agat, hoc totum viri iuſti putans vexationem, immo & carnales motus iudicant mortis animæ ſagittas, ideoq. proclamant, dicentes: *Miſerere mei fili Dauid, &c.* hic aduerte quòd Chananæa etiam interpretatur recte affligens: & in hoc innuitur primum remedium huius mali, docemurq. vt abſtrahentes a carnibus, & vino carnem noſtram, affligamus eam, ſi tamen adhuc vexatur (quia dæmon minime deſiſtit) exeamus a Tyro, & Sidone in Chriſtum, cuius carnis cogitatio valet contra libidinem. Ille igitur a Tyro, & Sydone in Chriſtum recipiendum vadit, qui nil aliud cogitat, nec intendit, niſi quo modo puritatem Chriſti habeat præ oculis, reiectis omnino carnalibus phantaſijs, quæ aliquãdo vexant, & carnem, & animam noſtram. Tertio autem poſtquam Chriſti puritatem fuerit contemplatus, ad orationem conuertitur, dicens: *Miſerere mei fili Dauid, &c.* Oratio enim valet contra ignẽ luxuriæ: quoniam beatus Chriſantus cum in carcere cõſtitutus, carnis tentationem ac eius vexationem ſentiret, conuerſus ad ipſum Deum dixit: Exurge Domine in adiutorium mihi. Quis iſtam pugnam a diabolo exercitatam vincere præualet, niſi pro eo fuerit tua dextera dimicata? errat qui ſe putat caſtitatẽ perfectam ſuis viribus obtinere, niſi tuo imbre fuerit extincta flamma libidinis. Hæc ille. Colligamus ergo remedia luxuriæ, primum vt recte affligas carnem tuam; ſecundum vt egrediaris ab intellectu & memoria,

Mich. 7. b

Gen. 34. a

Luxuriæ remedia.

Pſ. 34. a

memoria, vbi carnalis filia demoratur, quæ ſæpe inducit phantaſias immundas: Quoniam caro quæ corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem. Quibus impoſito ſilentio, eundum eſt tertio obuiam Chriſto, meditando eius puritatem: quarto autem oratio fiat ſpecialis ad caſtitatem obtinendam: quinto autem oportet numquam obliuiſci, quòd tentaris, & quòd probaris: quia multum confert ſanitati, præ oculis habere infirmitatem quam pateris, vt cautius a noxijs caueas. Sicut etiã multum victoriæ confert memoria pugnæ, ſcito te eſſe in campo certaminis, & tunc fortius te munies. Sæpe igitur memor eris te in tentatione poſitum eſſe, vt faciebat ille, qui vexatam filiam ſentiens, dicebat: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ac iterũ dicebat: Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanæ, qui me collaphizet. Meliora verba, quæ hanc tentationem patiẽs dicere poteris, ſunt hæc: *Miſerere mei fili Dauid, &c.* cum autem hæc ingeminans, ſæpe oraueris: adhuc eueniet tibi, quod ſequitur in Euangelio.

Sap. 9. d · *Rom. 7. d* · *2. Cor. 12. b*

Non reſpondit ei verbum. Tunc Deus nõ reſpondit, quãdo nos pati permittit: vnde propheta conqueſtus dicebat: Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem: videre prædam, & iniuſtitiam contra me? quare reſpicis contemptores, & taces cõculcante impio iuſtiorem ſe? prædam videt contra ſe qui patitur inſultum carnalium motuum, qui velis, nolis aliquid voluntatis rapiunt, quæ vim aliquantulum patitur. Reſpicit Deus cõtemptores, id eſt permittit carnales motus, qui rationis imperium contemnunt. Tandem ipſo, ſcilicet corpore aliquando cõculcante ſpiritum iuſtiorem ſe, Deus tacet: quia non reſpondit ei verbum. Tunc temporis anima rectè affligẽs ſe, alloquitur viros probos Dei amicos, & ſciſcitatur ab eis, an ſimilia paſsi fuerint, enarrãs quæ patitur ipſa, ſicut veriſimile eſt Chananæam apoſtolis narraſſe: vt viſa latius eius calamitate, obnoxius pro ea intercederent. Clamat ergo vir tentatus poſt apoſtolos, quando inquirit, an heroici viri talia paſsi ſint: & & reperit quòd beatus Hieronymus adhuc in eremo exiſtens, macerans carnem ſuam, aliquando ſe cogitabat eſſe inter

Abac. 1. a · Deus nos pati ſinit. · S. Hieronymi imitatio.

inter choros puellarum Romæ: in quo ſola, ipſo teſtante, libidinis incendia bulliebant etiã corpore caſtigato. Quid ergo non miramur fratres cum non in eremo, ſed in mũdo ſimus? cum vix carni diſciplinam inferamus? cum vix fugiamus conſortia ſuſpecta? cum vix fugiamus nos ipſos? Sane quidem tales ſumus, quòd ſi etiam Sancti pro nobis orent, aut dicant: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*, audient Deum dicentem: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. In his verbis innuitur alia tẽtatio maior, quæ inuadere ſolet viros, vti diximus, tentatos. Qui ſe motibus carnis immundis plenos cernentes, dubitant an ſint oues Chriſti, an ſint in ſtatu ſalutis, an ſint obliuioni traditi, an veniant inter hædos, & nõ inter oues computandi: nam oues ſuas Deus audit, & auditur ab eis, qui vt bonus paſtor non reliquit eas, veniente lupo, id eſt diabolica tentatione ingruente. Dubitat ergo vir a ſpiritu immundo luxuriæ vexatus, an ſit ex illis, de quibus dicitur: Peccatores Deus non audit. Inter hos tentationum fluctus, qui Chananæam imitatur, orationibus inſtat: quoniam propterea ſequitur in Euangelio.

Deſperatio cadit in tẽtatos.

Ioã.10. c

Ioan.9. f

At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me. Venire ad Chriſtum eſt eum veracius æmulari, & lucrari cum tentatione prouentum: quia ſicut nauis cũ vento venit ad portum, & ſicut Helias cum turbine aſcendit: ſic vir probus dum tentatur proficit, quoniam Gregorius ait: Mala quæ hic nos præmunt, ad Deum nos ire compellunt. Dum etiam dicit, *adiuua me*, aliquam gratiam peculiarem petit, qua caro ſedari valeat, & vexationem diaboli euadere: tamen reſpondetur ei: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Hoc bene fatetur Chananæa dum reſpondit: *Etiam Domine*, id eſt, verum tenet: nam propterea & catelli edunt non panem filiorũ, ſed dum filij comedunt, ipſi ſub menſa dominorum ſuorum, id eſt filiorum, edunt micas, quæ manus euadunt bonorum filiorum. In hoc reſponſo moderatrix fuit Chananæa dicti Ieſu, quæ etſi conceſsit illud, addidit quòd quamuis non detur canibus panis filiorum, dimittuntur eis micæ cadentes e menſa. Hic aduerte, quòd ſpiritus & animæ iuſtorũ ſunt filij Dei, canes autem ſunt viri luxuriæ dediti, catelli ſunt viri caſti, panis eſt gratia ſpiritualis,

Panis eſt conſolatio ſpiritus.

mica eſt particula eius. Panis ergo gratiæ ſpiritualis non canibus luxuriæ datur, tamen dum filijs, id eſt viris bonis & optimis, impartitur gratia iſta, vt Bonauentura notat, ſolet extendi aliqua reliquia in corpus, & in carnem deſtinari. Ponit exemplum de dominis, qui etſi bonos aut pretioſos cibos non ſolēt exhibere ſeruis ſuis, tamen poſtquam ſunt ſaturi, deſinunt pro ſeruis reliquum: ſic ſpiritu gratiam recipiente, cadit mica, quæ catello, id eſt corpori puro impenditur, quam, vt ſuperius vidiſti, imbrem vocauit ſanctus Chriſantus ad extinguendum flammam libidinis. Viſo ergo tam optimo, ac prudenter moderato reſponſo, ait Chriſtus: *O mulier, magna eſt fides tua*. Id eſt quamuis mulier ſis, magna petis: quoniam imaginem futuræ beatitudinis poſtulas, in qua redundante animæ gloria in corpus, fiet glorioſum, & ſic tu vis, vt animæ gratia in corpus redundet, ad hoc vt ſit ei pacatum & ſubditum. Magna ergo petis, ego etiam magna dare noui: propterea *fiat tibi ſicut vis*. Ecce quo modo Deus paret voci hominis: quamuis cum Ioſue petat in cælo animæ ſolem detineri, vt ſiccentur paludes, & humectationes ad obtinendam victoriam contra Gabaon, quod interpretatur eleuatio iniquitatis, & eſt luxuriæ motus, qua caro, quæ mortificata eſſe deberet, erigitur. Tamen verus ſanctusq. Ioſue per ſtationem conſolationis in anima victoriam obtinet, nec deinceps manet ſecurus, quoniam cuſtodiri fecit quinque reges, donec poneret pedes ſuos ſuper colla eorũ. Quinque mali reges, ſunt quinque ſenſus carnis, luxuriæ deſeruientes, qui ſuppeditãdi ſunt. Pedes animæ ſunt boni affectus, quos ponere decet ſuper ſenſus corporis: quoniam altiora deſiderantes, potiorem victoriã obtinebimus, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi.

Ioſ.10.c

Victoria cõtra carnẽ.

Si autem alium ſermonem doctum & vtilem volueris faciliter condere, lege Pſalmum 60. qui incipit: Exaudi Deus orationem meam, &c. eſt enim oratio Chananææ, quia tunc temporis beatus Dauid Chananææ ſumpſit animum: ibi ergo in toto Pſalmo depictum inuenies totum Euangelium præſens.

SER-

SERMO II.

DOMINICAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE.

De oratione, qua mulier Chananæa omnia, quæ voluit, obtinuit.

THEMA.

Propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi. *Luc.* 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT ait Ioſephus de bello Iudaico, tanta ducibus auctoritas dari ſolebat, quòd ſine duce nõ ſolum erat Romanis dedecus prœliari, ſed etiam vincere. Magis dedecus fore arbitror ſine duce orare quàm prœliari: aliquando enim abſque duce fit victoria in bello, non tamen in oratione: nam dux orationis plus & verius præit laborans, quàm dux prœlij: ideo non ſolum dedecus, ſed neceſsitas eſt, vt proferamus ſcutum orationis, prius Mariã ducem huius rei orare, quæ non ſolum ductrix noſtra eſt, ſed Apoſtolorum, de quibus dicitur: Erant perſeuerantes in oratione cum Maria matre Ieſu, qui dixerat illis: Pater veſter cæleſtis de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Hunc tamen obtinere non poterant, niſi vnanimiter cum Maria orarent, quæ dicitur hic merito mater Ieſu, quia Ieſum in eorum cordibus formare cupiebat, hoc tamen non poterat ſine gratia Spiritus ſancti, ſine qua nec eum in ſe conceperat: ideo neceſſarium video pro hac impetranda genibus flexis ductricem noſtram præuenire, ei offerentes. Aue Maria.

Orationis dux eſt Maria.

Act. 1. *c*
Luc. 11. *b*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SI Euangelium introrſus inſpicias, improbitatem feliicem Chananææ laudabis, propter quam multi in hac Dominica tractant de oratione, oſtẽdẽtes quo modo habuit hæc omnes requiſitas optimæ orationis conditiones: ego autem in prima parte de valore orationis: in ſecunda de eius inſtitutione agam.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

Oratio eſt donum naturæ.

NATVRAE donum videtur oratio, quia commune eſt omnibus ſectis, & religionibus deos ſuos petere ſibi neceſſaria, eosq. interpellare pro quacumque indigentia ſubleuanda: & ſic apparet contra naturalem inclinationem fuiſſe decretum illud, in quo Satrapæ, & principes regni Darij conſtituerũt, vt per triginta dies nemo a quocumque Deo aliquid peteret. Et ſic lex iniqua hæc, bona caſtigatione punitur: nam quia eam ſenatores fecerant, vt Danielem frequenter obſecrantem Deum ſuum punirent captum in illa, qui quamuis ob id miſſus fuerit in lacum leonum propter orationem Deus ſuus, quem orauerat, cuſtodiuit eum ab ore leonum, quoniam ad eãdem recurrit, & ſic viuus reperitur inter feras ipſas a rege Dario, qui reperta iniquitate & inuidia ſenatorum, eos in lacum miſit, qui ſtatim, antequam ex toto caderent, deuorati ſunt. Tam innatum ac naturale eſt omnibus a dijs ſuis omnia petere, quòd etiam ſi lignum aut lapidem adorant ab eiſdem ſuffragantur omnia, vitam, ſalutem, pacem, & bona fortunæ: vnde Sapiens eos irridens, ait: Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt, & pro ſanitate infirmum idolum deprecatur, & pro vita rogat mortuũ, & pro adiutorio inutilem inuocat, & promittere petit ab eo, qui ambulare non poteſt, & de acquirendo & operando: & omniũ rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis. Nõ irridet ſapiens petitionem, quia hæc naturalis eſt, & dictamen rectæ rationis, ſed quòd fiat, cui non decet: vnde nõ eſt peccatum in petitione, ſed in applicatione: immo peccatum videtur contra naturam non formare petitionem ad Deũ, quia

Dan. 6. b

Sap. 13. d

quia omnibus commune eſt rogare deos ſuos: & cum diuerſimode antiqui ſapiẽtes ſæculi de diuinitate ſenſerint, cui ſit oratio, hinc eſt quòd de oratione etiam non idem ſenſerunt, ſed fere quot capita tot ſenſus.

Quidam philoſophi, quos Epicureos vocant, euanuerunt in cogitationibus ſuis, atque dixerunt apud Deum non eſſe prouidentiam: Circa, inquiunt, cardines cæli ambulat nec noſtra conſiderat: nam putauerunt, quòd diuinus vileſceret intellectus, ſi ad hominũ miſerias deſcenderet, & hæc infima noſſet. Hi nullum dixerunt fructum orationis, immo in vanum & fruſtra orationem fieri, quibus dicemus illud Iob: Quaſi nil poſsit facere omnipotens, æſtimabant eum, cum ille impleſſet domos eorum bonis, quorum ſententia procul ſit a me. Vbi aduerte quòd cum omnia poſsit Deus, etiam minima quæque intelligit non mendicans a rebus, ſed in ſeipſo: & ſi peccata noſtra per orationem purganda in nobis intelligat, non ideo immunda eſt notitia eius: quia, ſicut radius ſolis, mundiſsime immunda luſtrat. Cum ergo Deus domos noſtras impleuerit bonis, ſententia illorum longe ſit a nobis, qui nullum refugium habemus niſi orationem. Epicureis annumerandi veniunt multi Chriſtiani ex nomine tantum, qui non ſolum veluti modicæ fidei dubitant, dum orant, ſed ita longe ſunt ab oratione, quòd ſe tempus perdere putant proceſsionibus impenſum.

Opiniones circa orationem. Iob 22. b. Ibid. c.

Sapientes Ægyptiorum tantã vim putarunt ineſſe orationibus, vt ſtulte crederent ſuis preculis & ſacrificijs Deum mutari: quibus & aliqui aſſentiunt Chriſtiani adducentes illud Ambroſij: Nouit Deus mutare ſentẽtiam, ſi tu noueris emendare delictum. Et Propheta dixit in perſona Dei: Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei: & ſubito loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud.

Opinio 2. Ambroſ. ad cap. 1. Lucæ in fin. to. 3. & de pœni. diſt. 1. cap. Nouit Dominus. Ier. 18. b.

Stoici autem neſcierunt aptare Deo prouidentiam & immutabilitatem, quin dicerent omnia de neceſsitate venire, & per cõſequens inanes eſſe preces noſtras: quia fruſtra quis rogat, quod nulla vi poteſt immutari: de his & ſimilibus conqueritur Dominus per prophetam dicentem:

Opinio 3.

Mal. 3. d Dixiſtis, vanus eſt, qui ſeruit Deo, & quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Deo exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes.

Opinio 4. Alij, vt recitat Gerſon in ſermone orationis, tenuerunt quòd oratio virtutem acciperet ab influentia & radiatione cæleſti: cui opinioni adhærent nigromantici, qui ſub tali vel tali ſigno pronunciant carmina corde peſsimo. Et hi ſigna cæli deos putauerunt.

Opinio 5. Begardi (vt recitat Durandus in 4. diſt. 5. quæſt. 1.) dixerunt non eſſe vocaliter orandum, ſed in quadam libertate ſpiritus, Deo omnia committendo.

Opinio 6. Alij aſſerunt non pertinere ad diuinam liberalitatem egere noſtris precibus, vt daret aliquid propter eas: quia teſte Seneca: Nil carius emitur quàm quod precibus emitur. Ac ſi daret dona ſua Deus, vt pretium æquiualens orationi.

Opinio 7. Alij putant, quòd fruſtra rogent peccatores, immo dicunt quòd indignationem Dei promerentur, audentes loqui ei, qui odio habet peccatores. Nec deſunt lutherani, qui dicant orationes Eccleſiæ pollutas per ſimoniam, ideoq. non bene placentes Deo. Horum omnium errores & ignorantias volui vobis recitare potius quàm explicare, vt ab eis caueatis ſcientes, quòd multum valet deprecatio iuſti aſsidua, immo & peccatoris ſi nihil dubitans, perſeuerat: quia, vt ait Thema, ad minus *propter improbitatem eius, dabit illi* Deus petitionem labiorum ſuorum: vt autem reſolutiſsimam pariter & veriſsimam ſcias de oratione ſententiam: aduerte quòd quemadmodum Deus ſine pluuia poteſt ad perfectum ſegetes ducere, & ſine tua ſolicitudine terram fœcundare: ſic abſque oratione noſtra cuncta poterat elargiri. Et quemadmodũ non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit: vult tamẽ vt cooperemur nos, vt facientibus quod in ſe eſt, Deus det gratiam. Operarijs præmia reddi iuſsit, non autem otioſis, cum tamen incipit a nouiſsimis & a minus laborantibus, bene oſtendit, quòd non ex operibus iuſtitiæ, ſed ex liberalitate ſua mere gratis denarium dari promiſit. Qui ergo ſine aqua & ſole, ſed ſolo verbo poterat fœcundare terram: ſine oratione poterat

Iac. 5. d

Deus etiã non orãtes exaudit.

Tit. 3. b

poterat cuncta tribuere. Cauſæ ſecundæ ordinatæ ſunt erga nos per diuinam diſpoſitionem, a quibus non eſt oratio aliena, ſed principalior. Vt viuamus cibũ ordinauit Deus, qui nos poterat ſine cibo viuos multis annis ſeruare, tamẽ vult quòd medium ſit cibatio, qui certis medijs cuncta diſponit. Non ergo ſunt ſeparãda vota Sanctorum, nec orationes ab vniuerſali ordine cauſarum, licet ſit hæc differentia, quòd in igne eſt virtus formalis ad producendum calorem, & in aqua ad impediendum: non tamen eſt ſimilis virtus formalis in oratione noſtra, ſed eſt verior & efficacior virtus ei correſpondens in Deo, qui poſitis conditionibus requiſitis, verius concurrit ad id, quod petitur virtute ſua, quàm concurrat cum igne ad calefaciendum, aut cum aqua ad refrigerandum, ſe enim obligatum fecit quando dixit: Petite, & accipietis. Vnde ſicut naturaliter ſolent homines neceſſaria facere, ſic eadem Sancti fecerunt oratione ſua: exarſit ignis, adducis aquam, vt eum extinguat, ſed ſanctus propheta orauit, & abſorptus eſt ignis, extinctusq. ne extrema caſtrorum concremaret. Eſt ciuitas inimicorum rebellis, & ſe dare non vult: adducũtur machinamenta lapides mittentia, vt muros deſtruant & turres; Sancti tamen hoc efficiunt oratione: quia cum clamaret populus Domini vociferatione maxima, muri Iericho funditus corruerunt per ſacerdotum orationem. Vis ire vltra mare, nauem inquiris, ſed cum populus Dei ire vellet ad promiſsionis terram, mare dat locum eis, iter præbens populo terræ. Egentes pane, terrã ſcindunt, grana proijciunt, & metunt: tamen meliorem panem Sancti oratione obtinuerunt in deſerto. Dum ambulas nocte viam lumine indigens, faculam quæris: tamen hoc iuſti precibus obtinent in columna ignis. Languentes peccatores medicinas inquirunt: ſed Sancti oratione præbent ſalutem. Concluditur ergo quòd oratio virtutem habet ſecundarum cauſarum, non tamen ſibi inhærentem, ſed Deo ad quem per orationem iuſtorum mens aſcendit. Et quia hæc virtus nõ eſt formaliter in oratione, ſed in Deo: ideo eſt inſtrumentum ad oppoſita, quia ad omnia illa eſt virtus vna in Deo: vt oſtenditur in exemplo Heliæ, qui oratione fecit ne plueret, & poſt eadem oratione fecit pluuiam deſcendere. Et ſicut ei valuit, vt deſcẽderet aqua

Sancti ſunt cauſæ ſecũdæ in oratione.

Luc.11.b

Nu.11.a

Ioſ.6.d

Exo.14.e

Oratio dicitur cauſa ſecunda.

3.Reg.17 a & 18.g

de cælo, ſic etiam vt deſcenderet ignis in gentem peccatricem volentem eum capere. Et ſic omnes cauſæ inferiores dicuntur obedire orationi iuſtorũ: immo & Deus ipſe obedit voci hominis orantis. Cunctæ igitur creaturæ parent orationi, quia eius virtute, vt dictum eſt, mutantur, & ad voluntatem diſponuntur orantis. Sed forte dicetis quòd erga iuſtos hæc omnia fiunt, non autem erga peccatores, iuxta id: Longe eſt Dominus ab impijs, & orationes iuſtorum exaudiet. Et alibi dicitur: Qui declinat aures ſuas, ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Quid ergo dicemus? numquid peccatores ab hac petitione ſeparandi veniunt? ipſi renuerunt effectualiter legẽ Dei audire, & ſic Deus ab illis auertet aures ſuas. Hic nota quòd quamuis peccatores in actu vel reatu peccati manentes Deus non exaudiat in eis, quæ ad vitam faciunt ſempiternam, quia hoc niſi præmiſſa contritione non fit, audit tamen eos in alijs petitionibus, ſi fidem adhibeant, ſaltim vt granum ſinapis, quæ ſufficeret montem cuiuſcumque tribulationis magnæ transferre ab eis, etiam ſi fides mortua ſit: nam talem habuit fidem ille, de quo Apoſtoli Chriſto dixerunt: Magiſter vidimus quendam in tuo nomine eijcientem dæmonia, qui non ſequitur nos. Ecce iſte peccator non ſequens Chriſtum, tamen quæcumque petebat in eius nomine, obtinebat: ſicut & illi, de quibus ipſe Chriſtus ait: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam noui vos. Ex his etiam peccatoribus dico illud Chriſti dictum: Omnia, quæ petieritis in oratione credentes, accipietis: quia omnia poſsibilia ſunt credenti. Hæc non dixi, vt peccatoribus laxarem habenas, ſed vt fidei vires oſtenderem, quæ etiam leproſos ingratos ſanat, & mortuis mirabilia facit. Quod ſi ita eſt vt probauimus, quid faciet viua? o peccator ſi veluti rana in lacu adhuc manens in peccatis, propter perſeuerantiam, & fidem etiam mortuam tantum poteſt vox tua, vt montes transferat, quid faceres fide viua & charitate feruidus? timendum tamen eſt, quia nec mortuam fidem forte habemus, ſed viuam incredulitatem, omnia dubitantes. Tamen ſi perſeueramus, vt ait thema, ſaltim

Ioſ.10.c

Pro.15. d

Pro.28. b

Mat.9. f

Mat.7. d

Mat.21.c

Mar.9. d

ſaltim propter improbitatem dabit nobis Deus petitionem cordis noſtri, vt euidenter patet in Chananæa: dic Euangelium.

SECVNDA PARS.

NVNC attende quòd peccatorũ preces non dicuntur propriæ orationes, quãuis petitiones dici valeant: de oratione autẽ teneas quòd eſt medium optimum inſtitutũ a Deo ad obtinenda bona ſua, & adeo neceſſariũ, quòd ſine eo nullus adultus ſaluari queat, iuxta illud Auguſtini de eccleſiaſticis dogmatibus: quod & notat Durandus in 4. diſt. 15. q. 12. Dicit ergo Auguſtinus: Nullũ credimus ad ſalutem venire niſi Deo inuitãte, nullum inuitatũ niſi Deo auxiliante ſalutem ſuam operari, nullum niſi orantem auxilium promereri. Nec ſolum animarũ ſalus fit per orationem, ſed omnium operum Dei mediatrix eſt, exceptis operibus Dei ad intra, & prima rerum creatione, quæ oratione nõ ſunt peracta, omnia tamen alia per orationis interuentum Deus effecit, quemadmodum per ſolẽ inferiora cuncta gubernat. Per orationẽ conſeruatus eſt mundus, per eam Sancti obtinuerũt incarnationem filij Dei, & denique per eam redemptus eſt mundus, & per eam implebitur cælum. Optime orationem, veluti omnium medium optimũ Deus ad omnia profuturũ, inſtituit, qua mediante ſua diuina voluntas impleretur in nobis. Decuit enim actũ nobiliorem nobilioris potentiæ & liberæ, qui eſt oratio, ſumere, & eum medium facere effectuum nobiliorum. Prima ergo ratio propter quam Deus inſtituit orationem tamquam medium, eſt vt & ipſe Deus diſponeretur ad donandum, & nos ad recipiendum. Diſpoſitio in Deo difficilis videtur, cum ab æterno eodem modo permaneat, ſed diſponitur ad retribuendum cum vere cognoſcitur, iuxta id: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi da mihi bibere. Eo quippe facto, quòd orans Deum diceris cognoſcere, quia nos adoramus quod ſcimus. Et fateris omnipotentiam eius, quia ſunt, opere ipſo dicis: Domine potes me mundare: quis enim impotentem, & talem creditum vmquam oraret? item dum oras fateris in Deo ſcientiam omnium, quia fruſtra quis ſurdo, aut gnaro loqueretur,

Oratio neceſſaria eſt.

Aug. de Eccle. dogmat. c. 55. to. 3.

Orationis inſtitutio quare.

Ioan. 4. b

Luc. 5. c

quereretur, ſed quia credimus Deum cordium ſcrutatorem, eum aliquando ſolo corde oramus. Dum denique oras, fateris Deum clementem: quia nemo implacabilem oraret. Ecce aliqualiter diſponitur Deus per orationem, immo & nos diſponit oratio, vt valeamus Dei dona recipere: ad quæ primo requiritur vacuitas, quia qui minoratur recipit, & dum oras actualiter, confiteris indigentiam, & imperfectum tuum: nemo enim petit quod ipſe ſibi præſtare poteſt. Ideo enim dicitur Chriſtus oraſſe vt homo, quia eius humana voluntas non erat de ſe efficax ad omne volitum, quia in ſolo Deo potentia executiua non diſtinguitur a volitiua. In oratione quidem valde humiliatur liberum arbitrium, vbi confitemur nos etſi liberos, tamen impotentes & egentes gratia Dei, & ſit per hanc cognitionē diſponitur noſter intellectus, ne ſe ignoret. Diſponitur itidem voluntas per eleuationem mentis in Deum, quæ fit in oratione: nam omnis qui petit nouo actu dirigit animū in benefactorem ſuum, ex quo præcipue diffinitionē ſumit oratio, quæ, ſecundum Damaſcenum, eſt eleuatio mētis in Deum: præterquā in beatis, qui noua oratione orare poſſunt pro nobis ſine noua mētis eleuatione, quod Chriſtus, dum erat viator, fecit. Oratio ergo in beatis eſt noua explicatio voluntatis: vt ait Durandus. Diſponitur etiam memoria per orationem, quæ dum orare vult, cogitationes reijcit, vt orationi intēdere valeat, & Deo. Totam denique animam diſponi ſcias per orationem, quia tunc agit ſecūdum ſuperiorem eius portionem. Ad rationem enim & non ad ſenſualitatem pertinet oratio, vt ait Durandus: Quia ad ſolam eam pertinet tendere in Deum. Et ita dicit quòd oratio Chriſti in horto erat portionis ſuperioris, & rationis ſaltim vt proponentis, licet dicatur oratio ſenſualitatis, tamquam eius pro quo proponebatur. Habes igitur quòd ad vltimum diſponitur anima per orationē, quia tunc nobilioris potentiæ actus exercetur in nobiliorem obiectum ſuum, & omnes animæ vires occupantur in eo. Item ſecunda ratio inſtitutæ orationis eſt ſumma Dei liberalitas, quæ nil propinquius dationi ſuæ inuenit quàm petitionem noſtram: vt enim daret petitionem, iuſsit fieri orationem. Nec enim dat, quia petimus, ſed vult vt petamus, quia dat; nam prior eſt datio eius, quàm petitio noſtra:

Dam. lib. 3. de fide orthod. c. 23. in princ.

Durādus 3. ſentē. d. 17. quæſt. 2.

Ibidem.

Deus quare orationē inſtituerit, variæ aſſignātur cauſæ.

ſtra: quia ideo præoccupat, qui ſe concupiſcunt. Attende nimis, quòd non dat, quia petis, ſed quia illa dat, tu petere debes eum, qui dat omnibus affluenter. Tertio iuſsit nos orare, vt auſum daret adeundi tantum Deum: quis enim petere auderet niſi ipſe peteret, & iuberet? Heſter in primo conuiuio non auſa eſt petere Aſſuerum, quæ in corde ſuo decreuerat, donec ſecundo conuiuio irritatur, vt petat quæcumque voluerit. Neceſsitas noſtra primum conuiuium eſt, quo nos inuitat Deus, vt liberari petamus, ſed nec ob hoc præſertim petendum eſt, ſed pro gloria Dei, quæ dando augetur. Qui enim nimis noſtram deſiderat amicitiam, & eſſe nobiſcũ delicias reputat, vt haberemus cum eo familiaritatem, quam parit mutua collocutio, orationem inſtituit, eamq. quotidie petit fieri: & ad hoc has calamitates permittit euenire. Quarto inſtituit orationẽ, vt ampliori eum extollamus laude, honoratiorq. in nobis ſit, cum experti fuerimus, quòd inuocatus, exaudit nos: vnde propter hoc dicitur animæ: Voca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Omnia enim caſui tribuerentur, & non Dei prouidentiæ, ſi darentur ſine orationis medio, nec putaremus Deo cura eſſe de nobis. Quinto Deus inſtituit orationem, vt eum excitantes, ſeu adiuuantes, mereamur id, quod ipſe nobis deſtinauit dare: de laboribus enim noſtris mãducare glorioſum eſt. Vnde voluit vt eũ oraremus, vt ſic aliquo modo mereremur neceſſaria recipere. Hic aduerte, quòd ipſa petitio ſola donum Dei eſt, certũ quippe habe, quòd tam duplicia recipit qui petit, quàm ille qui ſibi videtur ſine petitione obtinuiſſe donum, hic nõ tenet verũ: Quòd nil carius emitur, quàm quod prece emitur, ſed econtra: quia ſola deprecatio donum Dei eſt, & non parum: quia ſatis eſt potuiſſe rogare, voluit nos orare, vt ſemitam faceremus prægnanti largitioni ſuæ, & ei locum daremus in nobis. Sexto ob multam miſericordiam ſuam inſtituit orationem, vt eſſet omnium neceſsitatum medium facillimum, & quilibet dicere valeat illud Pſalmi: Apud me oratio mea Deo vitæ meæ. Tecum habes oblationem dignam Deo, nec eſt qui ea careat, aut vllo pretio eſt cõparanda, ſed ſpes tua in ſinu tuo eſt, & in corde tuo naſcitur oratio: ita vt de orationis præcepto dicere valeamus cuicũque animæ: Mandatum quod

Sap. 7. d
Heſt. 5. b & 7. a
Pſ. 49. b
Prouerbiũ.
Pſ. 41. b.
Deu. 30. c

præcipio

præcipio tibi hodie nõ ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſsis dicere: quis noſtrum valeat ad cælum conſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus, neque trans mare poſitum, vt cauſeris & dicas, quis e nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſsimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Ecce igitur orationis ſermo eſt in ore & corde noſtro, quem Deus audire deſi-

Cant. 2.d derat, vt ſonet vox veſtra in auribus ſuis, immo & angeli,

Orationis præconia.

& amici noſtri, ceteriq. Sancti auſcultent nos. O beata oratio, quia tu es fumus aromatum afficiens nares Dei: tu es clamor, qui tacendo ipſum Deum importune vocas, vt diuinum præſtet auxilium: tu es doctrina Dei, quia ipſe magiſter tuus effectus eſt, vt te homines doceret in terra: & es dulcis vox ſponſæ auribus ſponſi: tu es Chriſti exercitium qui te opere exercuit, & in officium aſſumpſit filiorum Dei concentus: gemitum habes pro cantu, vt columba mitiſsima: tu es chriſtiana humilitas, quæ nil ex nobis habere proclamas niſi per te. Tu incenſum directum Deo, & legatus a làtere cordis, rogans ea, quæ pacis ſunt: & cunctorum viuentium mater orphanorum clamã-

Mat. 6.b tium: Pater noſter, qui es in cælis, quid plura? Tu beata oratio nubes, id eſt ſanctos, penetras clamans poſt eos, vſque dum ad Deum peruenias: tu es pauperum oblatio angelicis manibus deferenda Deo, perſonas non acceptas, ſed voluntates diſpoſitas: quæcumque iuſte petis, accipis, & ſi quæris, inuenis eum, qui ſoli tibi ſe offert. Repul-

Iud. 9.d ſam ignoras: Quia humilium & manſuetorum ſemper deprecatio placet, ſicut Heſter Aſſuero. Tu ſcala es veri Iacob, & cuiuſcumque peregrini, & ſtimulus quo Spiritus ſanctus noſtrum agitat ſpiritum vt poſtulet. Tu es turibulum aureum, & vitulus labiorum, quo placatur Deus: Deum vincis, nec eum ſinis iraſci contra nos, quia es zelus comedens cor eius: tu denique es templum a quo non

1. Reg. 1.b deberemus recedere, vt cum Anna vidua mereremur puerum Chriſtum ſuſcipere, & cum Chananæa eum iam iudicem ſuperare, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi &c.

SER-

SERMO III.
DOMINICAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE,

Prædicatus tempore famis, quo populus orationi inſtabat.

THEMA.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. *Luc.* 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

FELIX illa Iudith, vt oſtenderet, cur Deus non audierat filios Iſrael in afflictione poſitos, nosq. moneret qualiter petendum eſſet, ad ipſum Deum conuerſa, dixit: Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Non ſolum ipſa humilis deprecatio Deo placet, ſed humilitas ſola viua oratio eſt coram eo, qui dixit: Non ſolidum, ſed inane, & cauum intrinſecus facietis altare. O ſi haberemus cor humile: quia illud eſſet concauum ad recipiēdum Dei gratiā interius. Manſuetudo autem nimis etiam orationi confert: Quia Dominus diriget māſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas, vt ſciant ipſum deprecari: & quia hæc duo in Maria Dei genitrice viguerūt ſupra modum, ideo eſt ad deprecandum facilis. Fuit equidē humilis in proſperitate, manſueta vero in aduerſitate: nam in his duobus præſertim egemus diuino præſidio, ne videlicet proſperitas nos eleuet in mirabilibus ſuper nos, quemadmodum non eleuata eſt Maria, quando ei maternitas ab angelo nunciatur. Egemus etiā Dei ſuccurſu in preſſuris, ne nos deijciant: quemadmodum non deiecta eſt Maria, ſed ſtetit iuxta crucem intrepida: vnde ob ea duo, quæ diximus

Orationis cōditiones duæ.

Iud. 9. *d*

Exo. 27. *b*

Pſ. 24. *b*

Luc. 1. *e*

diximus numquam eius Deus fruſtratur orationem: ad eam ergo ſecuri accedentes pro gratia impetranda offeramus, Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Luc.11.a NVLLA petitio ſic accepta fuit Chriſto & grata vt illa, qua dictũ eſt ei: Domine doce nos orare. Ideo ſtatim reſpondit: Cum oratis, dicite: Pater noſter, &c. & poſuit etiam exemplum anxie petentis amici, ſubiungens: *Ibid. b* Et ego dico vobis, petite & dabitur, &c. vnigeniti Dei, qui eſt in ſinu Patris, verba ſunt iſta: ſcientia patris ad nos viſcera pietatis & miſericordiæ: vnde vt ad plenum *Diuiſio.* ſciantur, ea in prima ſermonis parte ad vos referam: in ſecunda autem ad perſonas diuinas: eritq. in comitatu noſtro Chananæa orationis magiſtra, quæ opere nobis ingerit verba thematis.

PRIMA PARS.

TRIA in præaſſumptis verbis notantur non ſine triplici myſterio, iubet enim primo quòd petamus, ſecundo quòd quæramus, tertio quòd pulſemus: ſic enim qualiter orandum, ex initio capituli huius primo docuit verbis petere, dicendo: Pater noſter, ſecundo amicũ quærere vt panes daret, tertio ad eius oſtium pulſare. Sed aduerte, quòd a Deo non eſt petendum ſolo ore, veluti ab homine petere ſolemus, hæſitãtes corde, quia iſte nihil obtinebit, immo ſi hæſitas de te dicetur, quòd tentator Dei ſis, *Eccli.18.e* propter quod ait Sapiens: Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Deum tentas, ſi poſt petitionem etiam inanem & vacuam, non primo contentus manes ſicut antea: vnde omnibus petitionibus addendum arbitror, fiat voluntas tua: vel fiat mihi ſecundum verbum tuum, ſicut Maria & Chriſtus fecerunt, & tunc audiemus cum Chananæa: fiat tibi ſicut vis: duplici calamo formanda eſt petitio ad Deum, ſcilicet *Pſ.144.d* corde & ore, quia: Volũtatem timentium ſe faciet: & deprecationem eorum exaudiet Deus. Prius voluntatem reſpicit, quàm exaudiat deprecationẽ, quia præcipua vox

ad

ad Deum eſt affectus: vnde Anna loquebatur de corde ſuo. Et Moyſi tacenti dicitur: Quid clamas ad me? & rex Dauid ait: Inuenit ſeruus tuus cor ſuũ, vt oraret te. Igitur qui petere iure cupit ab ſcrutãte corda, ex corde oret, ex affectu petat, vt Chananæa. De multis autem dici poteſt: Et qui præibant, increpabant eum vt taceret, quãuis non veniat diabolus, vt tollat verbum orationis de corde eorum, qui extra peccatum manent, præire non ceſſant peruerſæ cogitationes, quæ orationem ſeparant a corde, increpantes illud, vt taceat. Quemadmodum enim moriẽtes muſcæ perdunt ſuauitatem vnguenti, inutilemq. illud faciunt: ſic volatiles cogitationes execrabilem orationem efficiunt, ſi eas minime reijcias. Si cogitatio inutilis inutilem reddit petitionẽ cordis tui, quid facient verba otioſa, & murmur, quæ in proceſsione & in choro loquuntur homines infruniti animo & irreuerenti? videte ergo fratres, quòd petitiones veſtræ digne innoteſcant apud Deũ: ne labijs eum honoretis, & cordibus noxia loquamini, quia Deus agnitor cordis eſt: vnde qui bonam ore profert orationem, & malam habet in animo cogitationem, veluti contraria allegantem audiri non debet. Et aduerte etiam quòd quamuis petitionẽ tuam ſacerdotes & angeli deferant in cælum, tunc te oportet attentiori corde orare, quia inaduertentem Deus non audit. Vnde ait Auguſtinus ſuper id: Intende orationi meæ. Intendenti Deus intendit. Nec ſolum oportet petere, ſed quærere: ille petit qui ex corde orat, quærit autẽ qui orationi addit operationem, iuxta illud pſalmiſtæ: Deum exquiſiui manibus meis, nocte contra eum, & non ſum deceptus.

1. Reg. 1. b
Exo. 14. d
2. Reg. 7. d
Mar. 11. a
Eccli. 10. a
Phil. 4. a
Aug. in Pſ. 5. et 60. to. 8
Pſ. 76. a

Tripliciter aliqua res quæri ſolet, vel virga, vel cane, vel manu. Pueri caſtaneas virga inter folia quærunt, & ſic ſunt illi, qui fide mortua veluti virga ſicca Deum ſe quærere putant, quia Chriſtiani dicuntur. Alij ſola intellectus indagine exquirunt eum, qualiter ſolet quæri perdix in montibus. Hi cum Deum cognouiſſent, non tamquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Hi omnes decepti ſunt, quia euanuerunt in cogitationibus ſuis cæcis, ſed qui manibus ſuis, ideſt operibus proprijs Deum quærunt, non ſunt decepti. Nocte inquit contra eum, quia cum Moyſes manus, ſcilicet opera, leuat, intus ſecrete orat

Aliquid tripliciter quæritur.

Rom. 1. c

contra

contra Amalech. Et contra ipſum Deũ aliquando eſt ora-
Eze.22.g tio, quæ rigori eius obuiat, ipſe etenim ait: Quæſiui vi-
rum, qui ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſsipa-
Iſa.64.b rem eam. Et alibi conqueſtus ait: Non eſt qui ſurgat: & teneat me. Manibus ergo quæramus Deum, vt deſiderabilia in arca quæri ſolẽt: veluti Chananæa eum quæſiuit. Quæ a ſeipſa migrans in Chriſtum tranſiuit. Sed hic animaduerte quòd in hoc ſecundo myſterio, concurrit totum quod eſt in primo de petitione, & amplius iuxta illud:
Exo.2.d Aſcendit clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum: clamor ab operibus, quæ tacendo clamant, aſcendit, & gemitus a corde: nam qui operatur hac intentione, vt exaudiat Deus petitionem eius, gemere non deſinit laborando, & ſic duplici exauditione dignus eſt: quia dabitur ſibi & optatum inueniet, datione & inuentione potitus. Petitio ergo non ſufficit, niſi adſit inquiſitio: quia tumultu carminum noſtrorum Deus mole-
Luc.6.d ſtatus ait: Qui vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico? Fruſtra ſe vocari dicit, quamuis corde & ore dicamus, Domine, Domine, niſi prædictis opus digne ſeruitutis addatur.

In tertio myſterio dicitur, quòd pulſemus: vbi perſeuerantia commendatur, quæ ſola exaudiri promeruit: quia
Luc.11.b propter improbitatẽ, id eſt importunitatẽ illius quæ per-
Luc.18.a ſeuerauit pulſans, impleta eſt petio eius. Et etiam vidua ab iniquo iudice obtinuit, quod volebat, non aliter quàm
Act.12.a perſeuerando. Sic beatus Petrus de carcere liberatus eſt, quia oratio fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum
Iac.5.d pro eo: quia vt ait Iacobus: Multum valet deprecatio iuſti aſsidua, vt exemplariter patet in beata Chananæa, quæ apoſtolis ceſſantibus, adhuc ipſa perſiſtebat feruenter. Nec enim tepide in pulſatione ſpatioſa perſeuerandum eſt,
Iud.18.c iuxta illud: Surgite, eamus, nolite negligere, nolite ceſſare: eamus, & poſsideamus. Ac ſi ſtatim aperiendum eſſet tibi pulſare debes, hoc eſt indeſinenter perſeuerare, iuxta
Iob 17.c conſilium dicentis: Tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem. Via iuſti oratio eſt, qua mens ad Deum aſcendit, quæ vt perſeueranter aſcendat mundis manibus, id eſt bonis operibus, addas conſtantiam, quæ eſt fortitudo etiam contra Deum præualens: nam

nam & regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Figura præterijt in Iacob, qui vſque mane luctatus cum Deo, & contra eum dicitur fortis, vt extorquens benedictionem. Nos fratres mei faciamus ſimiliter per totam vitam, perſeuerantes in bono vſque mane alterius ſæculi, dicamusq. Deo cogentes eum: *Domine adiuua me*. Perſeuerantia etiam commẽdatur in euntibus ad Emaus, qui per viam ſuam gaudentes fruuntur Domino, & recedere volentem coegerunt: & propter hanc dilectam ei illatam vim, quam pati deſiderat, ſe eis cognoſcibilẽ exhibuit. Apoſtoli etiam cum per totã noctem laborantes perſeuerarent, & nihil prendidiſſent, Dominus ipſe eorũ conſtantia vocatus aduenit, optimę piſcationis adiutor, dicẽs: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Siniſtra inconſtantes pulſare videntur manu, & cum ſcriptum ſit: quòd vias, quæ a dextris ſunt, nouit Dominus, in dextera perſeuerantiæ pulſare oportet, quæ fortior eſt. Si autem pulſas, aduerte, quòd Chriſtus eſt oſtium, quod pulſare debes, armilla oſtij huius, eius paſsio eſt, quæ vſque hodie in eo perſeuerat: nam pedes, manus, & latus habet apertum, vt poſt primam pulſationem ingredi faciliter valeamus, ſi petimus ad pedes affectionum eius primo, & operamur ſecundo inquirentes manus tornatiles eius ad operationem faciles. Et tertio pulſamus ad lateris oſtium, ſicut columba ad arcam reuerſa. Si hæc profundius conſideremus fratres, parum dixiſſe Chriſtum iudicabimus: Petite, inquit, & dabitur vobis, cum dicere potuiſſet, petite quod datum eſt vobis, quamuis non acceptum, quærite quod ego inueni: certum quærite, non quaſi in incertum laborantes. Pulſate, quia non ſolum aperietur vobis, ſed apertum eſt iam vobis latus meum per viſcera miſericordiæ Dei veſtri, qui egreſſus eſt per illud ad vos oriens ex alto. Ecce quo modo multum addere potuiſſet Chriſtus præaſſumptis verbis. Petiuit Magdalena ſedens ad pedes Chriſti: Martha operoſa adiutorium operationis aſsidue petiuit a Chriſto, dicens ei: Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? nam oratio & operatio ſorores hoſpitis Chriſti, id eſt cordis, eſſe debent: ſed Ioannes in ſinu Chriſti recumbens ad oſtium lateris pulſare videbatur perſeueranter.

Mat.11.b
Gen.32.f
Luc.24.d
Luc.5.a
Prou.4.d
Gen.8.b
Luc.1.g
Luc.10.g

Sed Chananæa noſtra fuit ne ab huiuſmodi pulſatione aliena? Reuera non, quia ob id Chriſtus vocauit eam canem, qui præ alijs animalibus gratiam inueniendi habet. Si autem quod quæſiuit recluſum inuenerit, ita latrat, ita manibus fodit, ita perſiſtit, donec vel præda exeat, vel aliquis veniat ad eum adiuuandum. Iſta ergo petiuit per ſe, quæſiuit per Apoſtolos, pulſauit per optimam improbitatem. In tribus prædictis verbis tria bona voluit Chriſtus notari, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Prima corpori noſtro ſine multa ſolicitudine veluti ſimplici verbo petenda ſunt a Deo, vt petebat qui Deo dixit: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi: ſed tantum victui meo tribue neceſſaria. Bona gratiæ inquirenda ſolicitius arbitror pro animabus noſtris, vt ille qui aiebat: Mitto legationem ad Dominum meum: vt inueniam gratiam in cōſpectu ſuo. Tertio bona gloriæ ad pulſationem pertinent anxiorem: non tepide vt fatuæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Si ter dixiſſent Domine, ſcilicet oratione, & operatione, & perſeuerantia, eis Dominus aperuiſſet, vt aperuit Chananææ, quæ ait: Quis mihi det, vt cognoſcam, & inueniam illum: & veniam vſque ad ſolium eius? Per orationē, qua mens aſcendit ad Deū, cognouit: per operationem manualem inuenit: & dum perſeuerat, peruenit vſque ad ſolium gloriæ tenendum. Memores igitur eſtote fratres prophetæ dicētis: Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cælum: vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tēpore ſuo, benedicetq. cunctis operationibus manuum tuarum. Tria in his promittit, primum eſt pluuia terræ in tempore congruenti: vbi bona temporalia deſignantur, quæ maxime ex temporanea pluuia proueniunt: ſecundum eſt benedictio, vbi gratia innuitur opera noſtra perficiens, & informans: tertium & præcellēs eſt optimi cæli gloriæ apertio, vbi gloriam Dei, & Deum intrantes in gaudium Domini noſtri videbimus: ſed Iob interrogat, dicens: Portas vultus eius quis aperiet? & alibi dicitur: Quærite faciem eius ſemper: ex quibus & difficultas, & neceſſitas oritur, quia difficilior & neceſſarior eſt pulſatio ad ianuam cæli, cui duo prima deſeruire oportet: vnde ipſum Deum petite, & quæ ſurſum ſunt, quærite, & cælum paradiſi pulſate ad ſublimiora per deſiderium

Tria bona homini neceſſaria.

Prou. 30. b

Gen. 32. a

Matt. 25. a

Iob 23. a

Deut. 28. b

Iob 41. a

1. Paral. 16. b

ſiderium

ſiderium tendentes, quia Chriſtus dicit: *Petite, &c.* Petat memoria, quærat intellectus, pulſet voluntas, vt totus homo in hoc opere Dei ſe exerceat, ſicut Chananæa, quæ petiuit per fidem, quæſiuit per ſpem, pulſauit per charitatem.

SECVNDA PARS

Ex eodem themate ad idem.

DICAMVS & nos Deo noſtro, quæ dixit ipſe nobis, vt videlicet petat, quærat, & pulſet, & ſic faciliter conabimur facere, quæ ipſe fecit & docuit: nec mirum, ſed pijſsimũ eſt, quòd dominator iubeat fieri erga ſe, quod ipſe operatus eſt erga ſeruulos. Trinitas ipſa beatiſsima operata eſt circa nos opera ſua, Pater petit nos, Filius quærit nos, Spiritus ſanctus pulſat nos. O & ſi qui petit accipiat, & qui quærit inueniat, & pulſanti aperiatur. Vt teipſum des petitioni Patris, & te inquirenti offeras Filio, ac Spiritui ſancto adaperias; opus eſt de his tribus tria ponere puncta: nam vt ait Iob, hæc omnia, quæ diximus, operatus eſt Deus tribus vicibus per ſingulos, vt reuocet animas eorum a corruptione, & illuminet eos in luce viuentium. Petitio Patris æterni ad nos in preſſuris mundi aut quocumque infortunio, eſt illa, quæ ponitur in Luca, vbi dicitur: Vbi eſt fides veſtra? hoc in ſummerſionis periculo apoſtolis dictum eſt, ac ſi tempeſtas oriretur, vt eorum fides manifeſtaretur. Vnde in illa omnium calamitatum maxima tribulatione paſsionis Chriſti perijt fides eorum, non tamen Mariæ, cui Pater ait: Noui diluculo, multa eſt fides tua. Diluculo illo, quo cum adhuc tenebræ infidelitatis eſſent in cordibus ceterorum, Mariæ fides cognita eſt, quæ indubitanter tenens memoriter illud Sophoniæ: Expecta me in die reſurrectionis meæ. Noluit cum alijs ad quærẽdum Chriſtum diſcurrere, ſed eum in ſilentio expectare, ſciens quòd alibi dicebatur: Qui crediderit non feſtinet. Vnde poſtquàm dictum eſt Mariæ: Noui diluculo, quãdo ſcilicet nõ feſtinabas, quòd multa fide expectabas: ipſa immediate reſpondit: Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eũ: bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti

Trinitas tria petit ab animæ trinitate.

Iob 33. d

Pater petit fidem.

Luc. 8. d

Tre. 3. c

Soph. 3. b

Iſa. 28. d

Tre. 3. c

Tre.3.e illum: Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Anima Mariæ Dominum Chriſtum expectauit, minime ad ſepulchrum vadens, ſed quem ſepelierat, expectauit, non diſcurrens ſicut ceteri. Habetis ergo comprobatum, quòd Pater æternus in preſſuris fidem probat filiorum, quod nunc in Chananæa oſtendit, quam vt in fide probatam oſtenderet, permiſit eius filiam a dæmonio vexari. Sed forte ipſe interrogas, cur Pater petit fidē magis quàm aliam virtutem? ad quod ego. Quemadmodum in fide eſt

Heb.11.a ſubſtantia, & fundamentum rerum ſperandarum, ſic in Patre eſt fons deitatis, aliarumq. perſonarū origo: ideoq.

Dion. de diui. nom. c. 1. non longe a fine. a Dionyſio dicitur principale lumen, non quia ſit clarior Filio, ſed quia Filius ex eo procedit: & non econtra. Origo igitur omnium virtutum fides eſt, vt in patribus an-

Heb.11.f tiquis probat Apoſtolus, qui per fidem vicerunt regna: operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones: attribuitur & patri fides, quia ipſe teſtimonium perhibuit verbo ſuo, & teſtificatus eſt de Chriſto, & Saluator hoc

Ioan.5.f ſe muniens dicebat, ſe teſtimonium habere quod maius quàm hominis eſt. Propter vocem ergo patris Apoſtoli, & mundus crediderunt Chriſto, & ideo patri teſtimonium perhibenti debetur fides, quam petit. Sed nec fruſtra aut gratis eam petit, immo vt det vitam, iuxta illud

Ibid.d Chriſti dictum: Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium nō veniet. In particulare iudicium, quod fit ſtatim poſt mortem, vel in ipſo obitu non veniet, qui fidem habet, quoniā iudicatur in calamitatibus præſentibus, vbi Deus videre vult, & videri an habeas animam tuam venalem, vel an peccare velis, vt eſurientem animam repleas. O ſi talem fidem ei daremus, qualem illi vere filij eius, qui tyranno

Dan.3.c dixerunt: Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex liberare, quòd ſi noluerit, notum ſit tibi rex, quia deos tuos non colimus, nec ſtatuam auream, quam erexiſti, adorabimus. Non mutemus ergo fratres fidem ab illo, qui

1.Pet.1.b nos tentat, vt probatio fidei noſtræ pretioſior ſit auro, quod per ignem multum probatur: de fide Chananææ quid vultis audire, cum ipſe filius Dei ſtupens dicat: *O mulier, magna eſt fides tua?*

Filius præterea quærit in nobis ſpem: nam eo modo, quo quidem rebus in aduerſis certa venit probanda fides, ſic etiam probatur ſpes, quia ideo de calamitatibus dicitur: His autem fieri incipientibus reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Caput leuat, qui ad Deum erigit animum, quod eſt proprium ſpei, appropinquante redemptione gaudentis. Leuate ergo capita veſtra fratres, & intentiones veſtras ad Deum erigite, expectantes beatam ſpem, cuius vox dixit: Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Simus & nos ſpe gaudentes, quia operarios portantes pondus diei & æſtus exultare conſpicimus, non ob aliud, niſi quia debita præmia expectant. Vites amputare ſolemus, vberiorem expectantes fructum, quibus ſi non patienter inciſiones ferrent, diceremus: Quod ego facio vobis, neſcitis modo, ſcietis autem poſtea, in fructu ſcitur, quod modo ignoratur, quamuis non ex toto: quia ſcriptum eſt: Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum. Quis non ſuſpicatur ſe pœnas paſſurum? quis non timet opprobrium ſempiternum, quod non delebitur? Si hoc ita ſe habet, dicamus cum Dauid: Si exurgat aduerſum me prœlium, in hoc ego ſperabo, &c. in prœlio tribulationum ſperemus: quia his inciſionibus non ſolum præſentia, ſed futura Deus amputat mala, non ſolum peccata, ſed pœnas peccato debitas. Immo & ſperemus hæc eadem quæ patimur euaſuros citius fore: quia vt ait Iob: Lignum ſi præciſum fuerit, habet ſpem, rurſumq. vireſcit: & rami eius pullulant. Hiems huius tribulationis tranſibit a nobis: & lætitiæ priſtinæ reſtituti floribus gaudiorum, lætabimur in Deo ſalutari noſtro. Ne cadat cor noſtrum ſub quacumque anguſtia, ſed confortetur ſpe: Quia ſperantem in Domino miſericordia circumdabit: nec aliam vult potiorem rationem, vt nos eripiat, niſi quia ſperamus in eum: quam rationem ille optime nouerat, qui Domino dixit: Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. Saluos quippe facit ſperantes in ſe, & de ſua miſericordia præſumentes. Væ autem ſperanti in multitudine diuitiarum ſuarum tempore famis, non ſolum habenti curam de craſtino, ſed reponẽti in annos plurimos: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui

[Margin notes: Filius quærit ſpem. — *Luc. 21. f* — *Matt. 5. a* — Fructus tribulationis. — *Ioã. 13. a* — *Pſ. 118. e* — *Pſ. 26. a* — *Iob 14. b* — *Pſ. 31. e* — *Pſ. 15. a* — *Pſ. 51. b*]

in miſericordia eius. Oliua homo miſericors eſt, qui iuſte
Matt.5.a in miſericordia ſperat, quia: Beati miſericordes, quoniam miſericordiã conſequentur. Hanc ſpem ideo filius dicitur inquirere, quia ipſe eam tot promiſsionibus ſeminauit in mundo: eſtq. noſter aduocatus apud patrem, cui aſtat pro
Ioã.16.g nobis, & ait: Confidite, quia ego ipſe vici mundum, quaſi dicat, ſperate vos victores fore in victoria mea. Quærit de-
Phil. 3. d nique ſpem, quia eum ſperamus, qui configurabit corpus humilitatis noſtræ corpori claritatis ſuæ. Dei filius quæſiuit nos manibus ſuis: quia ideo plagatus fuit, & ex iti-
Deut.4.e nere fatigatus: vnde ei dicere valemus: Inuenies eum, ſcilicet peccatorem: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Dum enim Chriſtus ſuum cor aperiri permiſit, animamq. tribulari, quærebat nos ibi, vbi nos ab antiquo habuit.

Spiritus amorẽ pulſat. Spiritus ſanctus pulſat, vt ei pateant viſcera charitatis noſtræ. Iſte venit ignem mittere in terram, quando inflammauit Apoſtolos, & nunc ſolicitat, & pulſat mentes,
Cant.5.a quarum vna ait: Vox dilecti mei pulſantis, & dicentis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea. O ſi cũ pulſauerit confeſtim aperimus ei, cor per bonam cogitationem, voluntatem per amorem, viſcera per ardentiorem affectum, os per laudem, manum per oblationem, & totam domũ per eleemoſynarũ copioſam largitionem. Nam iſte pater orphanorum & iudex viduarum, neceſsitatibus proximorũ pulſat, & tentat amorem noſtrum ſecundum Ioannem, qui di-
1.Ioã.3.c xit: Si quis viderit fratrem ſuum neceſsitatem habentem, & ei clauſerit viſcera miſericordię, non eſt charitas patris in eo, id eſt, Spiritus ſanctus. Ecce igitur diuites qualiter venit tempus miſerendi eius: quando Spiritus ſanctus vocat famem ſuper terram, vt probet, ſi eum vel diuitias dili-
Iſa.47.d gitis: Videte ne de vobis dicat Iſaias: Non ſunt prunæ, quibus calefaciant: nec focus vt ſedeant ad eum. Prunæ
Leuit.6.b ſuper caput etiam inimici congerendæ, opera charitatis
Matt.12.d ſunt, quibus fouere debetis nudos in die frigoris: nam ille qui in altari iugem voluit ignem amoris, dicit, quòd dili-
1. Io.4. d gere proximum tamquam ſe, maius eſt omnibus holocau-
** Greg. ho. 30. in Euã. to. 3.* ſtomatibus & ſacrificijs. Qui fratrem ſuum viſibilem non diligit, qualiter amabit inuiſibilem Deum, qui huic iuſsit reddi amorẽ ſuũ? * Probatio dilectionis diuinæ, eſt exhibitio

bitio charitatis humanæ,quam Chriſtus perhibuit.In hoc cognoſcẽt homines,quòd diſcipuli mei eſtis,ſi charitatem habueritis ad inuicem. Suadeo ergo tibi diuiti nũc emere a Deo, diuitijs tuis pro eo datis, aurũ ignitum charitatis, & probatum neceſsitate proximi,vt ſic vere locuples fias. Dicimus quòd Spiritus ſanctus ſignanter experimentum ſumit amoris,quia ex Patre, Filioq. procedit per amoré, & proprijſsime amor eſt,& ei cõueniunt operationes amoris,& in igne venit,& Apoſtolus ſcribens de eo,ait: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum,qui datus eſt nobis. Pulſat ergo nos,vt videat ſi intus habitat donum & fructus eius,qui eſt charitas. Collige ex prædictis, quòd in quacumque tribulatione Pater petit a te firmitatem fidei, Filius quærit ſpei exultationẽ, & Spiritus ſanctus probat amorem,an extincta ſit charitas tua: immo & in quocumque beneficio hæc tria vult beata Trinitas. Pater petit in te gloriari,petit a te cor tuum. Filius quærit,vt ibi erigas ſpem tuam ad ſuperiora. & Spiritus ſanctus cupit,vt non plus beneficium quàm benefactorem diligas. Quamuis in quocumque opere facto in nobis,vel ex nobis velit Deus tria,quæ diximus, ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis augmentum vel actuationé: præcipue tamen ea exquirit in oratione, iuxta Paulum, qui ait: Credere oportet accedentem ad Deum,quia eſt, & inquirẽtibus ſe remunerator ſit. Ad Deum accedimus per orationem,ſed prius oportet credere per fidem: & quòd inquiramus eum per charitaté,eum ſperantes,quia remunerator eſt. Sed væ filijs ſceleratis huius ſæculi,qui cum labia eorũ mouẽtur, vox penitus non auditur: quia fides mortua nullã vocem format ſonantem in auribus Dei,nec horum ſpes aſcendit ad Deum: quia teſte Iob: Spes hypocritæ peribit. Et cum etiam horum charitas refrigerata ſit, veluti dici ſolet: frigidus focus abſque igne,ſequitur quòd tales orare nõ valent,nec eſt cor Dei ad populum iſtum,niſi reſipiſcant,fide corda purificantes, & dicentes: Etiam ſi occiderit me in ipſo ſperabo. Si autem perſeuerantes ſunt in oratione cũ Maria matre Ieſu,quæ eſt contritio, dicere poterunt: Os meum aperui,& attraxi Spiritum, ſcilicet ſanctum charitatis. Sic fratres chariſsimi humiliamini ſub potenti manu Dei,vt vos exaltet in tempore viſitationis: omnem ſollicitudinem

Ioã.13.d
Apoc.3.d
Rom.5.a
Heb.11.a
Peccatores cur nõ exaudiantur.
Iob 8.c
Iob 13.c
Pſ.118.ſ
1.Pet.5.b

licitudinem veſtram proijciétes in eum, quoniam ipſi ma-
1.Pet.5.b gna cura eſt de vobis. Compertum igitur habes, quòd bea-
ta Trinitas operata eſt erga nos prouido conſilio: nā ope-
ratur, vt operemur erga nos: agit, vt agamus erga eam.
Si petit pater fidem, eſt vt nos in fide petamus nihil hæſi-
Pro.10.d tantes. Si filius quærit ſpem, eſt vt ſic ſperantes in eo mi-
3.Reg.19 ſericordia circumdet, & expectatio iuſtorum lætitia ſit.
a Si Spiritus ſanctus pulſat amorem, eſt ne nos cum Helia
Matt.25. dormiamus tepidi in via Dei, & cum fatuis virginibus
a extra maneamus: ſed introducti in cellam vinariam di-
Cant.2.a camus: Ordinauit in me charitatem, ſcilicet conſum-
matam per adæquationem præmiorum ad meritum. Cha-
nanæa fidem habet, dum currit ad Chriſtum, ſpem dum
perſeuerat, charitatem autem, dum malum filiæ ſuum di-
cit. Hanc nos imitemur nunc per gratiam, vt poſtea con-
ſequamur Dei gloriam. Amen.

SERMO I.

DOMINICAE TERTIAE QVADRAGESIMAE,

Quo modo dæmon eſt mutus.

THEMA.

Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc.* 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NON ſolum filius Dei potens eſt vt eijciat dæ-
monem, ſed etiam mater eius, quæ eſt virga
Iſa.30.g eum caſtigans: quoniam ſcriptum eſt: Pa-
uebit Aſſur virga percuſſus. Aſſur interpre-
tatur inſidians, & eſt ille, cui dicitur: Tu in-
Gen.3.c ſidiaberis calcaneo eius. Si ergo fratres eijcere dæmonem
optatis,

optatis, hanc virgam per deuotionem arripite, & eam per orationem inuocate, veluti faciebat ille, qui dixit: Virgã virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Habet namque virtutẽ Dei hæc virga, non qualemcumque, ſed a Deo ingentem & magnã, vt dominetur in medio inimicorum Dei, dæmonibusq. ſit terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Sed videamus, vbi naſcitur hæc virga, quia nõ in quocumque reperitur horto, ſed tantum ex Sion emittitur, ibi oritur, vbi erat viridarium puellarum ſanctarum antiquarum, inter quas hanc velut vnicam mirantur angeli dicẽtes: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & turis, & vniuerſi pulueris pigmentarij? propter tria videntur admirari ipſius virginis in dæmones aſcenſum, propter locum, propter ſexum, propter modum. Locus ille Sion puellas nuptui tradendas alebat, ideo ſterilis non erat, ſed beata Virgo deſertum virginitatis inuenit ibi, vbi ceteræ conſortia maritorum aſſectabant. Mirantur ergo primo, quòd ipſa inter delicias inuenit virginitatem, in qua ſic floruit, ac ſi eſſet plantata in cælo, & ſic de tali loco tantam mirantur procedere puritatem. Similiter de tali ſexu tantam aſcendere fortitudinem: vnde dicunt virgula fumi, non ligni. Virga lignea paulatim aſcendit, tarde, ac pedetentim de die in diem proficit, & quanto plus aſcendit, tanto fragilior & gracilior efficitur: econtra tamen eſt videre in virgula, fumi aſcendente de turibulo pleno, prunis accenſis, & pulueribus aromaticis ſuperpoſitis, maxime quando non eſt ibi niſi vnica apertura, aſcendit enim cum impetu, fortiter & velociter per virtutem ignis in modum columnæ: vnde & Maria columna nubis alibi dicitur propter fortitudinem, & velocitatem proficiendi. Aſcendit etiam cum feruore & ardore, & quanto plus aſcendit, eo amplius dilatatur, & odorem ſuauitatis circumquaque diffundit, talis tantæq. bonitatis, quòd omnium aromatum, id eſt virtutum & gratiarum, quæ cogitari poſſit in ſe contineat flagrantiam, ac virtutem, quod notatur cum dicitur: & vniuerſi pulueris pigmentarij. Solent enim pigmentarij multis modis conficere pulueres certarum ſpecierum, aſſumentes numerum & menſuram: ita

Maria eijcit dæmonem.

Pſ. 109. A

Cant. 3. B

Maria eſt virga fumi.

ita gratiæ aliorum Sanctorum quaſi in certo numero datæ ſunt & menſura: ſed in Maria omnium gratiarum plenitudo reperitur, vt eius fumus eijciat omne genus dæ-
Tob.6.b moniorum, melius quàm iecur piſcis Tobiæ. Cum ergo dæmon adnitatur claudere ora & aures laudantiũ Deum, ad fumum deuotionis Mariæ oportet accedere pro gratia obtinenda, quam vt aſſequamur, ei afferamus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

EIECTIO dæmonis non breui finitur tempore, quia ſemper eſt in fieri: ſemper Ieſus eſt eijciens dæmonium, & propterea dicitur, quòd erat eijciens, ac ſi non fi-
Matt.25.d nierit, nec enim finiet donec dicat: Ite maledicti in ignẽ æternum: qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Tunc eijciet eum non reuerſurum: nam vt in præſenti narratur Euangelio, dæmon ſtatim vult reuerti, & non ſolus, ſed cum alijs ſeptem nequioribus ſe, Chriſtus autem non fatigatus, ſed paratus adeſt pro nobis, vt eum eijciat. Nam imbecilles quidem ſumus, niſi ipſe continuo adiuuet nos aduerſus proteruum iſtum, qui domum, quam ſemel intrat, ſuam vocat. Ieſus autem indefeſſus dæmoniorum expulſor adeſt nobis, quoniam Lucas dixit, vt nos conſola-
Diuiſio. retur: *Erat Ieſus eijciens dæmonium, &c.* In priori parte oſtendam quo modo eum eiecit a cælo. In poſteriori autem quo modo eum proijcit a terra.

PRIMA PARS.

IN primis verbis thematis noſtri, ſcilicet, *erat Ieſus*, plurimum Lucas eleuat intellectum noſtrum: quia hæc
Ioan.1.a verba ſatis conſona ſunt illis: In principio erat Verbum. Vnde quemadmodum lectio lectionem aperit, ſic Euangeliſta exponit Euangeliſtã. Iam ergo etiam in cælo erat Ieſus eijciens dæmonium Luciferum: & turbæ angelorũ bonorum admiratæ ſunt de huius eiectione, dicentes ei:
Iſa.14.c Quo modo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Vnum ſolummodo in præſentiarum ingerit nobis difficultatem, quòd ſcilicet mutum dicat Euangeliſta dæmonium, quod Chriſtus eiecit, cum nihil ſit loquacius dæmone: nã propterea

dixit Paulus: Si linguis hominum loquar, & angelorum, *1.Cor.13.* ſcilicet malorum: nam ſine charitate impoſsibile eſt, vt *a* quis loquatur linguis bonorũ angelorum: quia ſunt igneæ diuino amore ardentes. Mali ergo angeli loquaciſsimi *Dæmon eſt* ſunt, ideoq. frequentius occupant inter hominis membra, *loquax.* linguam. Et vſus eſt dæmon lingua ſerpentis, vt noſtros *Gen.3.a* deciperet parentes. Vnde primum donum, quod Ieſus e cælo miſit, fuit linguarum, de quibus dixerat: Linguis lo- *Mar. 16.* quentur nouis, ſcilicet contra veteres linguas diaboli, qui- *d* bus mundum impleuerat, & quotidie quoque implet, dum loquacitate hæreticorum omniũ aures occupat. Qui malo ſpiritu acti, loquuntur varijs linguis: vt ſic ſacram Scripturam euertere valeant, negãtes quod a mille annis ſancta tenuit Eccleſia, & ſolummodo proteguntur varietate linguarum, dicentes: Quia non ſic habetur in græco, quia non ſic habetur in Hebræo, quia non ſic habetur in Chaldæo, an ipſi poſsideant originalia prima, quæ ſancti ſcripſere Apoſtoli, aut Prophetæ! Iam ergo cum dæmon ſit rana loquacior, cur Lucas mutum vocat eum, quẽ Chriſtus eiecit? Etiam ſi mutus eſſet dæmon, vteretur ſane alienis linguis ad ſua concinnanda mendacia, ideoq. mutus dici non debet. Gloſſa tamen rationem aſsignans dicit, quòd dictus eſt mutus dæmon, quia mutos facit. Et hoc ſane ſciebat Euangeliſta, ideoq. ſatis eſſet ſibi dicere: *Et erat Ieſus eijciens dæmonium: & cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus*: ſine eo quòd interponeret: *& illud erat mutum*. Aduertendum ergo eſt, quòd eum mutum vocat, vt nos moneat ex eius pœna, ſuam indagare culpam. Pœna ſiquidem conſentanea eſt culpæ ſuæ: quia iuxta qualita- *Deut.25.* tem delictorum, eſt plagarum modus. Scimus enim Zacha- *a* riam mutum relictum ab Angelo, ob id quòd non obediẽter reſpondit ſibi. Et impij Nichanoris linguam diuiſam *2. Mach.* auibus dari iubet ille Iudas Machabæus, propterea quòd *15. f* blaſphemauit Deum, & ſanctum templũ eius. Vnde quòd Lucifer mutus depingitur, aliquid ore commiſit, in cuius pœnam efficitur mutus: quia contraria contrarijs mederi oportet. Qui procax fuit ad loquendum, fiat mutus, & ſileat, quoniã cuidam loquaci dicitur: Adhærere faciam *Ezec.3.g* linguam tuam palato tuo, & eris mutus. In diuite Epulone, qui ſtans in flammis, cruciabatur ſignanter in lingua,

quoniam

(quoniam per eam frequentius peccauerat) manifeſte innuitur, quòd pœnã linguæ præcedit peccatum linguę. Vt ergo diaboli facinora videamus ad emendationem noſtram (eſt enim poſitus in metum prauorum hominum) aduertendum eſt, quòd nihil ab angelis, immo nec ab hominibus primis quærebat Deus præter ſilentium. Si omnes angeli, ſiluiſſent, & parẽtes quoque dum in paradiſo terreſtri morabantur, a principio ſiluiſſent, vtique non cecidiſſent, nec exultaſſent. Miramini de hoc? nonne & vos cum tacueritis ſancti eritis? Audite Iacobum dicentem: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Immo apertius Iſaias ſanctitatem in taciturnitate conſtituit dicens: In ſilentio quidem & ſpe erit fortitudo veſtra. Sanctus etiam Iob ac ſi multum feciſſet, ſe iuſtificans dicebat: Nonne tacui, nonne quieui? quid ergo monemus vobis fratres virtutes ingentes, ac laborioſas, cum ſilentium dulce fere ſufficeret vobis ad ſalutem? eſt enim virtutum fons, ſicut loquacitas eſt vitiorũ ſeminarium. Nec ſolum virtutum humanarum, ſed etiam virtutis angelicæ, quoniam propheta dicit: Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium: & ſecuritas vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis: & in tabernaculis fiduciæ: & in requie opulenta. In iuſtitia etiam angelica operatur, qui pacem cuſtodit, quod clarius exponens ſubiunxit: Et cultus iuſtitiæ ſilentium. Alterum exponit alterum, cum dicitur: Et erit opus iuſtitiæ pax: hoc eſt primum: & cultus iuſtitiæ ſilentium: hoc eſt ſecundum. Si Lucifer voluiſſet pacẽ habere, nec facere prœlium magnum in cælo, colere debuit iuſtitiam Dei. Quomodo? ſilendo: quia cultus iuſtitiæ angelicæ ſilentiũ eſt. Ad quod equidem ſequeretur ipſa pax: vnde propterea adiunxit: Et ſecuritas vſque in ſempiternũ. Et ſedebit populus meus, &c. quod de primis hominibus & angelis poteſt intelligi, qui tanta gratia creati ſunt, vt etiam ſi nihil ex parte ſua ponerent præter ſilentiũ, conſequerentur gratiæ confirmationem: vnde etiam angelo dici poteſt illud Sapientis: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et velut carpens Luciferum ſubiunxit: In medio magnatorum loqui non præſumas. In auditione angelorum notatur plena obedientia: in taciturnitate autem plena

[Margin notes: A loquacitate omne malũ euenit. — Iac. 3. a — Iſa. 30. d — Iob 3. d — Iſa. 32. d — Silentiũ eſt fons boni. — Eccli. 32. d]

plena abnegatio propriæ volũtatis: ex quibus exhibita eſt Deo reuerentia: pro qua confirmationis gratia acceſsit gratijs præhabitis. Tamen Lucifer anticipauit tempus loquendi, præcipitauit vocem, ſilentium interrupit ſibi impoſitum, dum permanere noluit in ſola & quieta Dei cõtemplatione, cui omnes alij ſilebant. Vnde Ioannes ait: Factum eſt ſilentium in cælo quaſi dimidia hora. Ecce quo modo fuit imperfectum & non integrum ſilentium, ſed dimidiæ horæ: ac ſi non potuiſſet Lucifer vna hora ſilere, ſicut nec Petrus vna hora vigilare cum Chriſto. Dimidiæ horæ dicitur ſilentium fuiſſe: primo, quia non diu permanſit in obedientia cõditoris: ſecundo, quia eius beatitudo, quam in cælo habuit, fuit non integra, ſed dimidia. Eſt ergo notandum, quòd ſecundum S. Bonauenturam duplex eſt pars integræ beatitudinis. Prima eſt priuatio omnis mali pœnæ & culpæ cum adeptione, naturæ competenti, eorũ quæ ſunt citra Deum. Altera vero pars eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus, quæ tres partes beatitudinis eſſentialis includit, quibus vltimatæ potentiæ perficiuntur: quòd autem mali angeli primam beatitudinis partem habuerint, patet per beatum Thomam. Vnde ſecundum Hieronymum ſtatim quo angeli creati ſunt a Patre per Verbum in Spiritu ſancto, ſunt gratia ornati, quilibet ſecundum naturam & ordinẽ ſuum: quia Deus ſimul fuit condens naturam, & largiẽs gratiam propter innocentiam, quam a ſua conditione angeli habuerunt, quæ cum bona voluntate eſt optima diſpoſitio ad gratiam, quam diſpoſitis numquam negauit Deus. Nonne mediam beatitudinis partem habuit Lucifer, dum referente propheta, in medio lapidum ignitorum ambulabat, perfectus in vijs ſuis a die conditionis ſuæ, donec inuenta eſt iniquitas in eo? lapides igniti dicuntur angeli a conditione ſua, quoniam amore Dei ardebãt, quem lege naturali aſtricti vehementer amabant. Tunc autem in media hora ſilentij erat Lucifer, donec inuenta eſt iniquitas in eo. Sed quæ fuit hæc iniquitas? quia noluit expectare, tacens aliam dimidiam horam, vt integre bearetur, cum teſte Ieremia: Bonum ſit præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Lucifer autem impatiens, loquax & præceps noluit per dimidiam horam ſilendo, præſtolari alteram

Apo.8.a

Beatitudinis duplex pars.

S.Tho.1.p. q.62.art.3.

Semibeatus fuit dęmon.

Eze.28.d

Tre.3.e

alteram beatitudinis partem, quæ ſilentibus & non loquacibus erat conferenda.

Angeli carẽt lingua. Sed quiſpiam dicet, quòd caret Lucifer ſicut & alij angeli vocis inſtrumento: nam, vt aiunt Doctores, per ſigna & oſtenſionem affectuum, & non per voces manifeſtãt voluntates ſuas. Vnde Paulus non abſolute, ſed conditionaliter dixit: Si linguis hominum loquar & angelorum, &c. Poſt homines poſuit angelos, ac ſi diceret: Si angeli vt homines haberent linguam, & ego ea vſus fuero, non erit vtilis meus ſermo charitate neglecta. Ecce igitur quo modo caret lingua dæmon: ſed vt myſteriũ agnoſcas, aduerte, quòd in homine membrum, quod minus loquitur, eſt lingua; vnde tria hominis mẽbra loquuntur, ſcilicet cor, os, & manus. De primo dicitur: Deſiderium timentium ſe faciet: & deprecationem eorum exaudiet. Pſalmographus etiam ait: Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. De altero membro dicitur: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. De tertio autem dicitur: Clamor Sodomorum venit ad me, id eſt opus prauum, ſiue manus mala operans. Ex his tribus, magis validior eſt vox cordis, quæ eſt velut mater, origo & radix ceterarum. Sine voce cordis fruſtra clamitabis ad Deum. Hypocritæ quoque operibus bonis videntur clamare, tamen cor eorum, inquit Deus, longe eſt a me: ideo ſabbata eorum odiuit anima mea. Prima igitur voce dæmon fregit ſilentium in Sion, quoniam ob id ait Iſaias loquens Lucifero: Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo: In cælum aſcendam, & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ. Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt a Deo, vulnerabat Lucifer ſuggeſtione ſua, dum inter eos fregit ſilentium, dicens in corde ſuo, id eſt in ſua interiori affectione. In cælum aſcendam, id eſt in ſupremam beatitudinem, ad quam nulla creatura poterit aſcẽdere: quoniam & Chriſtus, vt aiunt Euangeliſtæ, aſſumptus eſt in cælum, qui paſſiua vtuntur ſignificatione, eo quòd nemo viribus ſuis poterit in cælum aſcendere. In hoc ergo volebat Lucifer aſtra, id eſt ceteros angelos præcedere, quòd ipſe non gratia Dei, ſed propria quidem præſumptione beatitudinem poſsideret, quam vocibus prauis cupiebat obtinere. Nam qui cupit, & iure caret, vocibus nititur. Vidimus ergo

Margin notes: 1.Cor.13 a. — Pſ.144.d — Pſ.118.u — Ibid.s — Gen.18.c — Iſa.1.d — Iſa.14.d

dæmonis

dæmonis loquacitatem, videamus punitionem conſentaneam, de qua ipſe Dauid ait: Erubeſcant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa. Quæ loquũtur aduerſus iuſtum iniquitatem: in ſuperbia, & in abuſione. Hæc ſunt verba, quibus Dominus iuſtus noſter loquaces angelos e cælo proiecit in infernum. Et in cõſentaneam peccato pœnam dixit: Muta fiant labia doloſa. Superbia dicuntur peccaſſe, quia hæc fuit primum peccatum eorum, alterum vero fuit abuſio ſuorum naturalium. Vt autem percipias differentiam ab eo, quòd ſilens fuit primo in illa dimidia hora, & nunc mutus: aduerte, quòd ille Deo ſeruat ſilentium qui reuerenter tacens ei, nihil aliud vult quàm voluntatem eius adimplere feſtinanter. Nam ſi verba ſapientium audiuntur in ſilentio, quanto magis verba Dei? & ſi aquæ Siloe vadunt cum ſilentio, quanto quietius veniet ad nos aquæ ſapientiæ ſalutaris, quæ ſunt ſacræ doctrinæ? ſilentium ergo ſanctæ obedientiæ annexũ eſt, pro cuius defectu fit mutus, vt qui tacere noluit, iam loqui non poſsit. Dicitur mutus dæmon primo, quia Deus, & ipſe non ſe intelligunt: habent enim contrarias voluntates. Nam ſi malis dicturus eſt Deus: Non noui vos, pari ratione dæmonibus dicet: Non intelligo vos: quamuis intelligat etiam non clamantes vt Moyſen, cui tacenti dixit: Quid clamas ad me? Cum ergo Deus ſciat omnes linguas, & ignoret linguam dæmonis, inarticulata & confuſa manebit, ſicut lingua lupi, quæ percipi nequit. Immo nec dæmon vult Deum intelligere, quia Dei voluntati numquam reſpondit: vnde quando ei Deus aliquid imponit & mandat (veluti homines flagellare) non ad intentionem Dei, quæ bona ſemper eſt, ſed ad ſuum liuorem facit: quapropter dum iuſſus eſſet, vt Iob tentaret, limitem poſuit ei Deus, ne læderet animam eius, quam prius vellet arripere. Nam dæmon tua non vult, ſed te perdere. Secundo eſt mutus a Dei laude, quam ore nũquam aſſumit, ſed fugit ab ea ſemper: vnde miratus Dominus, ait ei: Vbi eras cum me laudarét aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? & ſanctus quidam ait: Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. In his verbis a confeſsione fraudis & laudis mutus perhibetur. Dicitur tertio mutus, quia cum mendacium ſemper ex pro-

Pſal. 30. e

Silentis, & muti differentia.

Eccls. 9. d
Iſa. 8. b

Dęmõ quare ſit mutus.

Matt. 7. c

Exo. 14. d

Lupi vox non intelligibilis.

Iob 1. e

Iob 38. a
Iſa. 38. d

ex proprijs loquatur, intelligi non poteſt, quia vt ait Philoſophus: Quod non eſt, non ſcitur, id eſt falſum non ſcitur. Quarto eſt mutus a petendo veniam, vnde dicitur: Vena vitæ os iuſti, quando confitetur ad vitam: os autem impiorum operit iniquitatem: quoniam eam negat nolens fateri peccata. Quinto dicitur mutus, quia eſt orbatus charitate, quam ob rem fit vt æs ſonans, aut cymbalum tinniens, quod non intelligitur. Cum ergo charitatem perdidit, mutus remanſit, propterea quòd ſonum gratum Deo amiſit. Hæc igitur pœna, qua dæmon factus eſt mutus, exul ac proiectus e cælo, figuratur in Heliodoro, de quo dicitur: Ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe & ſalute priuatus. Heliodorus interpretatur donum ſolis: & eſt Lucifer, quia ſole iuſtitiæ factus eſt, vt luceret poſt Deum. Hic eleuatus in mirabilibus ſuper ſe, voluit theſauros templi cæleſtis rapere. Templi cæli theſaurus eſt ipſa beatitudo, quam præripere audacter voluit, ac ſi iure naturali deberetur ei. Sed filius Dei hunc principem dæmoniorum eiecit, ac dæmonia: modus autem quo eiectus eſt, ponitur in aſſumpta parabola, vbi dicitur: Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumq. multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt. Ecce nunc dicitur caliginoſus Lucifer, cui vti principi ſedenti, alij ſubijciuntur. Tamen ſella dignitatis facta eſt geſtatoria: quia non ad gloriam, ſed ad confuſionem vocatur princeps dæmoniorum. Tamen eos habet ſubiectos, & ſocios ad operandum malum, & ad occupandum animas hominum: quia ideo ſequitur vbi ſupra: Et is, qui cum multi curſoribus & ſatellitibus, prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabatur, nullo ſibi auxilium ferente, manifeſta Dei cognita virtute. Ecce igitur fratres quo modo Lucifer iacet in inferno priuatus omni ſpe & ſalute, quia mutus caret fonte ſalutis. Fons equidem ſalutis eſt bona lingua, & fons mali mala: Quia mors, & vita in manibus linguæ. Habet ergo ſatellites iſte princeps dæmoniorum nequiores ſe, qui eum portant in domum ſuam, cum ait: *Reuertar in domum meam, vnde exiui*. Sed tēpore Chriſti nullus dæmoni ferebat auxiliū: quoniam *vniuerſa arma eius abſtulit, in quibus confidebat*. Ratio cur ei nullus

Ariſt. 1. poſt. contex. 5.

Prou. 10. b

1. Cor. 13 a

2. Mach. 3. e

Prou. 18. d

auxilium

auxilium ferebat, oſtenditur cum dicitur: manifeſta Dei cognita virtute, ſcilicet incarnata. Quoniam virtus Altiſſimi apparet in carne, vt omnis caro liberetur, & ab ea dæmon expellatur, vt patet in Euangelio præſenti: vbi oſtenditur quo modo Chriſtus a terra dæmonem eiecit. Pro altero ſermone hoc Euangelium exponam.

SERMO II.

DOMINICAE TERTIAE QVADRAGESIMAE,

Ad litteram Euangelij.

THEMA.

Beatus venter qui te portauit. Luc. 11.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT vetus canit adagium, nemo deterior mutus quàm ille, qui loqui non vult. Dum autem inimico tuo denegas loquelam, reſpectu illius mutus diceris, quamuis cum alijs loquax reperiaris: dæmon temporibus iſtis loquaciſsimus eſt, quia fabulas antiquas hæreſum, quæ præ vetuſtate oblitæ fuerant, renouat, & fingit ſe linguis loqui nouis, tamen ſerpentes, id eſt ſcandala, non tollit, ſed mouet. Eſt tamen mutus reſpectu beatę Virginis, nec vult eā alloqui: vnde Lutherani nō volunt in principio ſermonis dici: Aue Maria, qui error etſi ab vniuerſitate Pariſienſi dānatus ſit, inquirendum ſupereſt, qua ratione dæmon faciat mutum Lutherum reſpectu Virginis: Nonne Aue Maria gratia plena, &c. Euangeliū Chriſti eſt? Nonne verba ſunt archangeli Gabrielis ad Virginē? Nonne verba etiā ſunt

Lutherus vetat Aue Maria.

Luca 1.

Spiritus ſancti, quo repleta Eliſabeth ſalutationem compleuit? Propterea interdicit Lutherus verba hæc Euangelica & diuina, quia talia ſunt: nam ipſe morem habet cetera reijciendi, & ſua ſtatuendi. Cum autem omnes aliæ ſalutationes Virginis ſuper angelicam fundentur, qui hanc reijcit, mutus manet. Qui autem fruitur ea, etiamſi Deus mutus ſibi ſit, nolens ei loqui, faciet cum ea vt expedite loquatur pacem ſibi: vnde propterea ibi dicitur: Dominus tecum, ſcilicet loquitur, o Maria, qui nobis ob peccata noſtra mutus eſt: ideo benedicta tu in mulieribus, quia nullæ vmquam ſic familiariter locutus eſt ſponſus eius ſicut tibi Deus: & merito, quia filius tuus eſt, vnde: Benedictus fructus ventris tui, qui eſt Verbum Dei propter te matrem ſuam, omnes alloquens, omnes ſalutans, omnibus medelam diuinam conferens, quoniam ipſe dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quo modo nos potuiſſemus ad viſibilem Deum ire, niſi prius ipſe veniret ad te, o Maria gratia plena? quo modo potuiſſet lactis dulcedine nos reficere, niſi prius tu ipſa vberibus tuis eum reficeres? antea quippe omnes territi dicebant: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur: nunc autem poſtquam tu beata Virgo dediſti ei os nouum dulciſsimum & tenerrimũ, nolumus vt loquatur nobis alius: quia oues eius non nouerunt vocem alienorum lutheranorum. Vt ergo Dominus alloquatur animas noſtras, gratiam ſermoni conferẽs: nos Virginem angelica oratione ſalutemus, dicentes humiliter. Aue Maria.

Christus propter matrẽ omnes ſalutat.

Mat. 11. d

Exo. 20. e

Ioã. 10. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

CVm in principio præſentis Euangelij dæmonis mẽtio fiat, & in calce eiuſdem Deipara Virgo mirabiliter collaudetur, multi putant hoc Euangelium difficillimum, cuius initium & finis tantum differunt: ſed cum ſapientia Dei attingat a fine vſque ad finem, quamuis fortiter incipiat myſteria huius, ſuauiter finit ea: quia etſi fortiter eiecit dæmonem, ſuauitate adimpleuit mentem mulieris de turba: vt ſuauiter extolleret Mariam ſuauiſſimam. Nullum ergo diſcrimen eſt inter huius Euangelij

Sap. 8. a

finem

finem & principium, immo eſt connexio mirabilis: quia cum dæmon feciſſet hominem mutum, & hunc ſanaſſet Chriſtus, voluit in muliere de turba oſtendere, quam loquelam conſecutus eſt mutus ille, & ad quod ſanatus eſt, ſcilicet ad laudem incarnati Verbi, de quo mulier illa dixit: *Beatus venter qui te portauit*. In tota ergo huius Euangelij expoſitione oſtendam quo modo ſanatus mutus laudi Verbi incarnati deſtinatur, omneſq. cum eo dicere debent: *Beatus venter qui te portauit*.

Dum in principio dicitur, quòd locutus eſt mutus: & in fine mulier de turba extulit vocem: indubitanter dicam eos in ſententia ſimiles, quamuis hoc Lucas non expreſſerit, alibi tamen dixit, quòd cum naſcente Ioanne mutus Zacharias loqueretur: ad idem conuertit verba ſua, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, ſcilicet Mariam, viſitauit inquam, id eſt fœcundauit, & fecit conſequenter redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis, id eſt Chriſtum, in domo Dauid pueri ſilij, id eſt in Virgine. Sed forte quiſpiam dicet, quòd iſti duo muti plurimum diſtant, pluſquam initium & finis huius Euangelij. Bene fateor, quia mutum alterum fecit angelus bonus, alterum vero angelus malus: attamen magni conſilij angelus Chriſtus vtrumque ſcit ad veram conuertere metam, & ad eumdem finem deducere: quod ipſe Zacharias fatetur dicens: Salutem ex inimicis noſtris, & de manu, id eſt opere, omnium qui oderunt nos, ſcilicet dæmonum facientium hominem iſtũ mutum. De quorum opere gloriam ſibi elicuit Deus, qui vtitur inimicis ſuis ad gloriam ſuam. Ex iſto igitur muto, iam ab eo eiecto dæmone Deus elicuit, & magnificauit gloriam ſuam, dum locutus eſt mutus, dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*. Hoc, vt arbitror, dixit, aut ſaltem dicere debuit: certum eſt quòd aliquid dixerit, quoniam Lucas ait: *Poſtquam eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ*: vnde aliquid protulit admiratione dignum, & fuit æquiualenter illud: *Beatus venter qui te portauit*. Si hoc dicebant ipſi diaboli, cur ab eo liberati non melius proclamarent illud? Quòd ipſi dæmones hoc dicerẽt, patet per eumdem Euangeliſtam dicentem: Exibant etiã dæmonia

Mutus dixit: Beatus vẽter qui te portauit. *Luc.1.g*

Iſa.9.b

Luc.4.g

a multis clamantia & dicentia : quia tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui : quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Hæc ille : ſi autem quæras, cur beatus Lucas non ſcripſit confeſsionem, aut gratiarum actionem iſtius muti, aut cur Dominus Ieſus aliquo modo mulieri de turba reſiſtit eum fideliter laudanti? Audi Bedam ſuper Lucam dicentem : Dæmonia filium Dei confitebantur, & atteſtante Euangeliſta, ſciebant ipſum eſſe Chriſtum : quia quem dierum quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognouerat, nec tentando valebat, an Dei filius eſſet, experiri : iam nunc per ſignorum potentiam, vel intellexit, vel potius ſuſpicatus eſt eſſe filium Dei. Non igitur ideo iudæis eum crucifigere perſuaſit, quia Chriſtum ſiue Dei filiũ non eſſe putauit, ſed quia ſe morte illius non præuidit eſſe damnandum. Vere enim de hoc myſterio a ſæculis abſcondito dixit Apoſtolus : Quod nemo principum huius ſæculi cognouit : Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Quare autem dæmonia Dominus ſe loqui prohibeat, Dauid manifeſtat, qui ait : Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Ne quis dum prædicantem audit, ſequatur errantem. Improbus enim magiſter eſt diabolus, qui falſa veris ſæpe permiſcet, vt ſpecie veritatis, teſtimonium fraudis obtegat. Aliàs autem non ſoli dæmones, qui inuicti confitebantur, iubentur ſilere de Chriſto, ſed & illi, qui ab eo ſanati ſponte confiteri eum volebant. Immo & ipſi Apoſtoli, qui eum poſt reſurrectionem erant toto orbe prædicaturi : ante paſsionẽ eius præcipiuntur omnino reticere de illo, ne diuina videlicet maieſtate prædicata, paſsionis diſpenſatio differreretur, & dilata paſsione ſalus mundi, quæ per hanc futura erat, negaretur. Hæc Beda, qui fatetur dæmones Chriſti præcones, & etiam a Chriſto ſanatos : poſtquam ergo locutus eſt mutus, Chriſto dixit : *Beatus venter qui te portauit*. De quo ſequitur in Euangelio : *Et admirata ſunt turba*. Turba admirata impoſsibile eſt quòd taceat. Vnde alius Euangeliſta exprimens, quæ dixit, ait : Numquam apparuit ſic in Iſrael. Verum equidem, quia Deus numquam apparuit hominibus, ventre mulieris portatus in Iſrael : quàuis hoc ante promiſerat per prophetas ſuos. Matthæus etiam

Beda lib. 2. in c. 5. Luca c. 14. to. 5.

1. Cor. 2. b

Pſ. 49. c

Matt. 17. b

Matt. 9. d

etiam in alio loco magis explicat ſententiam turbæ, dicens: Oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum: ita vt loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ dicentes: Numquid hic eſt filius Dauid? Ecce quo modo volunt etiam dicere: *Beatus venter qui te portauit:* quoniam & turbæ, quæ præcedebant, & ſequebantur euntem in Ieruſalem, clamabant, dicentes: Oſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in Altiſsimis. Magnum igitur impulſum habuit mulier de turba, dum ipſam turbam audiuit: vt ipſa etiam exprimeret magis Chriſti maieſtatem dicens: *Beatus venter qui te portauit*. Beatus venter Mariæ, quia te portauit, vt nobis beatitudinem in Altiſsimis cõferres. Sed quoniam varia ſunt iudicia vulgi, nec omnes idem ſapiunt. Sequitur in Euangelio: *Mat. 12. b* Turbæ dixerũt: Beatus venter qui te portauit. *Mat. 21. b*

Alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo. Iſti non totaliter erant a fide alieni: quoniã dum de incarnatione Verbi loqueretur Iſaias, dixit: Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo: in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Iam in profundum inferni dederat Chriſtus ſignũ, id eſt contra dæmonem, qui eſt profundum inferni. Nunc ſupereſt, vt ſignum maieſtatis ſuæ oſtendat in excelſum ſupra. Vt autem hoc ſignum videas, audi quod ſequitur in Euangelio: *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia*. Hi erant phariſei, qui intra cor ſuum, vt arbitror, hoc dixerunt. Cum autem ſolus Deus agnitor cordis ſit: nec aliquis ſuſpicaretur de illis tam peſsimum iudicium, ipſe Ieſus volens in excelſum ſupra, id eſt cõtra cor eorũ ſuperbiſsimum dare ſignum, manifeſtauit intrinſecum liuorem eorũ: vnde ſequitur in Euangelio: *Ipſe autem Ieſus, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum &c.* cum inuiſibiles ſint cogitationes cordis noſtri, ſolius Dei eſt videre eas: quarum viſus & cognitio valet pro ſigno de cælo diuinitatis Chriſti. Nec ſolum vidit, ſed redarguit miſericorditer, vt eos a dæmonio meridiano liberaret & loquaci. Cor eorum meridianum erat Chriſto notũ: ideo ſciens cogitationes eorũ ait: *Omne regnum &c.* hic aduerte, quòd triplex eſt dæmoniacus, ſcilicet realis, & ſpiritualis, & iudicatus. De primo audiuimus: *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* *Iſa. 7. b* Dæmoniacus triplex.

 De ſe-

Digitized by Google

De ſecundo etiam audietis: *Aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi: & fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus*. De tertio autem quid vultis audire, niſi illud: *In principe dæmoniorum, eijcit dæmonia?* quis poterit hunc principem habere ſuper ſe, quin dæmoniacus ſit? omnes hos tres dæmoniacos, de quibus in præſenti Euangelio fit mẽtio, vult Dominus curare: quòd autem Phariſæi ſint dæmoniaci: patet, quia ſicut nemo poteſt dicere: Domine Ieſu, niſi in Spiritu ſancto: ſic nemo poteſt contra eum loqui, niſi in ſpiritu malo. Iam ergo tertius dæmoniacus, non verus, nec realis, nec ſpiritualis, ſed iudicatus a phariſæis eſt Dominus Ieſus. Inquit Seneca, quòd puella vxoris ſuæ cum lippa eſſet, quadam die omnino cæca ſurrexit: & cum iam ortus eſſet ſol, dicebat adhuc tenebras eſſe, nec diem incœpiſſe: cui cum econtra eius domina reſponderet, inſtabat illa: ſed ne cæca iudicaretur, dicebat: Nonne ego bene video, quòd obſcurus eſt totus mundus? Sic miſeri ac cæci phariſæi, cum ſol iuſtitiæ ortus eſſet ad expellendas tenebras etiam infernales, ſcilicet dæmones, iudicant Dominum Ieſum habere non quemuis dæmonem, ſed principem dæmoniorum. Putabant enim quòd quemadmodũ Paulus acceſsit ad principem ſacerdotum, & accepit ab eo epiſtolas in Damaſcum, vt ſi quos chriſtianos inueniſſet, vinctos in cathenis ſuis perduceret in Ieruſalem: ſic Dominus acceſſerat ad Beelzebub, quem dicebant dæmoniorum principem, vt ei daret poteſtatem ſuper alia dæmonia vbique reperta. Ieſus autem qui parum fecit, dum primum dæmonium ſanauit, nunc nimis laborat, vt oſtendat non in principe dæmoniorum, ſed in principe angelorum Verbo æterno ſe dæmonia eijcere. Vt etiam phariſæi dicant: *Beatus venter qui te portauit*. Iam ergo exorciſmi, quibus Chriſtus eijcit dæmonem a cordibus phariſæorum, ſunt rationes, quibus purgat ſe, in quibus aliquæ p[illegible] ſuppoſitiones ſunt, quas nouit Ieſus in eorum cordibus [illegible]eceſſas. Prima eſt, quòd regnum ſathanæ ſtabit. Sathana[illegible] interpretatur contrarius ſiue aduerſarius. Regnum huius erat poteſtas Romanorum, apud quos ipſe colebatur, & per quos omnibus ſibi contrarijs erat cõtrarius, & per eoſdem aduerſabatur eis. Iam ergo iudæi arbitrati ſunt ſemper duraturam poteſtatem

1.Cor.12.a *Act.9.a*

teſtatem Romanorũ, qua idolatria vigebat, quæ initium habuit a Belo patre Nini regis Babylonis, cui Ninus filius eius idolum, & diuinos inſtituit honores. Cum ergo phariſæi decepti putarent permanſurum regnum dæmonis, arguit contra eos Chriſtus dicens: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.* De regno quocumque verum tenet, hoc etiam de regno beatiſsimæ Trinitatis, dum per impoſsibile daretur diuiſum, vt quidam hæretici putarũt, dicentes maiorem Filio Patrem, & maiorem Spiritu ſancto Filium: contra quos Deus ipſe prohibuerat, ne quis ad altare ſuum per gradus aſcenderet: nam hæreticus diuiſiones poneret in regno, id eſt in diuinitate Dei. Sed nonne perſonæ diuinæ ſunt diuiſæ? nonne alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus? quo modo ſine diuiſione Trinitas poterit ſtare? Diuiſio non eſt in Deo, eſt tamen diſtinctio, quia Filius diſtinguitur perſonaliter a Patre, non tamen diuiditur eſſentialiter. Spiritus ſanctus etiam diſtinguitur ab vtriſque, non tamen ſubſtantialiter diuiditur, quia ſi diuiſio eſſet in regno diuinitatis, conſequenter per dictum Saluatoris deſolatio timeretur. Sententia quoque Saluatoris patet in regno, id eſt in ſtatu primo hominis, de quo dicitur: Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Tamen poſtquam diuiſit ſe a Deo, vt complaceret vxori, ſtatim deſolationem ſentire cœpit, & cum folijs volebat ei ſubuenire, dum abſcondit ſe. Illud regnum tam opulentiſsimum erat, quòd niſi manutenentia Dei ſtare non poterat, a quo recedens Adam, factus eſt ſibi ipſi grauis, deſolatus, & deſertus ab innocentia: vnde domus ſupra domum cecidit, id eſt anima ſupra corpus, vtrumque morti obnoxium. Tertio in regno, id eſt in corpore Chriſti, patet ſententia prædicta: nam ex quo filius Dei ſe cõtrarietati humorum ſubiecit, & in eo cœperunt agere & pati humidum radicale, & calor naturalis, conſequenter deſolationem incurreret mortis, etiamſi non occideretur a iudæis, & etiamſi comederet de ligno vitæ, vt probat Scotus in tertio: quia lucta contrariorum, ex quibus corpus naturale conſtat, deſolationem mortis naturaliter inducit. Vnde Filius Dei factus homo fit mortalis, quoniam accepit regnũ in ſeipſum diuiſum: quod ſola iuſtitia originalis

Trinitas nõ eſt diuiſa.

Exo.20.b

Diuiſio eſt cauſa deſolationis.

Pſal.8.b

Gen.3.b

Peccator habet regnũ diuiſum.

Digitized by

ginalis conſiliare potuit. Sed nonne regnum etiam peccatoris, quod regendum accepit, in ſeipſum diuiſum deſolabitur? Immo in eo eſt regnum aduerſus regnum cum homo ſit vnus regulus, ex quo maius incommodum timetur. Dum video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: ita vt me captiuet in legem peccati, ſentio regnum aduerſus regnum. Sed alterum per ſe regnũ, ſi conſideres in ſeipſum, diuiſum reperies. Nam video vecordem iuuenem, qui pergit ad miſſam, pes eius viam rectam terit: tamen verſis oculis nõ ſubtrahit viſum a muliere compta: ſed ei procaci vultu blanditur. Nonne iſte diuiſus eſt? pedes quidem ſui viam Eccleſiæ vadunt, oculi autem ad lupanar procedunt & geſtus: quid eſt plus diuiſum? Videbis & alium honeſte corporaliter incedentem, habitu ſanctitatis indutum, ſed quia moribus mũdi eſt deditus, ſic in malum ſuum diuiſus eſt. Alius autem optime prædicat, recta præſtat conſilia, tamen præoccupant nos mala exempla eius, & ſic diuiſus eſt in ſeipſum, & propterea deſolabitur. Vt autem Chriſti ſententiam capiatis, aduertite, quòd eſt diuiſio duplex, altera mala, ſcilicet illa, quæ rem diuidit a ſeipſa, de qua ſcriptum eſt: Diuiſum eſt cor eorum, & propterea interierunt. Altera diuiſio eſt bona, ſcilicet quæ rem diuidit ab alia re, ne ſit confuſio vel chaos. Quantum altera diuiſio eſt bona, tantum altera eſt mala, quia per bonam res habent eſſe: dũ Deus diſtinxit aquas ab aquis, & elementa ab elementis, & hominem a limo terræ, & Euam a latere Adæ. Sicut ergo per bonam diuiſionem Dei habemus eſſe, & indiuidua ſubſiſtunt, ſic per malam diuiſionem deſtruitur eſſe noſtrũ, & corpus myſticum, & fit diaboli: propter quod dictũ eſt: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.* Dum enim domus a domo in perniciem ſui diuiditur, altera cadit ſupra reliquam, & ſic deſolatio venit. Cum ergo vos phariſæi arbitremini principem dæmoniorum mihi dediſſe poteſtatem in ſuos, & in membra ſua myſtica, quæ me expugnaſſe videtis, quo modo ſtabit regnum eius? tam inſenſatum iudicatis hunc principem, quòd poteſtatem cõferret mihi aduerſario ſuo, vt ea vterer in ſuos, & in regnum eius? Quis vmquam ſemetipſum odio habuit? Nõne qui ſuorum maxime domeſticorum curam non habet infideli

Rom. 7. d · *Prou. 7. b* · Diuiſio mala & bona. · *Oſe. 10. a* · *Gen. 1. a. & 2. d* · *1. Tim. 5. a*

infideli deterior eſt? Domeſtici dæmonis ſunt ipſi dæmones, qui tempore incarnationis conuenerunt, & ipſi in vnum aduerſum Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, ne regnum eorum deſtrueret. Chriſtus autem etiam congregauit ſuos, vt omnes fide mortua vel viua contra dæmonem principem pugnent, armati nomine Ieſu. De iſtis omnibus ſequitur in Euangelio: *Pſal. 2. a*

Si autem in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Multi apud iudæos eijciebãt dæmonia, quia frequentiſsima erant: Ieſus autem, & eos (qui etſi non adhærebant ſibi, nomine tamen ſuo dæmonia eijciebant) & ipſos Apoſtolos, & alios exorciſtas volens vna concludere interrogatione, quæſiuit: qua ratione eius opus principi aſcriberent dæmoniorum, & opus omnium aliorum aſcriberent Deo! Et cum huius diſcriminis nullam poſſent dare rationem, adiunxit: *Ideo ipſi iudices veſtri erunt*. Super hoc ait Beda: Iudices, inquam, non poteſtate, ſed comparatione: dum illi expulſionem dæmonum Deo aſsignant; vos autem Beelzebub principi dæmoniorum: cum autem minime reſpondere poſſent, ipſe Dominus oſtendens Verbum in carnem cõtra dæmones veniſſe, ait: *Porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei*. Si, id eſt, quia in digito Dei dæmonia eijcio. Hæc eſt ſecunda ſuppoſitio, quam Chriſtus probare noluit, quia phariſæi tenebantur, etiam ſecluſa fide infuſa, eam admittere: quia & magi Pharaonis viſis miraculis Moyſi, aſſentientes, dixerunt: Digitus Dei eſt hic. Vtinam & iſti dicerent, hic adeſſe potentiã Dei, & non principis dæmoniorum. Sed vt videas quo modo ex iam rationabiliter amiſſa ſuppoſitione, ſequatur veniſſe regnum Dei ad iudæos, aduerte, quòd potentia Patris olim communicata fuit magis Pharaonis malis, & ſapientia filij cõmunicata fuit olim curioſis philoſophis, tamen bonitas Spiritus ſancti deſignata in digito, nõ communicatur niſi ſanctis viris: dum ergo Chriſto communicata probatur per tot miracula & rationes, liquide ſequitur perueniſſe in iudæos, id eſt ad eorum patrociniũ regnum Dei, ſcilicet Verbum incarnatũ contra regnũ dæmonis: huius ergo poteſtate & virtute Chriſtus homo expulit dæmones. Quare ei merito dicere oportet: *Beatus venter qui te portauit*.

Beda lib. 4. in c. 11. Luca. cap. 49. to. 5.

Exo. 8. c

Spiritus ſãctus bonis tantum datur.

Phariſæi

Phariſæi dicebant regnum dæmonis in ſeipſum eſſe diuiſum, dum aſſerebant poteſtatem Chriſto dediſſe, Chriſtus autem probat ſe maiori, & propria vti cōtra eum poteſtate, vnde ait: *Profectò peruenit in vos regnum Dei*: contra dæmones in cordibus veſtris regnantes. A tempore Samuelis proiecerant Deum immediate regnantem ſuper eos,& petierunt hominem regem, qui eos eriperet ab exteris nationibus, nunc autem illo regno perdito, venit ipſe Deus factus homo ad regnandū ſuper eos,ac deſtruēdum regnum diaboli: vnde ſequitur in Euangelio.

Cum fortis armatus &c. vſque ſpolia eius diſtribuet. Fortis armatus dæmon,qui & natura fortis eſt, ac nimia induſtria, & ſuorum auxilio armatus, atrium mundi pluribus annis cuſtodiuit in pace Romanorum, quæ tanta erat,vt edicto Auguſti Cæſaris totus deſcriberetur orbis, *Luc. 2. a* quem dæmon velut regnum iure belli ac fortitudinis, & armorum poſſederat, non tamen hereditate aut iuſta poſſeſsione, aut bona emptione, quia tales tituli ad Chriſtū pertinent. De quo ſequitur: *Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum*: quàm fortior dæmone Chriſtus ſit, & quàm ſuper eum victor pro hominibus liberàndis venerit, ſapientia Dei enarrat,dicens: Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet: omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cælo,a regalibus ſedibus venit: durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit. Optime depingit hic ſapiētia Dei potentiam Ieſu Chriſti,qui eo tempore venit, quo dæmon totaliter præualebat,& in ſilentio quieto non audentem loqui poſsidebat mundum tamquam merum mutum. Quando nox,id eſt,ignorantia ſummi boni medium iter habuit,quaſi principiū & finem non attendens; principium eſt Deus, finis eſt homo: quæ duo iunguntur in Chriſto, de quo ſequitur: Omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cælo, ſcilicet deitatis in ventrem Virginis, a regalibus ſedibus venit. Sedes ſunt illæ de quibus incipit Matthæus: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, &c. Ecce Ieſus noſter ſerie generis venit rex, vt regnū diaboli per ſeipſum deſtruat: vnde propterea ſequitur: Durus debellator in mediam &c. Quæ eſt terra exterminij niſi mūdus

Chriſtus eſt rex fortior dæmone.

Sap. 18. c

Matt. 1. a

iſte,

iſte, cuius princeps dæmon dicebatur? Hic ergo, vt in præſenti Euangelio dicitur: *Vniuerſa dæmonis arma abſtulit, in quibus confidebat: & ſpolia eius diſtribuit*. Alius Euangeliſta dicit, quòd etiam vaſa eius diripuit. Habet ergo dæmon vaſa, & arma, & ſpolia: vnde aduerte, quòd tria ſunt genera peccantium. Quidam per ignorantiam, & iſti ſunt vaſa dæmonis, non terrea, ſed ferrea: vti eſt vas caſtrorum in excelſis, ſcilicet bombarda, vbi ponitur eſca ignis, vt ictum fortem emittat. Nonne vas caſtrorum dæmonis erat Saulus, quando ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini vrgebatur, appoſito igne falſi zeli, vt fortalitiū Eccleſiæ deſtrueret? arma diaboli ſunt peccantes per fragilitatem, qui defendūt peccata ſua, ipſam fragilitatem obijcientes Deo, quia portant theſaurum in vaſis fictilibus, quæ vno ictu occaſionis franguntur. Quia tentationi non dant locum niſi humanæ, quia humanum eſt peccare. Nam ſi in angelis ſuis Deus reperit prauitatem, quid noui, quòd eam reperiat in nobis, qui habitamus domos luteas, quæ terrenum habent fundamentum? Cum ergo impoſsibile ſit, quin viſis tangamur, ipſam noſtram fragilitatem aſſumimus in arma, quibus etiam iuſtitiam Dei oppugnare contendimus, ac ſi iniuſte iudicaremur. Arma ergo diaboli quibus plures expugnat, ſunt peccantes per fragilitatem. Spolia eius ſunt peccantes per malitiam: in quibus ſicut in ſpolijs boni belli plus iuris habet dæmon, quia iſtis nullam facit iniuriam: quoniam ſponte ſe tradiderunt ei etiam ſcienter, cui noluerunt reſiſtere, erant enim ſcientes & potentes, tamen ſola malitia peccauerunt in Spiritum ſanctum, in digitū Dei. Huiuſmodi erant ſcribæ, & phariſæi Chriſto inuidentes, ac dæmoniorum principi fauentes, quibus dixit id, quod ſequitur in Euangelio.

Peccātium tria genera.

Act. 9. a

2. Cor. 4. b

Iob 4 d

Diaboli ſpolia quæ.

Qui non eſt mecum aduerſum me eſt. Et qui non colligit mecum, diſpergit. Iſti non erant cum Chriſto ſuo, quem etiam adorare tenebantur, ſed aduerſus eum erant, detrahentes potentiæ ſuæ, quam principi dæmoniorum ſubijcere volebant, ideo non colligebant cum Chriſto vaſa, & arma, & ſpolia, quæ ipſe applicuit ſibi, ea diſtribuens varijs officijs, & dignitatibus in Eccleſia ſua. Vas erat Saulus, quem cum Chriſtus accepiſſet, fecit vas electionis,

Vt por-

vt portet nomen eius. Arma erat Magdalena, & Petrus, qui apoſtolica dignitate fulgent. Chriſtus etiam dicitur arma diaboli dare alijs, quia licet ipſe animas liberet, tamen partem huius gloriæ prædicatoribus committit, quia & eos hoc honore donat: quod optime figuratur in libris
1. Reg. 30 g Regum, vbi Dauid ſpolians Amalecitas, ſpolia diſtribuit: & miſit dona ſenioribus Iſrael, & proximis ſuis. Spolia etiam quæ Chriſtus obtinuit, dicuntur ſancti Patres, quos ex limbo violenter accepit, ac per ſedilia cæli diſtribuit. Sed quia diximus vaſa dæmonis eos, qui per ignorantiam peccant, & arma eos, qui per fragilitatem, phariſæi ſunt ſpolia, quia per malitiam peccarunt, de quibus in actibus
Act. 6. b Apoſtolorum dicitur: Turba ſacerdotum obediebat fidei. Et poſtea omnes vnanimiter dixerunt: *Beatus venter qui te portauit*. Quod vt nos vnanimiter dicamus, ſubiunxit Dominus oppoſitam differentiam, quæ eſt inter ipſum ac dæmonem, dicens: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, &c. vſque peiora prioribus*. Iam ergo ad diſtinctionem ſuorum, & ſatanæ operum, hoc Dominus dixit, quòd ſcilicet ipſe ſemper polluta mundare, ſathanas vero mũdata grauioribus feſtinat contaminare ſordibus. Nam tẽpore baptiſmatis ſpiritus immundus, qui in homine prius habitauerat ad confeſſionem catholicæ fidei, & ad renunciationem mundanæ conuerſationis eijcitur: Locaq. inaquoſa peragrat, id eſt corda fidelium, quæ mollitie fluxæ cogitationis expurgata ſunt, callidus inſidiator explorat. Si quos ibi forte ſuæ nequitiæ greſſus figere poſſit. Sed bene dicitur, *quærens requiem, & non inueniens*, quia caſtas mentes effugiens, in locis humentibus velut porcus inuenit quietem, dicẽs: *Reuertar in domum meam*
Beda lib. 4. in Luc. c. 48. to. 5. *vnde exiui*. Timendus, inquit Beda, eſt iſte verſiculus, non exponendus. Ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat: *& cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam*, id eſt gratia baptiſmatis a peccatorum labe caſtigatam, ſed nulla boni
Malus chriſtianus hypocrita eſt. operis induſtria cumulatam. Vnde bene Matthæus hanc domum vacantem, & ſcopis mũdatam, atque ornatam dicit inuentam. Mundatam videlicet a vitijs priſtinis per baptiſmum, vacantem a bonis actibus per negligentiam, ornatã ſimulatis virtutibus per hypocriſim. Et tunc vadit, & aſſumit

& aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe: & ingreſsi habitant ibi. Per ſeptem malos ſpiritus vniuerſa vitia deſignantur. Quemcumque enim poſt baptiſma, ſiue prauitas hæretica, ſiue mundana cupiditas arripuerit, mox omnium proſternet in ima vitiorum. Vnde recte nequiores tunc eum hominem ſpiritus dicuntur ingreſsi, quia non ſolum habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem ſpiritualibus ſunt contraria virtutibus: ſed & per hypocriſim, ipſas ſe virtutes habere ſimulabit. Et ſic *fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus*. Melius quippe erat ei viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti. Quod in Luthero, ceterisq. complicibus ſuis ſpecialiter legimus adimpletum. Dum igitur Chriſtus Dominus hæc turbis propinaret, mulier quædam eius verbis ita ſuccenſa eſt, vt ipſe Lucas quaſi aliud miraculum narrans, dicat: 2.Pet.2.d

Factum eſt autem cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba. Super hoc ſic ait Beda: Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier oſtēditur, quæ ſcribis & phariſæis Dominum tentantibus ſimul & blaſphemantibus: tantam eius incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Hæc ille: oſtendens quo modo extulit vocem ſuper omnes hæc mulier: vt cum ea dicant verba thematis, ſcilicet: *Beatus venter qui te portauit*. Totius turbæ admiratæ fidem hæc mulier ſibi accumulaſſe videtur, eamq. protulit in gloriam Saluatoris, quæ tanta eſt, vt nullo modo augeri poſsit a principe dæmoniorū, cum ipſe portatricem, & matrē ſuam glorificauerit tam ſublimiter, vt eam principem omnium angelorum tam bonorum quàm malorum fecerit. Si enim venter & vbera Mariæ beata dicuntur, qualis erit eius anima, qualis erit eius ſpiritus, qualis eius vita? ſi enim partes quæ apud alias feminas maledictioni ſubiacent, apud Mariam inueniuntur benedicta & beata, quid cenſendum eſt de reliquis? Venter ceterarum maledictus eſt per illud: In dolore paries filios. Vbera etiā per illud: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: tamē hæc omnia dicūtur beata in matre Dei propter Deum, quem portauit nobis: vnde ait hæc mulier: Beda lib. 4. in Luc. c. 49. to. 5. Gen. 3. c Ibidem.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Non derogans gloriæ Virginis hæc mulier æmulatrix meliorum chariſmatum. Forte in ventre amoris ſui portauerat Chriſtum, ei lac deuotionis propinauerat: quamuis enim erat de turba, turbarũ mater dici poteſt: vnde ait Beda: Extollamus vocem cum Eccleſia catholica, cuius hæc mulier typum geſsit: extollamus & mentem de medio hoc turbarum, dicamusq. Saluatori noſtro: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*. Ieſus autem volens hanc beatitudinem extendere, ait: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Duplici iure Chriſtus regnum Dei habet, ſcilicet filiationis, qua eſt heres vniuerſorum: & ſecundo iure belli: quia ſi violenti rapiunt illud, a fortiori Chriſtus, qui alterum ius nobis libenter tribuet. Sic beata Virgo eſt duplici iure Mater Dei, altero naturali, de quo locuta eſt mulier: altero autem gratifico, de quo locutus eſt Chriſtus: & iſtud nobis confertur dum dicitur: *Beati qui audiunt verbum Dei*, id eſt mente concipiunt, *& cuſtodiunt illud*, ſcilicet donec tempus ſit, vt exeat in opera, & in lucem exempli. Nam beata Virgo non ſolum audiuit illud ab angelo, ſed nouem menſibus cuſtodiuit, donec peperit eum in lucem.

Beda lib. 4. in Luc. c. 49. to. 5.

Mat. 11. b

In quadrageſimali noſtro reperies plures ſermones ſub hoc thema: *Beatus venter qui te portauit*: ibi optima eſt peroratio. quære ibi, vel in tractatu noſtro ſuper miſſus eſt in fine: quia hic nullum verbum illorum adduxi.

SERMO DOMINICAE QVARTAE QVADRAGESIMAE.

Super Euangelium de pane diuino.

THEMA.

Hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum. *Ioan. 6.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NON ſolum Dominus Ieſus eſt verus Propheta, ſed tali plenitudine prophetandi venit in mundum, vt amicos Dei & prophetas valeat conſtituere in animas eorum ſe transferens. Chriſtianus quilibet ſi habet in ſe Chriſtum, & ſecundum eum loquatur, propheta eſt ab eo, & per eum conſtitutus, quoniam iturus erat ad patrem, & loco ſui ſuos omnes prophetas reliquit poſt ſe vſque in hodiernum diem. Non ergo multum dixerunt Chriſtum aſſerentes prophetã, nec digna mercede conduxerunt eum, putantes hac ſola confeſsione ſe a debito ſolutos impenſi beneficij. Nam Chriſto parum eſt, quòd propheta ſit: quia propheta dicitur procul fans, Chriſtus autem nihil habuit remotum: quoniam apud eum eſt fons vitæ futurorum omnium. Nihil eſt futurum poſt nos, quod non ſit a Deo, ideo Deus non eſt propheta, nec filius eius, quia omnia in eo velut in origine rerum ſunt: quidquid ergo futurum eſt, ab eo ſumet initium, qui deſtinare cuncta debet: nil ergo procul eſt a Chriſto: quapropter non eſt propheta in ſe, ſed in membris ſuis, ideo poſtquam dixit Dauid: Apud te eſt fons vitæ, ſubintulit: & in lumine

Chriſtianus eſt propheta dum cõcionatur.

Propheta quaſi procul fans.

Pſ. 35. b

tuo videbimus lumen. Lumine fidei chriſtianus quilibet propheta eſt, dum loquitur ſecundum eum, qui illumi-
Ioan. 1. a nat omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui terrena loquitur, homo eſt, qui mundana, mundanus eſt, qui negotia loquitur, negotiator eſt, qui vana, vanus eſt, qui autem chriſtiana fatur, propheta eſt, qui loquitur ſecundum cor Chriſti futuram beatitudinem, iudicium & mortem, & ea quæ procul ſunt. Sed aduerte quòd prophetæ non paſsim prophetabant, nec ipſe Moyſes tam felix fuit, vt præſto eſſet prophetandi gratia ſibi ad libitum. Ideo namque organica inſtrumenta ſunt viri prophetæ: quoniam non voluntate humana fantur, ſed quando eos
Luc. 1. g tangere voluerit ille, qui locutus eſt per os Sanctorum. Si ergo eſt tempus prophetandi atque viſionum certum, & chriſtiani ſunt prophetæ, horum tempus quamuis congruentius diebus feſtiuis aſsignetur, & dum agitur Miſſa, præſertim attendant tempus prædicationis, quia tunc ſignanter verbum Dei Chriſtus venit in mundum interioris hominis, tunc in animas ſanctas ſe impreſſum præcordijs transfert, tunc amicos Dei & prophetas cōſtituit:
Ier. 23. b nā propterea dixit Ieremias: Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus a vino, a facie Domini, & a facie ſanctorum verborum eius. Ante faciem Domini ſumus nunc in Eccleſia, eius verba ſancta dicturi, non deeſt niſi ſuccurſus gratiæ a beata Maria impetrandus, quam vt aſſequamur, ei præſentetur. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VISO miraculo, qui aderant, concluſerunt verba thematis, non tamen exprimunt ad quid venturus eſſet in mundum filius Dei, qui memor promiſsi, illud voluit
Pſ. 77. e adimplere: vt ſcilicet panem angelorum manducaret homo. In eodem enim capitulo, quo Ioannes narrat verba thematis, dixit Chriſtus ſe veniſſe, vt daret vitam mun-
Ioan. 6. e do. Et infra: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Mundus ergo ad Chriſtum Dei filium aſcendere non poterat, vt panem angelorum ſibi promiſſum manducaret. Ille autem ne irritum fieret promiſſum ſuum, ad nos vſque deſcendere curauit: quapropter ait Auguſtinus:

ſtinus: Quid enim tam opus habens miſericordia quàm miſer? & quid tam indignum miſericordia quàm ſuperbus miſer? Ex quo factum eſt, vt illud Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo vſque ad miſeriam noſtram, clemétiam ſuam porrigeret, & Verbũ caro fieret, & habitaret in nobis: Sic enim poſſet panem angelorum manducare homo, nondum angelis adæquatus, ſi panis ipſe angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec ſic deſcendit ad nos, vt illos desereret, ſed ſimul integer illis, & integer nobis: illos intrinſecus paſcens per id, quod Deus eſt, nos forinſecus admonens, per id, quod nos ſumus; idoneos facit per fidem, quos per ſpé paſcat æqualiter. Hæc ille: vbi oſtendit quòd Dei filius venit mundum alere, eumq. ſeipſo cibare. In ſermone autem videbimus quanta neceſsitas erat, vt veniret: quia ſine eo periremus fame. In ſecunda parte oſtendam quo modo panem mundo expoſuit.

Aug. lib. 3. de lib. arbi. c. 10. circa med. to. 1.

Ioan. 1. b

Pſ. 77. c

Diuiſio.

PRIMA PARS.

QVONIAM ſub figura panis repræſentatur in Euãgelio Filius Dei, de pane agendum eſt, qui peculiari dono ſibi collato Deum ſignificat præ ceteris creaturis. Non ſolum ex vocabulo græco panis totum ſonat, & in ſacris litteris nomine panis omnem cibum intelligimus, & cum oramus dicendo: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quia dixiſti: Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Quæ omnia ſub nomine panis petimus: poſteaquam dicimus: Adueniat regnum tuum. Ecce regnũ Dei, fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. Ecce iuſtitiam eius quærendam. Non ſolum ex ſacris litteris totum ſignificat panis, ſed experientia nouimus omnem eſcã animæ noſtræ non placere abſque pane, in quo eſt vis ciborum. Et tam abominanda eſt panis penuria, vt ſapientiſſimus Dauid potius gladium inimici eligat quàm famem. Iſte autem panis quo veſcimur, non eſt nobis totum, nimis enim a totalitate deficit; quia ſe ſolo nõ placet, nihilq. nos putamus habere, ſi ſolus panis abeſt: quoniam etſi nomine panis quicumque cibus congruus intelligitur, non

Panis dicitur totum.

Matt. 6. b

Ibid. d

2. Reg. 24 c

tamen panis eſt totus cibus,quamuis illum ſignificet.Hoc ideo euenit quia panis iſte plures defectus continet: aliquando eſt niger, aliquando inſipidus, aliquando paucus, aliquando durus.

Panis eſt Deus.

Sed nunc fratres mei, contemplamini alium panem cibum qui non perit,ſed manet in vita æterna: immo & eſt vita æterna. Panis non inſipidus, nec durus, nec paruus, nec niger, qui & non ſolũ caret omnibus defectibus noſtri panis materialis, verum etiam continet infinite quidquid bonitatis dici queat. Qui non ſolum eſt panis cæli, & panis angelorum,& panis ſanctus, & viuus, ſed eſt panis diuinus,& panis Dei, quo Deus ipſe nutrit & ſuſtentat ſeipſum,ſine eo quòd aliquando alio egeat. Talis eſt panis diuinitatis, qui ſolus mittit omnem ſaturitatem in animas ſanctorum,& in omnes intellectuales creaturas. Ad hunc igitur panem anhelemus fratres etiam ſi ſudare,aut flere contingat,quid peccator exoptas? vis ditari? maſſa huius panis pluſquam aurea eſt, quia diuina. Vis magna ſublimitate haberi? baculus iſtius panis totum tenet mundum, ſpica eius ſublimis eſt valde,etiam ſuper angelos. Vis delectari? hic panis præbet delicias non ſolum regibus,qui tardi ſunt contenti, ſed etiam angelis Dei. Vis pulchritudinem? iſte panis eſt panis facierum, de quo dicitur:

Pſ.16.d Satiabor cum apparuerit gloria tua. Si ſanari cupis, panis

Iſa.55.a eſt vitæ immortalis. Cur ergo appenditis & expenditis argentum,& non in panibus; & laborem veſtrum, & non in ſaturitate hac? pro hoc pane habẽdo ſi daret homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ, & omnem laborem & induſtriam ſuam, adhuc amplius valet: & quia nullo pretio emi poteſt, ideo Deus gratis dedit illum: quoniam melius eſt eum gratis dare, quàm illum non bene vendere: omnem quippe ſuperat laudationem,etiam ſi omni lingua loqueretur os meum: nam ſi manna cibus corruptibilis, propterea ſolummodo quia panis Dei vmbra erat,omnem præbuit ſaporem ſuauitatis filijs Iſrael in deſerto, cur non amplius valebit panis Deus filijs Dei in cælo? Paratum,

Sap.16.e inquit Sapiens, panem de cælo ſine labore aptum vnicuique voluntati. Ab origine mundi & ante ſæcula parauit Deus hunc panem in cælo, quando decreuit ſe creaturis ordinate communicare non ſolum intuens earum laborem,

Digitized by Google

rem, ſed propriam largitatem, qua voluit vniuſcuiuſque voluntati ſatisfacere omnium Creator.

Ex hoc igitur pane duabus creaturis duo fragmenta dedit Deus, ſcilicet angelo, & homini, quia ceteræ nõ comedunt ex eo, niſi tantum angelus, & homo, quibus non dedit totum panem, quia capere non poterant eum. Solus enim Filius comprehendit Patrem, & ſic de ſolis tribus perſonis, quæ ſe ad inuicem ex toto percipiunt, ceteris autem datur ad menſuram & pondus, vt comedant quod ſufficit. Maiorem buccellam dedit Deus angelo quàm homini, quia plus dilatat os. Et hunc ſtatim ſedere fecit ad menſam ſuam in regno ſuo. Homini autem parum dedit vel micam, ne ſuffocaretur. Satis erat ei de eodem pane manducare cum angelo: quia panem angelorum manducauit homo: *Pſ.77.c* quando Deus miſit ſoporẽ in Adam, vt quietius comederet. *Gen.2.d* Iſte igitur panis diuinus tunc comeditur, quando Deus cognoſcitur, & quãdo exquiſitor ſermonum Dei ſcrutatur Deum & ſcripturas eius, quia ideo dicitur: Cibauit illum pane vitæ & intellectus. *Eccli.15.a* Intellectu comeditur hic panis. Nos autem comedendo cibum volumus eum in nos, Deum autem cognoſcendo in eum conuertimur, iuxta illud Pauli: Nos autem reuelata facie gloriam *2.Cor.3.d* Domini ſpeculantes, in eandem imaginẽ transformamur. Nec iſta cognitio parua putanda eſt, quoniam qui Deum intus cognoſcit, ſui obliuiſcitur, ſemper cogitat, & curat quæ Dei ſunt, moritur ſibi, & viuit Deo. Suum cor non in ſe, ſed in Deo habet, ipſo dicente: Vbi eſt theſaurus tuus, *Matt.6.c* ibi & cor tuum erit. Felix ergo mutatio, mirabile commercium, quia homines conuertit in deos, quoniam eos dicit Scriptura inſolubilis deos, ad quos per hanc cogni- *Ioã.10.f* tionẽ ſermo Dei factus eſt. Inuadat ergo nos, vt ait Chryſoſtomus, ſacra quædam ambitio: vt mediocribus nõ contenti anhelemus ad ſumma. Secundo iſte panis tunc vere guſtatur, quando Deus amatur: quia propterea dicit ſanctus Dauid: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Domi- *Pſ.33.b* nus. Tantus eſt eius ſapor, quòd eo guſtato deſipit omnis caro: quia ſpiritus Dei tamquam mel dulcis, non ſolum inſipidam reddit carnem, ſed amaram. Nouiſsima luxu- *Prou.5.a* riæ amara quaſi abſinthium: nouiſsima honoris vt ſtercus terræ, & diuitias denſum lutum: riſumq. mœrorem re-

putat, & poculum fletui amaro commiſcet. Quidquid igitur carnis eſt, amarum vertit ſapor Dei. Litterati hunc comedunt, ac ruminant panem, ſimplices autem in quibus ſola viget affectio, hunc panem deguſtāt, & propterea opinor, quòd vetula Chananæa micas huius panis petierat, quæ manus euadent frangentiũ eum. In minimis quibuſcumque donis Dei non paruam deguſtationem inueniunt Chriſti fideles, qui altiora ruminare non curant, & forte ſecurius ac melius agunt vitam: quia ille archiſynagogus totum Chriſtũ duxit ſpatioſe ad domũ ſuam: muliercula vero citius curatur in via, quia ſatis putat, ſi fimbriam veſtimenti attingat, vt ſaluetur. Non propterea putes a comeſtione ceſſandum, & ab altiori ſcrutatione ſcripturarũ, quia niſi princeps ille viam faceret Ieſu, forte mulier non veniret: & vt Gregorij vtar exemplo, niſi boues ararent, atque trituræ intenderent, aſini ad aream non comederẽt ſecuri paratum cibum. Datus ergo eſt panis angelo & homini, vt comederent per intellectum, & guſtarent per affectum: ſed miſer homo comparatus iumentis inſipientibus non intellexit hæc, immo velut puer ad poma nimis affectatus, de vetito cibo comedit, de fructibus ligni pulchri viſui, eo quòd eſſet ad veſcendum pomum ſuaue. Et illa duo quæ debuit impẽdere Deo, ſcilicet intellectum & affectum, dedit creato pomo, quod propterea dicitur pulchrum viſui, & ad veſcendum ſuaue: ac ſi pulchritudini dirigeret intellectum, & ſuauitati affectum, & ſic totus homo infirmatus eſt: & quemadmodũ diuina cõſolatio non datur admittentibus alienã, ſic panis diuinus negatur Adę fructibus veſcenti: propter quos infirmatur, eo in lamentationibus dicẽte: Infirmata eſt in paupertate virtus mea, dedit me Dominus in manus, de quibus non potero ſurgere. O Adam in infirmitatem cecidiſti veſcens fructibus, de qua non poteris cito ſurgere: ideo non comedas amplius de Deo, noli frui pane diuino, qui eſt cibus grandiũ, & duræ digeſtionis, & eget multo igne charitatis, nec a frigidis valet amplecti: ex quo ſequitur, quòd Deus ſe ab homine peccante ſubtraxit, ſed Deus ſe ab Adam ſeparauit, vt ei dietam daret, & abſtinentiam ab hoc pane imponeret: vnde incipit Euangelium:

Sapientis & ſimplicis deguſtatio in ſacramẽto.

Luc. 13. c

Mar. 5. c

Greg. lib. 2. Mora. c. 25. to 2.

Iob 1. c

Pſ. 48. c

Adam noluit panem ſed pomũ.

Gen. 3. a

Tren. 1. c

Abijs Ieſus trans mare Galilaa, quod eſt Tyberiadis. Et

ſequebatur

ſequebatur eum multitudo magna: quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat &c. Ieſus interpretatur Saluator, & eſt Deus, qui ait: Ego ſum Dominus Deus tuus, Saluator tuus. Expediuit ſe Deus Saluator ab Adam, & a filijs ſuis, qui infirmabantur per peccatum: quia longe a peccatoribus ſalus. O miſer homo, qui mutaſti panem diuinitatis pro pane lacrymarũ: quia propterea dicis: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus? Idcirco ego plorans, & oculus meus educens aquas: quia lõge factus eſt a me conſolator, conuertens animam meam: facti ſunt filij mei perditi, quoniã inualuit inimicus. Bene apparuit quòd abijt Ieſus, quoniam ab Adam vſque ad Abraam tanta ignorantia fuit mundo, in eis quæ Dei erãt, ac ſi eius memoria aboleretur, nec etiã paradiſi recordatio. Deerat enim panis intellectus, ac Dei cognitio, quoniã quidã negabant Deum, alij aſſerebant plures, alij vnũ, mille tamen defectibus circumdatum. Sed quid mirum cum elongatus Deus eſſet a mundo, & diſtantia ſit cauſa erroris? Maior namque eſt ſol tota terra, ſed quia procul poſitus eſt, apparet minor. Ideo ait Bernardus: receſſerat ſol iuſtitiæ. Ideoq. omnes nos quaſi oues errauimus.

Iſa. 43. d *Pſ. 118. n* *Pſ. 41. a* *Tren. 1. f* *Bern. ſer. 33. ſuper Cant. to. 1.* *Iſa. 53. b*

Trans mare igitur abijt Galilææ, quod interpretatur rota, & eſt totus mundus, vltra quẽ Deus receſſerat: quoniam rotat, & numquam in eodem ſtatu permanet. Et hoc mare eſt Tyberiadis, quod interpretatur confractio, quoniam tantum rotat, tantumq. mutatur, vt cõfringatur, nec partes eius ſibi conſtent. Sed quare Domine trans mare abire voluiſti? Ne infirmus præſumeret pedibus ſuis ad me venire, nec me comedere, quoniam magnũ Chaos incurrit. O infirmitas noſtra, quia poſſumus cadere & non ſurgere, ſeparari a Deo & non ei adhærere, nec applicari niſi trahamur, quoniã Chriſtus dicit: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Vapor poteſt aſcendere, ſed non niſi attractus ſolari radio. Non ergo ſeparemur fratres, quia in manu noſtra eſt ſeparari, non tamen vniri: nec enim facula extincta ſe poteſt accendere. Vide namque quantã debeas aſcendere altitudinem, quia quis aſcendet de filio diaboli ad filiũ Dei, de imagine Luciferi

Iob 13. d *Ioã. 16. e* Peccatoris a Deo diſtantia.

ad ſimilitudinem Trinitatis, de ſiliquis porcorum ad conuiuium angelorum, de familiaritate peſsimorum ad contubernium diuinorum, de peccato in gratiam & gloriam? ob hanc diſtantiam dixit Deus: Sicut exaltantur cæli a terra: ſic exaltantur viæ meæ a vijs veſtris. Sed ne deficiamus fratres, quoniam etſi non poſſumus conuerti, conari tamen poſſumus ad conuerſionem vt grauiter infirmus, qui etſi non ſe poteſt conuertere, conatur tamen & petit ab aſtantibus adiuuari: nam propterea dicit Dominus per prophetam: Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis: ſi ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. Trans mare denique abijt Deus, ne quis præſumat ſine gratia ad Deum tranſire, quæ eſt nauigiũ, quo ire debemus ad ipſum. Sed tranſacto mari, quo abijſti Domine mi? Sequitur in textu: *Subijt ergo in montem Ieſus, ibiq. ſedebat cum diſcipulis ſuis*. Quis eſt mons, vbi ſe contulit Deus? certe paradiſus atque cælum: Quia Dominus in cælo parauit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur. Iſte eſt locus paſcuis vberrimis abũdans, vbi Deus collocat ſuos, quia ibi gaudium ſine triſtitia, vbi non eſt qui exterreat, ſplendor ſine tenebris, vbi paſcitur inter lilia, vbi cubat ſecurus in meridie, quia mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons q̃uidem in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Hic ſunt angeli Dei, diſcipuli, de quibus dicitur: Beati ſerui tui, qui hic ſtant coram te, & audiunt ſapientiam tuam. Hi dicuntur vere diſcipuli: quia dicunt plena & pleniſsima. Ibi ergo ſunt pleni Deo, celſi meritis, cumulati virtutibus, paſti Deo. Aſcenſo mõte expediuit Deus mundum, qui relictus remanſit ſicut corpus ſine anima, ſicut terra ſine aqua. Corpus abſque anima moritur, mundus ſine Deo tabeſcet ſine vita, terra ſine aqua diſparet, redigiturq. in puluerem: ſic anima ſine Deo, cui dicitur: Ecce qui elongant ſe a te peribunt. Non poteſt homo diu ſuſtinere penuriam Dei, quin clamet: ideo non valens mundus ferre tantam famem diuinitatis, tantam dietam, tantam Dei abſentiam, quantam ei Deus dabat propter ſuam infirmitatem, dicit textus: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur*. Signa infirmorum

Marginal references: Iſa. 55. c; Ier. 15. d; Pſ. 102. d; Pſ. 67. d; 3. Reg. 10 b; Pſ. 72. d

morum ſunt cauſa ſequelæ, ideo bona eſt infirmitas, quæ in Chriſtum nos adducit. Vbi aduerte, quòd ſanctorum antiquorum infirmitates ſigna fuerunt earum infirmitatũ, quas propter nos dilectos decreuit aſſumere filius Dei, de huiuſmodi enim infirmitatibus ſemper canitur illud ſponſæ dicentis: Nunciate dilecto, quia amore langueo. *Cant.2.b*
Infirmitas ergo Ezechiæ, vbi ſol retroceſsit, figuram tenuit infirmitatis Chriſti, qui velut ſol nube noſtræ infirmitatis induitur. Et Samſon dixit: Infirmus ero, vt ceteri homines. Heliſæus etiam ægrotabat, & in eius infirmitate, regis Ioas victoria denunciatur. Denique antiqui Patres infirmi accincti ſunt robore, propterea quòd Chriſti paſsiones præfigurabant, de quo dicit Iſaias: Dominus voluit conterere eum in infirmitate. De his ergo ſanctis, ſuper quos Deus & ſpiritualiter, & corporaliter, & figuraliter infirmitates induxit, atque de alijs ſanctis antiquis dicitur: *Sequebatur eum multitudo magna*, ſcilicet patriarcharum dicentium: Obſecro Domine mitte, quem miſſurus es. Et prophetarum dicentium: Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes: & omnium aliorum dicentium: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Tantis clamoribus & ſingultibus importune vocatus rex gloriæ, leuauit oculos ſuos clementes: & ideo ſequitur in hoc Euangelio: *Iſa.38.c* *Iudic.16 d* *4.Reg.13 c* *Iſa.53.d* *Exo.4.c* *Iſa.64.a* *Iſa.45.b*

Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus. Duos oculos habet filius Dei, ſcilicet ſapientiæ, de quo dicitur: Omnia videt oculus eius: & miſericordiæ, de quo per Sapientem dicitur: Miſericordia eius in ſanctos eius: & reſpectus ſuper electos illius. Cum primo oculo, vidit Deus cuncta quæ fecerat: cum ſecundo, reſpexit Petrum. Hos oculos ante incarnationem clauſos tenebat Altiſsimi filius, ad ſe non ad nos eos extendens: quoniam nemini oſtendebat directam viam gloriæ clauſæ: nec ſibi ex toto populum reconciliabat. Vnde conqueſtus clamat Iob: Sto & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi. Et ſanctus Dauid: Domine in cælo miſericordia tua: quaſi dicat nondum ad plenum venit ad nos. Tempore incarnationis hos ambos eleuat oculos, quando prouidere voluit miſeris de remedio, vt ſapiens: *Eccli.23.c* *Sap.4.c* *Gen.1.d* *Luc.22.g* *Iob 30.c* *Pſ.35.b*

 & illo-

& illorum compaſſus eſt, vt miſericors. Decreuit ad montem gloriæ eos adducere, eorum infirmitates ſuſtinendo: Et quia non digni erant ſubleuatione tam excelſa, voluit prius eis dare humillimam ſubuėtionem ad eos vſque deſcendens. Non poterant ad montem Dei Oreb peruenire deficientes, ideo ſe Dei filius viaticum fecit, & cibum viæ noſtræ, & cibum peregrinantium, cibum ieiunantium & volentium eum. Vnde leuauit oculos ſuos: & vidit quòd ſua iuſtitia hominem a paradiſo expulerat peccatorē, qui peribat fame diuinitatis: nam ei vnciatim præbebat alimentum Deus, & in labore ac ſudore. Vnciatim edebat homo per Dei iuſtitiā, quod maxime ex eo videtur: quia quo magis duratio mundi protenditur, minus viuunt homines. Vnde Adam vixit nouem centum triginta annis. Matuſalem nouem centum quadraginta nouem. Noe nouem centum quinquaginta. Abraam centum ſeptuaginta quinque, & ſucceſſores minus vixerunt, quod deflens Dauid ait: Omnes dies noſtri defecerūt: anni noſtri ſeptuaginta, & eo amplius labor & dolor. Ideo cum ſubleuaſſet oculos filius Dei, vidit quòd multitudo maxima venit ad eum: & miſericordia motus præſentat famem noſtrā Patri æterno, dicens: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* plus deeſt nobis panis ſpiritualis in mundo, quàm filijs Iſrael in deſerto: quapropter optime dixit filius Dei: quia niſi tu Domine adiuues nos, fame peribit anima noſtra. Tu Domine illū eme: Quia non ſunt condignæ paſsiones noſtræ, ad futuram gloriam nobis per te reuelandam, ſufficientia enim noſtra ex Deo eſt: nos autem hunc panē proficuum emere non valemus. Quis poterit Deum emere? ille infinitus eſt theſaurus: nos autem ſumus terra ſuperuacua, puluis & cinis, quæ comparatio hominis ad Deū? quæ proportio lucernæ ad ſolem, guttæ ad mare, pulueris ad montem, luti ad aurum, nihili ad infinitum? certe nulla. Ideo optime ſequitur:

Pſ. 89. b · *Rom. 8. d*

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat, hoc eſt, nec anima, nec hominis corpus, nec naturæ bona, nec fortunæ ſufficiunt eis ad minimum gloriæ morſellum aut micam. Dato Domine quòd aliquid haberemus, totum debemus tibi & plus: nam debemus ſolem, qui nos illuminat, fertilitatē terræ,

quæ nos nutrit, fructus, qui nos reficiunt. Ideo quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ideo quia non habemus quo emere poſsimus hunc panem, Dei Filius quæſiuit illum, immo & fecit, ac præparauit: aliter non poterit hunc panem diuinum manducare homo propter nimiam dulcediné ſuam, de qua miratus Dauid ait: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! quia illam ferre non poterũt. Sed abſconſio iſta huius panis in paſsione Chriſti fuit, vbi cum acerbitate & amaritudine paſsionis temperatur diuinitatis dulcedo: In cuius rei figura filij Iſrael edebant panem azymum dulcem cum lactucis agreſtibus amaris. Et Dominus per prophetam dicit: Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo eos felle. *Pſ.115.* *Pſ.30. d* *Exo.12. b* *Ier.23. d*

SECVNDA PARS.

De hac ergo mixtura ſiue præparatione dicit Andreas in hoc Euangelio: *Eſt puer vnus hic habens quinque panes ordeaceos*. Puer iſte Filius Dei eſt, qui paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Fratres ſuos viſitare decreuit famelicos Dei filius, & nõ venit magnus, vt erat, ſed paruus vt ſumus: gaudere (vt ait Bernardus) oportet, quia Chriſtus in noſtra paruitate venit, paruulus eſt, leuiter placari poteſt: quis enim neſciat quòd puer facile condonat? Nemo timeat, nec pauper ab hoc puero panem emere, quia & ſola deprecatione præſtabit quod habet, aut flore aliquo boni deſiderij. Sed forte quæritis fratres mei: vbi eſt ille puer? in domo matris ſuæ Mariæ citius inuenitur, ad eam primum venit, in eius vtero captauit hoſpitium, de qua ſcriptum eſt: Hæc eſt mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei. Dominus Spiritus ſanctus filio domini mei Patris æterni præparauit hoſpitium, cui angeli ſeruiunt, & ad eius gaudent vmbram, eiq. adhærent: hanc ergo mulierem a tota Trinitate præparatam inuenit noſter puer, vbi hoſpitatus eſt nouem menſes: tamen quæramus ab eo. *Iſa. 9. b* *Bernard. in Epiph. Domini ſer. 1. circa med. to.1.* *Gen.24. d*

Qui emerunt ex te, o puer ibi, quis ibi panem cæli valuit deguſtare? fere nemo, quia ibi erat panis noſter ſicut liber inuolutus viſceribus Mariæ virginis mundiſsimis,

ſicut

ſicut in linteaminibus. Sed illa multum guſtauit & vidít, quia bona fuit ſatis negotiatio eius, & quia Deum digno recepit hoſpitio, decuit ſibi optimam mercedem accipere. Immo quamuis dum ibi eſſet Chriſtus, mundus eum non cognouit: tamen antequam ſe ab hoſpitio expediret, antequam ſe oſtenderet mundo, antequam publice venderet panem noſtrum: duæ perſonæ hoc ſcientes emerunt ex illo, ſcilicet Ioannes, & Eliſabeth: immo & tota domus Zachariæ, quæ hoc nimis calluit, ex eo quòd coniuncta eſſet Mariæ. Iſti crediderunt antequam vidiſſent puerum Ieſum, ideo citius deguſtarunt eum. O felix puer Ioannes Baptiſta, qui prius panem Deum guſtat, quàm matris vbera. O ergo felices nos ſi ad puerum Ieſum currere cupimus. Sed tu diue quer, expedias cito pané tuum, expone illum publicæ venditioni, vt omnibus liceat ad te currere. Ita vólo facere. Sed ponam prius tentorium donec intret dies in porticu Bethleemitico, de quo dicitur: Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio. Sed o puer amabilis in tam paruo & ignoto loco, quis de te emere potuit? reges qui ab oriente venerunt: & paſtores a iudæa videre panem angelorum in præſepio iumentorum, quia ſe iumenta fecerant homines. Et bene in Bethleem primo fixit tentorium, quæ domus panis interpretatur: vbi calidus exit a fornace vteri virginalis, in quo igne amoris immenſi coctus fuerat: odor panis multum valet, ſalutaris nimium eſt & vitalis. Odor igitur ſancti panis vitæ magos, & angelos, & paſtores feſtinanter currere fecit ad ſe, qui ſub ordeaceo cortice in techa noſtræ humanitatis venerat, de quo mirantes dicunt: Vere tu es Deus abſconditus, & ſanctus Iſrael Saluator. Sed vſquequo Domine paruus paruo detineris loco, cum te oporteat creſcere, & pabulum vitæ toti mundo præſtare? exi Domine, in locum nundinarum propalare, & teipſum manifeſta omni creaturæ, vt te noſcat omnis homo. In planitie montis Caluariæ eſt bonus campus, vt veniatur ad emendum, & nemo ſit qui ſe abſcondat a calore tuo: ibi omnis turba exiet ad ſpectaculum. Iam iam fratres, Dei filius ad vendendum panem in platea Caluariæ portat inhumeris ſuis menſam, vbi ponendus eſt, de qua

Prou. 31. e

Luc. 2. a

Bethleem dicitur domus panis.

Iſa. 45. c

qua Ioannes dixit: Ieſus baiulans ſibi crucem, exijt in eũ, *Ioã. 19. c*
qui dicitur Caluariæ locum. Ibi ſuper crucis menſam poſuit quinque panes ordeaceos, id eſt quinque vulnera ſuæ perſonæ, de quibus myſtice fertur: *Eſt puer vnus hic habens quinque panes ordeaceos.* Ordei dicuntur panes filij Dei: & ſi panes filiorum non mittẽdi canibus infidelibus, ne forte deridere conentur. Ordea ſunt vulnera tua Ieſu tibi, quia rigida & inſipida, alioquin non diceres: O vos *Tren. 1. d*
omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Viatores pro quibus patitur, & ad quos defert viaticum, inuitat, vt ad crucem attendant per affectum, vt videant per intellectum, ſi eſt dolor peccatorum noſtrorum, ſimilis dolori, quem pro eis patitur: vtinam Domine omnes nos haberemus tantum dolorem pro peccatis noſtris, quantum ipſe ſolus habuiſti pro eiſdem, in quibus te fecimus laborare. Sed hoc recogitemus fratres, quod non vacat a myſterio, quia ſi ordeacei panes vocantur vulne[illegible] Saluatoris, hoc ideo eſt, *Ordeũ eſt paſſio Chriſti.*
quia in ordeo & eſt aſperit[illegible] & ſanitas: nam ex ordeo fit infirmantibus medicinalis cibus. Iam ergo vulnerũ Chriſti aſperitas ei remanſit, qui dixit: In me tranſierunt iræ *Pſ. 87. d*
tuæ: nam paſſus eſt iras, quas nos meruimus: & nos fruimur ſubſtantia paſsionis eius, velut ordei in mortariolo crucis elicita, ac preſſa malleo & clauis.

Sed nunc de numero panum iſtorum agendum eſt. Puer noſter puritate plenus quinque vulnera ſeruat ſibi, ad quę nos inuitat, dicens: Vide manus meas & pedes meos: af- *Ioã. 20. g*
fer manum tuam & mitte in latus meum. Ecce ad quinque inuitamur, vt omnes quinque ſenſus eis applicare curemus. *Vulnerum diſtributio.* Sed etiam quinque ſunt plagati panes, vt eos quinque bolos, ſiue oblationes faciat Chriſtus, quinque partibus offerendos. Nam primum obtulit Patri propter nos: Qui cum inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mor- *Rom. 5. b*
tem filij eius. Alium obtulit pro angelis: Pacificans per *Coloſſ. 1. c*
ſanguinem ſuum, quæ in cælis ſunt, & quæ in terris ſunt. Tertium obtulit pro ianuæ cæli apertione: Quia per pro- *Heb. 9. c*
prium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta iam æterna redemptione ab eo inuenta. Quartum obtulit pro exiſtentibus in limbo, quoniam ei dicit propheta: Tu autem in *Zach. 9. c*
ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo

non

non erat aqua. Quintum autem, ſcilicet vulnus laterale nobis offert acuendis in prœlium contra aereas poteſta-
1. Mach. tes: ideo eius ſanguis figuratur in ſanguine vuæ oſtenſo
6. d elephantibus, vt animarentur ad prœlium. In cruce igitur accepit Ieſus panes vulnerum, & ibi diſtribuit diſcū-
Epheſ.4.b bentibus: Quoniam aſcendens Chriſtus in altum dedit
Panes quare quinque. dona hominibus. Ecce igitur quare ſunt quinque panes ob quinque ſcilicet oblationes, & quia quinque virgines ſunt prudentes: vbi omnes animæ ſaluandæ deſignantur: ſicut nunc in quinque millibus hominum diſcumbentiū, quia non ſaluantur niſi qui plagis Chriſti conformantur: nam ipſæ plagæ ſunt quinque, & viri quaſi quinque millia: quamuis propterea dicitur ly *quaſi*, quia nō erit plena conformitas, nec meritum plagarum erit exhauſtum: quoniam plus ſuperat de meritis Chriſti quàm ſit conſumptum, quapropter habes duodecim cophinos fragmentorum.

Inuitatio ad vulnera. Emite igitur fratres, & comedite hunc panem vulnerum quotidianum, hoc enim paſcuntur animæ deuotæ: quia ſicut panis confortat corpus, ſic Chriſti vulnera cor hominis confirmant, ad cuius conuiuium ſponſus ſuam
Cant.2.c amicam inuitat, dicens: Surge, propera amica mea, columba mea in foraminibus petræ, ſcilicet pedum & manuum, & cauerna lateris mei. Nidifica ibi, vbi paſſer in-
Pſ.83.a uenit ſibi domum: & turtur nidū vbi reponat pullos ſuos. Anima & corpus, paſſer & turtur. Hic alba columba ſe liberat ab accipitre inferni, & huic petræ Chriſto pullos
Deut.32. b alligat. Immo ſuggit mel deitatis de petra, & oleum humanitatis de ſaxo duriſsimo. Qui eſt hic habitator, om-
Coloſ.2.a nia ſcit: Vbi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Hic autem Chriſtus omnia poſsidet: habet enim patrem cum quo eſt vna ſubſtantia, & hominem cum quo eſt vna perſona, & animam vnitam cum qua eſt vnus ſpiritus, & Eccleſiam cum qua eſt vnum corpus: & ibi eſt omnis plenitudo deitatis. O vulnera beata, vos portæ redemptionis, feneſtræ paradiſi, porticus deitatis, per vos patet Chriſti voluntas, exeunt diluuia gratiarum.

Si autem quiſpiam dicat: *Quid inter tantos?* animam, ſcilicet & corpus, quæ tanta ac tam magna ſunt, quòd Deū attingere valeant, nec ſolis vulneribus contenti ſint.

Accede ad puerum Ieſum, quia etiam habet duos piſces, ſcilicet deitatem & humanitatem: alterum ex aqua dulci, alterum autem ex amara: quia de ipſo dicitur: Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. In mari, id eſt in Maria, captauit humanitatem: & in fluminibus, ſcilicet Patre & Spiritu ſancto, habet diuinitatem. Hæc omnia Chriſtus accepit in manus cuncta multiplicans: ideo nil reſtat niſi vt prædicatores faciant homines diſcumbere, monentes vt ſe diſponant ad tanta dona: quia iam in cruce paruulis fractus eſt panis, & omnes comedunt & ſaturati ſunt nimis, & cælum, & angeli, & limbus, & iuſti, & peccatores: Quia totus mundus poſt ipſum abijt. Nos ipſos cibemus ex hoc pane, & colligamus cophinos duodecim. Primus eſt donum compunctionis: ſecundus lumen intellectus: tertius ſpes fidei: quartus incendium amoris: quintus hortus virtutum: ſextus fortitudo in anguſtijs: ſeptimus vita in anima: octauus ſatietas in voluntate: nonus dulcedo in operibus: decimus deuotio in Deum: vndecimus victoria in dæmones: duodecimus gloria in morte. Vel pro alia vita ſi cophinos omnes volueris reſeruare, attende quòd primo ſunt tres partes beatitudinis animæ, & quattuor dotes ipſius corporis, & quinque ſenſuum dona, ſiue paſcua. Omnia ergo ſunt duodecim, quæ ſi expectamus, dicemus de Chriſto: *Hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum* minorem glorificandum. Amen.

Piſces deitas & humanitas.

Pſ. 88. d

Ioã. 12. e

Cophini ſignificant dona.

SERMO DOMINICAE PASSIONIS.

Super myſteria Euangelij.

THEMA.

Qui in altum mittit lapidem, ſuper eius caput cadet. Eccli. 27.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

CVM homo Deum offendit, non ſolummodo ipſum, ſed omnem creaturam lucratus eſt inimicam: vnde totũ ſtudium noſtrum eſt, qualiter poſsimus nos vndique defendere, ac ſolicite circumquaque protegere, videntes quòd omnia inferunt nobis formidinem. Deus autem ita clemens ac pius eſt, quòd non ſolum contulit nobis protectionem: quia ſubueniremus perditioni noſtræ: nam per cibos a fame tutamur, per aquam a calore, per indumenta vero a frigore: ſed etiam talem offenſoribus contulit ſubuentionem, vt & ab ipſo defendi poſſent, alioquin Pſalmographus non diceret: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Scutum hoc fratres mei beata Virgo eſt, quæ viatores protegit; nam triumphatores diademate coronantur, militantes autem coronantur ſcuto virgineo, vt captent victoriam ex manu feminæ, quæ nobis eſt auxilium & corona, ac ſi daret gratiam pro gratia. Scutum ergo eſt Maria, cum ſuos protegit, corona vero eſt, cum eos præmiat: ideoq. ſcutum coronans vocatur. Ac perinde vocatur ſcutifera corona, quoniam dum a ſuperiori parte, ſcilicet a cælo nos protegit, opus eſt vt ſupra caput collocetur. Tutatur equidem nos a Deo irato in quem

Pſal. 5. c

Maria eſt ſcutum noſtrum.

in quem quotidie lapidem offenſionis mittimus, ne autem cadat ſuper caput noſtrum, Maria ſe interponit, & tria facit, primo ſiquidem tutos reddit: ſecundo autem de victoria ſecuros coronat: tertio vero adducit ſuper capita eorum Dei bonam voluntatem: ideo miratus Dauid, ac de his tribus gratias referens dixit Spiritui ſancto: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Id eſt taliter protexiſti nos ab ira iuſtitiæ tuæ, vt eam vinceremus, ac per conſequens coronam bonæ charitatis tuæ victoribus conferres. In quo fratres, oro vos, potuit Spiritus ſanctus maiorem nobis dilectionem oſtendere, quàm in eo quòd ſponſam ſuam contulit nobis, vt eſſet ſcutum capitibus noſtris? O ſcutum felix, quo Deus ipſe vincitur, & nos feliciter coronamur, quoniam aureum eſt. Si ergo Salomon in omni ſapientia ſua ſcutis aureis vtebatur, id eſt protectionibus Virginis, quoniam ad eum venit regina Sabba ditiſsima, quanto amplius nos ipſi eius indigemus auxilio pro gratia ſermonis obtinenda? ei ergo ſupplices offeramus. Aue Maria. 3.Reg.10 6

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN calce hodierni Euangelij ſcribitur, quòd *ſubſtulerunt lapides iudæi, vt iacerent in Chriſtum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo:* In exitu autẽ, vt Ioannes refert, quemdam cæcum illuminauit. Propterea igitur in toto ſermone oſtendam, quo modo diuerſi proiecerunt lapides in Chriſtum altiſsimum, & ſuper omnium capita ceciderunt: poſt hoc autem exiuit de templo quẽdam cæcum illuminaturus. Fuit ergo filius Dei in quadruplici altitudine. Primo in patris æqualitate, vbi lapidatur a Lucifero: ipſe autem de templo cæli exiens, genus illuminat humanum. Secundo autem fuit in altitudine patriarcharum, vbi lapidatur hodie a iudæis: ipſe vero exiuit templum ſinagogæ, illuminaturus gentes. Tertio quoque fuit in alto crucis, vbi lapidatur irriſionibus & opprobrijs: tamen exiuit de templo corporis ſui, limbum illuminaturus. Quarto autem eſt nunc ſuper angelos, vbi a prauis chriſtianis lapides peccatorum patitur: exiet autem de templo gloriæ per iudiciũ, illuminaturus mundum

Diuiſio.

Chriſti altitudo quadruplex.

mundum immundum. In omnibus etiam lapidationibus his cadent lapides ſuper capita mittentium eos, vnde ait thema: *Qui in altum mittit lapidem, ſuper eius caput cadet*. Sic ergo quadripartitus erit ſermo.

PRIMA PARS.

QVAMVIS vbicumque filium Dei contemplemur, in alto poſitum eum videamus, quia etſi fuerit infra omnia, non ideo deiectus erit, nec ſuppreſſus: Scriptura tamen ſublimiori modo ipſum in altitudinibus intuetur, dicens: Mirabilis in altis Dominus. Altiſsima vero altitudo eſt Patris æqualitas, qua Dei Filius ab æterno fuit genitus ab ipſo Patre, qui ait Filio in Pſalmo: Tecum principiũ in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum. Principium tam creatorum, quàm increatorum productiuum eſt Pater non principiatus. Hoc principium ſine tempore cum Filio memoratur in die virtutis Filij, ſcilicet in æternitate, quæ eſt virtus Filij Dei. Et quoniã hæc altitudo æternæ generation: (qua ex altiori omnipotentiã ſua Pater gignit Filium). Et gloria ſanctorum, dicitur in eorum ſplendoribus genitus, id eſt talis, vt poſſet eos ſplendoribus gloriæ replere, quoniam Paulus dixit: Qui cum ſit ſplendor gloriæ &c. Sicut ergo ſplendor ſolis in altiſsimis Dei oritur altiſsime ab omni virtute ſolis, pari ſimilitudine filius oritur a Patre infinita gloria plenus, ac ſuper cunctos ſanctos ſui capaces ſe diffundens. De hac ergo altitudine, qua ſpiritus angelici Deum Filium adorant, dicitur in Euangelio præſenti: *Eſt pater meus qui glorificat me,* quamuis inglorius videbatur phariſæis aſpectus Chriſti, eumq. de peccato arguere nitebantur: attamen ipſe conſcius gloriæ ſuæ confidenter ait: *Eſt pater meus qui glorificat me,* id eſt glorioſiſsimum gignit, ac producit. Eſt, inquit, pater meus, quoniam & propheta dixit: Qui eſt, miſit me ad vos, nec dixit glorificauit, aut in poſterum glorificabit: ſed glorificat, inquit, me immutabiliter & abſque tempore æternaliter ſecum in altitudine ſuæ eſſentiæ clariſsimæ: Apud quam nõ eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Ecce igitur quo modo immutabiliter eſt pater Chriſti, qui & immutabiliter

Pſ.92.a *Pſ.109.a* Altitudo filij eſt æqualitas paterna. *Heb.1.a* *Exo.3.d* *Iac.1.c*

tabiliter omnino ſibi æqualem genuit eum, quoniam vt ſe Patri æqualem oſtenderet, dixit: *Antequam Abraam fieret, ego ſum*. Dixerat: eſt Pater meus, & vt innuat ſe eandem eſſentiam poſsidere, ait: *Ego ſum*: quod eſt nomen Dei Patris in altitudine montis Synai cognitũ, quod in æqualitatis altitudine pari ratione aptatur Filio dicẽti: *Ego ſum*. Dum ergo hanc æqualitatis altitudinem contemplaretur Lucifer, voluit in ea filium Dei lapidare, vt caderet: vnde aduerte quòd ait Gregorius ſuper illud: Omnis lapis pretioſus operimentum tuum: perfectiones Luciferi lapides dicuntur, qui iure nouem habere perhibetur: quia nouem ordinum angelorum perfectionibus eminenter ornabatur. Iam ergo dum Lucifer ſuas angelicas perfectiones concupiuit diuinas efficere, quid aliud fecit, quàm filium Dei poſitum in alto diuinitatis lapidare? quod etiam expreſsit per verba ſua lapidibus grauiora, dicens: In cælum aſcendam, & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti: & ero ſimilis Altiſsimo. Ecce quo modo altitudinem inuidebat filio Dei, ad eamq; direxit lapides verborum ſuorum cõcludens: Et ero ſimilis Altiſsimo. Cælum eſt ipſa diuinitas, aſtra vero ſunt perfectiones eius, mons autem eſt egreſsio filij a patre, & ſimilitudo Altiſsimi eſt æqualitas filij cum patre: quoniã propterea dicitur in Pſalmo: A ſummo cælo egreſsio eius, ſcilicet a patre Deo, a quo per generationem egreditur. Et occurſus eius per æqualitatem, vſque ad ſummum eius; ita vt nil altitudinis habeat pater, quàm filius non attingat.

Greg. li. 32. Moral. c. 18. to. 2.

Eze. 28. d

Iſa. 14. d

Cælum dicitur diuinitas.

Pſ. 18. a

Sed nunc videndum ſupereſt, quo modo ſuper eius caput lapides ceciderunt, quia idem propheta ſubiunxit: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadauer tuum. Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quo modo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? quaſi cadauer putridum non habebis cõſortiũ neque cum eis in ſepultura. Ecce quo modo volens in cælum aſcendere, detrahitur in infernũ: quia lapis ſuperbiæ ſuæ cecidit ſuper caput eius, & interfecit eũ. Vnde cadauer vocatur angelus ſine Deo, ſicut eſt cadauer corpus ſine anima. Alter lapis fuit ille: Super aſtra Dei exaltabo ſoliũ meũ: tamen cecidit ſuper caput eius: quia ei dicitur:

Iſa. 14. c

Ibid. d

Ibid. c Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Ecce quo modo eſt ſub vermibus, qui ſuper aſtra eſſe volebat: quoniam lapis ambitionis ſuper caput eius cecidit. Lapis etiã eſt illud: Sedebo in monte teſtamenti: ſed cecidit ſuper eum mons. Vnde ab eo quæritur: Quo modo cecidiſti de cælo Lucifer? Durior lapis fuit ille: Et ero ſimilis Altiſsimo, & caſus eſt ille: Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura. Qui voluit in gloria Deo æquari, caret ſibi ſimili apud inferos, quoniam eius pœna tanta eſt, vt ſolus videatur in illa. Infernus eſt ſepulchrum malorum, quo diues purpuratus Lucifer ſepelitur, adeo profunde vt ſolus videatur detractus in profundum laci: quoniam ceteri natant reſpectu eius. Dicamus ergo Lucifero: *Qui in altum mittit lapidem, ſuper eius caput cadet*. Tunc Dei filius exiuit de templo cæli, abſcondens ſe in humilitate noſtra, quia propterea dictum eſt: *Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo*. Illuminauitq. genus humanum: Quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod maxime facit in Euangelio præſenti, dum ſpondit præmium æternum ſeruantibus ſermonem ſuum. In humilitate carnis noſtræ ſe abſcondit Filius Dei, vt ſuperbia diaboli confundatur, & homines humiles (vti fuere paſtores, quos claritas Dei circumfulſit) illuminentur ad regnum, quod Lucifer propter nimiam lucem ingenij ſui perdidit. Vnde ait in præſenti Euangelio: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum*. Non dæmonem, ſed hominem habet cæcum Filius Dei, vt in humilitate noſtra honoretur Pater æternus, qui humilia diligit, & erigit.

Luciferi pœna.

Ioan. 1. a

SECVNDA PARS.

Eph. 1. d ALTERA Chriſti altitudo eſt illa, de qua Paulus ait: Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. Super omnem dixit tam veterem quàm nouam. De veteri namque Paulus ipſe Hebræos alloquens, ait: Intuemini quantus ſit iſte cui decimas de præcipuis obtulit Abraam patriarcha. Præcipuus patriarcha veterum, dum a præcipuo actu ſuo & victoria reuerteretur deuictis regibus, obtulit

Heb. 7. a

Chriſtus eſt ſuperior patriarchis.

obtulit Melchiſedech ſacerdoti Altiſsimi Dei præcipuas omnium decimas tamquam ſuperiori, immo tamquam Chriſto, cuius typum gerebat. Vtinam principes iudæorum, ſicut & pater eorum, Chriſto crederent, & patriarchæ imitarentur fidem, cuius carne gloriantur. Nunc autem lapides mittunt in altum Chriſtum Domini, ac dicunt Abraam & prophetas mortuos, cum regi Chriſto cũcta viuant, qui & mori vult, vt eos viuificet. Non tamen lapidatus mori, quia genus mortis, ſicut & ipſam mortẽ, libenter elegit. Iudæi tamen Chriſti vitam lapidibus terminare ſatagunt, & verba eorum lapidibus duriora, eius quoque vitam ciuilem proſcribere conantur. An non lapidibus duriora videntur illa verba pluſquam diabolica: *Samaritanus es, & dæmoniũ habes?* Si patriarcha Abraam nunc viueret, exultaret ac lætaretur coram Chriſto ſuo, qui lætatus eſt coram ſacerdote typum Chriſti gerente, propterea quòd tunc tẽporis in ſpiritu vidit Chriſti diem futurum: immo & vidit etiam diem malorũ filiorum ſuorum, qui ſecundum carnem & non ſecundum ſpiritum viuunt, quod mirabiliter figuratur in prætacta hyſtoria, vbi dicitur: Egreſſus eſt rex Sodomorum in occurſum Abraæ, poſtquam reuerſus eſt a cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ eſt vallis regis. At vero Melchiſedech rex ſalem, proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei Altiſsimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terrã: & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Super hoc ait Rupertus Abbas: Regis Sodomorum qui homines peſsimi erant, & peccatores coram Domino nimis, & Melchiſedech regis ſalem, ſacerdotis Dei Altiſsimi dignitates, vel merita valde ſibi contrariæ ſunt, & tamen vterque Abram victori obuiarũt. Nec vero de Melchiſedech dubium vel incognitum cuiquam eſt, quin Chriſtum ſignificet, cui (ſicut ait Spiritus ſanctus in Dauid) Iurauit Dominus & non pœnitebit eũ: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quid econtra rex Sodomorum niſi populum ſignificat iudæorum, qualis tunc temporis erat, quando Chriſtus rex & ſacerdos ſummus, naſcendo de Virgine, patri noſtro Abraæ obuius factus eſt? Væ genti peccatrici, inquit

Chriſtus cur noluerit lapidari.

Gen. 14. d.

Ruper. lib. 5. in Gen. cap. 17. to. 1.

Pſ. 109. b

Iſa. 1. a

inquit Iſaias, filijs ſceleratis: ac deinceps: Niſi Dominus ſabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſe-
Iſa.1.c mus, & quaſi Gomorrha ſimiles facti eſſemus. Item: Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite au-
Iudæorum peruerſitas. ribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ. O igitur magnũ præſentis narrationis myſteriũ triumphatoris Abraæ celebrat occurſum rex Sodomorum, peſsimorumq. vtique & peccatorum nimis hominum: quia profecto futurum erat nouiſsimo tempore, vt victorioſam fidem patriarcharum & prophetarum celebrarent viri peſsimi, & peccatores nimis; ſcilicet Scribæ & phariſæi, ceteriq. iudæi, non quidem natalibus, ſed reuera moribus principes Sodo-
Mat.23.c morum, velut ſepulchra foris dealbata, per hoc ipſum, quòd celebrarent opera patrum, intus autem plena oſsibus mortuorũ, per hoc quòd ſecreto viuebant ſecũdum ſulphureas carnes Sodomorum. At vero Chriſtus rex iuſtitiæ; rex ſalem, id eſt pacis, rex, inquam, idemq. pontifex magnus, illorum talium hominum diebus natus, ſacerdotio ſuo functus eſt ſecũdum ordinem Melchiſedech,
Matt.26. protulit enim panem & vinum dicens: Hoc eſt corpus
e meum: Hic eſt ſanguis meus: & ſic obtulit ſemetipſum pro fideli Abraam verum ſacrificium, & benedixit ei: per ſuum enim ſanguinem benedictionem, id eſt peccatorum remiſsionem acquiſiuit illi, immo & omnibus electis qui expectauerunt eum ab origine mundi. Hæc Rupertus: oſtendens quanta ratione Abraam exultauit contemplans diem Chriſti capitis ſui, quem phariſæi obnubilare nituntur lapidibus ſuis: nam audito quòd Ieſus dixerat: *Antequam Abraam fieret, ego ſum, tulerunt lapides vt iacerent in eum.* Si autem ſcire cupis quo modo iuxta verba thematis noſtri lapides ceciderunt ſuper eorum capita, nota quòd ipſimet ſacerdotes, & phariſei erãt ſpirituales ac myſtici lapides templi, & in facto ipſo quo iaciunt lapides a templo in Chriſtum, ſeipſos eradicant, & a fundamentis euellunt, & in exteras partes proijciunt, tamquã indignos ædificatione templi: vnde nunc
Luc.19.g ſpiritualiter videtur impleri illud: Non relinquetur in te
Gentiles & iudæi sũt lapides varij. lapis ſuper lapidem. Lapis eſt phariſæus lapidans Chriſtum, qui ſuper lapidem angularem non relinquitur. Nunc ergo ſeipſos reprobant, & a templo iaciunt, vt cadat

dat ſuper eos. Dominus tamen alios lapides adducet optimos, loco iſtorum locandos, quoniam ipſe dixit: Sternam per ordinem lapides tuos, ac filios tuos doctos a Domino. Et ipſe Dauid ait: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Pro iudæis antiquis ſpiritualiter naſcuntur Apoſtoli, eorum loco ſtatuendi, quia nouiter templum reædificatur ex lapidibus mundis & electis, quod mirifice oſtēditur in Ioſue, qui dum arca Domini tranſibat Iordanem, ab eius alueo accepit duodecim lapides, & eos extrahens poſuit in ſicco: tamen in eorum loco ſtatuit alios meliores, ita magnos vt tempore quo aqua ſubmittebatur, prominentes apparerent in ſignum miraculi. Ac de his referente Gloſſa dixit Ioannes, ad ripas fluminis prædicās: Potens enim eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Primi lapides infelices fuere, quoniam proiecti ſunt a via Dei, & in deſerto relicti, expoſiti aeri, ac frigori & auium ſtercori: alter autem duodenarius lapidum felix, qui ſtatuitur in via, qua tranſit arca, populum dirigit: nam iuxta lapides, & per lapides tranſibat, qui madefacti erant, mundiſsimi fiebant in aqua, & manſerūt in ſignum tranſitus arcæ fœderis Domini ad nos. Iam ergo primi lapides a Iordanis baptiſmate ſegregati phariſæi ſunt ſicci, & auibus inferni expoſiti, iam ſane deſerti & reprobati. Alij autem lapides ſunt Apoſtoli, qui priores baptiſma ſuſceperunt, ideoq. ponuntur in Iordane. Iſti dirigunt populum Dei, ſicut magni lapides in magno flumine poſiti dirigunt viatores: iſti ſunt mundi, ac poſiti in ſignum tranſitus Dei ad nos, qui etiam per Iordanis baptiſma venit amicabiliter ad ſuos, ſicut arca fœderis in terram promiſsionis. Ecce igitur quo modo iuxta thematis verba lapides cadunt ſuper capita mittentium eos, & Ieſus abſcondit ſe a iudæis, ſubtrahens eis cognitionem ſuam, quam gentibus cæcis tribuit: Quoniam ambulantibus in vmbra mortis lux fidei orta eſt, & populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, quæ a templo ſinagogæ feſtinanter expellitur: Quoniam etſi lux venit in mundum, ſcimus quòd homines dilexerunt magis tenebras quàm lucem Chriſtum, qui ait: In iudicium veni in mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.

Iſa. 54. c *Pſ. 44. d* *Ioſ. 4. a* *Matt. 3. b* Chriſt⁹ eſt arca Dei. *Iſa. 9. a* *Ioan. 3. c* *Ioan. 9. g*

TERTIA PARS.

TERTIA quippe altitudo, qua Chriſtus ſtetit, eſt altitudo crucis tam eximia & præerecta, vt nulla paradiſi arbor ſit altior illa, quoniam in Canticis ſcribitur:
Cant. 7. b Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: dixi, id eſt ab æterno decreui aſcendere in crucem, quæ ob ſuam altitudinem palma dicitur, victorias pro fructibus habens. Sed huius loci altitudo potius eſt deiectio & confuſio: vnde quamuis patibulum ſit altum & excelſum, nihilominus deijcit. Pro quo nota, quòd hæc exaltatio Chriſti ſi conſideretur ex parte ipſius, altitudo eſt, ideoq. palmam vocitat crucem, ad quam non fortuito, ſed æterno conſilio aſcendit: ideo namque ait: Dixi aſcendã, &c. Si autem hæc altitudo ex parte iudæorum penſetur, tunc temporis deiectio ac ſuppeditatio erit, quod Pſaltes innuit, dum in perſona Chriſti dixit: Exaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus. Ecce quo modo iudæi exaltationem Chriſti ad humiliationem, & conturbationem ordinant: immo & ad lapidationem, qua conturbatur vſque dum dicat: Poſuerunt me ſicut ſignum ad ſagittam. Nonne linguæ eorum arma & ſagittæ? nõ equidem communes ſagittæ, ſed cuſpide adamantino conſummatæ, vt fortius infligant crudele vulnus, penetrans vſque ad interiora mortis. Duri equidem fuere lapides primi, quibus Lucifer lapidabat filium Dei humanandum, duriores autem quibus iudæi lapidant iam exhibitum, ſed duriſsimi ſunt quibus eum obruunt in cruce poſitum: vbi Scriptura iubet pietatem exhibere, ita vt vinum detur eis, quoniam amaro ſunt animo, vt bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ. Sed quoniam paſsio Domini arcanis plena eſt, forte Salomon ſpiritu Dei plenus prænoſcens, quòd vino Chriſtus erat in cruce cariturus, dixit vinum exhibendum his, qui amaro ſunt animo, dum cruci affiguntur. Chriſtus autem ſuauis crucifixus, & dulcis vniuerſis fuit, quapropter omnia verba, quæ in cruce loquebatur pietatem præferunt: ideo vino minime indiguit qui ſanguinem cordis daturus aſcendit, dans dona hominibus etiam diſcolis & inimicis ſuis. Sed videamus, negato vino, quos in cruce

Crucis altitudo.

Pſ. 87. c

Tren. 3. b

Prou. 31. a

lapides patitur. Vnus eſt iſte: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas. Hoc dicebant Scribæ, & inferebant ac iactitabant in Chriſtum Domini mouẽtes capita ſua: vnde ſigna capitis nutantis non minores, ſed grauiores lapides erant, quæ omnia optime ſignantur in ſancto viro Naboth, qui a Iezabel propter amorem vineæ ſuæ lapidibus oppreſſus obiit. Vide figuram hanc in prima parte alphabeti noſtri littera. l. Nunc autem ſuſcipiamus nos lapidem illum, quo Chriſto imponitur, quòd templum Dei deſtruit, cum potius ædificet illud: nam ad hoc ſe fecit lapidem angularem, & lapidem primarium oculis plenum, vt refert Zacharias. Et ad hoc etiam referente Daniele cum Chriſtus eſſet lapis paruus, tantum creuit, vt fieret mons magnus ſane lapideus, tam extenſus vt totam impleret terram: vt per eum tamquam per mõtem magnum & altum aſcendat in cælum ipſa terra. Nam niſi per Chriſtum impoſsibilis eſt aſcenſus: vnde Ioannes dixit: Suſtulit me in ſpiritu in mõtem magnum & altum: & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem. Cæleſtem Ieruſalem, quæ per Chriſtum ædificatur vt ciuitas, intrare non poterimus, niſi eius ædificator adiuuet nos: vti Paulus in hodierna epiſtola perſonat, qui aſſerit non propter aliud Chriſtum paſſum, niſi vt ſanguine ſuo intraret tabernaculum non manu factum æterna redemptione inuenta, id eſt vltima, poſt quam non eſt alia. Ecce igitur quo modo inter ædificandum templum Dei æternum, vocatur Chriſtus deſtructor eius, dum audit: Vah qui deſtruis templum Dei, &c. ſed quia fabricator iſte, ſcit etiã nunc linguas ſeruitorum confundere, ſicut olim dum turris Babylonica fiebat: aduertendum eſt, quòd Chriſtus lapis primarius ac ædificator alios lapides habet, ſcilicet prædeſtinatos. Seruitores huius ædificationis ſunt tortores, quorum linguam cõfundit, vt poſsit ei deſeruire. Vis, oro, cernere talium linguam confuſam? audi prædictum lapidem, ſcilicet illam ſententiam: Deſtruis templũ Dei, & in tribus diebus reædificas. Si confundis & peruertis mentem loquentium iniqua, reperies quòd hic lapis veritati deſeruiit: nam Chriſtus permiſsiue deſtruebat templum corporis ſui, & in tribus diebus reædificaturus erat illud. Confunde igitur mentem ſatellitum, & in verbis

Mar. 15. b · *3. Reg. 21 b* · *Zach. 4. b* · *Dan. 2. e* · *Apo. 21. c* · *Heb. 9. e* · *Mar. 15. c* · *Gen. 11. b* · *Matt. 27. d*

Iudæi templũ Chriſti deſtruunt.

eorum quære myſtice ſenſum Chriſti, & reperies aliquid conducens ad ædificationem veri templi myſtici. Immo retorquet lapidem illum in caput eorum, dicens: O peſſimi ædificatores, quia vos deſtruitis templum Dei, templum Spiritus ſancti, templum pluſquam Salomonis, quod eſt corpus Chriſti opere diuino conſtructum, in quo melius quàm in veſtro habitat omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter. Nec ſolum Deus, verum & omnes ſancti habitaturi ſunt in templo, quod vos deſtruitis, poſtquã excitauerit illud reparator Ieſus, dicente Ioanne: Et templum non vidi in ea, videlicet ciuitate ſancta Ieruſalem. Dominus enim omnipotens templum illius eſt, & agnus. Dum ergo ſapientia ædificauit ſibi domum, quam vos deſtruitis, iuſsit animas ſanctas vocari ad arcem, quam vos expugnatis. Tamen in vos retorquentur lapides, dicente Apoſtolo: Si quis templum Dei violauerit, deſtruet eum Deus. Equidem vt deſtruamini abſcondit ſe a vobis tunc temporis Ieſus, quando tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & ad patrem clamans, exiuit de templo corporis ſui anima illa benedicta, vt cæcus populus limbi cæleſti lumine potiretur.

Coloſ. 2. a *Apo. 21. g* *Prou. 9. a* *1. Cor. 3. c* *Matt. 27. e*

QVARTA PARS.

QVARTA denique altitudo eſt illa, de qua Paulus ad Hebræos ait: Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quãto differentius præ illis nomen hereditauit. In maieſtate Dei fratres mei nihil ſiniſtrum reperitur, tamen ad maieſtatis dexterã ſedere Chriſtus perhibetur, vt ſi quid altius mens humana excogitare valeat, etiam tribuatur Chriſto Domino. Qui præ angelis nomen habens, præ illis eleuatur, ignoramus tamen quod nomen ſit iſtud: tamen quia in præſenti Euangelio tangitur nomen Dei, nos etiam Chriſti nomina memoremur, de quibus perpulchre loquitur venerabilis Rupertus ſuper Iſaiam, dicẽs: Hic ſupra primum dictus eſt Emanuel, & deinde vocatum eſt nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, nunc vocabitur, & alijs nominibus ſex, id eſt, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.

Heb. 1. a *Iſa. 9. b* *Rupertus li. 2. ſuper Iſa. cap. 3. to. 1.*

Et

Et vide quàm pulcher ſit ordo nominum. Primum Emanuel, id eſt nobiſcum Deus, pro cauſa videlicet, quæ prima eſt in ordine, quia habitauit in nobis Deus homo factus. Secũdum Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, ea videlicet pro cauſa, quia moriendo fortem armatum diabolũ ſuperauit, & ſpolia eius diſtribuit. Tertiũ Admirabilis videlicet, quia reſurrexit a mortuis, & aſcendens in cælũ gloria & honore coronatus ſedet a dextris Dei. Quartum Conſiliarius, ex eo ſcilicet quòd dans paraclitũ Spiritum ſanctum Apoſtolis ſuis, conſilium habuit cum eodem ſpiritu conſilij de repellendis iudæis, & vocandis gentibus. Quintum Deus, quia exinde ab omni mundo vere adoratur vt Deus. Sextum Fortis, quia vere fortis in iudicio quo expectatur, apparebit. Septimum Pater futuri ſæculi, quia nimirum peracto iudicio, non iam vt Dominus ſeruorum, ſed vt pater filiorum regnabit. Octauum Princeps pacis, quia reuera laudabitur in æternum, & grates habebit vt auctor pacis: quia Deo ſumus reconciliati per mortem eius, qui eramus inimici. Hactenus ille dedit rationem nominum Chriſti, quæ in nomine Ieſu reperiuntur, quod eſt angelis ſuperius. Dum ergo Iudæi Euangelio præſenti quærunt a Chriſto, quem teipſum facis? reſpondere quidem poterat per nomina prædicta. Sed iam videamus, qualiter lapidatur a malis chriſtianis in altitudine paternæ dexteræ conſtitutus, vbi metuendus potius eſſet quàm lapidandus. Chryſoſtomus autem de huiuſmodi lapidatione loquens, ſic ait: Tot lapides in Deum mittis, quot prauas cogitationes aſſumis. Ecce fratres quo modo intra nos eſt tumulus lapidum, quo Deum lapidamus: vnde figuraliter & realiter in templo hodie lapidatur Chriſtus: figuraliter, inquam, quia ſicut nemo crederet, quòd in ſancto templo Salomonis eſſent tam mali lapides, niſi Euangeliſta hoc diceret, ſic forte nemo crederet, quòd in pectore noſtro inuenirentur, niſi in templo eſſent inuenti. Nolens ergo Deus, quòd his eum obrueremus lapidibus promiſit, dicens: Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Cor lapideum lapideas aſſumit cogitationes & affectiones, lapideiſq. vtitur paſsionibus, quæ omnia relabuntur in caput eius, quoniam Salomon dixit:

Chriſti nomina.

Lapis eſt mala cogitatio.

Eze. 11. d

Qui

Prou. 28. e Qui vero mentis eſt duræ, corruet in malum. Ecce quo modo ipſa mens induratur quaſi lapis, dum frigore gelicidij conſtricta, charitatis calorem amittit, quo Ieſus fouetur, ac retinetur, ne exeat a templo pectoris noſtri, ne ſe abſcondat a nobis. Timeat denique peccator, ne a templo gloriæ Chriſtus exeat & ſuam abſcondat pietatem, vt illuminet per iudicium malorum hominum cæcitatem, quoniam teſte Gregorio: Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Si autem lapides, id eſt corda noſtra, non fecerimus pia & mollia, vere illuminati iudicis igne recipiemus verba ſententiæ ſuæ lapidibus grauiora: immo eis ligati velut mola aſinaria proijciemur in profundum inferni, niſi prius contritione in puluerem redigamur malleo timoris percuſsi, vt poſtea nouiter formemur. Sciat ergo vnuſquiſque noſtrum, quòd tot lapides in Deum mittit, quot peccata perpetrat: nam ſi peccata cordis dicuntur lapides, peccata operis duriora & grauiora ſunt, tamen toto fere tempore inueniuntur in manibus noſtris, qui contra Deum lapidibus oneramur. Vtinam faceremus vt baiulus onerum, qui antequam oneribus humeros apponat, tria facit: nam primo perpendit onus, quantum ſit ponderoſum. Secundum inquirit terminum, ad quem illud geſtare debet. Tertio autem poſtulat, quod habebit pretium: deinde his viſis deliberat, an eum deceat tale onus portare. Peccator eſt baiulus lapidum peccatorum, ex quibus in Deum partim proijcit, partim in proximum, partim contra ſeipſum. Tamen ſi hos lapides vult dimittere, primo ſuo perpendat animo quantum ponderis habeat peccatorum: quia omnes cæli non potuerunt ferre Luciferum oneratum peccato, quin tamquam fulgur caderet. Tantum ponderat quòd etiam ipſum filium Dei a cælo ſummo deiecit: quia cum primus homo caderet, Deum rogabat, vt ſibi manum porrigeret, dicens: Emitte manũ tuam de alto, eripe me de aquis multis &c. tandem filius Dei manum gratiæ ſuæ porrexit ei, quam cum primus homo tenuiſſet, nec eam dimittere voluiſſet: tandem a cælo depoſuit filium Dei in aquas multas paſsionum, quid horribilius? Tandem beatus Thomas probat, quòd peccatum eſt infiniti ponderis pluribus rationibus. Si autem ſecundo quæras huius oneris terminum,

Greg. li. 25. Moral. c. 7. to. 2.

Peccator tria debet facere circa peccata.

Pōdus peccati deiecit Chriſtum.

Pſ. 143. b

num, audi beatum Iob dicentem: Ducunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad inferna deſcenderunt. In bonis, inquit, propterea quòd in oneribus peſsimis exultant, & lætantur peccatores. Vix enim eſt qui cum beato Dauid proclamet, dicens: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Et ratio huius inſenſibilitatis eſt, quia ſicut, teſte Philoſopho, elementa in locis ſuis nullius ponderis ſunt: nam ſi natare ſub mare velis, aqua non ponderat, quia eſt in ſphæra propria: ſic peccata dum ſunt adiuncta alijs pluribus peccatis, parum ſentis eorum pondus, donec a corde tuo velis per confeſsionem peccata eijcere, tunc reperies quantæ malitiæ & grauitatis ſint peccata. Tunc ſane vix poterit Iacob, id eſt luctator in contritione ab ore putei cordis ſui lapidem duritiæ amouere, vt greges Rachel, id eſt animæ deſideria, bibant ſaltim lacrymas. Si autem iam tertio inquiris huius oneris pretium: reſpondebit tibi Paulus dicens: Stipendia peccati mors eſt, ſcilicet æqua. Felix ergo qui, vt beatus Hieronymus, manu pœnitentiæ arripuerit lapidem contra ſe ad percutiendum pectora ſua, vt poſtea lapidibus precioſæ gloriæ coronetur. Amen.

Iob 21. b

Pſ. 37. a

Ariſt. 4. cæli cõtex. 29. & 30. dicit omnia elementa habere aliquam grauitatẽ in ſua regione præter ignẽ.

Gen. 29. a

Rom. 6. d

SERMO DOMINICAE PALMARVM.

De proceſſione, qua iſto tempore ſpiritualiter venit Deus ad peccatoris animam templificandam ſibi.

THEMA.

Ecce rex tuus venit tibi. Matth. 21.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

*Tob.*11. *c* *Gen.*45.*g* SItantum lætatus eſt Tobias in aduentu filij ſui diu deſiderato, vt cæcus præſumeret ei exire obuiam: Et patriarcha Iacob reuixit, dum audiuit filium ſuum viuere, nec ſe valuit continere, donec ad eum abiret; quid putatis quòd ſentiret Maria mater Dei, dum ab angelis audiuit: *Ecce rex tuus venit tibi*? ecce expectatio gentium, ecce filius Deus venit, ecce filius tuus, ecce qui regnat in cælis, venit tibi rex, vt te reginam miſericordiæ faciat in terris, ecce totius mundi habenas conferet tibi, qua-
*Apo.*18.*b* tenus dicere valeas: Sedeo regina, & vidua non ſum, luctũ non videbo. Maior miſericordia exhibita Mariæ fuit, vt nullam peccati videret, nec ſuſtineret miſeriam. Vnde
Miſericordia quid. ſi miſericordia communiter diffinita, eſt releuatio miſeriæ, nos qui quotidie labimur in peccatorum miſerias
Maria fuit immunis ab omni peccato. frequenti miſericordia indigemus, Maria vero nulla, quia nec in originalem miſeriã cecidit: vnde pro ea aliter eſt diffinienda miſericordia, quoniã altiori modo eius Deus miſertus eſt, ita vt a triplici peccati miſeria immunis maneret. Propterea enim quòd in peccatum originale non cecidit, dicitur vt regina ſedere, ſcilicet ab eo exempta. Et propterea quòd etiam a mortali fuit aliena, dicitur

non vidua. Et ob id, quòd nec veniale incurrit, dicitur non vidiſſe luctum. Vnde ob iſta priuilegia datur ei, vt ſit regina miſericordiæ, & omnem miſeriam releuet tam animæ quàm corporis, vt quæ non in parte, ſed totaliter ac ſine menſura miſericordiam accepit: affluenter eam præſtet omnibus miſeris maxime quãdo ei ſupplices præſentauerint. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SCIMVS Chriſtum a Bethania in templum veniſſe, vt figuret aduentum, quo ad animam peccatoris conſtruendam in templum Dei venit. Nam Bethania interpretatur domus afflictionis, & eſt paſsio Chriſti, vbi afflictus eſt pro nobis, de qua Salomon ait: Melius eſt ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij. Illo ergo intuitu venit, vt ipſius paſsionis fructum præſtet nobis, quibus ait thema: *Ecce rex tuus venit tibi*, ſcilicet gratiam ſuam præſtare, intantum vt fias templum Dei. De hoc ſolo aduentu agam in ſermone.

Paſſio Chriſti eſt domus luct⁹. *Eccls.7.a*

Auctoris intentio.

Quia de aduentu ſpirituali, quo Deus ad animas hominum venit, nunc agendum eſt, mementote illius cantici Dauid, qui propter aduentũ iſtum pſallit Domino, dicens: Intende, proſpere procede, & regna: propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Ecce tria loca per quæ Dominus ad animas venit iuſtificandas, ſcilicet veritas, manſuetudo, & iuſtitia. Stationibus iſtis oportet venire, alioquin Dominus virtutum rex gloriæ minime ſuper nos regnaret. Vbi aduerte quàm optime mediat manſuetudo inter veritatem & iuſtitiam tamquã temperamentum earũ. Si tollas mãſuetudinem Dei non regnabit proſpere ſuper nos, nec procederet regnũ eius, ſed laberetur: immo vna die (ſicut patebit in iudicio) ipſe Deus diſperderet regnũ Eccleſiæ. Nam qui cũ terra promiſsionis (quãdo gentibus prauis repleta erat) non eſt vſus Deus manſuetudine ſua, ſed potentia, eam ab indigenis deſolatam reliquit. Ergo peccator memento Dei tui, & omnis manſuetudinis eius, quia nunc venit tibi manſuetus benignitate, & humanitate ſua vſus. Vt rex ſtabilire conetur regnum ſuum, aliqua diſsimulare oportet, atque oculis clauſis pertranſire, quia

Pſ.44.b

Deus quomodo deſcendat ad animas iuſtificandas.

Pſ.131.a

Exemplũ

quia vt dicitur in Decretis: Summa æquitas, ſumma iniquitas. Ex illis ergo tribus: primum, ſcilicet veritas eſt Patri: ſecundum, ſcilicet māſuetudo, eſt Filio, iuſtitia nunc
Prou. 3. b eſt Spiritui ſancto, quia mundum minorem arguit ob
Apoc. 3. d amorem. Quos enim amat, arguit, vt ait, & caſtigat: tamquam pater in filio complacet ſibi in eis. De hoc iudice
Ioā. 16. b noſtræ tempeſtatis dicitur: Arguet mundum de peccato. Argumentum amoris eneruatur faciliter, quia iudex iſte
Sap. 11. d amicus noſter diſsimulat peccata hominum propter pœnitentiam, locumq. veniæ præſtat. Non enim venit ſcindere, aut nos trucidare, ſed mederi: vnde incipit Euangeliū: *Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis: & veniſſet Bethphage ad montem oliuarum.* Perpendiſti amorem Dei appropinquantis ad nos? cum appropinquaret, inquit, nos enim quotidie fugimus, quia longe fiunt filij eius a ſalute, tamen ipſe Ieſus patris poteſtate ad ſaluandum, & clementia Spiritus ſancti munitus ad nos vſque appropinquare decreuit. Non rogatus ſe ingerit ſalutem præſtare, ſed nō gratis, ideo enim venit per illa tria quæ tetigimus, ſcilicet veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Veritas notatur in eo, quòd appropinquat Ieroſolymis, manſuetudo in Bethphage, iuſtitia in monte oliuarum. Non ſit vobis graue fratres mei occurrere illi; quia totū quod defert, dirigit ad ſalutem animarum errantium Ieſus. Qui
2. Reg. 8. etſi duos funiculos habet, vt alter Dauid, alterum ad occidendum, & alterum ad viuificandum. Hac vice ſolummodo vtitur vitali funiculo, vt ſecurior permaneat nobis
1. Ioā. 4. b vita gratiæ. Ipſe dicitur appropinquare ad nos: Quia prior dilexit nos. Offenſus venit ad offenſorem non punire, ſed parcere. Miſericordia eſſet pacem libenter annuere roganti contrario, maior ſi parcit quiſpiam non rogatus, maxima ſi vltro ſe nobis deſidibus, ac nolentibus offerat indulgentiam præſtaturus: de quo miratus Paulus
Heb. 12. b ait: Tamquam filijs vobis ſe offert Deus, ſcilicet cum inimici eſſetis. Sed quia prius venit per veritatem, ideo dicitur Ieroſolymis appropinquare, quæ interpretatur viſio pacis, eſt autem peccatori non pax ſed viſio pacis: dum ſequitur viſa mendacia. O ſi veritas Dei nos illuminaret, ac intelligere faceret, quod eſt nobis viſio, id eſt fictio pacis. Deluſio eſt vobis pacis, & non pax vera, ſed mendax, de qua

Veritas Dei fictā oſtendit pacē noſtram.

de quæ perhibet Iob: Velut ſomnium volans non inuenietur pax tua: tranſiet ſicut viſio nocturna. O peccator ſomnias te Chriſtianum, & non quæris quæ ſunt Chriſti? Si non habes pacem ad Deum per Ieſum Chriſtum non es Chriſtianus, ſciatur veritas, quia pax tua non eſt ad ipſum Deum, ſed ad mundum tantum, & ad concubinam, & ad malos mores, quos ſecurus frequentas, dicens: Ambulabo in prauitate cordis mei, & pax erit mihi. Mentiris, quia non ita fiet, nec erit tibi pax interior, quamuis ad extra ſimules te pacem habere: nam quis reſiſtit Deo, & pacem habuit? nonne etiam hodie pugnat intus in anima tua orbis terrarum contra inſenſatos cogitatus tuos? dum exorbitare non ceſſas, dum terrena in te reuoluis: non reclamat ille orbis rationalis aduerſum te, dum redit ad Deum, qui creauit eum. Non dixit, pugnabit pro eo terra, ſed orbis terrarum, id eſt ratio humana in corpore terreno habitans, dum facit orbem circularem reuertens ad Creatorem ſuum, qui tempore iſto ſcrutatur Ieruſalem in lucernis examinationũ, vt ſciatur, an ſit vera pax peccatori: nam quo modo eſt tibi pax cum litem habeat conſcientia tua, & ſpinis vitiorum cruéteris? an forte remorſus non eſt tibi, cum ſcriptum ſit: Vermis eorum non morietur? Sed forte quæris a me, quo modo poteris veram pacem habere? ad quod ego: Qui eſt inter duos contrarios & alteri tenetur, numquam poterit eſſe in pace. Ex altera parte Deus, ex altera dæmon, qui eſt contra Dominũ ſemper: nos inter vtrumque ſumus, velut Ionathas inter Saul & Dauid: reſpue Saul, nega patrem tuum, domum patris tui. Adhære Dauid ſanctiſsimo, quia teneris ei. Si adhæres Sauli, nec adhuc cum eo erit tibi pax, ſed coniuratio, atque delatio: ideo adhære victori Ieſu, qui dæmonem fugabit a te, & tradet tibi inimicum tuum in manu tua: nam Chriſto meo Ieſu dicitur: Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Non alijs quàm diligentibus præcepta Dei eſt pax interior, deficiente ſcandalo animæ, ſi ergo vt ait Auguſtinus: Veritas odium parit: dum te vere cognoueris, odies teipſum, & abhorres. Hoc odium tui ob Deum eſt vera contritio: nam Deus noſter de ſpirituali aduẽtu loquens, dixit: Ego non veni pacem mittere, ſed gladium, ſcilicet contritionis quo

Iob 20. b
Deut. 29. e
Sap. 5. d
Soph. 1. c
Iſa. 66. g
1. Reg. 19 a
Pſ. 118. x
Aug. lib. 10. confeſſ. c. 23. circa med. to. 1.
Matt. 10. d

quo interimitur Saul: hoc igitur gladio ſcinde a te muliérculam, & qualeſcumque peccandi occaſiones, & omnia crimina, quæ per conſuetudinem adhæſerunt animæ. Victor Ieſus venit dare tibi ſanctum gladium contritionis, quo intus in ſecreto cubiculo cordis tui decapitare poteris etiam Holofernem, & tunc pacem denuncians, clamabis cum Iudith: Aperite portas, quia nobiſcum Deus. Portas oris oportet in confeſsione aperire poſt contritionem, ideoq. additur in Euangelio:

Iudit.13. b

Et veniſſet Bethphage, quæ interpretatur domus oris vallium, & eſt ſacramentalis confeſsio, vbi os noſtrum eſſe debet ad ſalutem. Nam propterea in perſona peccatoris dicit Iob: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Vidiſti vmquam tam facilem iuſtificationis modum? homo vis iuſtificari? volo inquies, ſed ignoro formam? condemnet te os tuum in ſacramentali confeſsione, & iuſtificaberis. Magna quidem eſt vis oris tui, cuius ſpiritu poteris impium dæmonem interficere. Quædam res ampliorem habent effectum vno loco quàm alio, vt patet de ſole, qui dum propria exiſtit domo fortior eſt: propria domus oris noſtri eſt cõfeſsio hæc: nam quemadmodum proprium eſt Deo miſereri ſemper: ſic homini proprium eſt ſuas detegere miſerias. Ob idq. ſcrutatur Scotus, an confeſsio ſit de iure naturæ. Quia igitur non dæmoni, nec angelo eſt confeſsio criminum, ſed homini, eamq. diſtinčte ore proprio debet facere ad ſalutem, dicitur confeſsio domus oris. Væ autem illis, qui velut extra domum aperiunt os ſuum in confeſsione iactantes ſe: nam de talibus dicitur: Peccata ſua velut Sodoma prædicauerunt: vbi nota, quòd videns Deus eos prædicare peccata ſua, dixit: Ego faciam vt in toto mundo narrentur, ob duriſsimam punitionem, quam vobis inferam: nec ſolum confeſsio dicitur domus oris, ſed ſtatim additur ly *vallium*, vt innoteſcat, quòd ſoli humiles libenter confitentur, vel in hoc quòd hæc domus dicitur vallium, innuitur, quòd fragilitates tuas pronuncies in confeſsione non autem bona tua. Vnde boni & mali confitentis figuram tenuerunt publicanus & phariſæus: humilis publicanus ſe peccatorem vocat: ſuperbus phariſæus citat ieiunia ſua. Superbus ſtare dicitur, alter ſe deprimit.

Iob 6. c

Confeſſio iuuncat.

Scot. 4. ſent. diſtin. 17. q. vnica. ibi: ipyſia queſ.

Iſa. 3. b

Luc. 18. c

mit. Et confeſsio vocatur domus oris vallium, propterea quòd in ea debes dilatare os tuum per circumſtãtias peccati. Nam valles habent os magnum: Peccatores autem compreſsis labijs confitentur non totum peccatum, ſed dimidium. Nam ſi totum diceres, nimium os aperires, per os vero ſemiclauſum non poteſt totum integrum exire peccatum, nec magnã peccata, ſed parua capit os ſtrictum. Væ ſimilibus quando muta fiunt labia doloſa, contra quæ dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuũ abſque vllo termino. Non ſis ergo vt Saul, qui reſeruauit Agag pinguiſsimum regem, quia ob hoc diuiſum eſt regnum eius. Tu autẽ ɔnome primo groſsiora peccata, percute primo ducem, vt Iudith, & poſtea faciliter eijcies exercitum peccatorum. Aduerte etiam, quòd per os vallium ſpurcitias montium exire videmus, ſi torrens pluuialis increuerit. Et ſic immunditias noſtras emittemus per confeſsionem, maxime quando pluuia lacrymarum inundat, quæ confeſsioni eſt nimis proficua. Vnde in hac proceſsione Deus fleuit ſuper ciuitatem, docens filias Ieruſalem animas orthodoxas fletum diligere maxime in cõfeſsione. Vnde Iudith quæ interpretatur confitens, ſe in fonte ſcilicet lacrymarum abluebat. Quoniam ſcriptum eſt de ea: Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ. Inſuper aduerte, quòd Bethphage villula erat ſacerdotum: vbi notatur quòd eis & non alijs eſt facienda confeſsio: quamuis in caſu neceſsitatis dicat beatus Thomas, quòd laico fieri debet: tamen contrarium tenet Scotus, ſcilicet quòd fieri debet ſoli ſacerdoti. In prima ſtatione huius ſpiritualis proceſsionis erat veritas, in hac autem quam immediate poſui, eſt manſuetudo. Nam quid manſuetius excogitare potuit miſericors Dei clementia, quàm quòd peccator ſeipſum puniat, ne puniatur a Deo? Deus tẽ ſuæ iuſtitiæ miniſtrum fecit in proprio delicto, vt ait Scotus. Tibiq. cõmiſit criminis tui executionem punitiuam. Dic ergo tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris, antequã eas tibi proferat confeſſor, aut cõtra te eas dæmon proferat, ſiue Deus in iudicio: vbi arguet te, & ſtatuet te contra faciem tuam. Nulla vnquã ciuilis iuſtitia tam mitis fuit, vt pro ſola cõfeſsione cõtrita delicti ſolueret reũ, tamen Dei mãſuetudo tãta eſt,

Confeſſio quid

Pſ. 30. e

1. Reg. 15 g

Cõfeſſio lacrymis indiget.

Iudit. 12. b

S. Tho. in ſuppl. 3. p. q. 8. art. 2.

Iſa. 43. d

Pſ. 49. d

vt confitentibus condoleat,& parcat. Quæ ideo figuratur
Gen.42. e in Ioſeph, qui non potuit ſe a lacrymis continere, cum
audiuit Ruben confitentem peccata venditionis, & malitiæ perpetratæ contra innocentem. Magna igitur eſt Dei manſuetudo in confeſsione, qui ponit in lingua tua medelam vulnerum tuorum: Et quòd non egeas alio interceſſore quàm lingua tua, vt te Deo conciliet: ita vt & tu
Iſa.57. d dicere valeas: Creaui fructum labiorum meorum pacem, pacem his qui longe, pacem his qui prope. Longe ſunt vetuſtiſsima peccata, prope autem recentiora, omnia valet reſarcire confeſsio.

Tertia ſtatio celebratur in monte oliuarũ. In hoc mon-
Pſ.35. b te notatur iuſtitia: Quia iuſtitia tua, inquit propheta, ſicut montes Dei. Tamen quia oliuetum eſt in monte, miſericordia etiam ſuperexaltat iudicium. Quoniam in iudicio pœnitentiæ præſidet miſericordia, quæ relucet in ſatisfactione. Vbi nota, quòd in iudicio Dei erit mons ſolus ſine oliueto, in gloria ſolum erit oliuetum, quia ibi nulla erit iuſtitia punitiua, ſed nunc eſt vtrumque, ſcilicet mons iuſtitiæ, & oliuetum miſericordiæ in ſatisfactione, cui miſericors eſt pater, dum plus acceptat in pœni-

Satisfactio miſericors eſt.

Gen.27. f tentia minimum gemitum, quam extra eam eiulatus Eſau, qui & pilos caprarum iuſsit oblatos accipi ad constructionem ſanctuarij. Eſt & ſatisfactioni miſericors filius, dum ex ſua paſsione ſupplet, quæ deſunt ei. Vnde poſt abſolutionem dicitur: *Paſsio Chriſti, & merita beatæ Mariæ, &c. Sint tibi in remiſsionem peccatorum.* Eſt etiam ei miſericors Spiritus ſanctus, dum in ea reſtituit bona, quæ peccando amiſsimus. Sit ei etiam ſacerdos miſericors, leuia iniungendo. Quia nunc tempus eſt miſerendi eius. Legitur in miraculis beati Antonij, quòd dum quidam in pœnitentia confiteretur ei ſe matrem peſſundaſſe, ac ſuppeditaſſe. Dixit ſanctus: Pes qui tale perpetrauit, ſcindi meretur. Pœnitens autem intellexit, quòd iuſſerat eum pedem ſuum ſcindere. Et abiens in domum ſuam arrepta ſecuri, ſcidit a ſe pedem ſuum. Cui mater ſuperueniens, dixit: O me miſeram, quid feciſti fili? ille autem reſpondit: Mater mea animæquior eſto, quoniam expedit mihi ſic fieri, quia in te peccaui cum hoc pede. Et malo ire claudus in cælum, quam duos pedes habens

Pœnitentia debet eſſe miſericors.

Exemplum de obediẽtia.

ire in infernum. Beatus pater Antonius audiens peccata mea, hoc præcepit. Illa vero perrexit ad eum, & ſe orbatam vociferat. Sanctus vero iuſsit ſibi adduci virum, & pedem ſciſſum, quem ſuo coniungens loco, perfecte ſanauit, & ſe non tam grauem iniunxiſſe pœnitētiam aſſeruit. Debet & ſatisfactio fieri a pœnitēte intuitu miſericordiæ, vt miſereatur animæ ſuæ, & ſe credat miſericordiam conſecuturum. Non vt Iudas, qui etſi reſtituit argenteos per iuſtitiam, non ſperauit in miſericordia Dei per pœnitentiam. In hoc etiam relucet miſericordia Dei erga ſatiſfactionem, quòd ad eam non ſolum fortes, immo debiles, & claudos, ac ſenes admittit: quamuis nil aliud poſsint, niſi dicere: Domine memēto mei, nec ab ea excludit ſceleratiſsimos peccatores, ſed omni tempore & ætate dat ei locum: quin & adiuuat nos ferre iugum pœnitentiæ, dicens: Cum ipſo ſum in tribulatione. Sed quia non ſumus ſufficientes ex nobis ad tria quæ diximus, ideo ſequitur in Euangelio: *Luc.23.f* *Pſ.90.e*

Miſit duos ex diſcipulis ſuis. Hi ſunt amor & timor ad peccatorem miſsi. Timor Domini, vt ait Sapiens, expellit peccatum: amor autem Deum adducit ad animam, reducens eum in locum ſuum. Hi ſunt duæ alæ mulieri cruciatæ exhibitæ, & duo leones tenentes ſedile Salomonis, & duæ armillæ arcæ Domini, & duo gladij Petri, & duæ tubæ exercitus Dei. Hos vel mittit ſeparatos, vel ſimul, vel aliquando mittit vnum tantum. Vbi nota, quòd quidā conuertuntur per timorem, quidam per amorem, quidam per ambos coniunctim: vnde perſonat propheta, dicens: In ſpiritu iudicij, ſcilicet timoris, & in ſpiritu ardoris, ſcilicet amoris feruidi, abluet Dominus ſordes filiarū Sion. Hos ergo mittit peccatori, quibus ideo ait: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt.* Ex hoc ſiquidē caſtro rebelli per hos duos vult Deus facere ſibi templum. Quando caſtrum rebellat, & illud vult Dominus eius recuperare (ſciens, quòd quando cadit, Domino cadit) non ſtatim bella mouet contra illud, ne perdat poſſeſsionem ſuam. Ideo per internuncios, & pacis cōpoſitores vult expedire negotium, ac fortunare, non vt perdat, & mactet, ſed vt ſaluet. Sic noſter Deus, qui propterea dixit: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,* ſcilicet vt ei conſiliū exhibeatis quo reſipiſcat, *Diſcipuli miſſi fuerunt amor, & timor.* *Eccli.1.e* *Iſa.4.b*

Digitized by Google

& reuertatur ad Dominum Deum ſuum. O fratres mei quis enarrare valeret eos terrores, quos timor prædicat conſcientiæ peccatoris, vt conuertatur, & viuat, ne deterius ſibi contingat? Scit enim a Domino ſibi paratum ma-
Iob 5. a lum. Timor Domini multa & horrenda ingerit animæ, vt prouideat ſibi: vnde merito figuratur timor in angelo
Ioan. 5. a illo, qui ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & vehemēter mouebat aquam, vt ſanaretur infirmus. Timor Domini aquam lacrymarū mouet erga nos, vt ſanemur. De amoris monitione parum dicemus, quoniam iſte paucis verbis ad meliorum frugem reducit peccatorem, non per comminationes, ſed per dona in poſterum repromiſſa,
Ioel 2. c & per blāditias. Nam vox amoris eſt illa: Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors
Matt. 11. d eſt, &c. Et: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. Quando autem amor inficit, acrius pungit, quia ſuauius rem agitat: ideoq. ingerit nobis illud Iſaiæ: Con-
Iſa. 46. c fundamini, redite præuaricatores ad cor: recordamini prioris ſæculi: quoniam ego ſum Deus & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei. Audite, o rebelles amoris monitionem, qui ait: Confundamini, quia eſt confuſio adducens gloriam. Redite præuaricatores ad cor Ieſu Chriſti pro vobis apertum. Nam eſt fons patens domui Dauid:
Ioan. 4. b Redite ad Deum, quoniam habet aquam ſalientē in vitam æternam: Recordamini prioris ſæculi regni cælorū vobis in cruce promiſſi. Nec eſt in promiſſione aliquis ſimilis mei, qui tanta vobis conferat. Quando caſtrum rebelle per monitiones & interlocutores non vult ſe priori Domino tradere, ipſemet venit perſonaliter ſpondere maiora, atque indulgentiam præſtare. Quia non vult perdere caſtrum ſuum. Et putat quòd forte verebuntur ibi exiſtentes dominū ſuum. Chriſtus autem nolens pedeſter venire in caſtrum, dicit in præſenti Euangelio: *Inuenietis aſinā alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi.* Ne
Aſina eſt anima peccatoris. dedigneris fateri quòd anima tua eſt aſina, immo & deterior. Nam & aſina cauet a nociuis, nec vult comedere quæ non decent. Tu autem nemini parcis in comeſſationibus, & ebrietatibus, & cuicumque illicitæ rei nauare operam non dubitas: aſina minis paret, tu nec terroribus cædis: Aſina nec rogata comedit, aut bibit poſt ſaturitatem, tu

by Google

vero numquam dicis: Sufficit: aſina ſubijcitur oneri, anima vero tua proijcit iugum: forſitan ſi ſoluta eſſet aſella iſta cum pullo ſuo veniſſet ad Dominū Ieſum. Sed qui caſtrum rebellare fecerant, alligantes eam detinent, ſcilicet dæmones, quod perceperat ille, qui dixit: Domine vim patior, reſponde pro me. Nec ſolum dæmones, ſed caro ligat nos, atque tradit manibus contrariorum, quæ ideo ait: Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto. Irritiuit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Lectulus voluptas eſt, quo peccator iacet laſciuiens, qui lecto ligatus eſt triplici funiculo, ne facile poſsit euadere. Primus eſt iuuentus: ſecūdus autem ſalus: tertius proſperitas: dum hæc tibi ſunt, o peccator, funes habes, quibus ligaris. His velut auis feſtinas ad laqueum peccati, qui non ſolum animam tuam ligat per culpam, ſed corpus per deteriorem inclinationem, quæ in pœnam peccati creſcit. Et ſic velut aſina & pullus eius, ſunt in te anima & corpus ligata: Quia funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Tamen per miniſterium timoris ſoluenda ſunt, quoniam eis dicitur: *Soluite & adducite mihi:* ſunt tamen qui dicant: Quid ſoluitis aſinam? Et propter iſtos dixit Ieſus diſcipulis prælibatis: *Si aliquid vobis dixerint: Dicite quia Dominus his opus habet.* Sunt namque qui vetare non verentur animaliū ſolutionem, & adductionem ad Ieſum. Primus, præter lutheranos pœnitentiam impediens, eſt metus recidiuandi. Sunt enim quidam trepidantes timore mūdano: vbi timor eſſe non debet, quia, vt ait Gerſon, non tenetur peccator ſe firmiter credere, quòd de cetero nō peccabit, vt patet de Petro, qui ſolutus a culpa, reſpondit inquiſitioni amati: Tu ſcis Domine, quia amo te, ſcilicet nunc, de futuro autē nihil ſcio, niſi quòd nunc te amādi habeo certitudinem: tu eam ſtabilem facito in me. Vetat etiā ſolutionem peccati, ſpes longioris vitæ, qua differri ſolet in poſterum pœnitentia, cum Dominus dicat: Non ſit vobis cura de craſtino, ſed nunc in præſentiarum adducite mihi animas veſtras. Tertio pœnitentiam vetat verecundia, quæ ſi peccata præueniſſet optime faceret, quia ſic faciebat ille, qui dixit: Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Dū ſera iam poſt peccata

Iſa. 38. a — *Prou. 7. c* — Peccator ligatur triplici fune. — *Prou. 5. d* — *Mar. 11. a* — Vetantes ſolutionē aſinæ, vetant pœnitentiā. — *Ioā. 21. c* — *Mat. 6. d* — *Iob 9. d*

Digitized by Google

mul ta venit verecundia,nouum inducit peccatum:quia, vt
Eccli. 4. c ait Sapiens : Eſt confuſio adducẽs peccatum . Vetat etiam pœnitentiam hypocriſis,& timor ipſius pœnitẽtiæ , & implicatio negotiorum ſæculi, aliaq. complura, veluti hæretici & mali homines,qui,teſte Domino,ſi pœnitentiã non *Luc. 13. a* egerint,omnes peribũt . His hominibus dicitur : *Dominus his opus habet* , ſinite nos , ne præſtetis obſtaculum , quia Dominus his opus habet: qui neglecta pœnitentia non iuſtificant hominem : quoniam Euangelicam prædicationẽ *Mat. 3. a* Ioannes & Chriſtus inierunt,dicentes: Agite pœnitentiã, & appropinquabit vobis regnum cælorum. Ecce aduentus ſpiritualis regni cælorum ad nos vſque deueniens , quod *Luc. 17. e* tantum appropinquat iuſtis , vt eis dicatur : Regnum Dei intra vos eſt , immo & rex Deus : quia *ecce rex tuus venit tibi manſuetus :* volens in te manſionem facere . Neceſſitas ergo pœnitentiæ vrget nos , atque compellit locũ dare inſpirationibus timoris,& amoris , quibus ducimur vſque dum ſacerdos manus extendens abſoluat nos,dicens: Dominus noſter Ieſus Chriſtus , qui pro te natus & paſſus eſt , ipſe te abſoluat , & ego auctoritate ipſius abſoluo te ab omnibus peccatis tuis. Vade in pace,ſcilicet ad Chriſtum ; de quo ſequitur :

Pœnitentię neceſſitas dat locum inſpirationibus.

Abierunt diſcipuli , & fecerunt ſicut praeceperat illis Ieſus, & ſoluentes animalia adduxerunt ea ad Ieſum,& eum deſuper ſedere fecerunt. Dum ligati ſumus funibus pecca-
Pſ. 93. d torum , non ſedet ſuper nos Dominus Ieſus : quia ſi non
Pſal. 1. a adhæret ſibi ſedes iniquitatis : & in cathedra peſtilentiæ non ſedit , quanto minus ſedere debet in peccatore com-
Pſ. 48. c parato iumentis inſipientibus , qui & per opera immunda ſimilis factus eſt illis? O fratres mei attendite , quantæ ſublimitatis ſit ſeſſio iſta, qua Dominus ſedet in omnibus
Pſ. 138. a bonis,quia ipſe Ieſus ſeſſor noſter dicit patri ſuo : Domine tu cognouiſti ſeſsionem meam,& reſurrectionem meã . Intellexiſti cogitationes meas de longe : ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti . Magna in iſtis verbis latent ſacramenta,quæ nos non valemus percipere,ideo Patri æterno ſunt ingerenda,cui dicitur : Tu cognouiſti. Homines non cognouerunt quantum eis conferat iſta ſeſsio : quia putant eam ſolum modo eſſe ſeſsionẽ , cum equidem ſit reſurrectio . Ideo tu cognouiſti ſeſsionem meam, & re-

ſurrectio-

Digitized by Google

ſurrectionem meam. Quoniam etſi prima facie ſolũmodo ſeſsio videatur, etiam eſt reſurrectio. Vidiſtis ne fratres quo modo Redemptor noſter nõ deprimit, ſed eleuat eos, ſuper quos ſedet? nec mirum, quia ſicut onus eius leue nos eleuat, ipſe Ieſus onus diuinum, dum ſedet in nos, eleuat nos ad diuina, vt homo ex peccatore diaboli ſede, fiat iuſtus, & etiam thronus Dei, ſicut angeli eius. Vide quantũ diſtet aſinus diaboli a throno Dei: & intelliges cogitationes meas de longe. Et ſemitam cæleſtem & funiculum rationis, quo Deus ad cæleſtia ſpiritum noſtrum agit, dum ſedet in eo. Hæc fratres mei quæ perſtrinxi notantur in reliquo Euangelij, vbi dicitur: *Hoc totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & filium ſubiugalem.* Ecce, attende quo modo hic in verbis iſtis anima ipſa, quæ aſina eſſe ſolebat, iam vocatur filia Sion: vt ad ſe reuerſa pernoſcat conditionem ſuam. Quoniam Sion interpretatur ſpecula: vbi reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformantur beati. Memorare igitur peccator, quòd ſis filius regni, filius reſurrectionis, filius Sion, quæ eſt arx Dauid. Nam ex caſtro rebelli oportet in arcem Sion tranſire intranſitiue, quòd tu ipſe fias arx Sion. Ad hoc *ecce rex tuus venit tibi manſuetus* adiuuare te, & ſedere tecum, donec tua Sion firmetur. Poſt ſeſsionem Ieſu tria fecerunt homines illi: primo ei ſubſternere veſtes: ſecundum ſcindere ei ramos: tertium clamare: ſic nos tria faciamus: primo deponamus veterem hominem calcandum: ſecundo ramos oliuarum, quæ ſunt opera miſericordiæ, ad Chriſti honorem exhibeamus: tertio per orationem clamemus, quod mirifice figuratur in libro Machabæorum, vbi dicitur: Clamauerunt ad Simonẽ vt dextras acciperet, & dedit illis: Et eiecit eos inde, & mundauit arcem a contaminationibus, & intrauerunt in eam cum laude & ramis palmarum, cynniris, & cymbalis, & hymnis, & canticis, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſrael. Et conſtituit vt omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. Et muniuit montem templi, qui erat ſecus arcem, & habitauit ibi ipſe, & qui cum eo erant. Hæc ibi. Simon interpretatur obediens, & eſt Dominus meus

Iſa.62. d *Zach.9. b* *Ioã.12. b*

Anima eſt filia Sion.

2.Cor.3.d

Tria agẽda pro Chriſto ſuſcipiẽdo.

1. Mach. 13.g

Simõ quid.

1. Reg. 10 a Ieſus factus obediens patri: ſicut rex ille primus, qui dum per obedientiã patris ſui aſinas quæreret, conſtituitur vnctione ſancta rex Iſrael. Ecce nunc hodie Dominus Ieſus per Apoſtolos quærit aſinam & pullũ: tamen per prophetam pluſquam Samuelem rex prædicatur: *Quia hoc totũ factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem:* Dicite ſinagogæ: *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus*, qui non in fortitudine equi voluntatem habebit, ſicut Salomon, aut Dauid, ſed in manſuetudine. Nam venit ſoluere aſinam, id eſt miſericordiã, quæ tempore legis ligata eſſe ſolebat, ſoluto pullo iuſtitiæ, qui contra eos calcitrare nouerat. Sed cum eis iuſtitia moleſta eſſet, clamauerunt ad noſtrũ Simonem filiũ manſuetiſsimũ, qui eſt velut agnus, qui portatur ad victimam hodie immolari pro nobis. Rex manſuetus mori paratus eſt pro populo ſuo, ſicut ille Saul de quo diximus inter aſinas electus, qui ſciens ſe moriturum ſuper montes Gelboe aſcendit, vbi occiſus eſt volẽs. Rex autem noſter Ieſus agnus, dux gregis & rex, montem aſcendit Caluariæ, vbi oſtendit manſuetudinem ſuã. Tamen quia ex morte Chriſti ſecuta eſt victoria, vult eã hodie celebrare, extollens victoriam ſuam. Quia poſt modum non erit ſibi cum hominibus conuerſatio. Et quia victoria regis noſtri omni populo erit proficua, expedit vt communiter & ab omnibus celebretur, maxime hodie, quia nunc etiam inimicis ſuis Chriſtus vult dare dextras, quamuis ſciat certiſsime quòd eas cruci affigent. Nam propterea cum Chriſtus per totam vitam ſuam manſuetus extiterit, hodie ſignanter mãſuetus prædicatus ab eo propheta, qui agnum & dominatorem terræ prædixerat Chriſtum fore. Iudæis ergo dextras dedit Chriſtus, tamen quia eas affigerunt cruci, eiecit eos inde, quando menſas nũmulariorum, & vendentium columbas euertit, carpens eos, qui domum patris ſui ſpeluncam feciſſent latronum. Hic mundauit arcem a contaminationibus iudæorũ, qui contaminauerunt teſtamentum eius expoſitionibus prauis. Mundauit etiam templum ipſum a contaminationibus illis, de quibus dicitur: Pollui eos in muneribus ſuis, cũ offerrent omne, quod aperit vuluã, propter delicta ſua. Munera tẽpli pollutos reddebant ſacerdotes, oblationum ſanguine contaminatos. Et quia hæc munera non bona erant, dicũtur

Miſericordia antiqtas erat ligata.

Ioan. 2. c

Pſ. 54. d

Eze. 21. d

Chriſti oblatio munda eſt.

ſuæ, & quòd aperirent vuluam. Agnus Dei qui tollit peccata mundi mundiſsimus eſt & minime vuluam Mariæ aperuit, nec polluit offerentes ſe niſi iudæos, quādo prima vice obtulerunt eum in ara crucis ſuper montem Sion. Et tunc propterea polluit eos, quia non offerebant illum ad ſua delenda peccata, ſed augenda. Nos autem ſcientes virtutē ſanguinis eius immaculati quotidie offerimus eum, ſicuti offerri vult. Quapropter de nobis, quibus amplius profuit aduentus Chriſti quàm iudæis, dicitur: In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo diuulſo, & dilacerato: & a populo terribili poſt quē non fuit alius, a gente expectante, expectante & conculcata ad locum nominis Domini exercituum in montem Sion. Venit igitur Redemptor noſter ad ſuum templum hodie ad hūc locum, vbi pro nobis offerendus erat: ideoq. manſuetus dicitur venire & rex, quia nunc Dominus regnabit a ligno, qui antea regnauit a cælo. *Iſa. 18. b*

In hoc ramorum aduentu, verſo in oppoſitum figuratur aduentus Chriſti ad crucem, & proceſsio quam fecit ad montē Caluariæ, quam modo incipit: quia quinque diebus ante Paſcha ducere ſolebant hebræi agnū immolandum gaudentes, atque nimiū exultātes, eumq. magno deferebāt honore, velut iam cultui diuino dedicatū. Sed quo quis honoratius ducitur ad ſuſpendium, eo amplius inhonoratur. Quando Dominus Ieſus ducebatur ad crucē ſecundum gloriam ramorū multiplicata eſt ignominia eius. Honorem equidem hodie exhibitum ei, voluerunt auferre ab eo inimici ſui tamquam ab iniuſto poſſeſſore: ideoq. res verſa eſt in oppoſitum. Et hodiernus honor acerbius reddidit flagitium crucis: quia, teſte Boetio, nullum genus infelicitatis eſt infelicius quam fuiſſe felicem. Tunc enim memoria præteritæ gloriæ acrius pungit. Sic ergo Dominus Ieſus qui nunc venit ad Ieruſalem, poſtea ducetur extra eam, tamquam conſortio hominum indignus: extra caſtra proijcietur, vbi leproſi eſſent proijciendi. Nunc venit Bethphage hereditati ſacerdotum: ſed poſtea principes ſacerdotum omnes eijcient eum extra vineam, vt habeant eius hereditatem. Nunc venit ad montem oliuarum: poſtea ibit ad Caluarium, quia ex multa miſericordia eis impenſa ducetur ad multam crudelitatem ei exhibi- *Boet. lib. 2. proſa 4. in princ.*

exhibitam & illatam, quando etiam mortuo nocebunt. De monte oliuarum, ad montem cadauerum. Nunc duos apoſtolos pro aſina mittit, ſed poſtea ibunt cum eo duo latrones, ne ſe amplius Dominũ vocet: quando cum latronibus iniquis fuerit reputatus. Nunc pergens ad Ieruſalẽ equitat: ſed poſtea baiulans ſibi crucẽ onus ſuum portabit: tamen Simon Cirenæus adiuuabit eum. Nunc eius nomine audito, tremit cuſtos animalium: Poſt modum autẽ dicet: Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius nõ memoretur amplius. Nunc omniũ oculis placet: poſtea gratior erit Barrabas. Nunc ad gloriam Chriſti dicitur impleri prophetia Iſaiæ: deinceps autem audiet: Secundum legem debet mori. Nunc ſeruitutem Apoſtolorum recipit: ſed poſt recipiet offenſionẽ carnificum. Nunc autem completur illud: *Ecce rex tuus:* poſtmodum audiet: Non habemus regem niſi Cæſarem. Nunc ſedet conſtrictus ſuper aſinam: poſtea extendetur ſuper crucem erectus. Turba nunc ſternit ei veſtimenta ſua: poſtea nudabitur proprijs veſtibus, immo & ſcoriabitur. Nunc ei deferunt flores: poſtea ſpinas. Nunc ramos: poſtea hyſſopũ, & arundinem. Nunc prior & poſterior clamat turba: *Benedictus, &c.* Poſtea dicent: Crucifige eum, ſcilicet tamquam maledictũ. Nunc dicitur filius Dauid: poſtea dicetur ei: Ecce Heliam vocat iſte: vt veniat ad deponendum eum. Nunc pergit ad templum: poſtea vero egredietur de templo corporis ſui. Nunc commota eſt vniuerſa ciuitas vt eum extollat: Poſtea egredietur ad ſpectaculum Chriſti, qui nunc eos lætificat: ſed poſtea omnes contriſtabit in cruce, vt reuertantur percutientes pectora ſua in Ieruſalem: nunc per gratiam, poſtea per gloriam, quam mihi & vobis præſter Ieſus, Amen.

Luc. 22. d — *Ioã. 19. c* — *Matt. 27. d* — *Ier. 11. d* — *Matt. 27. e* — *Ioã. 19. b* — *Ibid. e* — *Luc. 23. c* — *Mat 27. e* — *Luc. 23. g*

Ne mireris optime Eccleſiaſtes, ſi neglecto morali aduentu, ad allegoriam, & aduẽtum crucis linguam & calamum conuerti, quoniam varia plus iuuant, & aduentus in animas oritur ex aduentu crucis: cui optime dicere poteris: *Ecce rex tuus venit tibi.* Nam ſi Bethania interpretatur domus afflictionis, & eſt Chriſti paſsio, de ipſa oportet mentionem facere in aduentu ad animam, qui oritur ex ea: paſsio Chriſti via eius eſt veniendi ad nos: & via noſtra veniendi ad gloriam ſuam. Amen.

Bethania quid.

SER-

SERMO FERIAE QVINTAE IN COENA DOMINI.

De amore, & lotione, & noſtra imitatione.

THEMA.

Dilexit nos, & lauit. Apocal. 1.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

CVM malorum conſuetudo ſit maleficijs contendere aduerſus beneficia Dei, dãs ſibi mala pro bonis, odium pro dilectione ſua: hinc eſt, quòd ex præſenti opere ex ablutione hac elicio, & ſuſpicor nos inquinaſſe Deum. Et vtinam libenter fateremur iniquitatem hanc: & non compulſi ſicut illi, quibus Dominus dixit: Offertis ſuper altare meum panem pollutũ: & dicitis: In quo polluimus te? ſuper hoc ait Hieronymus: Cum ſacramenta violantur, ipſe cuius ſunt ſacramenta, violatur. Nec ſolum in ſacramentis ſuis male concinnatis inquinatur Deus a prauis ſacerdotibus, qui non ob aliud niſi ob terrena ſeruiũt altaribus, ſed etiam inquinatur a malis pœnitentibus debilem, aut claudam, vel cæcam pœnitentiam facientibus, cum propheta prædictus, dicat: Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino. Maſculum, & non feminam vult ſibi Deus immolari: nam muliebria noſtra coinquinant eum. Væ nobis qui in fortitudine noſtra peccauimus, & in debilitate pœnitentiam agimus, viri ſumus ad peccandum, & effeminati ad pœnitendum, & tunc velut menſtruo Deum inquinamus, quoniam, vt ait Zacharias: Ieſus ſacerdos magnus erat indutus veſtibus ſordidis, qui omnia indumenta ſua inquinauit, volens detergere ad purum muliebria

Mal. 1 b

Hierony. in c. 1. Malac. in med. to. 5.

Ibid. d

Zach. 3 A

Digitized by Google

bria debilium pœnitentium. Nec ſolum in ſacramentis ſuis, & in veſtibus ſuis, ſed tertio in perſona ſua per nos inquinatur Deus: quod mirans Paulus ait: Si irritã quis faciens legem Moyſi, duobus aut tribus teſtibus, ſine vlla miſeratione moritur, quanto putatis deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? Ob tres quas diximus inquinationes Dominus ipſe conqueritur per prophetam, dicẽs primo ad ſacerdotes: Inter ſanctum & prophanum non habuerunt diſtantiam. Et ad pœnitẽtes ſubdit: Inter pollutum & mundum non intellexerunt. Et ad impœnitentes, & incõfeſſos ait: Et a ſabbatis meis auerterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum. Ecce igitur quo modo peccatores inquinati Deum inquinare non ceſſant. Adeſt tamen diuina lotrix beata Virgo, de qua thema perhibet: *Dilexit nos, & lauit* lacrymis ſuis, & munditia ſua, & caſtitate ſua, & puritate Deum; lauit, inquam, a maculis per nos illatis ei: nam ideo beata Dei genitrix vocatur in Canticis columba immaculata, quæ ſedit iuxta fluenta pleniſsima: immo ipſa eſt Iordanis, quo baptizatur filius Dei non ſolum baptiſmo flaminis, ſed baptiſmo ſanguinis Virginei atque mundiſsimi. Vnde recte diximus, quòd dilexit, & lauit. Nemo enim lauare poterit Deum, niſi prius eum diligat. Maria igitur a cœna ſynagogæ ad ſecunda vota ſurgens, linteo virginitatis præcinxit ſe, & in peluim ſuorum viſcerum aquam puritatis immiſit: vt exinde ſanctus & mundus naſceretur filius Dei. Qui etiam ſi per impoſsibile filius Dei non eſſet, ex modo ſuæ conceptionis mundus naſceretur ex Virgine, quia ſordes corruptionis Adæ non coinquinant niſi naturaliter propagatos. De nobis autem proprius loquendum eſt, quia lotio prætacta impropria eſt. Nos autem vere indigemus lauari & in lingua ad loquendum, & in auribus ad verbum Dei capiendum. Maria vero etiam nos diligit, & lauare parata eſt, quoniam eſt natatoria Siloe, cuius aqua non minus oculos mentis quàm corporis dilucidat ad loquendum & ad audiendum, vt patet in cæco illo, qui ſtatim poſt lotionem factus eſt prædicator, & doctor ab ipſo Verbo Dei doctus. Eamus igitur ad cunctorum viuentium matrem Mariam, quoniam ſua intereſt filiorum

[Margin notes: *Heb. 10. e* — *Eze. 22. f* — *Cant. 5. d* — Chriſtus ſi nõ eſſet filius Dei, ex modo conceptiõis eſſet mũdus. — *Ioan. 9. b*]

rum

rum maculas abluere, quod vt faciat humiliemur, ei dicentes: Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVALIS amor fuerit, tale ſubſequetur lauacrum: amor mundanus & ſenſualis habet lauacrũ ſuum, vt patet in filia Pharaonis, quæ deſcendit, vt lauaretur in flumine non ad emundationem, ſed ad refrigeriũ. *Exo.2.a.* Sic anima mundanis dedita non quærit munditiã, ſed refrigerium in fluxibili varietate mundi, quæ necat, & ſuffocat innocentes, ſed eueniet ei ſicut filiæ Pharaonis, quæ paucis deinceps annis non inuenit potũ in fluuijs, ſed ſanguinem, ſcilicet innocentum: quoniã aquæ Ægypti ob necem puerorum verſæ ſunt in ſanguinẽ. Vnde talis lotio in contaminationem vertitur, quoniam prauus amor deludit amantem: ideoq. beatus Petrus amatorem mundi vocat ſuem inuolutũ volutabro luti, quæ dum ſe abluere putat, inquinatur, propterea quòd ad deliciandũ, & ad pruriginẽ ſe abluit, non autem ad emundationẽ. Iuſtus autem econuerſo ſe abluit, ideoq. eius ablutio pœnalis eſt & amara: vnde Dominus Ieſus vt nos doceret talẽ ablutionem quærere, prope mortem conſtitutus, decreuit ſuos abluere, vt poſſint viuere: nam quædã eſt infirmitas, quæ lotionibus indiget calidis, Deus autem cum dilexiſſet ſuos, hoc amore calefaciẽs aquam non aliã quàm lateris ſui ſuos abluere decreuit iuxta mortem ſuam, ſciens quòd nihil coinquinatum intrabit in illam requiem, ideoq. ait thema: *Dilexit nos, & lauit:* Deus dilexit nos, & iam factus homo lauit, dilexit nos in ſacramẽti exhibitione, & lauit in pedum lotione, nos autem ei offeramus aliquam imitationem. De his tribus tria puncta erunt præſenti ſermoni: nam primo agam de amore Chriſti ad nos: ſecũdo de lotione pedum: tertio de noſtra qualicumque imitatione.

Lotio mala. *2.Pet.2.d* *Ioã.13.a* *Apo.21.g* Diuiſio.

PRIMA PARS.

DILEXIT *nos, & lauit*. Dubitarim, an contriſtandum ne, an gaudendum potius in die nobis ſit, qui enim noſtro Domino Ieſu quale Euangelium commemorat,

morat, non compatitur & Apoſtolis triſtibus, is videtur pietatem abieciſſe. At contra dum noſtræ ſalutis ſacramenta geruntur, dum corpus & ſanguinem Chriſti noſtris vſibus accepimus, dum Chriſtum noſtri amantiſsimum, nobis deditiſsimum hodie experimur, quapropter exultare vehementer nos charitas ipſa compellit. Nam quis eſt cuius non lætetur animus, & etiam liqueat
Ioh. 13. a cor, tenereſcat affectus id audiens: Sciens Ieſus quia &c? Si amas Chriſtum gaudebis vtique, quia vadit ex hoc mũdo ad patrem, e corruptione ad immortalitatem, e labore ad requiem. Diu multis nos quæſiuit ærumnis fatigatus admodum ex itinere, & tandem ouem perditam, & paſtam reducit ad gregem, ſiquidem cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo eos quærendo, dilexit in finem peregrinationis ſuæ ad quem & ipſe vadit. Neque ſine myſterio in die Paſchæ it ad patrem, ſed vt oſtendat ſuum a vita hac exceſſum, noſtrum fore feſtum & gaudium, alioquin numquam hora mortis amariſsima, in qua præ dolore ſcindũtur petræ, ſol obſcuratur, & totus contremiſcit orbis, eſſet hora Chriſti: Sciens, inquit, quia venit hora eius. O chriſtiane qui ſuis incommodis hilareſcit, quod tua ſunt commo-
Heb. 12. a da, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta: id horam afflictionis horam ſuam vocat, quòd eius afflictio gaudij tui ſit cauſa. Hora ergo paſsionis propria Chriſti hora fuit, non gratis, ſed vt tranſeat ex mundo ad patrem, id eſt vt naturam humanam paternæ gloriæ faciat participem. Nempe enim Chriſtus in ignominia & labore ſolus, in gloria & præmio comitatus: vnde ad
Gen. 32. c cælum conſcendens ipſe ait: In baculo meo &c. exulte-
2 Tim. 2. d mus ergo in Domino, qui vti ſcriptum eſt: Dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia: ideo namque prior tranſiuit ad patrẽ, vt membra per eius gratiam confiderent eo ſe peruentura, quo caput iam præceſsiſſe conſpicerent. Rurſus & ſi nil quod creauit Chriſtus odit, homines tamen ſingulari quadam beneuolentia proſequitur, cum enim perfecta omnis amicitia inter pa-
Iac. 5. d res veteri prouerbio diffiniatur: Deus factus vere vnus ex nobis, ſimilis noſtri paſsibilis, peculiariter nos amauiſſe cenſendus eſt. Hoc eſt ergo quod ſequitur cum dilexiſſet, videlicet factus homo, ſuos, qui erant in mundo: Nuſquam

quam enim angelos, qui in cælo ſunt, ſed ſemen Abrae apprehendit per omnia fratribus aſsimilatus. O inciuilis homo, dilexit Chriſtus ſuos qui erant in mundo: Ipſe autem in mundo erat, & mundus eum non cognouit: in propria venit, & ſui eum non receperunt. Verumtamen ingratitudo noſtra fonte miſericordiæ oſtia, meatusq. multiplices neutiquã obſtruxit. Perrexit nãque Saluator qua cœperat hominẽ in finem, ſemperq. dilexit, prodiuit ſtatim, quod latitat. Humanitatem aſſumens Deus, homines principio dilexerat, ad ſe trahens: In charitate, inquit, perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſertus tui. Inimici eramus, repugnantes quodammodo traxit, & dilexit in finem cum Euchariſtiam inſtituens, eis ſe dedit, quos acceperat: vt attigiſſe videatur a fine vſque ad finem fortiter, & ordinaſſe omnia ſuauiter. Quippe velut circulo quodam facto, nos quo ad potuit perfecte dilexit. Et nil eorum prætermiſit quæ vehementer amantis eſſe poſſe viderentur. Dilexit in finẽ: quia ſciens veniſſe horam eius, qua iret ad patrem, ne nos dimitteret, nec a nobis diſcederet, vt ſemper apud nos conſeruaretur, & conuerſaretur nobiſcum, in Euchariſtia eſſe decreuit vſque in ſæculum. Neque enim ferre potuit eius amor quo minus apud nos maneret vſque in finem, ne abſente eo ſimulq. pereunte conuictu amicitia ſolueretur: nimirum, quoniam deliciæ eius eſſe cum filijs hominum: quaſi vero conſuetudine noſtra infinito Deo aliquid deliciarum accedat, quaſi vero hominis delicium æque ſit cum Chriſto eſſe, quaſi homines in Chriſto delectentur, & non magis in voluptatibus belluinis, quaſi homo non tradat morti eum, qui hominis vitæ totum ſe impendit: In qua nocte, Apoſtolus inquit, tradebatur accepit panem &c. vſque pro vobis tradetur. O mira beneficentia Chriſti: Suſcepit homo reuera de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Quando tradebatur corpus Chriſti ab homine pro pecunia. Ecce, inquit, tradetur ſcilicet a patre Chriſti, & ab ipſo Chriſto non pro auro vel argẽto, ſed pro vobis. Cum tradebatur ab homine hominibus dilacerandũ: ecce ſe præſtat ab hominibus manducandum. Nimirum Deus noſter præſtabilis ſuper malitia, quemadmodum hoc beneficium propheta referens acceptum ait; Quid retribua Domino

Heb. 2. d
Ioan. 1. b
Incarnatio eſt initium amoris: Eucharistia finis.
Ier. 31. a
Sap. 8. a
Prou. 8. d
1. Cor. 11 e
Iſa. 40. a
Pſ. 115. a

Digitized by Google

pro omnibus &c. extimat ſanctus Dauid, nec immerito quidem, omnia fuiſſe retributa, quòd Chriſtus fuerit retributus, qui enim filium dedit, quo modo cum illo nõ donauit omnia? retribuit, inquit, quæ hominis præceſſerãt, vt doni tam liberaliter collati non tributio, ſed retributio vocaretur, quæ hominis præceſſerant niſi peccata? Paulum audiſtis: In qua nocte tradebatur &c. & præter hæc quo

Memoria requiritur ad amoré.

magis Dei benignitas penſetur, cum tam præclariter nobiſcum egit, nullam tamen gratiam expoſcit, quàm vt in memoria acceptum beneficium ſit, ſequitur enim: Hoc

Luc.22.b

facite in meam commemorationem: putat Chriſtus ſatis eſſe ad dilectionem ſui in nobis excitandam meminiſſe qua nos ipſe amarit, qui cum cetera omnia in menſura conſtituerit, nobis tamen amandis nullam adhibuit men-

Tren.3.b

ſuram: vnde ait: Recordare tranſgreſsionis meæ, hoc eſt charitatis, qua te ſupra modum diligens omnem dilectionis tranſgreſſus ſum modum. Quippe ſpiritum qui charitas eſt, ad menſuram non acceperat, quod ſi æquum iudicat chriſtianus Redemptori, hanc quæ poſcitur, habere

Inſtitutio Euchariſtiæ.

gratiam ex toto corde cum propheta reſpondeat: Calicem ſalutaris accipiam pectore, interna voluntate: Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea: iam vero qui

Pſ.115.a

Tre.3.c

ſemel Chriſtus feratur in mentem, conſequetur inde proculdubio, vt benefactori ſuo dicta & facta, conſona iubilatione laudes reſonent, & gratiarum actiones decantent: eius exemplo, qui gratias agens accepit panem, vt daret, quo doceret multo magis gratias agere debere, qui acciperet, vt manducaret ac frueretur, quo indicaret quàm noſtris profectibus gratularetur, qui nomine noſtro proinde gratias agebat, ac ſi beneficiarius eſſet ipſe, qui conferebat beneficium. Sciens Ieſus, &c. verba hæc de ſanctis apoſtolis peculiariter intelligi debere adeo planum eſt, vt noſtra expoſitione nequaquam ſit opus. Cum ergo Redemptor noſter comites & familiares ſuos dum viueret, dilexiſſet, ſciens appropinquare tẽpus quo ad patrem tranſiturus, eoſdem oporteat in mundo relinquere, vehementiorem eis in vitæ ſuæ fine dilectionem oſtendit. Volebat enim pius magiſter & Dominus amoris ſui telo diſcipulorum corda transfigere, quo chriſtiana pax, mutuaq. charitas eorum animis penetrantius infigerentur, atque

ideo

ideo in vltima cœna conſummatiſsimæ charitatis, & humilitatis, quæ concordiæ fundamenta ſunt, obtulit famulatum: vt inde diſcerent Apoſtoli qualiter amari inter ſe deberent.

SECVNDA PARS.

ET quòd Apoſtolus ait per charitatem ſeruire inuicé: *Gal.5.b* huc enim pertinet ni fallor, quam in hac cœna potiſſimum commendat humilitas lotionis pedum Chriſti, & conſecrata exemplo, & præcepto firmata. Si ego, inquit, *Ioã.13.b* laui pedes veſtros Dominus & magiſter, & vos debetis alterutrum lauare pedes. Vbi non tam exiſtimo lotionem hanc materialem qnàm amoris obſequia, per quæ viciſſim nobis inſeruiamus Dominum commonere: quod notans Apoſtolus ait: Alter alterius onera &c. at qui ſiue *Gal.6.a* hac, ſiue qualibet alia cauſa id factum ſit exemplum non Apoſtolis modo, ſed omnibus etiam eximiæ humilitatis charitatisq. ſine controuerſia proponitur, mirum ac celebre quidem, ſed quod nequeat pro dignitate laudibus extòlli, non enim capit mens quòd Altiſsimus Deus, cui Pater omnipotens vniuerſam tradidit poteſtatem habito tenus pedibus ſe obuoluat: quod caput Eccleſiæ dextera immenſi Dei non caput aut manus lauet, ſed piſcatorum pedes. Chriſtus verbum eſt apud Deum, per quod omnia *Ioan.1.a* facta ſunt, apud creaturæ pedes exiſtens omnipotenti manu eorumdem ſordes & abluat, & abſtergat. Sed quid offerre conor, quod diuine, vt omnia Euangeliſta Ioannes euexit? ſciens, inquit, quia omnia dedit ei Pater in manus &c. o humilem ſublimitatem, & ſublimem humilitatem hic primus & nouiſsimus apertiſsime deſcribitur: hic re ipſa in Chriſto exprimitur quod alibi ſcriptum eſt: Quanto es maior, humilia te inter omnes. Si magnum *Eccli.3.a* reddit ſcientia, ſciens ait: ſi potentia, omnia dedit ei Pater in manus: ſi natalium ſplédor, a Deo exiuit: ſi gloria, ſi ſanctitas, ad Deum vadit: & tamen hic a Deo magnus vt ſuam etiam magnitudinem neſciri non poſsit: ſurgit a cœna in medio diſcipulorum factus ſicut miniſtrator. Deponit veſtes quo miniſtret expeditius, in cuius manu ſunt omnia ordinate, lintheo ſe accingit, mittit aquam in

Exemplum humilitatis. peluim, ſordes pedum vnguibus abradit: vnus omnia diligenter exequens humilitatis officia; vt quanti quæſtus humana ſit humilitas, vel ex eo diſcamus, quòd eam ſuo cõmendauit exemplo ſola diuina ſublimitas: vt inclinata ad pedes noſtros diuina celſitudine, ſtans aduerſus proximum, & erigens ſe contra Deũ, confundatur ſuperbia hominum, & ad humilitatem Dei nouerit de ſe humilia ſentire lutum: quid ſuperbis homo, Sanctus ſanctorum qui ſedet ſuper Cherubim flectit genua ad pedes peccatorum, incuruatur viuorum atque mortuorum tremendus iudex, genu flexo mundiſsimis manibus lutulenta pedũ inquinamenta detergit, & tu, o vermicule non humiliaris ſub potenti manu Dei? Eminus famulantẽ Dominum nos proſpicimus fratres mei, qui quominus viderunt longe, ſecus de eius operis altitudine ſentiebant. Animaduertite quæſo, cũ ad Petri genua ipſe genibus flexis Dominus loturus pedes acceſsit, quid Petrus dixerit, & inde pẽſabitur quid ſenſerit: ſtupet principio rei nouitate, neque audet obloqui, & quaſi ecſtaſi teneatur, neque quid hoc ſit, neque cur fiat inquirit: at vbi primũ ante eum genu flexit diuinitas incarnata, Deus ante hominem, Creator ante creaturam, magiſter ante diſcipulũ, rex ante piſcatorem, maieſtatem reueretur, & ait: Domine tu mihi lauas pedes? tu mihi! cogitanda eſſet potius quàm dicenda ſententia hæc, nec forte quod his verbis aliquatenus dignũ concipit animus, lingua non explicet. Habebat quidem in excuſatione ſua zelum Dei Petrus, ſed non ſecundũ ſcientiã: & tolerabile videretur quod humilitas ſuggerebat, niſi reſiſtere præceptori niteretur: quippe, dicente Domino, quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea, protinus adiecit: Non lauabis mihi pedes in æternũ. Domine huius humilitatis obſequium accipere non eſt meũ, qui adorare teneor ſcabellum pedum tuorum, quoniam ſanctam facis humum in qua ſtas: adorare debeo in loco, vbi ſunt pedes tui, nõ lauari per manus tuas: honor tuus Deus iudicium diligit; & iuſtum eſt vt in nomine tuo omne genu flectatur: verum quòd tu ante figmentum tuum curueris, quòd ſerui pedes laues, non competit maieſtati; nec vtique tu mihi pedes ablues: ego ſi oportuerit me mori tecum paratus ſum, hoc enim debeo, hoc amplector, pro te libenter ceruicem porrigo

Superbia noſtra confunditur.

Eccli. 10. b

1. Pet. 5. b

Pſ. 109. a

Phil. 2. b

ſigo percuſſori, ſed Dominum meũ & Deum meum ante pedes meos proſtratum ferre nõ queo, non audeo ſuſtinere: Non lauabis mihi pedes in æternum. Breuiter lauari a Chriſto, & tantam eius pati deiectionem, ita Petro videbatur indignum vt omnino cogi non poſſet niſi intermi-natio perhorreſcenda coarctaret: cum primùm enim Dominus ei dixit: Si non lauero te, non habebis partem mecum; mirum in modũ territus: Domine, inquit, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput, quaſi maius aliquid addidiſſet, non tantum pedes, inquit, ſed & manus, & caput: nimium deiecerat ſe Chriſtus vſque ad mébrorum infima, Petrus adiungere non poterat niſi ſuprema. Verum enim vero quãtumlibet Petrus vndecumque attonitus obſtupeſcat, non eſt quòd nos demiremur fratres mei, qui enim pro nobis deſcendit a cælo, quid ni pro diſcipulis ſurgat a cœna? qui depoſuit carnẽ pro inimicis, quid ni & veſtimenta pro diſcipulis? qui formã ſerui accipiens, habitu inuentus eſt homo, quid ni veluti famulus præcingat ſe lintheo? qui dignatus eſt in terram fundere ſanguinem, non eſt mirum ſi aquã in peluim mittit: quin etiam quanto veritas ipſa figura præſtantior eſt, tanto humilitas lotionis ſpiritualis in ſanguine Chriſti eam antecellit, quæ in lotione pedum corporali commendatur. Si enim miniſterium hoc Saluatoris humillimũ, altiùs peruestigare delectat, cœna hæc tempus ſignificat vniuerſum, quo apud Apoſtolos demoratus Redemptor noſter, dapibus verbi ſalutaris cunctos longe lateq. pauit: ſurrexit autem a cœna, & poſuit veſtimenta ſua, quando cum hominibus iam conuerſari deſiſtens, habitum corporis aſſumpti depoſuit in cruce: accepto lintheo ſe præcinxit, quando ſpontaneo paſsionis exercitio ſua membra circumdedit: lintheum namque quod multifario tormentorum genere conficitur, afflictionum accommodatiſsima figura eſt: ponens itaque veſtimẽta, lintheo præcingitur, vt ſignificet ſe corpus, quod induit, non ſine preſſura dolorum, ſed longa crucis tribulatione deponere: miſit aquam in peluim, lauit lutum, quem pedes obduxerant, extersitq. lintheo quo erat præcinctus, quando aqua vna cum ſanguine terram perfundens, eiſdem lauit peccata noſtra, perferens ea quodammodo, vt ait Petrus, in corpore *1.Pet.2.d*

Phil. 2. a (margin, beside "qui formã ſerui accipiens")

ſuo ſuper lignū : Chriſtus propterea quòd a nemine Apo-
Iſa.63.a ſtolorum lauari voluit, inſinuare videtur quòd torcular calcauit ſolus ; omnes enim relicto eo fugerunt.

TERTIA PARS.

Ioā.13.b VIDISTIS fratres quæ Dominus fecerit : beati eritis ſi & vos eadem faciatis : nam quæ virtutem agnitam minime ad rem confert beatus eſſe non valet, at vero difficile eſt conſentaneam ſcientiæ vitam præſtare : quam *Eph.3.c* ob rem flectenda, quod Apoſtolus ait, ſunt genua ad Deū & patrem Domini noſtri Ieſu Chiſti : vt in charitate radicati & fundati, poſsimus comprehendere longitudinē, latitudinem, ſublimitatem, & profundum : ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti : intelligere quidem longitudinem charitatis Chriſti, qua videlicet vſque in finem nos dilexit : latitudinē, quæ vſque ad traditionem quoque protenditur : ſublimitatem, qua ſupremi ſacramenti altiſsimum donum largitus eſt : profundum, quo vel ad pedes noſtros ſeſe humiliauit, facile dubio procul eſt (verum enim vero id quotidianis precibus habemus) orare, vt hæc poſsimus comprehendere, manu videlicet & opere : tunc profecto ſciemus ſupereminētem ſcientiæ charitatem Chriſti; nam qui Domini dilectionem rebus ipſis affirmat, is vere ſapit, Si ergo vt monet *Eph.4.g* Apoſtolus benigni ſimus, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit nobis, tunc Chriſti charitatem apprehendimus, tunc vt notat Cyprianus lauamus viciſsim pedes, cum faciemus, quod debemus. Et vos, inquit, debetis alterius lauare pedes, debetis, inquam ſi non hominibus, at mihi : exemplū enim dedi vobis &c. quod ſi iure merito Deus exigit imitationem ab eis, quos *Eph.5.a* ad ſuam ſimilitudinem creauit : Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſsimi ; & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, &c. Iam vero ſi humiles in fratres ſumus, atque benefici Chriſti imaginem exprimentes : *Phil.3.d* Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum cor- *Heb.1.a* pori claritatis ſuæ, qui ſplendor eſt gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris, quam mihi & vobis præſtet in cælo. Amen.

SER-

SERMO I.

DOMINICAE RESVRRECTIONIS CHRISTI.

De ſole Chriſto.

THEMA.

Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Eccls. 1.

Vel iuxta thema Euangelicum.

Veniunt ad monumentum, orto iam ſole, ſcilicet ab ipſo monumento. Mar. 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVANDO aliquis effectus eſt in pura dependentia a ſua cauſa, quodcũque damnum vel commodum quod cauſa recipit, neceſſe eſt & effectũ recipere. Exemplum eſt in pomis, quæ dum immatura pendent ab arbore ſua, pluuiam & quodcumque aliud beneficium ſi arbor accipiat, illico poma ſentiunt exhibitam pietatem: quia creſcunt & ad maturitatem properant. Clarius exemplũ eſt in ſole & luna, quoniam ſi ſol ſplendeat, luna quæ in illuminando depédet ab eo, ſtatim lucet, ſi autem ſol eclypſatur, ſtatim oſtédit luna damnum illatum, & ipſa eclypſim patitur. Vnde minime in ſacris litteris inuenitur ſolis malum, quin & luna illud experiatur: quoniam in ſuo lumine á ſole dependet. Iam ergo ſol iuſtitiæ Chriſtus eſt, quia iuſtis lucet: luna eſt beata Virgo nocti huius ſæculi data. Quãdo ſol

Exẽplum.

Maria ſicut triſtitiæ ſic & gloriæ Chriſti cõſors.

Apo.6.d

ſol Chriſtus factus eſt niger ſicut ſaccus cilicinus, & dicebat: Cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Cum tortores ita graues mihi eſſent & infeſti, vt pœnæ ſcoriarent me, tunc ita nigra, ita lacerata, ſic diſrupta ac diuulſa erat caro mea, quòd non iam vt antea, ſed cilicina iudicari valeret nigredine atque cuſpide plena. Tunc fratres mei qualem vos contemplamini Mariam? qualem putatis fuiſſe lunam noſtram? ſane quidem, referente Ioanne, quòd luna verſa eſt in ſanguinē, non alium ſed filij ſui, non alterius quàm Chriſti, non ſolum verſa eſt in tenebras, quæ contingerunt Chriſto moriente, ſed in ſanguinem ipſius, quo balneatur & cor & corpus eius. Sed quando refulſit ſol, qui prius erat in nubilo paſsionis: tunc ſane impletum eſt illud Iſaiæ: Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Vulnus populi Dei, quo ipſe Deus & mater eius percuſſa eſt, paſſio equidem extitit, qua ſol ipſe percutitur: ita vt eclipſim mortis patiatur. Dies qua hoc vulnus alligatur, dies reſurrectionis fuit: tunc lux ſolis fuit ſeptempliciter, quia omnibus ſeptem beatitudinis partibus ſurrexit Chriſtus plenarie, quæ ſunt viſio, tentio, fruitio, agilitas, impaſsibilitas, claritas, ſubtilitas. Aliquibus carebat Chriſtus ante paſsionem, nulli caruit poſt reſurrectionem. Dum lux ſolis dicitur eſſe ſeptem dierum, vniuerſalis ſignificatur: quoniam a Chriſto ſole gloriæ tota gloria deriuatur, ſicut claritas a ſole, in quo eſt totum lumen. Iam ergo etſi ad ſtellas, videlicet apoſtolos, ſol noſter radios lætitiæ ſuæ extenderit, de luna quid cupis audire, niſi quòd erit lux lunæ ſicut lux ſolis? fuit ne aliquod gaudium in Chriſto, quo non lætificaretur & mater? negaret ne ei aliquam reſurrectionis lætitiam, cui totam dedit paſsionis triſtitiam? abſit: quoniam fuit lux lunæ ſicut lux ſolis. Contemplamini gloriam Chriſti, quoniam talis fuit gloria Mariæ, quæ tota ſe immerſit reſurrectioni, ſicut & paſsioni: vnde maiorem gloriam dabit dicentibus. Aue Maria.

Pſ.34.b *Apo.6.d* *Iſa.30.f*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

AB ipſo naturæ auctore inditum eſt cuilibet creaturę, vt Deum agat, ipſum præ ſe ferens: vnde lucifer dicitur principium viarum Dei, id eſt; primus creaturarum, quæ dicuntur viæ ad Creatorem: quoniam ad ipſum excitant indaginæ intellectus noſtri, quælibet pro captu ſuo: vnde quemadmodū voce in eremo audita, fertur audientis intentio in prolatorem abſentem, ſic viſa quauis creatura, debet mens in Deum aſſurgere: quoniam per eas in Deum tendimus, & per meliorē creaturam ac potiorem magis: ita vt a magnitudine creaturę poſsit Creator agnoſci, qui amplius & perfectius refertur, & monſtratur in ſole quotidie nos illuminante, ex eo quòd ſol omnium viſibilium inferiorum dicitur pater & nutritor. Vnde quia Deus repreſentatur nimis in ſole, dicitur quòd in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ac Dionyſius ait: Diuinæ bonitatis manifeſta imago eſt totus iſte lucens, & ſemper ſplendens ſol. Sol ergo quamuis multipliciter Deum præ ſe ferat: præſertim eum agit in ſuo pleno giro, dum ſcilicet ad locum ſuum reuertitur poſt ortum & occaſum quotidianum. Locus autem ſolis dicitur ſignum arietis, ex eo quòd ibidem creatus ſit, ad quē peracto anno reuertitur: cū enim ſint duodecim ſigna, & in quolibet triginta maneat dies: poſt duodecim menſes ad priſtinū redit locum. Et poſt mundi conſummationem, ibi dicitur immobilis permanſurus, iuxta id: Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Quamuis ergo hæc ſtatio futura non ſit, vt ait Scotus, articulus fidei, tenetur tamen communiter a ſanctis. Et ergo noſter ſol iuſtitiæ, ſic iam conſummato ſiue conſumpto mundo ac relicto, ſtabit fixus in dextera ſiue pectore patris, a quo primitus habuit ortum. Nec enim nunc fixus permanet ibi, quoniam ipſe dixit: Vado & venio ad vos, vt ſcilicet, eleuari poſsint animæ veſtræ ad me. Tamen finito omnino Chriſti opere, cum dixerit: Venite benedicti, quietus pleniſsime ſedebit, & non antea: quoniam ex quo exiuit a patre, & venit in mundum habet quid faciat. Quod vt plenius videatis, de pleniſsimo ambitu ſolis iuſtitiæ, qui hodie oritur a ſepulchro, agen-

Iob 40. b *Sap. 13. a* *Pſ. 18. a* *Dion. de diui. nom. c. 4. multo poſt princ.* *Abac. 3. c* *Ioā. 14. d* *Matt. 25. d*

Diuiſio. agendum eſt, tangendo ſingula ſigna eius: & in ſigno leonis contemplabimur eum diffuſius.

Aries, id eſt mitis dux. Iam ergo primum ſignum dicitur aries, non quòd in cælo aut apud ſuperos ſint animalia, nec terrena corpora, ſed velut quadam arte memorandi ſignorum proprietates animalibus aptant aſtrologi, vt ſic facilius cæleſtia capiãtur. In ſigno ergo arietis filius Dei ſtetit, quando parentes noſtros creauit, nullam eis feritatem oſtendens, verum nimiam mititatem, quin & eſſe voluit inſtar mitis arietis dux eorum: nam aries dux eſt gregis. Vnde integram ſcientiam eis negauit, quatenus in omni euentu, eius captarent conſilium, eiusq. inſtitutum & monita ſequerentur. Dum erat filius Dei apud iſtud ſignum, dicebatur de ipſo illud Sapientis: Aries eſt, & non eſt rex qui reſiſtat ei.

Interpretatio alia iſtorum ſignorũ habetur ſup. pag. 80

Prou. 30. d

Taurus, id eſt ferox. Ex hoc priori ſigno poſt gregis ſuæ peccatum, tranſijt ſol noſter in ſignum tauri, quando eis factus eſt ferox, & fremens, ait: Adam, Adam, vbi es? Ille hanc vocem ferre non ſuſtinens, præ timore abſcondit ſe, tamen extractus & requiſitus, ait: Domine audiui vocem tuam, & timui. Nec tamen pepercit Deus: verum feriens fortiter, promulgatamq. ſententiam confirmans, ventilauit eos, & a paradiſo expulit. Manſit autem in hoc ſigno Deus per totam legem naturæ & ſcripturæ, quando non pepercit, ſed manu valida aduerſatus eſt eis, æqua lance iuſtitiam librans. Tamen, vt ait beatus Iſidorus, natura tauri talis eſt, quòd quantumcumque ſit ferox, ſi ficui alligetur, manſueſcit, quod quidem euenit filio Dei: quando enim alligatus eſt Mariæ dulciſsimæ nodo ſtricto filiationis, manſuetus euaſit, & ei ſe manſuetum obtulit, iuxta illud: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuetus. De hac ficu dicitur: Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius, id eſt manſuetudinem Dei.

Gen. 3. b

Matt 21. a

Prou. 27. c

Gemini, id eſt natura duplex. Ex hoc ſigno tranſiuit Deus in ſignum geminorum per incarnationem, quando in ſe Deus duas naturas miro modo copulauit, idcirco de Maria vera Rebecca dicitur: Ecce gemini in vtero eius reperti ſunt, ſed non prœliantes niſi ſit prœlium dolorum, quos Deus influebat in animã Chriſti ob peccata noſtra. Et maior, id eſt Deus, inſeruiuit minori, id eſt homini, qui veſtibus maioris valde bonis ho-

Gen. 25. d

nis honorifice veſtitur, indutus lumine deitatis ſicut veſtimento. Depingitur hoc ſignum in forma duorum puerorum ſe inuicem amplectentium, & vt narrat Holcoth in librum Sapientiæ: fabulatur antiquitas quòd illi fuerunt Caſtor & Pollux filij Iouis, ſe intantum diligentes, quòd cum Caſtor haberet a patre immortalitatem, id eſt poſſe non mori, ſi voluiſſet, tandem mori voluit pro fratre, vt ambo fierent immortales: ſic Deus filius ſuo modo pro homine videtur feciſſe.

De hoc ſigno tranſijt in cancrum, qui eſt animal piſcis paſſu retrogrado vadens, & ſic Dominus Ieſus retroceſsit, dum dixit: Rectus equidem inceſſus iuſti hominis debet eſſe de virtute ad honorem, qui eſt præmium eius, de merito ad præmium, de labore ad requiem: Chriſtus autem ob nos retroceſsit, ſcilicet de virtute ad vituperium, de vituperio ad verbera, de verberibus ad crucem, de cruce ad mortem, de morte deſcendit ad inferos, ideoq. dixi propter nos retroceſsiſſe: in hoc ergo ſigno cancri extitit Dominus per totam vitam ſuam, quapropter aduertite, quòd ſicut ſole in cancro exiſtente, maximus feruor mundo infunditur, ita Chriſtus prædicto tempore maximam charitatem exhibuit hominibus: nam ideo dixit: Ignem veni mittere in terram: quid volo, niſi vt ardeat?

Cancer, id eſt retroceſſio.
Iſa. 26. b
Luc. 12. f

Ex hoc ſigno tranſiuit in leonem, qui eſt quintum ſignum. Catulus leonis, vt ait Iſidorus, tribus diebus iacet ſemimortuus, & patris rugitu ſuſcitatur: ſic Dominus Ieſus hodie, qui rugitu patris, id eſt terræmotu facto ſuſcitatur a mortuis. Qui nec ſolum dicitur catulus leonis, ſed etiam dicitur leo, & leæna: idcirco in hoc ſigno moroſius eſt agendum: ne tamen per varia nos errare contingat, aut vagari, ſolum adducam in præſentiarum vnum Scripturæ locum, vbi patriarcha Iacob loquens filio ſuo Iudæ, quem leoni comparat, ſic ait: Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tuæ, &c. Catulus leonis Iuda: ad prædam filij mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Hæc ibi. Nunc autem videre oportet quis ſit Iudas iſte tam ſublimis, quòd ei curuetur omne genu fratrum ſuorum, cui etiam adorationem tribuat Ruben, quāuis dictus ſit prior in donis, maior in imperio. Iudas interpretatur laudatio, & eſt ille cui Dauid ait:

Leo, id eſt reſurrectio.
Iſid. lib. 12. Orig. cap. 2. in princ.
Gen. 49. b

Deus,

Pſ.21.a Deus, Deus meus reſpice in me: & ſubdit: Tu autem in ſancto habitas, Laus Iſrael. Pſalmus iſte pro reſurrectione conditus eſt, ideoq. petit Dauid, vt Deus a mortuis ſuſcitatus, reſpiciat eum a ſomno mortis euigilans, ideoq. bis dixit: Deus, Deus meus, vbi voluit innuere, quàm ſoporatus a ſomno mortis fuit filius Dei: & vt oſtendat locum vbi Chriſti anima tunc temporis erat, ſubiunxit: Tu autem in ſancto, ſcilicet cœtu ſanctorum limbi, habitas, Laus Iſrael, laus omnium videntium te: nam Iſrael interpretatur videns Deum, ideoq. incœpit: Deus, Deus meus reſpice in me: vt ex vtraque parte viſio cauſetur, tu me, & ego te videam, & tunc erit integra viſio, integra laus: nam qui parum videt, parum laudat, & qui non videtur, non laudatur a Deo. Prouenit ergo laus a *1.Cor.4.a* Deo viſo & a vidente eum: quia tunc erit vnicuique laus *Pſ.146.a* a Deo: atque Deo noſtro erit decora, iucundaq. laudatio. Ecce duplex laudatio, ſcilicet diuina, & humana adinuicem obuians, quæ quidem eſt in Chriſto Deo & homine, qui propterea Iudas vocari debet, cui additur: Te laudabunt fratres tui. Ecce quo modo adijciam ſuper *Pſ.144.b* omnem laudem tuam Chriſte: quoniam laudationem Domini loquetur os meum, quando te cœperit laudare. Nec ſolum fratres Chriſti, ſcilicet homines, laudabunt eum, ſed etiam angeli, de quibus additur: Adorabunt te filij patris tui. Fratres Chriſti ſunt homines propter eius matrem temporalem, & filij patris ſui ſunt angeli propter eius parentem naturalem. Iſti laudant reſurgentem: illi adorant. Plus eſt adorare quàm laudare: quia de Chriſti reſurrectione plus nouerunt angeli quàm homines. Longum eſſet nunc laudationem & adorationem Chriſti narrare. Euntes in Emaus laudabant eum dicentes: Ieſus *Luc.24.c* nazarenus fuit vir propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo: hi poſtquam regreſsi ſunt in Ieruſalem, inuenerunt alios congregatos ad enarrandum Chriſti laudem, virtutem, & gloriam: angelorum adorationem non valeo exprimere: nec mulieres, quamuis viſionem angelorum viderunt, poterunt dicere, niſi quòd citius eis venerunt ad Chriſtum adorandum, de *Mar.16 b* quo mane diluculo dixerunt eis: Nolite timere, ſed amare, Ieſum quæritis nazarenum: ſurrexit. Non eſt hic: præcedet

Chriſtus poteſt vocari Iudas.

cedet vos in Galileam, ideſt in tranſmigrationem gloriæ reſurrectionis: vbi ſcilicet nos vidimus iam & adorauimus eum. Laudatur ergo Chriſtus ab hominibus & ſanctis omnibus, quia homo: adoratur ab angelis, quia Deus. Hic dicitur laudatio in abſtracto propter diuinitatem, & dicitur laus in concreto propter humanitatem: ob alterum Dauid edidit pſalterium: ob alterum vero Salomon cecinit cantica canticorum.

Vidimus huius ducis magnificam laudem, nunc videamus laudis rationem, de qua ſubiungitur in aſſumpta parabola: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum. Manu armata viget dux iſte ſuper duritiam inimicorum viſibilium & inuiſibilium. Quo ad inuiſibiles inimicos dicitur de manibus noſtri leonis de tribu Iuda: Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors. Et quæ apparent videntes, dicunt quòd Chriſtus habet manus cruci affixas, ſed propheta dixit, quòd manibus Chriſti erant cornua crucis affixa. Cornua inquit in manibus eius. Nam poteſtatem habet ponendi animam ſuam in cruce, & iterum ſumendi eam. Plus ergo tenet Chriſtus crucem, quàm teneatur a cruce. Dum ergo ibi erant manus eius, ceruices duras dæmonum edomabant. Nam ideo ſequitur: Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ſcilicet ſecrete vincens principē mundi huius, quoniā ante faciem Chriſti ibat mors fugam capiens. Aſcendit in altum, vt captiuaret diaboli captiuitatē, mortem & auctorē mortis in ſempiternum præcipitans. Hoc ſentiens dæmon iam victus, dixit: Deſcēdat nunc de cruce. Habuit ſe Chriſtus cum dæmone ſicut aliquis viribus pollens, qui ſi caſu viderit patrem ſuum percuti ligno, ſeruat arreptum lignum & data opportunitate, eodem frangit caput contrarij: ſic negotio præſenti eſt. Nam dæmon ligno vetito fregit caput patris Adæ, cuius ictus adhuc ſentiunt filij eius, tamen Chriſtus eodem ligno, quod hucuſque ſeruarat, ſcilicet cruce, quæ hucuſque fuerat vetita, diaboli caput frāgit. Ipſa ſcilicet crux o dæmon conteret caput tuum, de qua iure merito dicitur: Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia, ſcilicet talionis iam dicta. Ex hoc remanſit crux arma diabolum debellantia omnibus conceſſa. Manus ergo tuæ o Chriſte cruce armatæ

Fortitudo Chriſti cruce claret.

Gen.49.b

Abac.3.a

Ioā.10.d

Chriſtus tenet crucem & nō econtra.

Matt.27.e

Chriſtus lege talionis caſtigat dæmonem.

Sap.14.a

armatæ in ceruicibus inimicorum ſuorum ſunt.

Si de viſibilibus inimicis vultis audire, aduertite ceruices eorum: nam ſunt illæ voces, quibus dicebant: Crucifige, crucifige eum: tolle, tolle ad crucem. Super has duras ceruices Pilatum vincentes, fuerunt manus Ieſu non armatæ, ſed vnctæ oleo clementiæ, de quo dicitur: Computreſcet iugum a facie olei. Importabile iugum crucis, ſub quo cecidit, impoſuerant iudæi collo Chriſti, ſed iam per eum ceruices eorum vnctæ erant, vt vellent tollere iugum ab eo, & imponere collo proprio, ideoq. vt ait Lucas: Reuertebantur a Caluario in Ieruſalem percutientes pectora ſua. Et illa die factus eſt planctus magnus: vt fieri ſolet in morte primogeniti. Totũ fluebat a manibus pendentis in cruce, qui etiam ipſo tempore, quo crucifixus eſt: Aſcendẽs in altum dedit dona hominibus, vt pœnitere poſſent. Inuiſibiles hoſtes per vim iuſtitiæ debellauit, viſibiles autem per induſtriam miſericordiæ. Altera manu illos, altera vero iſtos, vt dici valeat ei: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum, etiam in ceruicibus Iudæ fuit manus Chriſti, quæ adduxit eum vſque dũ diceret: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. Et fuit in ceruicibus cuſtodum ſepulchri, vt territi fugerent: Quia exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Et ad litteram fuit in ceruicibus dæmonum, & eos retrocedere fecit: quando per ſomnia terrebant vxorem Pilati, iam ſane nolebant quòd occideretur Chriſtus. Ecce igitur quo modo victores vincunt manus Chriſti: quam ob rem laudandæ ac pariter adorandæ veniunt.

Ioã.19.a *Iſa.10.f* *Luc.23.g* *Eph.4.b* *Gen.49.b* *Matt.27.a* *Matt.28.a*

In reliquis verbis vocatur Chriſtus catulus leonis, & leo, & leæna. Requieſcens accubuit vt leo, quando inclinato capite emiſit ſpiritũ in cruce. Ibi vt leo apertis oculis obdormiuit, quia nil eum latebat etiã clauſis per mortem oculis. Leo ergo dicitur accumbens Chriſtus in cruce propter tituli regiam dignitatem, quæ ſcribitur rex iudæorum: nam leo eſt rex animaliũ. Vbi nota, quòd quando natus eſt prædicatur a regibus rex iudæorum, & quando moritur etiam ab inimicis rex propalatur, non autem inter viuendum, quia dum viueret quæſitus ad regnum fugit. Vbi nota, quòd ſi ea quæ habes, dum viuis, pro Chriſto ſpernis, in morte ea reperies iam meliora effecta: vt

Chriſtus di citur rex omniũ, ſicut leo rex animaliũ.

Chriſtus

Chriſtus qui propterea quòd quæſitus in regem, ſpreuit regnum, maiori gloria inuitis inimicis ſuis rex ſtabilitur triumphali titulo, quem iudaica potentia delere non valuit.

Non autem abs re Chriſtus vocatur catulus, & leæna, & leo: quoniam in Chriſto ſunt tria ob vnionem hypoſtaticam nimis conſona. Corpus eius dicitur catulus, dum exanime fuit, quia tunc mortuum plus indiguit auxilio parentum. Catulus enim indiget patribus ſuis: ſic fere corpus Ieſu emortuum anima ſua indigebat, quæ erat velut mater eius. Et quamuis vnitum eſſet Deo, indigebat leone, id eſt Deo, vt ſcilicet fremitu ſuo, tertia die illud ſuſcitaret. Quod fecit quando terra mota eſt, & quieuit mors. Nam terræmotus tempore reſurrectionis fuit velut fremitus leonis ad catuli corpus ſuſcitandum. Leæna dicitur anima Chriſti: nam ſicut leo fremit ad excitandum catulum, ſic & leæna. Vbi aduerte quòd quamuis reſurrectio deitati aſcribatur, cuius potentia facta eſt, etiã animæ Chriſti fuit ſatis poſsibile, ipſo dicente: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum, ſcilicet per reſurrectionem, ſumendi eam. Hoc etiam ad Chriſti humanitatem pertinet. Corpus ergo Chriſti dicitur catulus, anima leæna, deitas leo. Et in eo quod quæritur, ſcilicet, quis ſuſcitabit eum? Innuitur quòd aliena virtute non indiget ad reſurgendum. Quoniam quemadmodũ quando voluit, occubuit: ſic quando voluit, reſurrexit.

Chriſtus eſt catulus, leæna, & leo.

Matt. 27. f

Ioã. 10. e

Gen. 49. b

Nunc aliud non ſupereſt, niſi vt exponamus illud, quod ſequitur, ſcilicet ad prædam aſcendiſti fili mi, Impropria videtur iſta prophetæ locutio: nam communiter via belli non aſcenſus, ſed deſcenſus vocatur in Scripturis ſacris, ac etiam miles ab equo deſcendit aliquando, & ſi pedeſter eſt, genuflectit ſuper pectora deiecti, vt eum ſpoliet. Sed patriarcha non ad bellum, ſed ad rem locutus eſt, Chriſtum contemplans crucem voluntarie aſcendentem. Attamen forte dicet quiſpiam, quòd ibi non aſcendit ad prædam, immo vt ipſe præda fieret. Nam Chriſtus affixus cruci, eſt homo deſcendens a quiete Ieruſalem in Ierico, in defectus etiam mortis: vbi defecit in dolore vita eius, & anni ſui in gemitibus. Cecidit in latrones, quando inter eos crucifixus eſt, ſpoliauerunt eum a fama ſua, ita vt di-

Luc. 10. f

Pſ. 30. b

Iſa.53.d vt dicatur: Inter iniquos reputatus eſt, ſcilicet quaſi vnus ex illis. Et plagis impoſitis, ſcilicet vulnerum & lingua-
Mar.15.c rum: nam etiam qui crucifixi erant cum eo conuitiabantur ei. Tamen abierunt ſemiuiuo relicto, quia corpore mortuo animam non poſſunt occidere. Nam etſi humanitate moriatur, diuinitate viuit. Spoliauerunt eum ab amicis & veſtibus, & etiam animam a pellibus, & oſſa a carnibus quibus optime veſtitus erat. Nec ſolum pallium eius tulerunt cuſtodes murorum, ſed vitam & calicem aquæ frigidæ. Quo modo igitur dicitur tibi Domine Ieſu, quod ad prædam aſcendiſti, cum ibi datus in prædam ſis? Omnes creaturæ ſunt in cruce depredantes te. Claui depredantur greſſus tuos, claui depredan-
Ioan.9.a tur opera tua: Quia venit nox mortis, quando non poteris operari ſanitatem infirmorum, vtens eis. Corona ſpinea depredatur cerebrum tuum, capillos, ſanguinem & vitam. Lancea depredatur cor tuum & ſpongia mirrhata dulcedinem tuam. Quid plura? His non obſtantibus propheta deſcripſit leonis conſuetudinem, qui tempore prædæ montem ſolet aſcendere: vt exinde ſpeculetur prædam ſuam, & propterea dixit: Ad prædam aſcendiſti fili mi: O quantum aſcendit Chriſtus tempore crucis ſuæ. In qua quia ſpoliatus eſt, ſpoliat nos: & quia victus eſt, vincit nos. Nam propterea dixit Apoſtolus:
2.Cor.5.c Chriſtus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Sua morte meruit vt moriamur cum eo, quoniam lex amoris talionem expoſtulat. Sed videamus quantum aſcendit, & ſtatim videbimus quo modo prædam cœpit. Illud ad quod credentium maior requiritur fides, magis aſcendit, magiſq. nos facit aſcendere, quia per fidem anima in Deum aſcendit. Tanta fides requirebatur ad credendum Dei aſcenſum in crucem, tam alteq. aſcendit, quod
1.Cor.2.b Iudæi a viſu fidei eum perdiderunt: quoniam ſi Dominum gloriæ cognouiſſent vtique non crucifixiſſent. Et dæmones quoque, qui credere ſolebant & contremiſcere, Chriſtum perdiderunt a viſu. Apoſtoli etiam cum
Matt.26.g Petro dicunt: Non noui hominem iſtum, quem dicitis. Quin & ipſa Dei genitrix Maria vix cognoſcit eum:
Iſa.53.a quia cum non eſſet ei ſpecies neque decor: non reputauit eum inter iniquos, donec audiuit vocem eius dicentem:

tem: Pater ignoſce illis. Tunc in voce cognouit illico filium ſuum, quem genuerat: & vt notat Bonauentura, hac de cauſa iunxit ſe cruci, ne iterum dubitaret quis crucifixorũ eſſet filius eius. Nec mirum quòd mater ignoret filium, quia ouis non agnoſcit agnum ſuũ, dum videt eum tonſum, donec emittit balatum, & ſic Maria Chriſtum cernens etiã ſcoriatum minime cognoſcebat: nouit tamen eum in voce clamantẽ, dum pro inimicis eum orantẽ audiuit, ex quo ſtetit iuxta crucem. Nec pater æternus vidit eum, id eſt non audiuit, quia per Iob Chriſtus conqueritur, dicens patri: Sto, & non reſpicis me: clamo, & non audis me. Et mater Maria de filio ſuo dicit ad patrem: Auertiſti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello. Igitur multum aſcendit, qui propter ſuum aſcenſum perditur ab oculis amicorum ſuorum. *Luc.23.e* *Iob 30.d* *Pſ.88.f*

Tamen aſcendit ad prædam, quoniam ex cruce deprædatus eſt primo cælum. Secundo terram. Tertio limbum. Quarto amorem noſtrum. De primo ſatis liquet: quoniam ipſe Chriſtus dixit, quòd vim patitur regnum cælorum. Nemo autẽ maiorem vim intulit ei quàm Dominus Ieſus violẽtiſsimus: Ideoq. tanquam iuſto bello adeptũ, diſtribuit ſedilia regni, & ſpolia eius ſuis aſsignauit, etiã latroni compatienti ſibi: Cælumq. violenter aperuit, illudq. triumpho in æternum poſsidebit. Quin & ſi rex cæli vim pati poſſet, ei etiam ingereret eam Chriſtus, atque fecit quando iuſtitiam ſuã oſtendens, dixit: Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Quin & ſolem Chriſtus deprædatus eſt, quando ei abſtulit lumen. Nec enim decebat, vt ſole iuſtitiæ occumbẽte, luceret ſolis lumen. Secũdo Chriſtus ex cruce deprædatus eſt terram: eius caput deprædatum eſt ſuperbiam impiorum: eius oculi petulantiam effeminatorum: eius os multiloquium ranarum noſtrarum loquentium iniqua: eius acetum noſtram ebrietatem: eius fel noſtram omnino crapulam: eius nuditas auaritiam rapacium: eius extenſio noſtram duritiam: eius flagella noſtram luxuriam: eius claui noſtram pigritiam: eius conſtantia noſtram vanitatem: eius laterale vulnus noſtrã inuidiam & rancorem. Nec enim eſt peccator qui non ſe videat exemplo Chriſti ſui a vitijs ſufficienter ſpoliatum, ſi eum intuitus fuerit: nam propterea dicitur: *Chriſtus in cruce omnia deprædatus eſt.* *Pſ.21.a* *Chriſtus in cruce mundũ ſpoliat.*

Gal.5.d Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, ſcilicet exemplo Chriſti, qui bonam prædam vult facere, dum demit a nobis vitia noſtra ſuo damnanda exemplo, & punienda in cruce ſua: quoniam ipſe *Ioã.16.d* dixit: Ego vici mundum, non alibi melius quàm in cruce, vbi ſapiẽtia incarnata vicit malitiam noſtram carnalem, & ſubiecit eam: niſi addamus ei peccare adhuc, renitentes, & in vetitum conantes.

Tertio, ex cruce Chriſtus deprædatus eſt limbum: quo-*Pſ.67.c* niam Pſalmographus ait Chriſto: Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Voluntarie aſcendit in altum crucis gratia prædandi: nam propterea ſequitur: Cepiſti captiuitatem, ſcilicet limbi & Limbi deprædatio. ſequitur: Accepiſti dona in hominibus intranſitiue, id eſt donati ſunt tibi patres limbi, eos tibi datos, voluntariosq. accepiſti tibi. Reges currum aſcendunt vt decentius vincant, & ſic Dominus Ieſus antequam limbum deprædaretur, aſcendit crucem, ideoq; ante prædictũ verſum præmittitur: Currus Dei multiplex &c. De hoc etiam crucis *Gen.46.d* curru, quem Chriſtus aſcẽdit, perhibetur: Iuncto Ioſeph curru ſuo, aſcendit obuiam patri ad Geſſen, quod interpretatur inſulæ holocauſtum; & eſt patriarcharum deſiderium, inter quos primus erat Adam, & obuiam ei aſcendit Chriſtus, quando ſubijt crucẽ, quam alter merebatur. Chriſtus ergo iuncto ſibi curru, id eſt amplexatã cruce, aſcendit in inſulam limbi, vt eam deprædaretur, irruens ſuper infernum. Sed quia dicitur nuncium veniſſe ad Ioſeph, aduerte quòd ex parte illius inſulæ miſſus nuncius ad Chriſtum fuit oratio ſanctorum patrum, quæ ponitur in pſalmo trigeſimoquarto: Nec mirum, quia viri Iabes nuncium pariter miſerant ad regem Saulem, qui eum deprecaretur, vt deſcenderet ad ſuos protegendos. Nuncius *Pſ.34.a* ergo auxilium implorãs, ſic loquitur: Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Effunde, inquit, frameam, vt dæmones in inferno inferiori concludas. Quando enſis extrahitur a vagina, effunditur framea: Enſis erat anima Chriſti in vagina corporis exiſtens, effudit illam Chriſtus

quando

quando emiſit ſpiritum. Tunc licebit contemplari perſonam Verbi velut militem ſtrenuum, qui in altera manu enſem tenet, altera autem vaginam, & vtrumque ſibi vnitum. Sic perſona Verbi etiam Chriſto mortuo animam & corpus tenebat ſibi vnita, & cum enſe iam euaginato, id eſt anima nudata corpore, adiuit limbum, vt dæmones concluderet in inferni nouiſsima, donec limbum depredaretur. Nec mirum quòd eos abigeret: Quia omnis violenta prædatio cum tumultu: & limbus patitur vim Chriſti, quam etiam dæmones ſunt experti, & ſicut territi ſunt dæmones, ſic læti fiunt ſancti patres. Nam quando dicitur Chriſto: Spolia detrahe, feſtina prædari, ſtatim ſequitur: Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Merita Chriſti tunc temporis meſſuerunt ſancti patres, & in eius victoria victores euadunt, dæmonumq. ſpolia diuiſerunt ſibi, videlicet ſedilia cæli, quæ ablata ſunt ab angelis malis, & data ſanctis patribus: nam forti armato ſuum atrium limbi cuſtodiente pacifice, fortior Chriſtus de cruce ſuperueniens, alligauit fortem ſatanam diebus mille, & vaſa, ideſt animas ſanctorum, vaſa honoris & gratiarum accepit, & ſpolia ſedilium cæli deſtribuere cæpit, indiesq. diſtribuere non ceſſat.

Chriſt' gladio euaginato cõſtregit inferos. *Iſa. 9. a* *Iſa. 8. a* *Iſa. 9. a*

Vltimo Chriſtus aſcendit in crucem, vt animam noſtram depredaretur per amorem: Quia fortis eſt, vt mors eius dilectio, id eſt, mori nos facit pro illo: nec mirum, quia ille mortuus eſt pro nobis. Qui pro Chriſto mori ambigit, vim dilectionis eius ignorat. Mala donatus eſt libertate, qui per amorem non eſt vinctus in Domino vt Paulus, qui etiam dixit: Charitas Chriſti vrget nos. Tantum vrget quòd nos depredatur, amorem noſtrum omnimode facit obnoxium ſibi: quoniam amor damnatur amore maxime Chriſti, qui violenta charitate, vt ait Richardus, deuinxit ſibi animas noſtras. Igitur o anima mea reſpice in faciem Chriſti tui crucifixi, & ipſa prædaberis, & fies ei ſponte captiua. O Domine Ieſu ſponſe meus, nunc es in thalamo tuo, quo perfeciſti matrimonium noſtrum, dicens: Conſummatum eſt. Nudaſti te tunica tua, vt anima mea nudetur tecum, veterem hominem exuens cum actibus ſuis, & nos ambos charitas ſola tegat. Totus eſt

Cant. 8. b *2. Cor. 5. c* *Pſ. 83. b* *Ioã. 19. f* *Coloſ. 3. b*

aptus amori, & ad noſtram dilectionem diſpoſitus: inclinatam habes aurem ad me audiendum, os ad me oſculandum, caput ad me vocandum, & verſus laterale vulnus, quoniam ad illud vocas animam meam non habentem proprium cor niſi cor tuum, ideoq. videris dicere: Redite præuaricatores ad cor meum, & eritis amatores: Brachia extẽta ſunt tua, vt me amplexeris, corpus nudum, vt fruar cupitis amplexibus tuis: manus apertæ ad me tuis ditandum: latus apertum, vt ſit nobis cor vnum & anima vna: pedes affixi, vt numquam ſepareris a nobis. Tua igitur, quam in cruce habes, amoris forma nos informat, & docet quòd ad cor noſtrum depredandum aſcenderis, vt & nos tecum pariter aſcendamus. Amen.

Iſa. 46. e

Nota pro exaltatione S. Crucis.

Hæc valent pro exaltatione crucis: nam Chriſtus crucem aſcendit, vt eam exaltaret, & vt nos exaltemur in ea.

Virgo, id eſt mater Dei Maria.

Sequens ſignum dicitur virgo: in quod poſt leonem reſurgens tranſiuit Chriſtus, quoniam a reſurrectione vſque ad aſcenſionem totum Eccleſiæ negotium abſente Chriſto datũ eſt in manus Mariæ, quę, vt ait Chryſoſtomus, ſtans iuxta crucem magis expectabat mundi redemptionem, quàm mortem filij: vnde Chriſtus ad eam redijt ſpoliato inferno: de quo dici valet id Eſdræ: Accipit homo gladium ſuum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili ſuæ affert. Hæc de amaſio dici non poſſunt, quia nec leonem videt, nec tenebras intrat, ſi præ oculis haberet leonem luciferum quærentem quem deuoret, & per conſiderationem intraret inferni tenebras, proculdubio recederet ab aliena, & a quacumque muliere compta. Chriſtus autẽ amator Mariæ, & omnium animarum hæc omnia fecit pro eis. Hic eſt homo, qui accepit gladium crucis, qui ſuus dicitur, quoniam ad ſuum honorem vſus fuit cruce. Et vadit in viam (ſcilicet mortis, quæ dicitur via vniuerſæ carnis) facere furta, ſcilicet a diabolo, quia dies Domini tamquam fur, de nocte ſcilicet paſsionis, ita veniet ad limbum. Homicidia etiam fecit Chriſtus permiſsiue, quando fuit, teſte Simeone, in ruinam multorum. Mare nauigat paſsionis, & flumina dolorum. Leonem ſcilicet aduerſarium in horto contra eum rugientem vidit, & tene-

Ante reformationẽ habebatur 3. Eſdra 4. c.

Luc. 2. e

& tenebras limbi eſt ingreſſus, vbi Dei viſio non erat. Cum ergo fraudes diabolo fecerit formato ad illudendum ei, rapuit ab eo ſpolia patrum ſanctorum. Hanc ergo quam captiuam duxit captiuitatem, Mariæ amabili ſuæ tulit: immo & ipſi patriarchæ Chriſtum afferunt Virgini, quaſi ei gratias referentes: quod optime figuratur in libro Regum, vbi dicitur, quòd arca Dei, id eſt, Chriſti anima, ducta eſt per cantores Dauid, ſcilicet ſanctos patres, in plauſtro nouo corporis glorificati, a domo Obededon gethæi, id eſt a limbo expectante ſanguinē Chriſti, ad templum, id eſt ad Mariam in pacifica Ieruſalem. *2.Reg. 6. b*

Ex hoc ſigno tranſiuit in libram, quando cælum aſcendit, vt coram patre ſuæ paſsionis meritum contra noſtra peccata ſolicitus appenderet, vt impleat petitionem iuſti dicentis: Appendantur in ſtatera peccata mea, quibus iram merui: hic pondera qualiter Chriſtus ſanguinem addit, quando tu addis peccatum peccato, nec facile ſoluitur, quod tu quaſi ludens, & ridens operaris ſcelus. Libera, id eſt ſatisfactio. *Iob 6. a*

Ex hoc ſigno tranſit in ſcorpionē, quando corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, tyrannorum & hæreticorum, quaſi aculeis lacerari permiſit. Vnde merito dicit ei: Sed ſubuerſores tecum ſunt, id eſt tyranni imperatores, qui eam eradicare voluerunt, & cū ſcorpionibus habitas, quia ex noſtris exierunt, qui non erāt ex noſtris, ſcilicet hæretici. Scorpio, id eſt perſecutio. *Eze. 2. b*

Ex hoc tranſiuit in ſagittarium, fuerunt enim a tempore Silueſtri papæ, & Conſtantini imperatoris, qui Eccleſiæ temporalia dicitur primo dediſſe, iudicia, & contentiones inter clerum, quis eorū diceretur eſſe maior ad paſcendum oues Chriſti. Et hinc eſt, quòd ſemper ſagittæ acutę peruolant litis & cōtumeliæ inter ipſos. Vnde ſapiens ait: Iaculum, & ſagitta, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimoniū: nam vt tibi detur dignitas, alijs detrahis. Vnde ab iſtis vulneratur Chriſtus, iuxta illud: Conſecuti ſunt ei viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer a ſagittarijs. Inhabilium prouiſio, & promotio probat hoc. Sagittarius, id eſt cauſidicus. *Prou. 25. c* *1. Reg. 31 a*

Ex hoc tranſiet in capricornium, qui habet primā partem caprinam. Tunc ſol multum eſt elongatus a nobis, quia in primo puncto capricornij eſt ſolſtitium hiemale, ideo iſtud figurat tempus antichriſti, qui caprinus dici poteſt, quia fœdus & luxurius erit, hœdosq. pro ſiniſtra Capricornius, id eſt luxurię deditus.

Dan.11.f iudicis generabit: de quo Daniel ait: Et erit in concupiſcentijs feminarum.

Aquarius id eſt mundator. Tunc ſol iuſtitiæ elongatus a nobis trãſiet in aquarium, vbi depingitur imago hominis tenentis vrnam ſubuerſam: quia tunc copioſam aquam miſericordiæ pluet Deus, *Eze.36.e* iuxta id: Effundam ſuper vos aquam mundam: & mundabimini, ſcilicet, ab immunditijs antichriſti.

Piſcis, id eſt inquiſitor. Vltimo erit in ſigno piſcis: nam quando ſol huc venit, deſinit hiems, & adeſt ver, & radices ac ſemina, quæ diu latuerant in terra, apparent, & ſignat tempus reſurrectionis. Tunc ſol iuſtitiæ erit in piſcibus, quando cum ſuis piſcatoribus ad iudicium veniet: quia tunc temporis im-*Matt.13.f* plebitur parabola de qua dicitur: Simile eſt regnũ cælorũ ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium, &c. *Abac.1.a* Vſque foras miſerunt. Et Abacuch dicit: Facies homines ſicut piſces maris. Congregabo eos in ſagena mea, &c. Facies Chriſti dicitur ſicut piſcis maris, quia perambulabit ſemitas maris mortis noſtræ, quando in hoc mundo nullum piſcem, id eſt, hominem relinquet, quin ad ſe trahat iudicandum per omnes ſemitas vitæ actæ. Sol iuſtitiæ optimos trahet ad ſe, vt ad locum ſuum, id eſt, ad dexteram patris reuertatur: attamen nullum eleuabit, niſi eum prius nunc illuminet, quoniam damnati propterea *Sap.5.a* clamabunt dicentes: Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis, Tria impediunt ne ſolem videamus, ſcilicet terra, nubes, & luna interpoſita. Terra eſt auaritia, quæ aufert a nobis *1.Ioã.3.c* Deum: Nam qui viderit fratrem neceſsitatem patientem, & clauſerit ei viſcera miſericordiæ, non eſt charitas patris in eo. Alterum eſt nubes ſuperbiæ, de qua dicitur; *Tren.3.e* Poſuiſti tibi nubem, ſcilicet ſuperbiæ, ne tranſeat oratio. Tertium eſt luna maculata luxuriæ, quia ſcriptum eſt: *Pſ.57.b* Supercecidit ignis, ſcilicet luxuriæ, & non viderunt ſolem. Videte igitur fratres ne aliquod horum trium auferat a vobis ſolem iuſtitiæ Chriſtum: vadis ad reſurgendum per pœnitentiam, dicitur tibi, vt reſtituas male acquiſitum, & amore opum: deinceps non vis, iam terra auaritiæ tollit a te ſolem iuſtitiæ. Dicitur tibi, quòd famam reſtituas, veniam petas, rancorem deponas: poſtea renuis, iam nubes ſuperbiæ tulit a te ſolem iuſtitiæ. Item dicitur tibi, vt concubinam abijcias: deinde redis ad eam, crede

quod

quòd luna tulit a te ſolem:ecclipſim quidem ſentiet hic, & non erit lumen ei in reſurrectione generali,vbi beatis erit dulce lumen , & delectabile oculis videre ſolem : vbi erit lumen oculorum & pax. Tamen vide quòd ſapiens nobis dicit: Ad benedictionem tuam oportet præuenire ſolem. Benedictio patris eſt illa: Venite benedicti patris mei,&c. ad hanc fratres oportet cũ Maria Magdalene, & alijs præuenire ſolem Chriſtum,quia vix aut numquã apparuit niſi quærẽtibus ſe,quoniam oportet præuenire nunc ſolem per opera bona & merita, vt poſtea obuiet nobis per gratiam & gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Eccls.11.b
Sap.16.d
Matt.25.d

SERMO II.

DOMINICAE RESVRRECTIONIS CHRISTI.

THEMA.

Si conſurrexiſtis cum Chriſto. Coloſ. 3.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

CVm omnibus notũ ſit ex nimia triſtitia mortem euenire poſſe,vt illi,qui aiebat: Ecce pereo in triſtitia magna. Cum igitur rex Antiochus ob triſtitiã mortuus fuerit,mirandum eſt de vita reginæ cæli Mariæ,quæ nimios triſtitiæ fluctus paſſa eſt, vltra quàm dici valet: vnde illa vox Chriſto & matri eſt cõmunis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Vel hic ipſe Chriſtus Mariam vocat animã ſuam mortali triſtitia vexatam , non tamen obijt , quia multa fide triſtitia temperatur,iuxta illud : Fide obtulit Abraam Iſaac,cum tentaretur : & vnigenitũ offerebat,in quo ſperabat repromiſsiones,ad quem dictum eſt:quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen,arbitrans quia a morte ſuſcitaret eum Deus . Vnde

1. Mach. 6. b
Heb.11.d

ſicut pater fidei noſtræ: ſic mater fidelium Maria dum ſtaret ad altare crucis amplius ſperat reſurrectionem quàm mortis detentionem: & parum dixi quòd Maria ad altare ſtabat, immo ipſamet altare crucis erat, iuxta id Iſaiæ:

Iſa. 29. a Circumuallabo Ariel, & erit triſtis & mœrens. Ariel interpretatur altare, eſt Maria vbi in caluario monte ſita eſt crux in corde eius, quæ tanto amplius doluit, quanto plus fixam crucem in corde habuit: ſed ne moreretur, conſolabatur animam ſuam, dicens ei: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc ſcilicet in reſurrectione, cõfitebor illi ſalutare vultus mei, & Deus meus: quãdo exultabit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, qui tũc erit ſalutare vultus mei, quando in manè reſurrectionis videbo eum ad priſtinam reſtitutum ſalutem, vbi tanta erit lætitia, quanta triſtitia fuit, ex qua cum Chriſto ſurrexit Maria ſicut conſepulta fuerat in triſtitia. Reſurrexit ergo Maria, quæ in triſtitia fuit, & ſicut omnibus partem contulit triſtitię: ſic nunc partem vult tribuerè lætitiæ: & ideo confidenter in die lætitiæ cordis eius ad gratiæ petitionem accedamus, dicentes. Aue Maria.

Maria eſt altare.

Pſ. 42. b

Luc. 1. e

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SI *conſurrexiſtis cum Chriſto:* hanc interrogationem chariſsimi vobis ingero in perſona Pauli, cui in via qua veniebat nouiſsimo apparuit Chriſtus, & ideo pluſquam fidem habens de illo, quòd reſurrexit, quærit a nobis an cum ipſo ſurreximus: vnde quia de capite & membris mentionem facit: ſic in ſermone de capitis noſtri, & omnium noſtrum reſurrectione agam.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

SI teſte Bernardo nec vna littera, immo teſte Chriſto iota vnum, aut vnus apex non vacat a myſterio in ſacra pagina, inquirendum eſſet cur Paulo non ſatis fuit dicere: *ſurrexiſtis cum Chriſto?* ſed addit *conſurrexiſtis*, quod amplius eſt: nam videtur quòd Chriſtus conſurrexerit, & alterius adiutorio in reſurrectione indiguerit, qui dicitur inter mortuos liber, ſcilicet ab adiutorio reſurrectio-

Pſ. 87. a

ſurrectionis: nam ipſe eſt qui aſcendit ſuper occaſum, & Dominus nomen eſt illi, qui torcular calcauerit ſolus dominans morti. Et innuens patriarcha Iacob, quòd nullius adiutorio indigeret Chriſtus, ait de illo: Quis ſuſcitabit eum? quaſi dicat nullus, ſed ipſe ſeipſum excitabit. Hic aduerte quòd firma apud philoſophos extat ſententia illa. De priuatione ad habitum impoſsibilis eſt regreſſus. Cum ergo in emortuo corpore nulla vita, nec eius permaneat veſtigium, apud eos impoſsibilis iudicatur reſurrectio: & ideo Paulus nouorum dæmoniorum inuocator dicitur, quando eã prædicat, & iuxta hoc falſum eſt illud: Lignum ſi præciſum fuerit, habet ſpem. Nam ſicci & aridi ſumus nos: immo & aruerunt oſſa noſtra ſecus infernum, quia mors eſt, vt infernus tenaciſsimus: & ideo in nobis nulla eſt reſurgendi ſpes, ſolus Chriſtus dicere poteſt: Spes mea in ſinu meo, & ſpes noſtra non eſt in ſinu noſtro, ſed in ſinu Chriſti, vnde Paulus: Mortui eſtis: & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Vt igitur innueret Iob quòd ſpes reſurrectionis Chriſti eſſet in eo, ait: Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit: & rami eius pullulant. Lignum viride Chriſtus eſt, qui ait: Si in ligno viridi hoc faciunt: in arido quid fiet? hoc viride lignum Chriſtus ſpem habuit, quia caro eius requieſcit in ſpe, cuius rami Apoſtoli fuerũt, qui quando ſecuris paſsionis ad radicem Chriſtum poſita fuit, emarcuerunt. Nec ſolum in ſe habuit hoc lignum ſpem reflorendi, ſed vbique: nam multi Chriſto porrexerunt manum, vnde conſurrexit, & cum multis ſurrexit. Conſurrexit cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & cum anima ſua, & corpore, & matre, & apoſtolis, & cum toto orbe. Ex eo quòd Chriſti reſurrectio totam naturæ potentiam, & etiam angelicam excedit, appropriatur patri, de quo dicitur: Ieſum nazarenum, quem Deus pater ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo. Dilatauerat quippe animam ſuam infernus pro nobis, quos deuorare voluit, cui occurrit Chriſtus, ſoluens quod non rapuerat, dolores videlicet, quos meruimus nos. Tunc eos ſoluit, quando dixit: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Soluto quidem pretio pro omnibus electis ſuis & damno, impoſsibile erat ex

Pſ.67.a
Gen.49.b
Ariſt. cap. de oppoſitis in poſt. prædic.
Iob 14. b
Pſ.140. e
Coloſ.3. A
Iob 14. b
Luc.23. e
Act. 2. d
Luc.22. f

lege ordinata paternæ iuſtitiæ teneri Chriſtum in morte:
Iſa. 45. b vnde alibi dicitur: Ego, inquit pater, ſuſcitaui eum ad
c iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam: ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet. Viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt. Iſrael ſaluatus eſt ſalute æterna. Iuſtum quippe erat vt poſtquam in cruce ſederat manducãs panem doloris, ſurgeret Chriſtus cum captiuitate ſaluata ad cæleſtis Ieruſalem ædificium, æterna redemptione inuenta.

Et quia reſurrectio Chriſti opus erat maximæ ſapiẽtię,
Ioan. 2. d ideo Dei filio appropriatur, qui ait: Soluite templum hoc, & poſt triduum reædificabo illud. Templum corporis eius nõ vetuſtate nec infirmitatę laceſsitum, ſed iudaica prauitate ſolutum, maxime quãdo extractis membris in cruce, oſſa ab oſsibus diſtracta ſunt: iam in reſurrectione compaginãtur ab illa Dei ſapientia, quæ reſarcire nouit vetu-
Rom. 9. e ſtiſsima, & ex vaſe contumeliæ & opprobrio hominum, fecit vas in honorẽ etiam angelorum veniẽtium in Chriſti ſepulchrum. Chriſtus & ſui meliorem dicuntur inueniſſe reſurrectionem, nec enim ad priſtinam vitam ſolummodo redijt, ſed ad meliorem: antea quippe, vt multi dicunt, poterat Chriſtus non mori, ſed reſurrectus non poteſt mori, firmius ſtabilitur in vita quàm antea erat: iam
Matt. 17. b impleta eſt in illo figura montis thabor, vbi transfiguratus eſt, quoniam ad montem immortalitatis aſcendit.

Et quia hoc opus magnæ bonitatis fuit, Spiritu ſancto
Apo. 14. c coaptatur, qui dicit, vt requieſcant iuſti a laboribus ſuis: decuit ergo vt ſpiritu principali confirmatus Chriſtus, nõ
Gen. 2. b ſolum eſſet vt primus Adam in animam viuentem, ſed in
1. Cor. 15. f ſpiritum viuificantem, vt ait Apoſtolus: nec mirum quòd Spiritus ſanctus in Chriſti reſurrectione partem habeat, cum nec noſtra generalis ſine eo fiet, vt patet in oſsibus
Eze. 37. a quæ vidit propheta, quibus Dominus ſpiritum ſuum re-
Ezec. 1. c promiſit, vt viuerent. Vbi ergo erat impetus ſpiritus, illuc gradiebatur Chriſtus, ſimulq. gradiemur nos in reſurrectione noſtra.

Nec ſolum beata Trinitas manum dexteram Chriſti tenuit, ſed anima ſua poteſtatem habuit reſurgendi, inſeq. habuit, ex quo verbo vnita fuit, principiũ reſurrectionis, & quamuis, teſte Scoto, nullius ſancti anima ſe corpori

poſsit

poſsit naturaliter reunire, etſi in ipſum infuſa ſit, hoc tamē poteſt anima Chriſti, quæ omnipotens eſt: vnde ait in Pſalmo: Anima mea illi viuet. Deo dixit, & diuina fruebatur vita, ex quo verbi ſuſpendiū anima illa elegit: vnde ex ſe potuit a mortis exire faucibus, & ſe corpori infundere, illudq. vitaliter informare, vegetare artus, & vulnera depellere, venasq. implere, deordinare humores, & gloriā ſuam corpori impartiri: vnde Chriſtus ait: Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Vigiles cuſtodes Ieruſalem, fuerunt ſacerdotes æmuli Chriſti, a quibus de corpore ſuo quærit Chriſtus, ab anima nimis dilecto, nec mirum quòd quærat ab eis quale factus ſit ab eis: quando factum eſt tamquam vas perditum. Pertranſiuit eos peracta paſsione liberatus a malis, inuenit anima Chriſti corpus ſuum in reſurrectione: tenuit illud, quando adhæſit ei per vnionem: & introducet illud ad domum gloriæ in Aſcenſione: vbi æternaliter numquam dimittetur. Nec ſolum in anima Chriſti, ſed etiā in eius corpore fuit principium ſufficiens reſurrectionis, ex quo verbum ſibi habuit vnitum: vnde ait: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Non tamen anima Chriſti dixit: Pars mea Deus, ſed etiā corpus, quod exultauit, & extra ſaltauit ad reſurrectionem etiam cor eius quamuis lancea perforatum eſſet. Non tamen reſurrexit corpus donec animæ vnitum fuit, quia diuinitas non informauit illud. Vt valeas intelligere qualiter Verbū Dei vnitum manſit animæ & corpori, aduerte quòd tres fuerunt vniones in Chriſto: prima Verbi ad animam: ſecunda Verbi ad corpus: tertia animæ ad corpus, & ſola tertia perdita fuit in paſsione. Exemplum in arcu per lignum fractū, dum corda remanet vnita vtrique parti. Arcus eſt Chriſtus, de quo ait pater: Arcum meum ponam in nubibus cæli, ſcilicet in Maria & Ioanne, quando extenſus fuit in paſsione, quem contra inimicum noſtrum tantum pater tetendit, quòd contritus eſt, & nos liberati ſumus. Contritus, inquam, per lignum humanitatis, integra remanēte chorda deitatis corpori in ſepulchro, & animæ in limbo

Pſ.21.d. *Cant.3.a.* *Pſ.30.c.* *Pſ.83.a.* *Exēplum.* *Gen.9.b.* *Pſ.123.b.*

limbo vnita, donec reintegratus eſt reſurrectione in ſignum fœderis inter Deum & hominem.

Dedit & beata Maria manum filio ſuo, dum pro eo irremediabiliter flebat: nam ſicut mulier illa magna hoſpita Eliſei, quæ ideo magna dicitur, quia Mariæ figurã tenuit, meruit reſurrectionẽ filij: ſic hæc igitur filij ſui reſurrectionem meruit, dum montẽ Carmeli aſcendit ad ſanctũ vatem, cui ait: Numquid petiui filiũ a Domino meo? Hæc eadem verba Maria per deſideria cęlũ aſcendens, replicat patri, ingerens ei qualiter in perpetua ſterilitate voluit permanere virgo: ſi ſic, inquit, futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? vtinam ſterilitatem dares, ne dicerer mater ſic deſpecti Dei. Sunamitis noluit prophetam dimittere donec deſcendit ad ſuſcitãdum filium ſuum, nec Maria deſinit orare, donec Pater ſuſcitet Chriſtum, quem matri contulit, iuxta illud: Dedit illum matri ſuæ.

4.Reg.4.f *Ibid. e* *Luc.7.c*

Dederunt etiam manum Chriſto Apoſtoli, eumq. ſuſcitant aliquo modo, dum lacrymantur ſuper eum: nam omnes aiebant: Peccatores, te rogamus audi nos. Nec omnino repulſam paſſæ ſunt lacrymæ eorum: quia & duris corde ad credendum apparuit Ieſus: vnde propter horum lacrymas pater filium ſuſcitauit, quod mire figuratur in libro Iudicum, vbi dicitur: Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem nomine Aioth: qui verbo ſecreto perforauit ventrem regis Eglon. Aioth laudans interpretatur, & eſt Chriſtus, qui laudans inuocauit Dominum: vt ab inimicis ſaluus fieret. Eglon interpretatur vitulus, & eſt dæmon, de quo dicitur: Fecerunt vitulum in Oreb, &c. huius venter eſt infernus, quem Chriſtus perforauit, dicens: Morſus tuus ero inferne. Et verbo ſecreto perhibetur hoc feciſſe, quia verbum Dei ſecrete manſit in Chriſto: de hoc igitur Saluatore dictum eſt, quòd clamauerunt ad Dominum, ſcilicet Apoſtoli, & ſuſcitauit eum.

Luc.24.d *Iudic.3.c* Aioth q.d. *Pſ.17.a* Eglõ quid. *Pſ.105.c* *Oſe.13.d*

Nec ſolum Apoſtoli, ſed & cunctæ creaturæ pro Chriſto clamauerunt, vt eum Deus ſuſcitaret a mortuis: nam plorauit pro eo orbis terrarum, quando obſcuratus eſt ſol, & omnia luminaria cæli triſtia fuerunt ſuper eum: ſepulchra quidem aperta, ſciſsi lapides, & terra tremens, velum templi ſciſſum, & mortui vt flerent, ſurrexerunt:

vnde

vnde ſi omnis creatura, teſte Paulo, ingemiſcit, expectans reſurrectionem noſtram, plus ingemiſcere debuit propter Chriſtum, vt poſtea cuncta læta fierent, quando omnium Creator reſurrexit commune gaudium, lætitia plurimorum, quia ſicut tenebræ eius ita & lumen eius. Stellæ illuxerunt Chriſto in iucunditate, & omnis creatura lætata eſt dum Creator reſurrexit: quia & ipſi a triſtitia ſurrexerunt cum eo.

Rom. 8. d

Pſ. 138. b

SECVNDA PARS.

NVNC videndum eſt qualiter nos cum illo debemus reſurgere, qui eſt reſurrectio & vita: reſurrectio ad corpora, & vita gratiæ ad animam. Beati dicuntur illi, quibus eſt pars in reſurrectione prima, iſti ſecunda reſurrectione fruẽtur: Nam Chriſtus mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vt liberati a peccato, & promoti ad gratiam iuſtitiæ, viuamus. Sed ſicut non crediderunt Chriſto, niſi oſtenderet ſigna reſurrectionis, ſic nec nobis: vnde oportet eadem oſtẽdere, vt cum eo reſurgamus: triplicia ſunt ſigna: quædam a parte ante, quædam a parte poſt, quædam media. In primis ſunt quattuor, primum reſurgere die tertio ſatisfactionis, quia vt ait Propheta: Poſt duos dies ſuſcitabit nos, poſt contritionem & confeſsionem: tertia ergo dies ſatisfactio completa eſt. Secundum ſignum eſt integritatis: nam totus Chriſtus reſurrexit, cui nil deerat integritatis humanæ, nec tibi deſit aliquid boni moris: quia nulla & vana eſt reſurrectio ab iſto peccato, ſi manes in illo: ſicut mouentis caput, & cetera membra habentis mortua. Tertium ſignum eſt veritatis: nam ſurrexit Dominus vere: vide ne tu ſis fictus vt hipocrytæ, qui ideo ſepulchris dealbatis comparãtur, quæ intus ſunt fœtida. Væ illi, qui tantum ad extra oſtendit reſurrectionem ſuam, cum interiora ſua plena ſint dolo. Quartum ſignum eſt immortalitatis, ne mors peccati vltra dominetur tibi, ne iteres vias Ægypti, ne ſis canis reuerſus ad vomitum: nam fictus reſurgit cum Samuele, quem vetula ficte ſuſcitat, qui iterum tangit mortuum peccatum, quod reliquerat: reſurgit cum Lazaro iterum moriturus

Apo. 20. b
Rom. 4. d

Signa præcedẽtia reſurrectionẽ moralem.

Oſe. 6. a

Mat. 23. c

1. Reg. 28 c

qui

qui ex parte tantum pœnitentiam egit, reſurgit cum illo, quem Simon magus ſuſcitauit, qui caput tantum mouere viſus eſt: qui autèm tam conſtanter malam vitam ex toto dimiſit, iſte ſurrexit immortaliter cum Chriſto, ſi non iterat ſtultitiam peccati.

Signa concomitantia reſurrectionẽ moralẽ.

Sunt & alia ſigna, quæ dici poſſunt media, & ſunt itidem quattuor, quæ habuit Chriſtus, quattuor videlicet dotes glorificati corporis, quæ moraliter acceptæ ſunt ſigna iuſtificatæ animæ: nam primum eſt agilitas ad bene operãdum, de qua dicitur: Quodcumque inuenerit manus tua, inſtanter operare. Impaſsibilitas autem habetur in patientia, quando non tibi nocet aduerſitas, quæ dum ſcutó patientiæ recipitur, non infert paſsionem, ſed gaudium: vnde vir patientia armatus impaſsibilis iudicatur: quia in ea poſsidetur etiam anima, quando nil ſentit aduerſum: ſi *non murmur reſonat, non querimonia.* Claritas autem, quæ eſt tertia dos, reſplendeat in conuerſatione, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit ad gloriam patris, ſic videntes opera quicumque homines noſtra bona, glorificent patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Subtilitas eſt in humilitate: nam parui piſces euadunt rete, & vt dictum eſt Antonio, humiles euadunt multiplices laqueos mundi, nec detinentur tentatione quæcumque ſit illa: immo hæc quarta dos etiam cælos penetrat, nec vmquam repulſam patitur.

Eccls.9.c

Gloriæ dotes.

Habetur in Hymn.plur. Mart.

Matt.5.b

Signa ſubſequentia reſurrectionẽ moralẽ.

Alia poſteriora ſigna pariter ſunt quattuor præteritis notiora. Primum eſt comeſtio, quia comedit Chriſtus panem, piſcem aſſum, & fauum mellis; quæ omnia tu in Euchariſtia manducabis, ſurgens a peccatis: nam ibi eſt panis vitæ, qui de cælo deſcendit: hic eſt verbum Dei, & eſt fauus, videlicet anima Chriſti, dulcedine repleta, vaſculis potentiarum & donorum diſtincta. Et eſt piſcis aſſus corpus equidem Chriſti, in craticula crucis prunis paſsionũ torridum. Felix ergo Dei conuiua ſi talem cibum digne ſumit ad mẽſam Dei eleuatus. Secundum ſignum eſt palpatio: nam Chriſtus de ſe ait: Palpate, & videte. Dominus permiſit ſe tangi a diſcipulo, & in loco vulnerum, & coram omnibus diſcipulis: ſic vere ſuſcitatus permittat tangi per correptionem non ſolum a ſuperiori, ſed ab inferiori vt a diſcipulo, vel pari ſuo: non ſolũ in loco ſano,

Luc.24.f

ſed etiam in loco vulneris, vt dicantur ei non bona ſua, ſed defectus, quos habuit: & non ſolum in occulto, ſed manifeſte. Sunt quidem plurimi volentes ſibi dici bona ſua, ſed nullo modo mala, quia habent infirmitatem: Noli me tangere. Alij permittunt tangi in vulneribus, ſed non niſi ab auctoritatem habente: non a diſcipulo, ſed a magiſtro. Alij etſi volunt tangi, non in aperto, ſed verbis inconditis, & per ambages. Tertium ſignum eſt vulnerum reſeruatio, vulnerum, inquam, non tuorum ſed Chriſti: quia liuore eius ſanati ſumus nos. Felix ergo anima, quæ veluti diſcipuli euntes in Emaus, tractat in ſe paſsionem Chriſti: & ſicut ſanctæ mulieres cum aromatibus deuotionis tendit ad monumentum: nam his talibus Dominus apparet, quia dum Maria Magdalene plorat, Chriſtum habuit conſolatorem: nec patitur Dominus quin flentes paſsionem, fruantur reſurrectione: vbi perditur, ibi inuenitur Dominus. Non dicatur de nobis illud Pſalmi: Non ſunt recordati manus eius, in die qua redemit eos. Nec ob aliud Chriſtus vulnera ſeruat, niſi vt ne a memoriā noſtra cadant, quæ nec in cælo deerunt, vbi memoria paſſionis Chriſti beatis obiecta ex vulneribus eius maximam cauſabit in eis liquefactionem ex nimio amore impenſo pro paſsione: Sicut enim maiorem charitatem nemo habet, quàm animam ponere pro amicis, ſic nec illi pro quibus poſita eſt, maiorem debent reddere amorem, quàm in tali conſideratione recepti beneficij. Vltimum ſignum eſt manuum & pedũ oſtenſio, oſtendamus Chriſto, quæ oſtendit nobis: vbi aduerte per pedes deſignari affectiones, quibus vehitur anima: & per manus operationes, quibus recipitur. A peccato igitur ſuſcitatus pedes oſtendit; quando habet optimas affectiones & notas ſicut ille, qui aiebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? &c. & ille qui dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & fontem lacrymarum? &c. hæc affectio neceſsitatis eſt in caſu, ideo ait Ioannes, quòd qui viderit fratrem ſuum neceſsitatem habentem, & clauſerit ei viſcera miſericordiæ, non eſt charitas patris in eo. Manuum oſtenſio bona eſt operatio, quia ſicut corpus ſine anima mortuum eſt, ita affectio ſine operibus: vnde procurator operarios ſolummodo ad mercedem vocat. Suſcitatus ergo operationes vitales exercere

Ioã.20.A *1.Pet.2.A* *Pſ.77.e* *Ioã.15.b* Pedes ſunt affectus. *2.Cor.11.g* *Ier.9.A* *1.Ioã.3.e*

cere debet, alioquin dicemus quia phantaſma eſt: vnde
Ioã.10.g Dominus ait: Operibus credite. Qui ergo hæc duodecim
ſigna oſtenderint nobis, ſecuri dicere poterunt cum Apo-
Rom.6.a ſtolo: Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quando Chriſtus ſurrexerit a mortuis per gloriã patris, & nos in nouitate ambulemus: ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Concluſum ergo habemus fratres, quòd mortuus fuit Chriſtus, vt moriamur & nos peccato: ſurrexit autem vt iuſtitiæ viuamus, deponentes mortem culpæ, & aſſumentes vitam; vt tandem perueniamus ad gloriam, quam mihi & vobis præſtare dignetur Ieſus filius Dei. Amen.

SERMO DOMINICAE IN ALBIS.

Super Euangelium.

THEMA.

Oſtendit eis manus. *Ioan.* 20.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT aduertas qualiter victor mortis Ieſus Mariæ matri ſuæ oſtendit manus ſuas victrices, nota hiſtoriã libri Re-
1.Reg.30 gũ: vbi dicitur quòd irruerunt Amalecitæ in ciuitatem Siceleg deprædãtes: & cum recederent, epulati ſunt cum gaudio in quadã valle, nihil mali ſuſpicantes: tamen Dauid impetũ
Chriſtus ſpolia partitur cũ Maria victrice. fecit in eos, & depopulatus eſt eos, ac erepta præda rediјt ad ſuos, qui laſſi recederant ad ſarcinas. Dum autem ſpolia diuiderent, miles quidam iniquus nolebat, vt eis qui reman-

remanſerant, daretur pars acquiſitorum. Dauid autē ait: Dominus cuſtodiuit nos, & dedit latrunculos in manus noſtras: vnde æqua pars erit deſcendentis ad prœlium, & manentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident: hac lege fratres mei vſus eſt Chriſtus cum Maria, quando ei manus victrices prius quàm Apoſtolis oſtendit, ſed parum dixi manus, immo totum corpus, vt de toto gauderet, quæ de toto triſtata eſt. Quid, inquit, ſenſiſti o mater quando me coronatum vidiſti, quando ſpinas extraxiſti? nunc ecce caput angelis verendum non dolet, ſed optimo auro comparatur gloria coronatum. Quid ſenſiſti quando faciem ſputo plenam conſpexiſti? nunc autem reſpice in faciem filij tui, quæ ſicut ſol lucet in virtute ſua. Quid ſenſit cor tuum, quando meum cernebas lancea transfigi? nunc ecce latus arcæ fœderis tibi patulum, vbi & cor tuum erit: quid ſentiebas, quando malleorum ictus audiebas? ecce nunc manus meas victrices tibi oſtēdo malleos inferni: tradidit enim latrunculos inferorum Dominus pater in manus has, quæ ante ligatæ fuerunt, ſed quia tu remanſiſti ad ſarcinas crucis, ſuſtinens pondus diei & æſtus, & in campo Caluariæ ſeruaſti fidem meam, & ſanguinem, & corpus, & meos ac totum reſiduum mei, quia quando tibi caput inclinaui, totum tibi commiſi: volo nunc per prædictam legem tecum partiri, & ſimilia tibi conferre: quia non victa, ſed vincens remanſiſti. Ego igitur in bello paſsionis obtinui accelerationem reſurrectionis, ſic etiam volo quòd mater mea non detineatur in die obitus ſui nexibus mortis, ſed feſtinanter reſurgat. Obtinui etiam exaltationem nominis mei, ſic etiam decerno, vt nomen tuum ſuper cuncta nomina ſit & pro tota Maria ſupponat, quod non facit nomen Petri, aut Pauli, quia illi diuiſi ſunt, ſeparatis animabus a corporibus. Vltra obtinui iuriſdictionem iuſtitiæ ac miſericordiæ, tu habeas miſericordiæ cathedram, ego etiam iuſtitiæ. Obtinui quoque gloriam & gratiam meis, tu deinceps conferas gratiam, ego etiam gloriam. Vnde iam mater miſericordiæ & gratiæ conſtituta es, vt gratiam conferas eis, quorum miſerta fueris, ac manus adiutrices oſtendas eis: quas vt accipiamus fratres, genibus flexis eleuate puras manus veſtras, dicentes. Aue Maria.

Ibid. f

Chriſtus apparet Mariæ.

Maria eſt ſedes miſericordiæ.

ARGV-

ARGVMENTVM DICENDORVM.

INTER hominis membra, præcipue celebrantur manus, quæ a Philoſopho dicuntur organum organorum, quia quidquid ingeniamus, manibus exercemus, quæ plus valent, quàm centum ſerui: nec enim omnes homines tantum ſeruirent tibi, nec tam optime quantum manus tuæ, quæ ad libitum tuum operantur: manus tuæ te induunt, te cibant, te mundant, te cuſtodiunt, te docent: quoniam propheta dixit: In intellectibus manuum eorum deduxit eos. Sapientia manuum vocatur experientia, quæ eſt ſuper alios modos ſciendi. Sed parum viſum eſt Deo noſtro manus nobis dediſſe, niſi & ipſe ſumeret manus ad ſeruiendum nobis qui antea manibus carebat. Si ergo manus noſtræ tam bonæ ſunt, quales erunt manus Chriſti? de manibus ſuis dicebat Apoſtolus: Omnibus qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ: quanto verius dicere hoc poterat Redemptor noſter, qui manibus ſuis toti mundo inſeruiuit vſque dum pedes Apoſtolorum ablueret? ſponſa quidem has nouerat manus ac ſi diceret: Manus eius aureæ, tornatiles, plenæ hyacinthis: aureæ, quo ad formam earum: tornatiles, quo ad exercitium: plenæ iacinthis dicuntur, quo ad fructum vtilem talis exercitij: nam ad cælum vſque perducit. Manus non poſſunt ad plenum cognoſci, quin prius digiti earum cognoſcantur: digiti ſunt quinque, pollex, index, medius, medicinalis, vbi annulus ſalutaris ponitur, quia ibi eſt vena quæ ducit ſalutem ad cor: quintus dicitur auricularis. Sic etiam altera Chriſti manus, de qua in hoc ſermone loqui decreui, habet quinque digitos, ſcilicet pollicem potentiæ, de quo magi Pharaonis videntes portenta virgæ, dixerunt: Digitus Dei eſt hic. Index eſt ille, quo ſcriptæ ſunt tabulæ Moyſi, qui ad ſapientiam pertinet. De medio autem dicitur in Euangelio: In digito Dei eijcio dæmonia, reconciliando ſcilicet animas Deo: cum alio infirmitates curabat Chriſtus. Cum vltimo in aures immiſſo eas aperiebat, dicens: Epheta. Hos quinque digitos reperies ſeriatim in hoc Euangelio: quia de primo incipit.

Ariſtot. 3. anima. contex. 38.
Pſ. 77. g
Act. 20. g
Cant. 5. d
Exo. 8. d
Luc. 11. c
Mar. 7. d

PRI-

PRIMVS DIGITVS.

CVm *ſero eſſet*. Quemadmodum reſurrectionis gloriam ex paſsionis ignominia illuſtrior oſtenditur: quia ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius: ſic potentia reſurgentis fortior apparet in Apoſtolorum trepidatione. Nec enim adiutor fortc Ieſus, qui robuſtiſsimus eſt, eos Ita ſineret cadere, niſi ex eorum caſu eliceret gloriam fortitudinis ſuæ. Quemadmodum ergo peritia medici perficitur in patientis infirmitate, ſic potentia Ieſu glorificatur in caſu Apoſtolorum: & quid dico caſum, & non potius mortem Chriſti morte deteriorem? in morte Chriſti pariter Apoſtoli obierunt, quod ſic probat Ricardus: Poſtquam iuſtus ex fide viuit, vbi non eſt fides, nec iuſtitia, nec vita. In morte etiam Chriſti, fides eius etiam in Apoſtolis mortua eſt: quia percuſſo paſtore diſperſæ ſunt oues. Ipſo etiam reſurgente, & diſcipulis ſuis apparente, reformata eſt fides in Apoſtolis; & ſic intus viuificati, & iuſtificati de morte animæ tranſierunt ad vitam: hæc ille. Oſtendens Apoſtolorum reſurrectionem per Chriſtum, quam & beatus Ioannes innuit dum præſens Euangelium incipit:

Ps.138.b — Medici peritia perficitur in infirmitate.

Cum ſero eſſet die illo, id eſt cum ſol fidei Apoſtolicæ cognouiſſet occaſum ſuum, metumq. propter defectum induceret: nam vti perfecta charitas foras agit timorem, ſic imperfecta fides accerſit illum, & citiſsime vocitat: vnde propterea ſequitur: *Et fores eſſent clauſæ: vbi erant diſcipuli congregati propter metum iudæorum*. Ecce quo modo fides imperfecta & dubia metum induxerat iudæorum infidelium: quamuis dictum ſit Apoſtolis per prophetam: Videte ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipſis. Viſa itaque turba de retro & ab ante adorantes, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine. Hæc Baruch Apoſtolos monet, ne propter metum a fide fiant omnino alieni, & metus capiat eos, id eſt in peccato detineat. Cepit tamen eos metus, dum eos domo recluſit ac fores obſerauit. Nec ibi erant ſecuri: nam propterea ſubiunxit: Viſa itaque turba de retro, & ab ante.

1. Io.4.d — *Baru.6.a*

Vndique praui iudæi vallabant domum Apoſtolorum, ſicut olim ſodomitæ domum ſancti Loth, vt proderet angelos: tamen ipſi in ſummo periculo cõſtituti ad Chriſtum ſe non totaliter, ſed in cordibus ſuis conuertunt, dicentes: Te oportet adorari Domine. In cordibus veſtris, inquit: nam nec alter altero fidebat, vnde ſeipſos metuebant: veluti euenire ſolet hæreſis tempore, quo nec frater fidit fratri. Ieſus autem dum ſui tali metu recluſi eſſent, aduentum ſuum diſtulit, vſque dum *ſero eſſet die illo vna ſabbatorum*. Mirabile dictu quòd illo die, quo ſolito maturius ortus fuerat ſol iuſtitiæ, ſuos non velit irradiare vſque ad noctem. Cur Domine tam ſerus ades? cur tantum remoraris? quis valuit clementiæ tuæ torrentem detinere? *Cum ſero*, inquit, *eſſet die illo*, quaſi dicat cum iam nulla eſſet vltra ſpes. Cur ergo tamdiu expectantium Apoſtolorum tuum Aduentum, tuam Reſurrectionem, ac præſentiam eis negaſti? nonne in die mandauit Dominus miſericordiam ſuam? cur tu ſero veniſti? nonne tu ipſe per Sapientem dixiſti: Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me? hic dicitur quòd venit ſero, vt omnes eſſent congregati, quia mane diſperſi erant. Secundo venit ſero, vt ſpem doceat nos, quæ ſi vera eſt, dilatione creſcit. Tertio, vt nos miſeros fateamur, ſumpto experimento infirmitatis noſtræ, vt videre eſt in Lazaro, quem ſuſcitare noluit, donec audiret: Domine iam fœtet. Quarto venit ſero, vt nos doceat mundi gloriam declinare: vti fecerat ille, qui dixerat. Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina. Quinto venit ſero, vt interea meritum augeretur ſuis. Præterea vt ipſi facerent quod in ipſis erat: nam adultis non datur fides infuſa, niſi præcedat fides acquiſita, quæ tempore indiget. Septimo autem potiſsima ratio eſt, vt ipſe Ieſus oſtenderet potentiam ſuam, quæ in tenebris potioris neceſsitatis magis lucet: vnde quia venit ad confortandum eos, ea eis apparuit hora, qua magis territi erant, vt potentia venientis clueſcat amplius. Quilibet ergo Apoſtolorum dicat: Expectabam eum, qui ſaluum me fecit a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, id eſt a metu interiori & irruente perſecutione. Hæc ergo Chriſti potentia

Gen. 19. a — Chriſtus cur ſero apparet Apoſtolis. — Pſ. 41. b — Prou. 8. b — Ioã. 11. e — Iob 31. c d — Pſ. 54. b

tentia ſuos eripiens & lætificans, optime figuratur in Saul, qui recenter vnctus in regem, ſuccurſum attulit viris Iabes nimium afflictis, & in maximo poſitis periculo. Nam cum obſeſsi eſſent a quodam tyranno, qui dicitur Naas, a Saul petierunt auxilium, miſsis curſoribus, qui congregato populo Iſrael venit, ac deuictis hoſtibus, eripuit ſuos, & lætatus eſt nimis cum eis. Iabes interpretatur ſiccitas, & tūc temporis erat Eccleſia Chriſti, quæ præ multis lacrymis aruerat tamquam teſta, ita vt ſiccitas in abſtracto poſsit appellari. Lacrymæ autem & ſuſpiria nuncij fuere ad verum Saulem miſsi, quoniam Chriſtus erat eis in ſingultum, vt eos eriperet a Naas, qui interpretatur diuinans, & eſt iudæorum malignitas, qui diuinabat Chriſtum ab Apoſtolis ſublatum. Ideoq. antea dixerunt: Ne veniant diſcipuli eius, & furentur eum. Horum ergo malignitas arbitratur poſſe nomen Chriſti extinguere, ſi a viris Iabes, ſcilicet ab Apoſtolis, pactum obtineret, vt ſcilicet, erueret ab eis oculos dextros, id eſt fidem Chriſti ſedentis ad dexteram patris. Solum ergo pro pace habenda petierat Naas cuiuſlibet oculum dextrum, quia non petebatur ab Apoſtolis, niſi vt fidem Chriſti amitterent, vt ſic totaliter ſiccaretur Eccleſia, ne poſſet rurſum virorem ſumere. Chriſtus autem cum iam *ſero eſſet die illo*, venit ad ſuos, eoſq. ianuis clauſis viſitat, vt nunc vere cantent: Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit ſeras portarum tuarum; benedixit filios tuos in te, &c. ſocij noſtri Saulis fuerunt ſancti patres limbi. Victoriæ ſignum & effectus reperitur in themate dicente: *Oſtendit eis manus, ſcilicet victrices.*

1.Reg.11 a

Iabes quid.

Naas quid.

Matt.27. g

Pſ.147. a

SECVNDVS DIGITVS.

DIGITVS autem ſecundus vocatur index ab indicando, quo alios docere ſolemus. De hoc ergo ſequitur in Euangelio: *Venit Ieſus, & ſtetit in medio*. Dum ſtat in medio plura docet, quàm dici poſſent, quoniam in diuinis medium habet, quoniam impoſsibile eſt, quòd Pater producat Spiritum ſanctum, niſi producto Filio, qui cum eo eundem ſpirat. Media ergo perſona eſt Filius

habens ſecum, & Patrem a quo procedit, & Spiritum ſanctum, quem producit cum eo: de hoc autem medio quo ſtat ab æterno, loqui non poſſumus: ideo vt moraliter indicet nobis digito ſuo viam noſtram: aduerte quòd a ſuo natali elegit medium, vſquedum inter latrones obiret: natus ergo ab vtero Virginis in medio animalium cognoſcebatur: nunc autem recenter a ſepulchro natus cognoſcitur in medio Apoſtolorum. Alia tamen duo media recenſere oportet: nam & ſtetit in medio doctorum, dum infans erat, vt alter Daniel in medio ſeniorum, liberans Suſannam, id eſt legem ab illis, qui falſo tulerunt clauem ſcientiæ. Eſt & medium latronum, quod Chriſtus tenuit dum in cruce pependit. Vtinam ergo nos fratres mei hanc imitemur doctrinam, hoc ſequamur exemplum: duo ergo animalia, ſcilicet aſinus & bos, extrema prudentiæ deſignant, in quorum medio ſtandum eſt. Recede igitur ab aſino, id eſt inſenſibilitate, ne ſapientiæ adſis vti aſinus ad lyram. Declina etiam bouem, id eſt caliditatem, quæ præſumptionis cornibus armatur: ſed in medio ſtabis tutiſsimus. Deinde in medio doctorum ſtandum eſt, vbi medium iuſtitiæ deſignatur, quæ prudentiam prærequirit: extrema iuſtitiæ ſunt crudelitas & remiſsio. De primo dicitur in Decretis: Summa æquitas, ſumma iniquitas: de altero autem Sapiens ait: Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus, id eſt correctio remiſſa, in ſubditos operatur, & cauſat egeſtatem meritorum, & morum bonorum. Poſt hæc duo media duarum virtutum, ordinatiſsime medium tẽperantiæ ſequitur, quod Ieſus tenuit inter latrones: extrema ergo temperantiæ ſunt cura carnis in deſiderijs, & nimia carnis mortificatio: primum extremum eſt latro blaſphemus, qui linguis ſuis doloſe agebat: alterum vero eſt bonus latro dexter, qui facile veniam conſequitur: medium tamen eſt tenendum, quoniam Bernardus ait: Caro reſtringatur, non extinguatur: ancilletur ne dominetur. Poſt mediam crucem temperantiæ, ſequitur tandem medium fortitudinis, quod Chriſtus hodie colit, dum ſtat in medio diſcipulorum, docens eos a temeritate, & puſillanimitate recedere: nam Petrus ad alterum extremum fortitudinis acceſsit, dum prohibente duce exenut

[Margin notes: Dan. 13. f — Aſinus, & bos, quid ſignificent. — Prou. 10. a]

eximit gladium: Ioannes autem qui dicitur relicta ſindone fugiſſe, puſillanimitati adhærebat: Chriſtus autem medium tenens, victor euaſit. Ecce igitur quàm luculenter docet nos per alterum digitum, quo nobis indicat agenda. Stat ergo Ieſus hodie in medio ſuorum ſicut ſol inter aſtra in medio cæli, ſicut dux in medio militum, ſicut fons in medio arborum, ſicut columna in medio domus, ſicut rex in medio principum, ſicut magiſter in medio diſcipulorum, ſicut pater in medio filiorum, ſicut cor in medio membrorum, & ſicut prælatus in medio ſubditorum, & ſicut paſtor in medio ouium, manus cibatrices oſtendens eis.

TERTIVS DIGITVS.

ALIVS digitus eſt medius ac longior ceteris, qui amicitiam deſignat, quam exhibens ſuis Ieſus, ait: *Pax vobis, pax vobis.* Ter amorem repetit, qui ter a Petro quæſiuit, an eum amaret. Ter, inquam, quia beatiſsimæ Trinitati eos conciliarat, cupiebatq. vt pacem haberent ad Deum, & ad ſeipſos, & ad proximum, & quælibet tripliciter eſſet: prima, ſcilicet ad Deum, triplex eſt per tres virtutes theologicas, fidem, ſpem, & charitatem: ſecunda, ſcilicet ad ſeipſos, ſtat in intellectu ſine opinionum bello, ne patiantur deinceps incurſus erroris. Stat etiam in memoria ſine phantaſmatibus, quæ cogitationum bella mouent, & ſtat in voluntate, ne locum præſtet amori extraneo, nec vllum præter Chriſtum amatorem admittant. Pax etiam ad proximum triplex eſt, ſcilicet cordis, vt ſemper de proximo tuo cogites cogitationes pacis, & non afflictionis, ſemperq. mediteris quo modo pacem reſtaures, quo modo eam quotidie nutrias. Item habeas ad proximum pacem oris: vt quæ ad pacem ſunt loquaris, omne verbum tuum pacem præferat: Quia verbum dulce, id eſt pacis, multiplicat amicos, mitigat inimicos: tertia exhibe proximo pacis opera, vt ex operibus te conſiderans, Deum benedicat. Sine pace per dilectionem operante audies prophetam dicentem: Pax, pax, & non erat pax. Pax, pax, ſcilicet cordis, & oris ficta: ſed non erat pax operis vera: hanc

[Margin notes: Pax triplex, ad Deum, & ad ſe, & ad proximum. — Ier. 29. — Eccli. 6. — Ier. 6. — Pax triplex.]

triplicem pacem habuit ad ſuos Chriſtus, qui dum primo dixit eis: Pax vobis, oſtendit eis latus apertum, ac ſi diceret: Attendite pacem cordis mei vobis patuli, videte arcam fœderis reſeratam, oſtium paradiſi apertum, cellam vinariam patentem. Ecce ſinus, quem in cruce feci pro vobis charis meis in eo reponendis. Ecce per quod ſanguis & aqua fluxit pro amicis abluendis ac potandis. Ecce cor ſciſſum & patulum, vt corda veſtra inſerantur eo, vt cuilibet veſtrum dici queat: Dediſti cor tuum quaſi cor Dei: nam ſcriptum eſt: Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus. Dum ergo Ieſus Apoſtolis latus oſtendit, ipſo facto pacem cordis obtulit eis, quos ex toto corde dilexerat. Secunda pax, quam exhibuit eis, eſt pax oris: nam loquebatur pacem, & ex ore eius quaſi fluuium pacis inundantem melle ſuauiſsimo profluere cernebant: vnde propterea ſequitur: *Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino*. Quod ſane gaudium figuratur in lætitia Noe recipientis columbam veſpere ramum oliuæ ſuo deferentem ore. Nunc in arca cœnaculi manet Petrus, cum ceteri diluuium metuebãt paſsionum, emiſſo coruo Iuda, qui detentus in cadauere crucis remanſit: tamen columba noſtra Ieſus, iam ceſſante paſsionis fluxu, reuertitur cum pacis viridi ramo in ore ſuo allato ſuis, vt in eos mittat radices ſuas. Quod autem ramus iſte cordibus eorum fuerit inſertus, patet in libris Machabæorum, vbi dicitur: Complacuit eis in Alexandrum, quia ipſe fuerat eis princeps ſermonum pacis. Alexander ſuperato Demetrio pacem omnibus obtulit, & ſic Dominus Ieſus deuicto ac triumphato diabolo pacem affert ſuis, quibus a die natalis ſui fuerat princeps pacis: attamen ſemel per angelos tunc temporis decantatur pax hominibus, nunc autem per Chriſtum decantatur, quia tunc Iudæis tantum, & nunc etiam Græcis, & Latinis: nam cum omnibus illis vult pacem habere, in quorum linguis ſcribitur crucis titulus, vt eam adorent. Sed cordis & oris data eis pace addidit pacem operis, dum vt ait thema, *oſtendit eis manus*, ſcilicet perforatas propter pacem acquirendam, quia, teſte Auguſtino, finis belli eſt pax: & ſic finis paſsionis Chriſti fuit hæc pax Apoſtolis per eum collata manibus eis oſtenſis: nam antiquitus,

Ioã. 20. e
Eze. 28. b
Pſ. 63. b
Gen. 8. b
Pax Chriſti eſt oliua miſſa.
1. Mach. 10. d
Aug. lib. 19 de Ciu. c. 12. to. 5.

vt in libris Machabæorum ſcribitur, & etiam vſque hodie durat, in ſignum pacis ac ſecuritatis, & amicitiæ dabantur dexteræ: nunc autem propter inundantiam pacis Chriſtus vtramque manum confert, quia in eo vtraque dextra erat. Vt autem pacem Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, eis patefaceret, dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, quaſi dicat, quia inter lupos mitto vos, non arbitremini, quòd ex parua dilectione procedat, quoniam eodem amore, quo miſit me Pater, & ego quoque mitto vos chariſsimos filios meos. Voloq. vos pace vincere etiam lupos, ſicut & ego pace vici mundum: mitto igitur vos agnos in lupos, vt eos agnos faciatis, ad quod ſemel, & bis, & ter pacem inquirite, ac perſequimini eam ſicut me feciſſe videtis. Mitto denique vos ad paſsionem, ſicut miſit me Pater. Dum hæc Apoſtoli perpenderent, & memores eſſent præteriti caſus, quo Chriſto ſublato ceciderant, arbitror eos dixiſſe: O Domine, quo ibimus inermes? quo ſine te duce properabimus? quibus viribus, quo auxilio confidemus? cum etiam te viuente fugimus: tunc Ieſus quartum digitum extendit eis, dicens.

2. Mach. 11. f

Phil. 4. b

Sicut Pater eum, Chriſtus ſuos mittit.

QVARTVS DIGITVS.

ACCIPITE *Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Dum hæc diceret, inſufflauit in eos.* Quid eſt hoc Domine? nunc aſsimilaris quibuſdam medicis, quos vocant ſalutatores: nam hi flato immiſſo, dicunt ſe præſtare ſalutem. Nunc autem Saluator Ieſus flatu ſuo, & ſanat ſuos, dum ait: *Accipite Spiritum ſanctum*, & eos curas animarum conſtituit, dum adiecit: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Quartus ergo digitus vocatur medicus, & hunc extendit nunc Dominus in ſuos, vt mederi valeāt animarum languoribus, dicens: *Quorum remiſeritis, &c.* aperiāt ergo hæretici oculos ſuos, & ſciant quòd ſacerdotes non poſſunt incognita & inconfeſſa remittere peccata, ſicut nec retinere, ideoq. oportet ea medicis animarum detegere in ſacramentali confeſsione. In cœna igitur, vt ait Scotus, eſt eis data poteſtas ſuper corpus Chriſti verum,

nunc autem datur ſuper corpus Chriſti myſticum, & ſicut prior manet in Eccleſia apud ſacerdotes conſecrantes; ſic etiam & ſecunda apud eos, peccata in confeſsione cognita remittentes. Igitur ne dicatur eis: Medice cura teipſum, eos curauit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum:* ac deinde curatores inſtituit, dicens: *Quorum remiſeritis, &c. Accipite Spiritum ſanctum*, id eſt a Spiritu ſancto poteſtatem dimittendi peccata, quia nemo poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus. Ne dicant ergo hæretici Deum talem poteſtatem hominibus non dediſſe. Hic dubitare forſitan ſacerdos poterit, cui nam remittere debet peccata, aut cui retinenda ſunt: ſed huic dubio reſpondit Auguſtinus, quòd non ſunt remittenda, niſi habenti Spiritum ſanctum, hoc eſt voluntatem ſanctam. Non ergo habeas ſpiritum luxuriæ, qui te agat in porcos: non auaritiæ, qui te vexet cadentem: non ſuperbiæ, qui inflet: ſed Spiritum ſanctum & rectum, renouatum in viſceribus tuis per vitæ nouitatem. Et tunc remittet ſacerdos peccata tua: ſin autem retinebit. Oportet igitur vt reijcias omne periculum, & proximam occaſionem peccati, quia non eſt datum māna filijs Iſrael in deſerto, niſi deficiente farina Ægypti, quæ eſt proxima pani, id eſt occaſio proxima peccato, alioquin minimé dabitur tibi manna remiſsionis & gratiæ. Ecce igitur qualiter conferri debet ſalus abſolutionis, quam volentes Apoſtoli dare Thomæ, quem a peccato dubitationis curare nitebantur: dum poſtea venit, *non enim erat cum eis, quando venit Ieſus*, dicunt ei: O frater ſi affuiſſes heri, ſi nobiſcum manſiſſes, quis te detinuit ne tanto gaudio exultares? multum equidem perdidiſti, vix aut numquam in vita tua ſimile reperies. Cum beatus Thomas eos ſic ingenti gaudio reſolutos, & nimia lætitia extra ſe videret, ore aperto nimis ridentes, hilaresq. ſpiritu conſpiceret, dixit: O viros incautos & incircumſpectos a profunda conſideratione alienos. Scitis nos magiſtrum optimum perdidiſſe, propter quem & mundum omnia relinquimus, ita vt odiat vos mundus, nosq. vellet trucidare, & ridetis, cum gaudium noſtrum Ieſum ſciamus obijſſe flendo? O Thoma, dicunt Apoſtoli, ipſe gaudium noſtrum Ieſus iam reſurrexit, iam lætificauit nos, iam riſum fecit nobis, cui reſiſtere nequimus.

Quis

Luc. 4. d

Abſolutio quibus detur.

Apoſtolorũ gaudiũ vnde cauſetur.

Quis namque non gaudeat videns formam ſerui redactam in formam Dei? deiectionem in altitudinem priſtinam, vulnera in gloriam, dolorem in gaudium, tempeſtatem paſsionis in ſerenum reſurrectionis, deformitatem in decorem, tenebras crucis in lucem gentium, fletum in riſum, famem ac ſitim in opulentiam, fugam in victoriam, mortem in vitam, ſtellam in ſolem, noctem in diem? Cum iam gloria effluebat ex vulneribus antea ſaniem emittentibus? ſcito quia vidimus Dominum, vidimus latus eius apertum, & manus tenebratas gloriam emanantes. Tunc ait Thomas: hoc deterius eſt malo priori: nam prius perdidiſtis magiſtrum, nunc autem perditis ſenſum. Creditis ne ſomnis & phantaſmatibus veſtris? nam cogitationes amantium ſomnia vocant philoſophi. An forte ob dementiam veſtram ignoratis ſcripturam dicentem: Qui cito credit, leuis eſt corde? Apoſtoli autem volentes dare rationem Dei, qui in eis erat, reſponderunt: Non cito credidimus, immo tardi corde fuimus ad credendum: nam nec mulieribus quidem exhibuimus fidem, quæ terruerunt nos, dicentes Chriſtum ſurrexiſſe, & angelos vidiſſe, nec adhuc credidimus, quoniam deluſio putabatur, nec apertioni ſepulchri, quoniam ſublatio putabatur, nec lintheaminibus inuolutis ac ſeparatis: nec verbis Ieſu ante dictis credidimus, quia oblita erant, nec prophetis, quia non intelligebamus, ſed nunc exhibitis rebus ipſis cogit nos euidentia: quia eum vidimus non dormientes veluti in horto, ſed vigilantes: nec enim apparuit in angulo vt phantaſma, quod carnem & oſſa non habet, ſed in medio ſtetit vt veritas, quem amplexati ſumus, deditq. nobis ſpiritum ſuum, & poteſtatem remittendi peccata, oſtenditq. latus & vulnera, & aperuit nobis cor ſuum. Tunc autem recordati ſumus verbi ſui, dixerat namque: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum. Si tu adeſſes, fruereris quidem eo ſicut & nos: Ego inquit Thomas, non adhibeo fidem rei, nec vllo modo credam, *niſi videro in manibus eius fixuram clauorum:* & vltra hoc mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam etiam manum meam in latus eius: aliquando enim oculus fallitur, & manus dum tangit, quæ

Thomas reprehendit diſcipulos.

Eccli. 19. a

Matt. 18. e

quæ oculus vidit, teſtimonium duplicatur: & in duobus, aut tribus teſtibus, ſcilicet in aure, & oculo, & manu ſtat infallibiliter omne verbum veritatis, vt ipſe magiſter noſter docebat. Sic ergo ad inuicem conferebant de Chriſti reſurrectione apoſtoli, & Thomas per octo dies, quibus ipſe partem negatiuam ſuſtinebat, donec videret, & palparet. Ille autem, qui neminem vult perire, qui & ſeruauit, ne quiſpiam periret eorum, quos dedit ſibi pater ſuus præter filium perditionis Iudam, poſt dies octo, dum aderat Thomas, venit, vt auricularem digitum extenderet, àc mitteret in eius aurem, ne Apoſtolorum monitioni ſurdaſter eſſet.

VLTIMVS DIGITVS Thomæ infertur.

CVM ergo poſt dies octo adhuc non crederet, ſed oraret, & optaret, vlnera Chriſtus oſtendit ſibi: audiuit eum Dominus ob Apoſtolos orantes cum eo, ideo coram ipſis tranſactis octo diebus venit Ieſus, vt prius intrans ianuis clauſis, ne Thomas fideret contractioni manuum ſuarum, & ſalutatione pacis præmiſſa: volens aperire digito inſpirationis internæ aurem Thomæ, dixit ei: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Ecce quo modo Saluator oſtendit Thomæ, quòd audiuit verba eius, quia dignatus eſt repetere formaliter, quæ Thomas dixerat, vt ſic aurem cordis eius tangeret, antequam tangeretur ab eo. Nec mirum, quia Dominus præuenit eos, qui ſe concupiſcunt. Thomas ergo fatetur digitum Domini auribus ſuis appoſitum, dicens per prophetam: Mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorſum non abij. Mane, inquit, erigit mihi aurem, quia præuenit me: vt aurem fidei eleuarem ad ſuam deitatem, quæ tangi nequit. Væ hominibus deiectas habentibus aures vt canes, qui non niſi terrena cupiunt audire & placentia. Thomas digito ſpirituali Dei viui habet aurem iam erectam, eumq. audiens quaſi magiſtrum animæ ſuæ, ac ſentiens virtutem ſuſurri eius, ait:

[Margin: Chriſtus aperit aurẽ Thomæ.]

[Margin: *Sap. 6. c*]

[Margin: *Iſa. 50. b*]

Dominus

Dominus Deus aperuit mihi aurem. Dominus Deus, inquit, infundit auribus animæ meæ verba hæc illis ſimilia: *Dominus meus, & Deus meus.* Ideo ego non contradico, ſed aſſentio: quoniam Ioannes ſic ait: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Ecce quo modo Thomas a digito Dei accepit, quæ protulit, alioquin tam profunde non loqueretur: nam vocans eum Dominum & Deum ſuum, explicite oſtendit, quæ de Chriſto credenda ſunt: quoniam Dominus ac Deus moriens & reſurgens ſemper fuit. Duobus ergo verbis explicuit Chriſtum, qui duabus naturis conſtat. Sed quem ſuum vocat, pro ſua vtilitate fatetur paſſum per carnem, & reſurrexiſſe per deitatem: vnde propterea diuiſim dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Ecce igitur fratres quo modo iuxta propheticum dictum, dedit abyſſus, id eſt, Thomas vocem ſuam, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Et altitudo quæ Chriſtus eſt, manus ſuas leuauit, ſcilicet deitatem & humanitatem, quas velut manus eleuatas ei reuelauit. O igitur manus Chriſti pretioſæ ad largiendum apertæ, ad benedicendum extenſæ, ad amplexandum curuæ, ad deprecandum patrem eleuatæ, ad defendendum amicos armatæ, ad feriendum inimicum fortes, ad gubernandum gratæ, ad humiles ſubleuandum promptæ, ad inuictos præmiandum plenæ, ad leproſos curandos piæ, ad iratos ſedandos mites & leues, ad nutriendum paruulos nobiles, ad perfecte operandum tornatiles, ad deducendum in gloriam ſecuræ, & ad coronam ad locandum in patria felices, & ad felicitatem ſperandum certiſsimæ, quam mihi dignemini præſtare. Amen. *Abac. 3. c*

De manu deitatis alter ſermo poterat fieri, alibi eum videbis. Nunc autem ſi vis manus extollere Chriſti, quære auctoritates pro viginti præconijs, earum iam breuiter dictis.

SERMO DOMINICÆ SECVNDÆ POST PASCHA.

De Paſtore.

THEMA.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 10.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NON parum feliciter paſtor noſter Ieſus curam ouium ſuarum habet, cum cibet eas pane vitæ, & intellectus, hoc eſt verbo Dei, quod animę paſcua eſt: ideo dictus eſt vitæ & intellectus, quia totum hominem cibat, rationem, & voluntatem eius afficiens. Curioſus eſt cibus iſte, & eis eſt tantum intellectus & non vita, qui eius ſpecioſitate detenti, mirantur illud. Multi equidem hodie mirãtur in doctrina Dei, ſicut tempore Chriſti, ſed oportet quòd voluntate accedat, & tunc verbum Dei erit panis vitæ, quia ſcriptum eſt: Vita in voluntate eius. Sed nec ſatis erit hoc, niſi adſit ignis feruidi amoris: nam tepida voluntas ineſficax eſt. In naturali cibo calor naturalis neceſſarius eſt, non tepidus, ſed feruidus, alioquin parum proderit, nec valebit illum digerere, vt in noſtram ſubſtantiam mutet. Sic ergo in cibo Dei opus eſt charitate, & calore Spiritus ſancti, quo digerunt in animæ ſtomacho Dei verba, vt tranſmutentur in ſubſtantiam eius per opera virtuoſa. Væ nobis ſi ob culpam noſtram minime proderit tantus cibus: quotidie deuoramus ſermones Dei, in Dei verbis exercemur, deglutimus, vt opinor ea, non tamen digerimus. Et ſicut mel multum comedere non eſt bonum, vt ait ſapiens, ſic nec multum aſsidua Dei verbi auditio, niſi

Eccli. 15. a — *Pſ. 29. a* — *Prou. 25. d*

 digeſtio

digeſtio adſit: ſed ad hanc cum igne Spiritus ſancti indigere nouerimus, quid faciemus fratres? ſolent ſane optimates venatum ire famem, & ſpatiari, ſed nos ad quem ibimus niſi ad Mariam, in qua veluti in templi altari Spiritus ſancti reſedit ignis? iſta eſt rubus ille, quem ardere vidit propheta, iſta poterit facere, vt in ſermone ardēs ſit cor noſtrum: ideo accedamus ad eā, dicentes. Aue Maria. *Exod.3.A*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

MISERICORDIA motus ſuper oues paſcuæ ſuæ Deus, videns eas tam male agi, paſtoresq. ineptos, dicit: Impudentiſsimi neſcierunt ſaturitatem: & ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. De luxuria, & auaritia, & ignorantia carpit eos, & etiam in præſenti Euangelio de tribus dictis agit vitijs: nam qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis, pœnitentiam agendo pro ſubditis, non luxurioſe viuit: felix ille, qui cilicio indutus lugebat filium deuoratum: & Samuel Saulem lugebat: & Iacob gelu & æſtu laborat pro commiſſo ſibi grege. Nec eſt auarus, qui mercenarius non eſt, nec mercedem quærit, ſed animas pro quibus ſaluandis non rapit lanam & fugit, ſed propriam rem diſtrahens, & perdens expectat, ſupportans ouium infortunia. Contra tertium vitium dicit: *Cognoſco oues meas:* immo & ex nimia viſitatione *cognoſcunt me meæ*. Videns ergo Dominus mala paſtorum antiquorum, & præſentium, promiſerat gregi ſuo paſtorem ſecundum cor ſuum, qui non ſe ſed gregem paſceret, ouesq. diligeret ſicut proprius dominus. In huius ergo expectatione detentis dicit Ieſus: *Ego ſum paſtor bonus*. Quid expectatis? quem attenditis? non ſitis amplius ſuſpenſi expectatione promiſsi paſtoris, quia ego ſum ille paſtor bonus, quem vobis promiſerat Deus. Duo faciam in ſermone: primo oſtendam quo modo eſt paſtor: ſecundo quo modo eſt bonus.

Iſa.56.A Paſtorum vitia. *Gen.37.G* *1.Reg.15 G* *Gen.31.F* Diuiſio.

PRIMA PARS.

FREQVENS eſt in ſacra pagina paſtoris parabola, nō ob aliud, niſi quia ipſe Deus filium ſuum paſtorem

factucus

facturus erat, & ob id magnum quid erat apud antiquos paſtoris officium: vt filium Dei aſſociarent, & figurarent, & imitarentur. Paſtor ergo fuit iuſtus Abel: & optimus qui fuit pater habitantium in tentorijs, atque paſtorum, fuit & Abraam. In ſecunda autem mundi ætate defecerunt paſtores, & forte propterea diſperſæ ſunt oues errantes vndique in ſectas hominum. Tamen poſtquam Deus vocauit ab oriente iuſtum Abraam paſtoris officium reaſſumitur, quia & Iſaac, & Iacob, & Ioſeph adhuc puer, & Moyſes, qui dicitur paſtor hominum, iuxta id pſalmi: Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Item reges antiqui paſtores fuere, vt Dauid ab vrſo & leone auferens oues ſuas. Et etiam poſt adeptum regnum paſtor fuit Saul, qui electus in regem veniebat ſequens boues de agro. Cirus & Amos propheta paſtor extitit. Denique ex antiquis tam reges, quam patriarchæ, & prophetæ paſtores fuere. Sed non niſi optimi eorum tenuerunt figuram paſtoris noſtri Ieſu Chriſti, qui non modo eſt bonis paſtor, ſed ſolus eſt bonus paſtor: ita quòd ſicut nemo bonus niſi ſolus Deus, ita nemo bonus paſtor, niſi ſolus Chriſtus, quapropter vt Auguſtinus notat: Examinatus eſt Petrus ter de amore Chriſti, antequam ei committeret oues, & agnos, quia non bene paſceret, niſi fieret Chriſtus per amorem: & ita ſicut ouium nemo antiquorum fuit bonus paſtor, niſi quatenus fuit vmbra Chriſti: ita nec ſequentium, niſi quantum ſe transformat in Chriſtum. Non enim igniaui paſtores fuerunt vmbra Chriſti, ſed hi a quibus fugiebat ſomnus vt Iacob, aut innocens Abel, aut fortis Dauid auferens prædam ab ore leonis. Poſtquam igitur venit bonus paſtor, non eſt opus, vt hoc officium maneat in regibus litteraliter, quia iam figura completa eſt in Chriſto, qui ſe paſsim in Euangelio paſtorem facit, & nominat vſque ad iudicium: vbi etiam veniet vt paſtor ſegregans oues ab hœdis, ſtatuensq. oues a dextris, hœdos autem a ſiniſtris. Nec ſolum ſe paſtorem nominat, ſed etiam ſub hac parabola Eccleſiam commiſit Petro: vt ſub ea etiam ſe nouerint comprehenſi omnes prælati poſt Petrum, ſuper quos omnes Chriſtus eſt, de quo in figura refertur: Genuitq. Adam Iabel, qui fuit pater habitátium in tentorijs, atque paſtorum.

Gen. 4. b
Ibid. c
Paſtoris parabola frequens eſt.
Pſ. 76. d
1 Reg. 11 b
Paſtoris bonitas, ſtat in Chriſti amore.
Aug. tract. 123. in Ioã. to. 9.
Matt. 25. c
Paſtoris figura.
Gen. 4. c

paſtorum. Adam interpretatur cõgregatio ſiue ornata: & eſt beata virgo Maria, quæ in ouili vteri ſui congregauit, quæ in cælo ſunt, & quæ in terris ſunt, Deum & hominem. Hæc tam ornata fuit gratijs & virtutibus, vt in eius comparatione ceteri videantur nudi. Nec mirum, quia ornatam omnibus filiam Sion Dominus concupiuit: hæc ergo genuit Iabel, qui eſt Chriſtus Dominus: nam interpretatur apportans, ſiue germinans, vel iubileus. Plurimam quippe induſtriam alendorum pecorum ad nos vſque apportauit Ieſus magiſter totius gregis, à quo diſcere oportet officium paſtorale: Nam, vt notat Hugo, hic Iabel curioſiſsimus paſtor fuit in alendis gregibus ac prouidendis. Eſt etiam Chriſtus germinans tantum, vt ſit germen eius in magnificentia & gloria, & fructus terræ illius ſublimis. Aliunde namque ceteri paſtores quærunt doctrinæ germen pecoribus ſuis: quia non germinant vt Chriſtus. Nec mirum, quia eſt verbum Dei, & tam grandis ſermo, vt quoſcumque paſcat non ſolum ſapientes, & inſipientes, ſed plurimum contemplantes. Immo tam prope ſe germinat, quòd ingredientes, & egredientes paſcua inueniant. Felix ergo populus eius, & oues paſcuæ eius, quia tam ſecuræ ſunt, vt non ſit, qui exterreat in meridie cum paſtore cubantes: nam ideo Chriſtus etiam dicitur iubileus, quia quando iubileus olim erat, oues ad proprios & priores dominos redibant. Iam ergo populus Chriſto redditus, iubilando ſedet in pulchritudine pacis & requie opulenta. Eſt etiam Chriſtus apportans in incipientibus agnis, germinans in proficientibus ouibus, iubileus in perfectis arietibus gregum ducibus. Quilibet enim pro captu ſuo paſcendus eſt: Namque propterea dicitur, quòd quilibet paſtor debet paſcere ſubſidio, & doctrina, & exemplo: ſubſidio incipientes, & iſte apportat: doctrina proficientes, & iſte germinat: exemplo perfectos, & iſte iubilat. Iam ergo noſter Iabel Chriſtus dicitur etiam fuiſſe pater habitantium in tentorijs atque paſtorum. Vbi aduerte quòd in cælo gentibus à patre pater paſtorum fuit. Sunt quippe & in cælo paſtores, quia vt ait Dionyſius: Superiores angeli inferiores purgant, illuminant, & perficiunt, quod eſt paſtoris officium. Vbi & minores dicuntur oues ſignatæ in ſeptem millibus

Adã quid.

Iſa.61.a

Iabel interpretatio.

Ioã.10.b

Pſ.94.b

Iſa.32.d

Dion. de cæleſti hier. c. 3. in med.

a   ouium

ouium Iob, quos omnes ſub lucifero poſuit quaſi ſub paſtore. Nec mireris, quòd angeli immo & homines dicantur oues, & dicātur etiam paſtores, nam Dominus gregum ſic iubet. Vbi aduerte, quòd affectamus ad oues totum emolumentum, & fructum ouium erga eaſdem impendit, & ex grege duces ipſius gregis elicit. Sic noſter Deus ex creaturis rationabilibus, & intellectu præſtantibus facit paſtores: ex oue facit paſtorem, quoſdamq. delegit, vt præſint gregi, cum etiam ipſi ſint oues. Nec enim erit bonus paſtor ſi ſe non cognouerit ouem, eiusq. morem fuerit imitatus. Rectorem, inquit ſapiens, te poſuerunt, eſto ſicut vnus ex illis. Non eſt paſtor, qui paſtorem ſuper ſe non habeat, reſpectu cuius dicitur, & eſt ouis, cui ſi non ſe dat velut ouem coram eo, minime ſe putet erga inferiores bonum paſtorem fore. Nam ſunt quidam inter fratres monachos, & plures prælati, qui ſe liberos natos putant, ac ſi iure hereditario prælatura figurentur, cui annectunt & contumaciam, quia nec ſemel in triennio patiuntur æquo animo corrigi a baculo ſuperiori viſitante, immò & prælati minores obedientiæ iugum proijciunt quotidie, qui numquam niſi rebelles oues nutriunt, & contradicentes ſibi, & merito: nam ſubditi fratres dicunt: Nos portamus pondus diei, & æſtus iræ ſuæ: ipſe etiam nec vna hora obedire vult prouinciali ſuo. Compertum ergo habeo, quòd qualem te ſuperior inuenerit, tales inuenies inferiores: audiunt enim contumeliam tuam ſubditi tui, & paruipendunt etiam ipſi imperia prælati.

Eccli. 32. a — Prælatus debet eſſe etiam ouis. — *Matt. 20. b*

Nec arbitreris, quòd ſit aliquis creatus paſtor, quin ſit ei opus eſſe etiam ouem: nam & ipſe Chriſtus princeps & paſtor inquantum homo eſt ouis: vnde eius humanitas ſignata eſt in oue Natham prophetæ, quæ in ſinu verbi dormire dicitur, & in calice fruitionis bibere, & pane ſapientiæ vti, eratq. ei ſicut filia. Vnde Chriſtus reſpectu humanitatis eſt optima ouis, qui meliores oues facit paſtores: nec ſolum in terra, ſed in cælo: vbi ſeptē millia ouium vniuerſi angeli ſunt: quia omnes generaliter ſunt creati ſub manu Dei velut ſub paſtore: tamen inter eos paſtores hierarchas dicimus, inter quos præcipuus eſt lucifer, ſub quo quaſi ſub paſtore poſuit angelos Deus, & ideo lucifero dicitur: Omnis lapis pretioſus operimentum

Prælatus eſt ouis. — *2. Reg. 12 a* — Lucifer malus paſtor. — *Exo. 28. c*

tuim tuum: quia vt ait Gregorius: eis ornabat ſe: nam ſicut in paucitate plebis ignominia principis, ſic econuerſo in multis ouibus honor eſt paſtoris, qui tantus fuit, vt lucifer ex officio ſuperbiret: ita vt ex paſtore mercenarius fieret, ex mercenario fur, ex fure lupus rapax, & diſpergens oues: ſic vt ex ſeptem millibus non remanerent niſi nonagintanouē in deſerto relictæ, ſcilicet numerus truncatus. Mercenarius quidem fit per amorem proprium ſui, quæ ſua ſunt quærens, & in ſeipſo nimis complacens: fur autem efficitur, quando nititur habere Dei æqualitatem: lupus autem dum rapit & diſpergit magnam partem gregis: nam, vt aiunt, cauda ſua tertiam partem traxit: ſic enim lupus ouem cauda ferit, vt ſecum æquo ambulet paſſu. Remanſerunt tamen quas Deus in ſua ordinatione cognouit, eas autem cognouit, pro quibus animam daturus erat: ideo enim dicitur, quòd vicerunt eos in ſanguine agni. Poſiturus quidem erat Dei filius animam pro ſuis: fuerunt autem ſuæ, quæ audierunt vocē eius, id eſt perſeuerantiæ: vt Auguſtinus exponit ſuper hoc euãgelium. Eas enim nemo potuit rapere de manu ſua: ſed quia alias oues adhuc habebat in tentorijs carnis, ſcilicet homines, quas habuit Deus in ſua ordinatione, quæ non erant ex illo ouili, & eas oportebat adducere ad ouile cæli pacatum: creauit centeſimam ouem naturam humanam, vt earum numerus impleretur, quas ignis de cælo conſumpſerat, cum cecidit Satanas vt fulgur. Veniens igitur iam deterior lupo, quia ſerpens callidior effectus, ouem illam fecit paſcere in vetito, malum præbens conſilium, vt ab ea pignus acciperet, ſuoq. ſigno rubricaret, immo & tondere eam voluit: nam videbant ſe eſſe nudos, cum potius eſſent ſcoriati a pellibus Salomonis, quæ ſunt diuerſæ gratiæ. Duxitq. eas per campos licentiæ extra hortum tanquam oues macelli: harum enim eſt vox illa: Non ſit pratum per quod non tranſeat luxuria noſtra. Oues macelli paſcunt in vinea poſt vindemiam, & paſcunt ſata poſt meſſem, ſed non aliæ oues: & ſic mali ad libitum relinquuntur, quia cito ad mortis macellum deuenient. Sata poſt meſſem, & vinea poſt vindemiam ſunt deliciæ carnis tantum ſine ſpiritualibus alimentis. Iam ergo licet eſſent multæ

Greg. lib. 32 Moral. cap. 18. to. 2.

Prou. 14. d

Lucifer eſt fur & lupus.

Apo. 12. a

Ibid. c

Sap. 2. b

oues Dei erant captiuæ, nec Dei paſtores antiqui eas de manu tam generalis inimici potuerunt redimere, nec de regionibus congregare, quia puri homines erant, nec ad tantum ſe extendere poterant: ideo non erant, niſi quaſi Giezi præcedentes Chriſtum cum eius baculo, id eſt au-ctoritate: vmbratiles erant, ad vmbramq. paſcebant, quia nondum ſol iuſtitiæ ortus fuerat, & ideo oues erant macilentæ, atque diuiſæ, vt Abraam & Loth: ſic gentiles, & iudæi, quamuis eſſent fratres ab vna ſtirpe deſcendentes. Et denique tam oues, quam paſtores in ouili obſcuro limbi erant, clamantes: Erraui ſicut ouis quæ petijt: quære ſeruum tuum, quia mandata tua, & promiſſa non ſum oblitus: donec dignatus eſt venire & fieri Dei filius, etiam paſtor habitantium in tentorijs, ſicut fuerat paſtor paſtorum in cælo. Tentoria corpora noſtra ſunt, vbi animas habitare dignoſcimus, vel potius ſunt ritus antiquorum, & cerimoniæ ad tempus ſtatutæ: indeq. mouendæ velut tentoria, donec ex tentorio limbo ducerentur ad propria per eum, qui natus eſt paſtor Ieſus, paſtorum princeps: ſtatim enim cum naſceretur, conuocat paſtores, non omnes, ſed bonos & vigilantes, vt agnoſcerēt eum, cuius ſunt oues propriæ. In illis paſtoribus exiſtimat præteritos, atque honorat præſentes, & figurat futuros Eccleſiæ: nam ibi erant omnes in illis, quaſi in ſigno. Ex tunc Ieſus ad paſtoris officium ſe nutrit, aptatq. vt ille, qui paſcebat gregem patris ſui adhuc puer. Ideo veniebant angeli ad paſtum & ad paſtorem. Ibi cognitus eſt pater habitantium in tentorijs, atque paſtorum, ſcilicet angelorum: quia eorum hierarcha eſt Ieſus etiam inquantum homo, prout præcedit eos in gratia & gloria, alioquin non diceret Petrus: In quem deſiderant angeli proſpicere. Dicitur paſtor Dei filius ob tria, ſcilicet excellentiam ſuam, vtilitatē noſtram, & curam ingentem gregi impēſam: tanta eſt noſtri paſtoris ſublimitas, vt etiam ſummi angeli ſint oues eius: quia tantum diſtat ab eis, quantum vita paſtoris a vita pecudis. Qui quo ad ſecundum, ſolam noſtram vtilitatem intendit: nam vt ait Auguſtinus: quis eſt chriſtianus propter ſe, paſtor autem propter alios. Quod in ſummo conuenit Chriſto, qui bonorum noſtrorum non eget. Nam alij paſtores multum fructum capiunt ex ouibus,

Paſtor eſt Dei filius.

Pſ. 118. z

Ioſeph fuit ille.

Gen. 37. a

1. Pet. 1. c

Chriſtus dicitur paſtor ob tria.

Pſ. 15. a

immo litterales oues ſolum propter fructum habentur in cura. Paſtores autem hominum alieni debent eſſe a proprio commodo, ſed non omnino ſunt alieni. Nam beatus Paulinus, qui ſeipſum dedit ſeruituti perpetuæ pro oue filio viduæ captiuo, tandem liberatus eſt cum omnibus captiuis honorifice, qui propterea inter paſtores Chriſti nimio proſequendus eſt honore: Chriſtus tamen nil omnino a nobis recepit. Dicitur denique paſtor, quia nimiam curam habet etiam de puſillo agno, nec dormitat qui cuſtodit Iſrael: ſed vigilantes, & feſtinantes vocat talis paſtor paſtores optimos, & ſolicitos.

SECVNDA PARS.

VISO quo modo eſt paſtor, videamus quo modo eſt bonus paſtor: melius videri non poteſt quàm ſi ei conueniant omnes boni paſtoris proprietates, a quo diſcant ceteri paſtores, diſcamus & nos ouiculam animæ noſtræ cuſtodire per eaſdem conditiones. Quæ etſi plurimæ ſint, paſsimq. ponantur in ſacra pagina, in hoc Euangelio non ſunt deteriores, ſed meliores conditiones. Quas vt proſequamur aduerte, quòd prima conditio eſt, vt cognoſcat oues ſuas, ſine qua nihil faciet. Quando hæc proprietas eſt magna, mutuo ſe cognoſcunt paſtor & oues ex nimia viſitatione ac familiari conuictu, atque frequenti beneficio. Quæ proprietas ita Chriſto adiacet, vt dicat: *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Si ergo eas agnoſcere debet, vt ſciat dare quemlibet agnum matri ſuæ, quod in magno grege difficile eſt, atque difficilius cum oues ſunt homines: nec paſtor debet ſatis putare ſi cognoſcat vultum exteriorem pecoris, ſed etiam interiorem animæ diſpoſitionem: vnde Bernardus in ſermone tertio aduentus, dicit ſe valde timere, cõſiderans quòd a cuſtode eſt petenda ratio abſconditi mali, iuxta id: Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Dabit enim prælatus rationem de iudicijs, & odijs interioribus, quæ eius culpa cauſantur. Si prælatus dici debeat, an potius mercenarius qui fugit, id eſt ſilet, nec ipſe curat, ſed diſsimulat, cum venit lupus nocte vel dæmon, qui cum dormirent homines, prælati ſcilicet, venit inimicus

Paſtoris prima conditio qualis.

Iſa. 21. 9

ſuper ſeminare zizanias in medio fratrum ſuorum, talis prælatus non reprehendit oues amantes perniciem, quæ niſi perire permittantur, nolunt dirigi, ſed cornibus impingunt: væ autem idolis, quia damna ouium ſuarum non poſſunt argento compéſare, vt facit materialis paſtor. Nec mireris ſi ad ea, quæ intrinſecus latent corrigenda tenearis: quia per orationem neceſſariam prælato (ſicut vigilia paſtori) omnia ſçire poteris. Vbi nota quòd prælato eſt meritorum id, quod mihi eſſet nociuum ac peſsimum, ſcilicet petere a Deo, vt mihi reuelet vitam proximi. Quod facere debet ſolicitus paſtor: nam Ignatius ad Policarpum ait: Aſtutus eſto vt ſerpens, ſimplex vt columba: propterea enim ex anima & corpore carnaliter, & ſpiritualiter extas, vt omnia quæ tibi fuerint oſtenſa in facie, corrigas, quæ autem tibi inuiſibilia fuerint, pete vt tibi manifeſtentur, vt tibi nihil deſit, ſed totius gratiæ abundansſis. Quod ſi ita eſt, væ prælato non corrigenti adhuc quæ videt, nec id audire volenti, cum ſcriptum ſit: Noli fieri iudex niſi virtute valeas irrumpere iniquitatem. Quod eſt contra prælatos dicentes ſe non poſſe: putantes ſe ideo inexcuſabiles: cum par iniquitas ſit in eis non poſſe, & non velle. Quia ſi non poſſunt, dimittant paſtorale officium: ſi autem nolunt, deteriores ſunt mercenario. Chriſtus autem paſtorum exemplar non ſolum ſcit oues, ſed nominatim eas nouit: quia ſpecialiter redemit oues nondum natas, easq. videt vſque ad abſconditas partes: & ſcit ſecrete per conſcientiæ remorſum, aliquas caſtigare non ceſſans etiam nunc: alias vero publice in oculis ſolis huius, dicens: Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.

Ignatius ad Policarpum epiſt. 8. circa med.

Eccli. 7. a

Pſ. 49. d

Quæramus nunc a paſtore bono, cur permittit oues ſuas inter hœdos alienos eis nocentes, cum optime cognoſcat ipſe oues ſuas. Prælati hoc patiantur, quia ſolus Deus intuetur cor, ideo permittunt ſæpe malos in medio bonorum, quia non plene cognoſcunt: Deus autẽ, & in ea quæ intrinſecus latent & ea quæ futura ſunt, dijudicat. Cur ergo eas Domine ſinis etiam viuere inter hircos, nonne melius eſſent in ſuo loco ſeparatę, vbi nõ ſit qui exterreat? nec enim ſatis videtur ſeparari ab hæreticis lupis: ſunt & lupi domeſtici, qui vt ſecurius decipiant, veniunt ad nos in

veſtimentis ouium: cur ergo Domine agnitor cordis non collocas vnumquemque in loco ſuo? quæ conuentio lucis ad tenebras, nec ouium ad hyrcos? nam conſiderat peccator iuſtum: & quærit mortificare eum. Hic aduerte pro quæſtionis ſolutione, quòd parum curat paſtor dum eſt in paſcuis ſeparare oues ſuas, quamuis miſceantur alienis; aut alio generi animalium mitium vel non multum ferocium. Solum ergo ſeparat oues cum eas vult ad ouile proprium reducere. Nunc fratres mei ſumus in paſcuis: quia ſanctus Dauid ait: In loco paſcue ibi me collocauit. Status pręſentis Eccleſiæ comparatur paſcuis, ideo in eo velut in arca Noe omnia mixta ſunt: in paſcuis Eccleſiæ non ſunt animalia multum ferocia, quia ſi ſic eſſet non ſineret ea paſtor cum ſuis: quas parum ledere poſſunt, quoniam ipſe dixit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere. Conditio ergo loci eſt, vt aliquid patiantur oues, & non eſt incuria paſtoris: immo ſi multum ſecurus fueris non ideo melius: nam quædam animalia ponuntur in paſcuis vberrimis ad malum ſuum, ſicut arietes & ſues, qui impinguantur, vt occidantur: quædam autem ad laboris ſubleuationem, vt boues: & ſignum quod animal ponitur in paſcuis ad malum ſuum eſt, ſi non exponitur interdum labori, ſed comedit quando vult, atque dormit: quando autem ſtatuto tempore laborat, & poſtea paſcit, eſt ſignum vitæ. Primi generis ſunt mali in hoc mundo habentes pacem in ſubſtantijs ſuis, ducentes in bonis dies ſuos, optantes vt ſibi ad votum cuncta proueniant. Secundi generis ſunt optimi homines, qui norunt interpolatim operari, ſcientes ſe non viuere vt comedant, ſed comedere vt viuant, & operentur manibus, atque moleſtias patiantur, & rapinas bonorum ſuorum. Nam tempus eſt belli: & tempus pacis. Arietes dæmonis auidius edunt in paſcuis veſpere quàm mane, nec ſaturantur ad libitum: quoniam auarus non implebitur pecunia, ex eo quòd totum intentum ſuum ponit ibi, de alio non cogitans perſoluendo labore. Vbi aduerte, quòd teſte Plinio, ouis habet duos ventres, minor autem non impletur dum comedit, donec ceſſat a comeſtione, & ruminat. Sic ſunt bona mundi, quæ ventrem corporis implere

2.Cor.ſ.a *Pſ.36.d* Oues ſunt mixtæ in pręſenti ſęculo.

Pſ.22.a

Matt.10.c

Locus paſcuæ eſt Eccleſia.

Eccli.41.a

Eccls.3.b

Eccls.5.b

poſſunt, non autem animæ, venter cordis remanet vacuus, donec ceſſes ab iſtis viſibilibus, & rumines per meditationem cum corde tuo, atque ex viſibilibus inuiſibilia contempleris: & tunc animam eſurientem ſatiabis bonis, & de aſconditis meditationibus tuis adimpletus erit venter animæ tuæ minor, id eſt conſcientia bona, quæ non dicitur venter minor, niſi quia minus comedit ob noſtram incuriam. Oues ergo Chriſti non mirentur, ſi aliquando deficiat eis alimentum corporis, & temporalis pax: quia loci conditio hoc habet: ſolum quidem in nemore clauſo non admittuntur animalia ferocia cum mitibus, quia ea faciliter deuorarent, in aperto autem ſic: velut eſt Eccleſia, quæ gremium non claudit venientibus etiam aliquando malis; nam propterea dicit Iob: Socius fui ſtruthionum, & draconum. Paradiſus autem nemus clauſum eſt, ex quo animalia ferocia excluduntur angeli mali: & mitia ſi errauerint animalia reducuntur ad illud per paſtorem bonum, quia Adam errauit ſicut ouis: immo & omnes nos ſicut oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: donec bonus paſtor Ieſus nos ducat in humeris ſuis gaudens. Tunc diligentiſsime cognoſcet ſolas oues ſuas, ita vt ceteris dicat: Amen dico vobis, neſcio vos. In ſero vitæ noſtræ quando dare voluerit dilectis ſuis ſomnum, vt ruminent fructum illius ventris, quia ait: Ex vtero ante luciferum genui te. Tunc peculiarius cognoſcet oues ſuas ad ouile paradiſi, nemusq. clauſum reducendas. Vbi ſedebit populus Dei in pulchritudine pacis, & in requie opulenta: & non erit qui exterreat. Quoniam ibi non erit alienus, quando ſeparabit oues ab hœdis, & ſignanter dicet paſtor ouibus ſuis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: vbi ſedebitis vos ſuper menſam meam in regno meo, vt animæ potentias, & corporis ſenſus poſsitis ſine faſtidio ſatiare in meipſo ingredientes & egredientes, paſcua vbique inueniendo abundantiſsimæ gloriæ, quam mihi & vobis præſtet Ieſus paſtor bonus. Amen.

Iob 30. d
Iſa. 53. b
Matt. 25. a
Pſ. 109. b
Iſa. 32. d
Matt. 25. d

SERMO

SERMO I.
DOMINICÆ TERTIÆ POST PASCHA.

THEMA.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem. Ioan. 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

MILITANS Eccleſia, vt probat beatus Dionyſius, exemplar eſt Eccleſiæ triumphantis, in qua qui nouit ordinem cæli Deus, rationem poſuit in terra. Et quoniam, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, vt ab altiore incipiamus loco, aduerte quòd tres coronę thyarę pontificis ſignant, quòd in nomine ſummi pontificis Ieſu omne genu flecti debet, ſcilicet cæleſtium, terreſtrium & inferiorum. Cardinales cocco induti ſeraphim deſignant inflãmatos amore. Referendarius qui infirmas defert ad ſummum pontificem petitiones, vt eas per ſuum fiat, firmet, Mariæ officium repreſentat, quæ orationes noſtras apud Deum innoteſcere facit, vt ipſe addat, fiat, quod Maria ſibi petijt, quando dixit: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Illa ergo eſt referendarius cæli, quia manus eius tornatiles: nam ex nobis ad Deum, & ex Deo ad nos pergit: vnde iuſte ait thema: *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem:* ſed vt ſolicitius nobis gratiam impetret, donis eam præueniamus, offerentes. Aue Maria.

Rō. 13. a *Luc. 1. d* *Cant. 5. d*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Via Chriſti duplex.

VTI narrat Euangelium, duplex eſt Chriſti ad patrem via: altera pœnoſa, de qua ei dicitur: In mari, ſcilicet paſsionis, via tua: & ſemitæ tuæ in aquis multis: hæc penatrat animam Chriſti, & ibi finita eſt: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, ne ſcilicet eum permittas amplius triſtari. Altera via eſt gaudioſa, & incœpta eſt poſt reſurrectionem conſummatam in aſcenſione, quando videntibus illis eleuatus eſt: vt ſederet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Et in via paſsionis nubes ſuſcepit eum ſicut in aſcenſione: quia tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram. Ob hanc duplicem viam pœnoſam, atque gaudioſam poſuit Chriſtus exemplum in præſenti Euangelio de muliere, quę prius triſtatur in preſſura aduenientis horæ eius, & poſtea gaudet natum amplexãs, immemor præſſuræ propter gaudium noui hominis. Ob hanc igitur duplicem viam, ait Chriſtus: *modicum*, ſcilicet paſsionis, *& iam non videbitis me: & iterum modicum* reſurrectionis, *& videbitis me: quia vado ad patrem*, & moriẽs, & reſurgens. De hoc duplici modico agã in ſermonis partibus: in prima de primo: in ſecunda de ſecundo.

Pſ.76.d
Pſ.30.a
Act.1.b
Matt.27.e
Diuiſio.

PRIMA PARS.

MIRVM quidem videbitur fratres, cur Dominus modicum tempus paſsionis, cur magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius magna eſt virtus, modicã dicat paſsionem ſuam, qua non viderunt eum Apoſtoli, nec ſolummodo eã nunc modicum dicit, ſed etiã in horto quando dicturus eſt patri: Transfer calicem hũc a me. Calicem Domine vocas totũ mare paſsionis tuæ amariſsimũ, quod ad litteram nolebas tranſuadare. Forte hoc prouenit ex magnanimitate Ieſu: nam Seneca dixit: Magno nihil magnum. Bona quidem ſententia, & meo Ieſu digna, qui etſi agnus eſt, tantæ potẽtiæ dignoſcitur, vt inimicis ſuis dicatur: Os non cõminuetis ex eo, ſcilicet fortitudinẽ animi, quamuis carnẽ eius atteratis: donec ſanguinẽ ſudet atque dicat; Caro autẽ infirma, ſcilicet reperitur. Tamen ſpiritus

Pſ.47.a
Chriſti paſſio cur modica.
Mar.14.d
Ioã.19.g
Mar.14.e

Ieſu robuſtiſsimus eſt, qui propterea exultauit vt fortiſsimus gigas ad currendam viam paſsionis ſuæ: viam, inquam, quia viator ſe fecit. Et velut vno anhelitu cucurrit viam ſuam, quin poſsit detineri, donec diceret: Conſummatum eſt. Secunda ratio huius modicitatis eſt ſua charitas non modica, ſed maxima erga nos. Vt vos amplius moueam, attendite fratres, attendite, & videte ſi eſt amor ſimilis amori Chriſti Ieſu, qui modicam vocat paſsionem ſuam, non quia modicum ſe diligat, ſed quia multum quidem deamat nos: qui in finem dilexit ſuos. Videbantur igitur ei pauci dies paſsionis propter amoris magnitudinem, vt verus Iacob ille ſupplantator pro ſua dilecta Rachele, decora facie, & venuſto aſpectu ſeptem ſeruiuit annis: noſter autem dæmonum illuſor Ieſus pro vnaquaque anima fœda, turpi & nigra, toto tempore vitæ ſuæ laborauit: & ideo bene ille ſeptem annis ſeruiuit, qui numerus eſt vniuerſitatis, quia non ille ſed Ieſus noſter totam vitam ſuam in noſtro expendit profectu: non ob aliud, niſi quia dilexit nos immeritos. Hic maximus amor modicam fecit ſibi paſsionem, quamuis in ſe magna eſſet nimis: tamen in oculis Chriſti modicum quid erat paſsio, cum orabat: vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora. Amor iudicans in amati commodum, modicam putat paſsionem, ſed timor triſtat animam eius vſque ad mortem: & illam horam fecit horam mortis, dum erat in agonia: immo & ipſe Ieſus poſtquam Petro dixerat: Non potuiſti vna hora vigilare mecum: ait turbis: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: vbi talis eſt poteſtas non tenebrarum harum, ſed infernorum non debuit dici hora. In cubito tamen Chriſti amor conſummauit ſummitatem Ieſu paſsionis, quamuis eſſet in diluuio aquarum multarum.

Ioã.19. f *Ioã.13. a* *Gen.29. c* *Matt.14. d* *Ibidem.* *Luc.22. f*

Ecce igitur cur modicam dixit tam maximam abiectionem: vbi non eum viſuri erant Apoſtoli, *quia modicum, & non videbitis me*, ſed nec mirum: nam ipſe abſcondit ſe, & per conſequens modicum ſe fecit. Exinaniuit ſemetipſum formam latronis accipiens. Tunc non ſolum nõ viderunt eum Apoſtoli, ſed non crediderunt: Nec reputauimus, inquiunt, eum. Quis crederet vmquam tale? quis vidit huic ſimile? abſconditus eſt filius Dei: vbi ſe

Phil. 2. a *Iſa.53. a*

abſcondit?

3. Reg. 17 a. abſcondit? in eo loco, de quo dictum eſt ei a Patre: Recede hinc, & vade. Qui etiam in cælo non ſe poteſt abſcondere, quoniam magnus & infinitus eſt, & angelis notiſſimus, quo modo ergo ſe abſcondit, vel quo modo potuit latere? mirum quidē fratres mei, quòd ipſe Deus ſe abſcondat: ſed dum videritis locum abſconſionis eius, poteritis ſcire qualiter abſcondit perſonam ſuam: ſed vade contra

Ibidem. orientem, & abſcondere in Torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de Torrente bibes: coruisq. præcepi, vt paſcāt te ibi. Tempore quo iratus eſt Dominus Iſraeli,

Helias qd. verba hæc dictá ſunt Heliæ, qui interpretatur fortis Dominus: & eſt Ieſus, cuius os fortitudinis non eſt comminu-

Phil. 2. a tum in tormentis, vt dixi: Hic receſsit a Patre quando habitu inuentus vt homo, non eſt vſus eius maieſtate, nec Pater eſt auxiliatus ei in bello paſsionis, nec voluit reſpō-

Pſ. 21. a dere ei, quando dixit: Vt quid dereliquiſti me? Hic fortis in prœlio Ieſus Dominus venit contra orientē: quando præcipue Scribis, & Phariſæis infeſtus fuit, dicentibus:

Sap. 2. c Grauis eſt nobis ad videndum, improperat nobis peccata legis. Nec mirum quòd illi dicantur oriens, quia ceteros illuminare præſumpſerant ſedentes ſuper cathedrā Moy-

Carith qd. ſi. Torrens Carith, vbi abſcōditus eſt propheta, interpretatur exterminatio, & eſt vehementia ignominioſa paſſionis, & crucis, qua Chriſtum exterminare nitebantur: & extra terminos mundi vſque in æternum proijcere, di-

Ier. 11. d centes: Mittamus lignum, ſcilicet crucis, in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur vltra. Viam igitur fecerunt ſemitæ iræ ſuæ, quæ velut Torrens inundans venit ſuper Chriſtum, qui

Iob 15. b bibit quaſi aquam, vt ait Iob, iniquitatem eorum: quia de

Pſ. 109. b torrente in via bibit: propterea exaltauit caput ad dexteram maieſtatis in excelſis. Ibi ergo in vehementia paſsio-

Iudæorum ira eſt Torrens. nis, vbi torrens iræ iudæorum currebat, quem nec dæmon per mulierem Pilati detinere potuit, ibi Chriſtus abſconditus eſt, & fit ob id modicus. Nonne abſconditus erat

Mat. 27. f vultus, & notitia eius vſque dum dixit Centurio: Vere filius Dei erat iſte? quaſi dicat: Iam latere non poteſt:

Ioan. 5. f quia opera quæ facit teſtimonium perhibent de eo. Iſte, quem cruci affixerunt, quem blaſphemum putauerunt, quem colaphis cederunt, vere filius Dei erat. Intus late-

bat ſicut erat in principio apud Deum : & extra velut abſconditus apparet, modicus factus opprobrium hominum, & abiectio plebis : tam abſconditus erat ibi Ieſus, quòd vix mater eius agnoſcebat eum: nam ideo, vt notat Bonauentura, ſe Maria ſtatuit iuxta crucem Ieſu, quem in voce cognouit : dum pro inimicis ſuis deprecaretur : & ne poſtea eſſet ambigua, eum quærens inter latrones, quia non erat ei ſpecies, nec reputabat eum, ideo vt ſecura eſſet, dũ eum deponere vellet, ſe poſuit iuxta crucem. O Domine Ieſu, quia non es abſcõditus a contradictione linguarum, quæ ſe contradicunt proferentes, quòd non habent regem niſi Cæſarem, immemores oppoſiti, quando profitebantur te regem Iſrael Saluatorem in excelſis. Non es abſconditus a flagellis : quia perijt fuga a te, nec eſt qui requirat triſtem animã tuam vſque ad mortem. O Domine Ieſu, quoniam minime abſconditus a quærentibus te in horto, immo te perſequentibus : nec auertiſti faciem tuam a cõſpuentibus in te. Quid plura? abſconditus a bonis, ſed notus eſt, & oblatus eſt libenter malis : de quibus in prædicta figura ſequitur : Coruisq. præcepi, vt paſcant te ibi. Carnifices corui miniſtri ſunt crucifigentes filium Dei peccato denigrati: ſed in hoc diſtant a coruis Heliæ, quòd illi panem & carnem detulerunt ei : hi autem fel & acetũ præbent Chriſto ieiunãti per diem Veneris ſancti in felle & aceto. Carnem & panem dederunt Chriſto myſtico, ſcilicet nobis in Chriſto vero, cuius carnẽ quotidie aſſam igne amoris veſcimur, quæ eſt & panis Angelorum : tamẽ ei myrrham & acetum ingerunt ſitienti. Nec mireris optime lector, quòd Patri cura fuerit de tali cibo dando ſuo Ieſu, quoniam, teſte Euangeliſta : vt impleretur ſcriptura, quam Pater dictarat, dixit Ieſus : Sitio; & datum eſt ei myrrhatum & acetoſum vinum. Cum autem accepiſſet illud, dixit : Conſummatum eſt.

Chriſtus latet ſub forma leproſi.

Pſ.141.b

Ioã.19.e

Ibid.f

Viſam modicitatem, vbi ſe filius Dei abſcõdit, non caſſam putetis, aut indignam, quippe qui ſi eum non viderũt Apoſtoli, tamen eum tunc viderunt patres limbi, expectãtes aduentum eius per arctam crucis viam : vnde quando iſti perdiderunt fidem, illi etiam, ſed aliter & aliter : nam eſt perditio fidei adducens peccatum, & eſt perditio adducens gloriam: vbi perditur fides adepta rerũ ſperandarum experien-

experientia, ſicut ſtellas perdimus oriente ſole. De iſto ergo modico paſsionis, vbi Chriſtus vel per quod deſcendit, vt viderent eum patriarchæ, ait Propheta: Hæc dixit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. & mouebo omnes gentes: *Et veniet deſideratus cunctis gẽtibus:* & implebo domum iſtam gloria. Non parum exiſtimes id quod dicit Dominus exercituum, quòd adhuc modicum eſt, quia modicum & infirmum Dei, maius & fortius eſt hominibus. Quòd hoc modicum ſit magnum, patet: quia ſequitur: Ego, inquit, Deus commouebo cum Filio & Spiritu ſancto cælum in tenebris faciendis paſsionis tempore & terrã, quia faciam eam tremere, ita vt lapides ſcindantur. Mare itidem commouebo quãdo amaritudine implendus eſt Chriſtus, taliter quòd dicere valeat: Ecce in pace, me non renitente, amaritudo mea amariſsima. Commnuebo etiam aridam iudæam contra Chriſtum, quæ tam arida apparebit & ſicca, quòd negabit aquam ſitienti, ac eam poſtulanti: immemor quòd Deus dedit eis aquam in deſerto, dum periclitarentur ſiti. Commouebo denique omnes gentes vt deſcendant ad ſpectaculum iſtud, & ab intus commotæ etiam erunt, quando reuertentur percutientes pectora ſua, & facientes planctum magnum, vt fieri ſolet in morte primogeniti. Commouebo tertio omnes gentes pro generibus ſingulorum: quia tunc erunt in Ieruſalem de omni gente, quæ ſub cælo eſt. Hæc mota ſunt, vt ait Simon de Caſsia, ad adorandum Chriſtum viſis ſignis, quæ fiebant, ſed phariſæi hoc timentes, corpora tolli procurant, ne remaneant ſabbato in cruce, quia tali die ſuſpicantur adorandum fore. Deſideratus cunctis gentibus eſt Ieſus: quia non eſt aliud nomen datum hominibus, ſub quo deceat nos ſaluos fieri. Et vbi plus agnitus erat, ibi amplius deſideratur, ſcilicet in limbo, de quo ſequitur: Et veniet deſideratus cunctis gentibus de lege, videlicet naturæ, & ſcripturæ, & Euangelij, quia ex hominibus erant ibi expectantes beatam ſpem, vt impleret domum illam gloria, & fieret paradiſus, de quo dicitur: Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Et de hoc paradiſo dicitur latroni:

[Margin notes: *Agg.2.b* — *Iſa.38.d* — *Nu.20.b* — *Luc.23.g* — *Ier.6.g* — *Act.4.b* — Chriſtus deſideratur in limbo. — *Pſ.23.b*]

Hodie

Hodie mecum eris in paradiſo. Nec mirum quòd limbus ad Chriſti deſcenſum paradiſus fieret, cum ſcriptum ſit: quòd cum angelus deſcenderet in fornacem in medio ignis, effectus eſt quaſi ventus roris flantis vt magno delectamento afficeret ſeruos Dei. Quia angelus erat ſimilis filio Dei, hæc fecit: tamen ipſe filius Dei ſpecie ſua lætificat ſedentes in vmbra mortis, & lætos eduxit in exultatione, videntes regem in decore gloriæ ſuæ. Ibi tamen arbitror quòd remanſerint vſque ad Chriſti reſurrectionem, cantantes Deo veluti tres pueri cum angelo: nam & ibi tres erant ſtatus legis, videlicet naturæ, & ſcriptæ, & gratiæ. De hoc deſcenſu Chriſti ad inferos ait ipſe per prophetam: Quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael: Iezrael interpretatur aſperſio paſtoris Dei, & eſt ſynagoga, quæ Chriſtum Dei paſtorem diſperſit, & percuſsit: ille tamen non deſiſtit ab incœpto opere quærendi oues ſuas, quia dimiſſo pallio corporis meretrici in cruce oues detentas viſitauit: vt eas adduceret ex limbi caula, & ex ouili alieno, vbi fur dæmon eas circumuallabat. Ex hoc ergo deſcenſu dixit: Viſitabo ſanguinem Iezrael, id eſt ſanctos Patres limbi ex ſynagoga progenitos, quibus promiſſus fuerat. Tamen hæc viſitatio dicitur facta ſuper domum Iehu, qui interpretatur exiſtens: & eſt dæmon, qui ſtat contra Dominum ſemper, vt iterum alias oues rapiat, non ad limbum, ſed ad inferos delaturus. Super domum huius fit viſitatio ad illos, quia ſicut plus patres lętati ſunt in deſcenſu Chriſti, ſic amplius timuerunt damnati, & peramplius dæmones: vnde in pſalmo Dauid canebat: Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Dei filius in morte ſua exemit gladium animæ ſuæ a vagina corporis, vt dæmones amplius fugerent incluſi & baratro recluſi. Dum miles exemit enſem vtrumque habet ſibi vnitum, enſem videlicet & vaginam: ſic Dei filius animam & corpus, quamuis hæc diuiſa eſſent inter ſe: exemit ergo gladium vt turbaret inimicos, pacaret amicos, ideoq. dixit ſupra: Et quieſcere faciam regnum domus Iſrael. Quamuis vt ait Gerſon patres limbi

Luc.23.f *Dan.3.e* *Oſe.1.b* Iezrael quid. Iehu quid. *Pſ.34.a* Comparatio mortis Chriſti.

limbi altiſsima contemplatione fruerentur, non ideò ex toto quieti erant vſque dum Chriſtus deſcendit, quia tunc facti ſunt regnum Iſrael, hoc eſt regnum videns Deum: nam Iſrael videns Deum interpretatur: & ſi pleniſsime quieuerunt adepto fine propter laborem Chriſti Ieſu, qui modicum ſe fecit in cruce, vt ita intraret gloriam ſuam ad magnificandum ſuos, qui glorificantes Deum, aiunt: Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Iſrael, id eſt vidēs Deū.

Pſ.125.a

SECVNDA PARS.

VT impleret cœptam viam eundi ad Patrem, egreſſus inde Ieſus redit ad ſuos, qui erant in mundo, de qua reuerſione dicitur in themate: *Iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.* Antea modicum dixerat vel de tempore vſque ad paſsionem, vel de ipſa paſsione, & ſic nunc dum ait: *Iterum modicum, & videbitis me:* poteſt intelligi vel de tempore reſurrectionis, vel de ipſa reſurrectione. Arbitror quòd miraris non inueniens qualiter Chriſti reſurrectio modica dici valet: ſed aduerte, quòd qui plures habet filios, nunc cum his paruificatur, cū illis magnificatur: quia ſic oportet fieri prout vnicuique opus eſt. Tam magna fuit Chriſti reſurrectio, vt transfiguratio montis Thabor ſit parua figura eius: quamuis ibi quidem reſplenduerit facies Chriſti, ſicut ſol, in cuius maieſtate patriarchæ viſi ſunt, & cogniti ab Apoſtolis, qui corruerunt in facies ſuas non valentes ferre gloriam Saluatoris, ſed minus nunc ſi totam claritatem vultus ſui vellet oſtendere. Denique opus reſurrectionis, vt in alio ſermone dixi, tantum fuit, quòd manibus totius Trinitatis indiguit: tamen paruis Apoſtolis paruam, & modicam oſtendit reſurrectionem ſuam Chriſtus, vt videri valeret ab eis. Nam ſi totā demonſtraret, quis ſuſtineret? Si Heſter corruit præ Aſſueri maieſtate atque timore gloriæ ſuæ. Et Daniel propheta apparenti angelo, ait: Domine mi, in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium. Et in ipſa reſurrectione exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui: quin & ipſi tres Apoſtoli ceciderunt in facies ſuas non valentes ferre ſolam

Matt.17.a

Chriſti reſurrectio modica videtur.

Dan.10.d
Matt.28.a
Matt.17.

lam reſurrectionis effigiem in monte ſeorſum oſtenſam: ideo opus erat vt Chriſtus modicam oſtenderet gloriam, quatenus ſe viſibilem & tractabilem præberet ſuis. Vt ad ſingularia deſcendamus, optime liquet comeſtionem magis eſſe mortalitatis quàm reſurrectionis ſignum,& illam voluit reſurrectioni aſtruere Chriſtus. Tamen hic aiunt theologi,quòd eſt comeſtio indigentiæ, & comeſtio potẽtiæ,Chriſtus autem non egens,ſed potens, comedit: nam aliter aquam deſtruit ſol, aliter vero terra, quæ in ſe venientem imbrem imbibit, & transformat: ſol autem non ſic, ſed conſumptam in vapores redigit, nullumq. ex ea emolumentum accipit. Sic fatemur comediſſe Chriſtum, cui comeſtio fuit ſignum potentiæ,quamuis prima fronte modicum quid videatur. Nonne pariter modicum eſt & abiectum clauorum deferre ſigna, vt emptitius homo deferre ſolet? tamen ea ſeruat vt videant eum ſui,& credant eumdem qui antea loquebatur,& modo. Palpatio itidem, & viſio paſsiua ab oculo mortali modicum eſt,& indignũ corpori glorificato, cuius non eſt cum hominibus conuerſatio. Apparuit etiam Chriſtus taliter, quòd peregrinus potuit iudicari & hortulanus, tamen hoc ſatis modicum erat ei,cuius facies plena eſt gratiarum,qui non hortulanus mundi ſed glorificator eſt cæli. Sed ſic ad quædam modica aptauit ſe,vt modicitati fidei ſuccurreret, & certius videretur, nec phantaſma putaretur. Modicum ergo reſurrectionis modicam fidem deſignat in Apoſtolis, & maximum amorem in Chriſto volente deſcendere ad minora ſe, vt condeſcenſionem ſuam monſtraret nobis. Hoc etiam ſapientiſsime fecit: nam quia excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, noluit ſe Apoſtolis ingerere in omni præcellentia reſurrectionis ſuæ,ne forte morerentur: nam & Chriſtus ait: Non videbit me homo & viuet. Videns filium hominis lucentem, ſicut ſol lucet, cecidit ad pedes eius tamquam mortuus. Ergo ex hoc liquide conſtat quatenus & in reſurrectione ſua dicere potuit Chriſtus: *Iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem:* nam dixerat Mariæ Magdalene: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Dum Chriſtus in Aſcẽſione ſua iuit ad Patrem, nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: vt iam ex toto magnificaret totam gloriam

Chriſtus comedit in reſurrectione in ſignũ potentia.

Ariſt.2.anima. contex. 75. & 123.

Exo.33.d

Ioã.20.d

Act.1.b

ſuam abſque præiudicio minorum filiorum. Et tunc a nube ſuſceptus apparuit ſicuti eſt lucidior ſole etiam lucente in virtute ſua, quando radijs ſuis obcæcat oculos.

Via duplex aduerſa, & proſpera.

Nunc fratres oportet vt & nos verba thematis ad profectum noſtrum capiamus morali ſenſu accepta: nam & in quolibet noſtrum duplicem pariter viam habet Chriſtus, ducens nos ad Patrem. Prima eſt aduerſa: vbi non videtur, de qua dicitur: *Modicum, & iam non videbitis me.* Non videtur a nobis Deus, dum affligit corpora noſtra, quia eius ſalus abeſt, dum infirmamur, dum flagellamur procul eſt eius præſidium, dum periclitamur fame nó aperit manum ſuam, qui dat eſcam omni carni, dum denique membra dolent, eius medela non videtur. Sed ne fatigemini animis veſtris fratres mei non alta ſapientes: quamuis attributa Dei non reſplendeant in mortali corpore veſtro: quamuis nón ſit Deo cura de vobis, vt putatis, non videntes eum, quia tunc præſentior eſt animæ, & quando ad extra non videtur, ad intra ſui facit præſentiam inuiſibiliter, qui nec dixit Apoſtolis: Non ero vobiſcum: ſed *non videbitis me*. Nobiſcum eſt in tribulatione Deus: ne turbemur quamuis eum non videamus ſolicitum de nobis, quia ſi oculi fidei noſtræ aperiantur modicum, videbimus eum intus addentem quæ deſunt corpori. Animæ tribuit ea, quæ corpori negat, vt ſenſerat ille, qui dixit: Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Modicum laborant iuſti in afflictionibus ſuis, ſcientes quòd eis dicitur: Suſtinete modicum tempus donec impleatur numerus fratrum veſtrorum, per exéplum patientiæ veſtræ. Hoc modicum multum parit, quia numerus ſanctorum augetur, etſi non relinquimus ſuſtinentiam: intus in anima inueniemus etiam nunc fructũ multum præter illum, de quo ſcriptum eſt: Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ vidétur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. hæc Paulus: quæ bene conueniunt his. Modicum, ſcilicet in tribulatione, & non videbitis me, vobis temporalem fauorem impendere, iterum tamen modicum in ſpe, & videbitis me intus in anima veſtra per quam

Eccl. 51. d

Apo. 6. c

2. Cor. 4. d

quàm vado ad Patrem, quo vos deferre cupio: vt in eo creſcatis & abundetis magis. O Domine Ieſu modicum eſt quod facio, videtur mihi quòd fingis laborem in præcepto, quaſi ludens dicis, quòd arcta eſt via quæ ducit ad vitam: mihi iam ingreſſo lata eſt nimis. Item modicum eſt quod patior, quia non ſunt condignæ paſsiones meæ ad tuam futuram gloriam. Modicum etiam eſt collatum tuæ paſsioni, & Sanctorum, qui per multas tribulationes intrarunt ad te. Modica itidem eſt tribulatio mea: quia ſemper eſt ei admixta conſolatio tua, quæ mecum eſt, & mecum laborat: tamen iſtud modicum, ſcio, quòd nullum fructum affert, id eſt hoc, *& videbitis me: quia vado ad Patrem*, vt vos ei commendem, atque ducam. *1.Theſſ. 4. a* *Pſ.93. d* *Matt.7. b* *Rom. 8. d* Modica eſt omnis noſtra virtus.

Ad peccatorem thema dicitur.

Noſtis fratres quo modo iuſtis conueniat noſtrum thema, quod ſi malis aptare velimus, oportet vt euertatur ſententia, dicendo ſic: *Modicum, & videbitis me: & iterum modicum, & non videbitis me*. Taliter quòd in negatione permaneant non videntes Deum in æternum. Qui nunc volunt Deum videre proſperum ſibi forte audient. Miſereamur impio, ſcilicet afferendo ei deſideria cordis ſui, & non diſcet facere iuſtitiam, quia impinguatus recalcitrabit, ſicut & illi, quos enutriui & exaltaui, ipſi etiam ſpreuerunt me. Iſtis ergo impinguatis & delicatis dicitur: *Modicum* nunc gaudebitis in peccatis, *& non videbitis me* euntem ad Patrem meum: vos ad patrem veſtrum diabolum ibitis, ſepulti in inferno. O fratres, quàm modica eſt flagitij delectatio, dum adeſt remorſus conſcientiæ amariſsimus! dum attendimus quòd tranſit mundus & concupiſcentia eius, dumq. videbimus quaſi ad oculum confuſionem ſequentem: quia quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? parua eſt hæc delectatio ſi leuetis oculos ad cælum, vbi eſt delectatio bona. Ne dicatur ergo de te, o peccator id quod de malis: Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem fluentem lac & mel: & ad modicam delectationem veſtram ſequitur maxima cruciatio, de qua dicitur: *Et non videbitis me:* hæc eſt pœna damni, quæ eſt maior quàm pœna ſenſus. O ſuperbia, quid dabitur tuis pro parua vindicta quam eis affers, quod non videbitis me, *Iſa. 26. b* *Iſa. 1. a* *1. Io. 2. d* *Rom. 6. d* *Pſ. 105. d* Modica eſt delectatio peccati.

Pſ.100.b inquit Deus : quia non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. O auaritia, quid tuis dabitur pro diuitiarum modica iactantia? quod nō videbitis me, inquit,
Luc.18.e Deus : quoniam facilius eſt camelum per acus foramen intrare, quàm diuites in regnum Dei. O luxuria, quid tuo conferetur pro delectatione modica, quam ei nunc
Apo.21.g affers? quod non videbit me, ait Dominus : quia nil coinquinatū intrabit in illam requiem. O inuidia, quid emolumenti erit tuo pro rabie ſua? quia non videbit me, ait Chriſtus : quoniam inuidia ex bono proximi nutritur, & in cælo omnes ſunt cumulati honore : nolo quòd inuidus ibi ingreſſus amplius torqueatur : ideo inuidi regnū Dei non poſsidebunt. O gula, quid tuis collatum erit pro ingluuie tua? quod non videbitis me, ait Ieſus : quia tollatur impius, vt Adam de paradiſo, ne videat gloriam Dei, vetitum aut pluſquam oportet comedens. O ira, quantum pro rixa dabitur iratis tuis? quod non videbitis me, dicit
Pſal.6.b Dominus : quia turbatus eſt ab ira oculus veſter : & non niſi corde pacati Deum videbunt. O pigritia, quid tuis erit pro tua eis otioſitate collata & requie? quia & non videbitis me, ait Deus : quoniam qui non laborant pro anima ſua non manducent ſuper menſam meam in regno meo, ex eo quòd non feſtinant laborantes ingredi in il-
Matt.11.b lam requiem regni Dei, quod vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ad peccatores dic primum modicum ſuum : quia illis dicitur : *Modicum, & iam non videbitis me*, ac ſi dicat : Iam contenti eſtote veſtro modico delectamento in præſenti, quia in futuro non videbitis me. Iam, o peccator tolle tuum modicum : & vade in ignem æternum : quia non videbis me. O quàm modicum eſt delectamentum, & quàm exiguum eſt munuſculū quod pater Abraam reliquit filijs concubinarum, immo filijs dæmoniorum!
Dionyſ. c.4. de diu. nom. poſt med. O quàm modicum eſt! quoniam etſi Dionyſius dicat : quòd nemo operatur niſi ad bonum aſpiciens, minus bonum aſpicit peccator dum peccat : nam in vnaquaque re tria bona poſſunt reperiri, ſcilicet honeſtum, & vtile, & delectabile. Sed peccatum caret honeſto : nam ideo primi peccatores viderunt ſe eſſe nudos. Et caret vtilitate :
Sap.5.b nam propterea nouiſsimi peccatores dicunt : Quid nobis profuit ſuperbia vitæ, aut diuitiarum iactantia quid contulit

tulit nobis? Omnia illa tranſierunt tamquam vmbra, quæ omni caret entitate. Peccatori ſolũ remanet, quod minus eſt, ſcilicet delectabile, & non totum ſtat ei, quia etiã præſentialiter & ante oculos noſtros tranſit mundus, & cõcupiſcentia eius, quæ teneri non poteſt. Nam delectatio peccati ſemper eſt in fieri: quia quando facta eſt iam nihil eſt, vt vapor ad modicum parens: & illud nihil dum fiebat, ſcilicet peccatum, non erat totum delectabile, quia propter contrarium conſcientiæ remorſum inſtantem ac renitentem: vnde porri, ac allia, & cæpe Ægypti non comeduntur ſine lacrymis: nam ait Sapiens: Riſus dolore miſcebitur. Ecce igitur quàm modicum reſtat peccatoribus: quoniam, teſte Iob, gaudiũ hypocritæ ad inſtar puncti, qui omni dimenſione caret. Et non ſolum conſcientiæ remorſu miſcetur delectamentum peccati, ſed alijs ærumnis ac laboribus plurimis: vnde ait Seneca ad Lucillum: Feſtina ad bonitatem, vt fruaris teipſo. Altiſsimi philoſophi eſt hoc ſalubre conſilium: Nam peccator non gaudet nec fruitur ſe, qui ſæpe triſtis, ſæpe iratus, ſæpe ſtomachatus, ſæpe commotus eſt. Ideoq. non fruitur ſe, ſicut nec infirmus non fruitur vita ſua, nec ſuo corpore. Nam cuncta ſunt ei in tædium ac faſtidium: ſic etiã peccatori cui ad libitum pauca ſuccedunt. Igitur ſi vis, o peccator frui teipſo, feſtina ad bonitatem: ſicut infirmus ad ſanitatem medicina virtutum, ſcilicet in vobis. Perpende qualiter ad modicum delectamentum malorum ſequitur hoc: *Et non videbitis me*. Quod eſt maximum malũ eorum. Nam dum quærit Scotus: an Deus habeat miniſtros ad torturã malorum, concludit, quòd habet miniſtros pro pœna ſenſus, non tamen pro pœna damni, cuius ſolus Deus eſt miniſter, quia nec omnes creaturæ, nec alius deterior infernus nouiter creatus ſufficeret tantam eis dare pęnã, quantam Deus infligit eis, ſolummodo ſubtrahendo ſe ab eis: nam eſt infinitum bonum: quoniam ſi omnes infirmitates non ſufficiunt tantum damnare corpus, nec omnes dolores ei tantum nocent quantum ſubtractio animæ, cur non dicam, quòd ſubtractio Dei plus nocet quàm quicumque infernus? ſane quidem. Igitur oremus Deum, dicentes: Ne auertas faciem tuam a puero tuo.

1. Io.4. d
Iac.4. d
Prou. 14. b
Iob 20. a
Feſtinatio ad bonitatẽ eſt frui ſeipſo.
Pſ.68. a

Timete igitur fratres hanc comminationẽ: *& iam non*

videbitis me. Nec enim maius malum poterit ipſe Deus vobis ingerere: eſt enim hoc atrociſsimum omnium malorum, vt ſentiebat ille, qui Deo dixit: Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? cōtra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris? Nil aliud fecerat Deus cōtra Iob niſi ab eo faciem ſuam abſcondere, & conqueſtus dicebat: Contra folium oſtendis potentiam tuam? Ecce quo modo in pœna damni eſt maior potentia Dei quàm in pœna ſenſus. Nam ex pœna damni ſequitur cum miniſtris pœna ſenſus: ideo Iob dixit, quòd abſcondita facie Dei, manebat anima eius ſicut folium raptum a turbinis vento, & ſicut ſtipula ſicca igni aptiſsima. Folium raptum eſt anima damnata, & ſtipula ſicca eſt corpus damnati. Nam vtriſque maximum accedit malum ex facie Dei ſubſtractione. De bonis autem hominibus, quid amplius dicam? quoniam ſi oppoſita iuxta ſe appoſita magis eluceſcunt: ſatis liquet quàm bonum eſt illud: *Iterum modicum, & videbitis me!* Modicus eſt virtutis labor: quia iugum laboris nobiſcum portat Chriſtus, qui maior nobis eſt: & quando bos magnus ſocium habet bouem minorem, totus labor eſt maiori. Chriſtus vſque hodie nobiſcum laborat, nosq. portat. Ideo namque dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. Nec dixit: Tollite crucem meam, & ſequimini me: ſed crucem veſtram, ſcilicet modicam. Et adhuc ero vobis Simon Cyrenæus, qui interpretatur occurrens: quia præoccupat Chriſtus operarios ſuos, vt eos adiuuet. Tamen in præmium dicit: *Et videbitis me*. O felix promiſsio: Felices qui regem in decore ſuo videbunt. Maximo pondere dicendum eſt: *Et videbitis me* Amicum veſtrum, qui vos in finem æternum dilexi. Benedicentem vos venientes ad regnum patris mei. Congratulantem reuertenti filio, cui ſtolam primam conferam. Dantem centuplum, vt ditem diligentes me, & theſauros replentem. Electorum ſpecimē electum ex millibus. Fatigatos ex itinere fouentem & amplexantem. Gaudio plenum, vt gaudeat cor veſtrum, & nemo tollat illud. Humaniſsimum, & vnicum vobis os ex oſsibus veſtris: In quem deſiderant angeli proſpicere. Laudantem vos coram Patre meo, & coram Angelis Dei in gloria.

Iob 13. d — *Ariſt. 3. anima. contex. 21.* — *Matt. 11. d* — Simon Cyrenæus q.d. — *Iſa. 33. c* — *Prou. 8. c* — *1. Pet. 1. b*

Menſuram

Menſuram plenam conferentem in ſinum veſtrum coagitatam. Nazarenum iam fructificaſſe ac fructum plurimum attuliſſe. Oculis veſtris proprijs, & mundo corde intus & extra. Plenum gratiarum & gloria, ex qua accipient vniuerſi. Quem toto corde diu quæſiuiſtis ſolicite. Remuneratorem laborum veſtrorum vſque ad capillum veſtrum. Sedes gloriæ adimplentem, & ruinas ac iuſtitias veſtras. Throno meo victores collocantem mecum. Vobis miniſtrantem adipem deitatis & medullam tritici. Xp̄um chriſtos meos fruitione vngentem in gloria, quam mihi & vobis præſtet ipſe Ieſus, qui cum Patre, &c. Amen.

SERMO II.

DOMINICÆ TERTIÆ POST PASCHA.

De gaudio ſingulorum.

THEMA.

Gaudebit cor veſtrum. *Ioan.* 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

NON ſolum lætiſsima eſt Deipara Virgo, ſed ipſamet angelorum ac Dei deorum lætitia: nam ſi Paulus tantum lætabatur in eis, qui verbū Dei ab eius ore receperant, quòd ſcripſit eis, dicēs: Fratres mei, gaudium meum, *Phil.* 4. corona mea. Quanto lætior deicius vocare poterat Maria gaudium ſuum, quādo ei per angelum verbum Dei tranſmiſſum eſt, & receptum, immo & ipſe Deus videns eam audientem gratiſsime verbum ſuum ſubſtantiale, quod eius eructarat ab æterno cor, quod & eſt cor Dei. Tunc ergo Maria Dei gaudium dici potuit, quando dixit Deo:

Luc.1.d Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Quod in te non eſt factum, fiat in me per te. Illud verbum fiat in me per quod facta ſunt omnia, per quod cuncta ſubſiſtũt, factor denique fiat. Illud verbum æternum, quod eſt ſecundum a te, quia filius eſt ſecunda Trinitatis perſona, ille qui eſt a te ſecundus, fiat ſecundus a me, quæ in matrem ſum electa, vt video. Iam deſidero quod promittis, ſcilicet verbum tuum fiat cito ſecundum a me, quod eſt ſecundum a te. Et fiat mihi ob tuam benignitatem ex me, quamuis ego immerita ſim. Sic ergo in die lætitiæ cordis eius factum eſt verbum Patris caro, hoc eſt in Maria, quæ eſt gaudium Dei. Et cum gaudium ſemper ſit patulum & latum, quia amplificat: ſequitur quòd ianua Mariæ ſemper eſt aperta, ſemperq. eſt tempus miſerendi eius: vt gratiam impetremus in tempore opportuno. Accedamus ergo ad lætitiam Dei Mariam pro gratia læti, vt gaudeat cor noſtrum, dicentes. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

GAVDEBIT *cor veſtrum.* Verba ſunt Chriſti prædicentis Apoſtolis ſuis gaudium reſurrectionis ſuæ: nam ſicut ſocij fuerunt triſtitiæ Chriſti, ita & reſurrectionis, ideoq. dixit eis: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium:* ſed ne putent iterum verſa vice gaudium vertendum in triſtitiam, ſubintulit: *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.* Nam triſtati fuerant quando ablatus eſt ab eis Saluator, ſed cum mors ei vltra non dominabitur, nec faceret Deus poſt reſurrectionem vltra ab eis volare doctorem ſuum, niſi ad aſtra, quando videntibus illis eleuandus erat, merito concluſit Chriſtus: *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.* Vbi voluit innuere ſe daturum illis illum fructum Spiritus ſancti, qui dicitur gaudium eo modo quo ſancti in cælo poſſident illum, ſcilicet inauferibiliter per tentionem. **Diuiſio.** Duæ erunt partes: in prima dicam thema his perſonis, de quibus ſit mentio in Euangelio: in ſecunda autem nobiſipſis: vt participes ſimus tanti gaudij.

PRIMA PARS.

CVM Ieſus ipſe de cælo ſit,& de terra dilectus Deo & hominibus, ſatis liquet quòd omnibus thema ingerere valemus, nec abre in præſentiarum multiplicatur gaudium, ſed congruentiſsime: nam in hoc Euangelio fit mentio de Patre: *quia ad Patrem,* inquit, *vado*. Et de Spiritu ſancto, quia de eo dixerat paulo ante: *De meo accipiet. & annunciabit vobis*. Et de Filio: quia, *qui loquitur ipſe eſt*. Et de eius humanitate: quia ſecundũ eam *ad Patrem vadit* factus viator. Et de Maria genitrice: quia ideo dicitur Chriſtum feciſſe mentionẽ de muliere parturiente, quoniam Maria nos peperit iuxta crucem. Et de Apoſtolis etiam fit verbum, quia cum eis loquitur & de mundo, quoniam ſequitur: *Mundus autem gaudebit*. Vt a Patre igitur exordiar: quis non dicet ei, *gaudebit cor veſtrũ*? cum & pater Ioſeph reuixit præ gaudio, inuento filio regnante. *Gen. 45. g* Et ille pater Euangelicus epulandum & gaudendum indicat cum filio de regione longinqua reuertente, *Luc. 15. g* quamuis veniat pauper & dolens: immo & ſenior Tobias plurimum lætatus eſt, quando filius eius ad propria remeauit, *Tob. 11. c* quamuis antea dixerat: Quale mihi gaudiũ eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? *Tob. 5. b* In tenebris videtur ſediſſe pater, & lumen cæli non vidit, quando non ſurrexit pro filio, nec eſt auxiliatus ei in bello, nec lumen cæli vidit, quando tenebratus eſt ſol, & luminaria cæli mœrere fecit ſuper Chriſtum: ſed nunc gaudet cor eius. Nam ſi quando natus eſt Chriſtus ex matris vtero lætabundus pater, dixit ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Pſal. 2. b* Poſtula a me, & dabo tibi gentes, &c. Quid nunc ei dicet, quando natus eſt homo perfectus in mundo ex gremio ſepulchri, non inter animalia reclinatus, ſed inter ſanctos eleuatus? veſtibus valde bonis indutos vidimus angelos ad ſepulchrum, non quidem ab alio quàm a Patre, qui in filij natali ſolum eis præcepit: vt gaudium magnum ad paſtores nunciarent per aera volantes, *Luc. 2. b* ſed iam carpunt mulieres plorantes, & non volantes ſentiuntur, ſed ſedentes apparent, non pannis inuolutum ſed ſudarijs nudatũ Chriſtum oſtentantes.

Contemplans igitur Dauid æterni Patris gaudium pro-
Pſ.109.a phetauit, & in ſpiritu ait: Dixit Dominus Domino meo,
ſede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabel-
lum pedum tuorum. Dominus meus eſt Pater, ſed magis
meus videtur Filius, quia os de oſsibus meis, & caro de
carne mea, qui & ſurrexit propter iuſtificationem meam,
ideoq. ait: Dixit Dominus, ſcilicet Pater, Domino Filio
& meo, quia humanato propter me. Huic dicitur quòd ſe-
deat poſt laborem ſuſpenſionis in cruce, vbi a ſiniſtris erat
derelictus a Patre, quando ſedem eius & quietem in ter-
ra colliſit. Quando obliuioni datus videtur tamquã mor-
Sap.1.d tuus a corde, ac ſi Pater lætaretur in morte filij: qui non
lætatur in perditione morientium. Huic ergo filio a ſini-
ſtris derelicto in paſsionis triſtitia, dicitur iam, vt ſedeat,
& quieſcat a labore redemptionis, ſedeatq. ad Patris dex-
tram in potioribus bonis collocatus, qui in deterioribus
malis fuerat derelictus. Sed tempus aduertamus, cum di-
citur: Donec ponam &c. iam lætus Pater reſpondere vult
pro Filio, non tamen triſtia ſed læta: vbi attende, quòd
propter reſurrectionis lætitiam voluit Pater, vt Filij cru-
cifixores reſipiſcerent, & reſurgerent a peccato, quia Fi-
Luc.23.e lius ipſe pro eis orauerat, dicens: Pater ignoſce illis,
quia neſciunt quid faciunt. Pater hoc annuens vult tra-
here inimicos Chriſti ſub pedibus eius, nec ideo eos de-
Pſ.98.a iectos putes, ſed ſanctos, quia ſcriptum eſt: Adorate ſca-
bellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Pedes Chri-
ſti Apoſtoli ſunt, quia in eis totum peragrauit mundum:
ideoq. pedes ceruorum dicitur Chriſtus habuiſſe. Scabel-
lum pedum, pedibus adiutorium præbet: fecit equidem
Pater vt inimici Chriſti Apoſtolos adiuuarent ad opus
Act.6.b Euangelij, quia vt ait Lucas: Turba ſacerdotum obedie-
bat fidei, & de Saulo fit Paulus, vt fulcimentum præbeat
Apoſtolis: immo & quotidie ob reuerentiam Chriſti re-
ſurgentis reſurgũt ex inimicis noſtris ad eius amicitiam,
vt ſint ſcabellum pedum Chriſti: quia vſque ad extremum
diem in prædictis pedibus ambulat Chriſtus per mundũ:
ideoq. opus redemptionis & reſurrectionis in die iudicij
perficietur, de quo ſequitur: Virgam virtutis tuæ emittet
Dominus ex Sion, &c.

Filij gaudium. Nunc ſecundo facile video idem thema Filio ingerere,

qui

qui lætabundus, ait: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo,& in terra. Qui cuncta iure filiationis poſſederat, iam ſe ea dicit poſsidere iure victoriæ potentiſsimæ: quia victorem cuncta ſequuntur. De filij Dei gaudio gaudens Propheta, dixit: Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur, ſcilicet per aliam mortem, quæ corrumpere non poterit regnum corporis ſui. In bonis & malis etiam, qui ſunt vt cælum & terra, datur Chriſto omnis poteſtas, vt ſit iudex viuorum & mortuorum. Et datur ei omnis poteſtas in anima & corpore ſuo: quæ etiam dicuntur cælum & terra. Et huic omnis poteſtas datur, & eſt non poſſe pati, quoniam paſsio ex impotentia prouenit: ideoq. non poſſe pati eſt omnis poteſtas, nec anima Chriſti equidem poſt reſurrectionem triſtari potuit, nec lædi corpus. *Matt.28.d* *Dan.7.d*

Audi & tu Spiritus alme, quia gaudebit cor tuum in hac feſtiuitate, dum videbis opus tuum, opus incarnationis reſtauratum, & ſuſcitatum tabernaculum Dauid, quod feceras in Maria. Ita gauiſus eſt ſpiritus Domini, vt de eo dici valeat: Spiritus gaudens ætatem floridam facit. Nam per Spiritum ſanctum refloruit caro Chriſti, & eius ætas, dum in ea ætate omnes quidem reſurgemus ad menſuram plenitudinis Chriſti. Dicamus ergo Spiritui ſancto: Surge aquilo, veni auſter, perfla hortum meum: & fluent aromata illius. Aquilo ſpiritus triſtis huius mundi fuit, qui oſſa Chriſti ſiccauit in cruce dicentis: Sitio. Sed auſter humidus eſt, ideoq. Spiritum ſanctum ſignat, qui pluuiam adducit gratiarum, vt refloreat Chriſti caro odore ſuo ſæculum reſpergens. Hortus ergo Chriſtus eſt, qui floruit per Spiritum ſanctum in reſurrectione, & per totum mundum fluunt aromata illius. Spiritus ſancti gaudium. *Prou.17.d* *Ephes.4.c* *Cant.4.d* *Ioã.19.e*

Animæ etiam Chriſti liquefactæ poſſumus dicere verba thematis: maxime dum dilectus Dei filius locutus eſt ei, dicens in limbo: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ. Ac ſi clarius dicat: Reuertere columba ad arcam corporis, vt totum diluuium paſsionis ſiccetur: intra in foraminibus plagarum, & in laterali cauerna, ne domus tua ſit abſque habitatore. Foramina quattuor, & cauerna lateris dimiſſa ſunt in Chriſti corpore, ceteris Animæ Chriſti gaudium. *Cant.2.c*

tunſio ni-

tunſionibus ſanatis & ictibus, quibus per omnem modum in preſſuris fuerat percuſum & humiliatum, tamen hæc foramina relicta ſunt in eo, vt animæ noſtræ eſſent quaſi columbæ volantes ad feneſtras ſuas: quia nobis pluſquam ſibi dimiſſa ſunt.

De carne autem Chriſti, quæ iam lætata eſt, ipſe dixit
Pſ.108.d per Prophetam: Caro mea immutata eſt propter oleum. Ne fierent homines ſicut hypocritæ triſtes, oleo ſolebant
Pſ.44.b perungi, de quo alibi Chriſto dicitur: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Participes Chriſti fuerunt corpora, quæ cum eo ſurrexerunt: tamen quia de eis dubitatur, an completa ſit in eis reſurrectio, corpus Chriſti præ cunctis dicitur vnctum lætitia, quæ oleo comparatur, quia in Chriſto multum extenditur: ita vt caro eius immutaretur propter oleum lætitiæ reſurrectionis vſque ad immortalitatem induendam. Tantum ergo gaudet cor Chriſti, quòd fons olei lætitiæ effectum eſt, vt de plenitudine eius accipiant omnes, & di-
Pſ.83.a cat: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum vi-
Exultare quid. uum. Exultare eſt extra ſaltare, & cum Chriſti corpus reſurgendo a ſepulchro ſaltauerit extra ad Deum viuum, vt ab eo vitam animæ accipiat: nota quòd verbum Dei in corpore mortuo dicitur mortuum, in anima autem viua dicitur viuum, ad quod ſaltat corpus vt vitam capiat ſempiternam: vnde & ei dico: *Gaudebit cor veſtrum*, quamuis lancea perforatum.

Mariæ gaudium. Gaudebit etiam cor veſtrum, o Maria, quoniam hæc verba non homo, aut angelus, ſed filius Dei dixit tibi,
Pſ.41.a quando tu eum expectans, dicebas: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? &c. Si loquente Eliſabeth tantum lætata eſt
Luc.1.e Maria, quòd ait: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quid nunc diceret Maria in reſurrectione, quando ei maternitas, vt
3.Reg.10 a ait Scotus reſtituta eſt? ſi plurimum lætata eſt regina Saba veniens a finibus terræ ad Salomonem, qualiter Maria regina cæli lætaretur, dum poſtquam Salomon ab inferis
Tob.10.b rediens eam viſitauit, ac lætificauit? Mater Tobiæ miſerat filium peregrinari lumen oculorum eius, & anxia viſitat loca, per quæ ſpes remeandi videbatur, vt procul videret,

deret, ſi fieri poſſet, venientem: Maria autem non minus anxia pro ſuo Ieſu, quem ex cruce miſerat cum chirographo redemptionis noſtræ, loca non viſitat, memor illius, quod ſibi dictum fuerat per Prophetam: Expecta me dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem gentes, id eſt Apoſtolos, & colligam regna, ſcilicet de limbo & purgatorio, de quibus & Maria ſequitur: Ipſi paſcentur & accubabunt, & non erit qui exterreat. Lauda filia Sion, iubila Iſrael: lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem: Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit: gaudebit ſuper te lætitia, ſilebit in dilectione tua: & exultabit ſuper te in laude. Notatu digna verba ſunt hæc, vbi in omni corde Maria lætari iubetur, quoniam lætitiæ mulierum, & Apoſtolorum qui gauiſi ſunt viſo Domino: & lætitia orbis totius, de qua dicitur: In reſurrectione tua Chriſte cæli & terra lætantur. Omni hac lætitia fruitur Maria, & in omni corde eorum gauiſa eſt gaudio magno valde.

Sopho.3.b

Habetur poſt hym. ad Lau. in Reſurrect. Domini.

SECVNDA PARS.

DE nobis nunc videamus qualiter cor noſtrum gaudere poterit, vel a quo ſumet exordium lætitiæ, vbi tot ſunt rationes gaudiorum? Vel nunc lætamini cum Maria fratres, & exultate omnes, qui diligitis illam, gaudete vniuerſi zelatores eius, quia de ea dici poteſt: Hæc eſt vrbs perfecti decoris, gaudiũ vniuerſæ terræ. Vbique terrarum, & ad nos extendit gaudium ſuum Maria, quæ nobis ingerit thema, dicens: *Gaudebit cor veſtrum*. Cur ſic abſolute loqueris, cur ſic indetermitate? cur non ſignas de quo nobis gaudendum eſt? Vnicum gaudium eſt Mariæ, quia ſcilicet natus eſt filius eius in reſurrectione nouus homo in mundo, de quo ait: Dilectus meus mihi, & ego illi: hoc igitur gaudium habens Maria, iam propter illud non meminit præſſuræ paſsionis, nec alterius gaudij, ideoq. abſolute loquitur nobis, putans quòd notum eſt gaudium eius & patulum. Nec dicit quantum gaudere oporteat, arbitrans nos ſcire ex Euangelio, quòd mulier cum parit, triſtitiam habet: & tanto maiorem quanto

Thre.1.e

Cant.2.d

Ioã.16.e

quanto maior eſt partus, de quo ſic ad menſuram triſtitiæ priſtinæ ſequitur eam gaudium, nec præcipue nobis nunc gaudendum eſt, ſed poſt partum: ſumus equidem in continua parturitione maximi illius partus, de quo di-
Cant.4.d citur: Emiſsiones tuæ paradiſus. Triſtemur nunc fratres, & poſtea nimium lætabimur poſtquam paradiſum pepererimus. In agone ſumus vſque nunc & parturimus donec formetur Chriſtus in nobis, quia tunc pariemus paradiſum: nec triſtitia hæc pura eſt, ſed gaudioſa, ſed fructuoſa tanto partu: ideo penſemus fructum, & gau-
1.Pet.1.b debit cor noſtrum, quamuis modicum nunc nos oporteat contriſtari in varijs tentationibus: in quibus vt ait
Iac. 1. a alter Apoſtolus: Omne gaudium exiſtimare debemus,
1.Cor.10. quamuis in eas incidamus: quia firmiſsime credendum
c eſt, quòd Dominus Ieſus faciet cum tentatione prouen-
1.Pet.1.b tum: vt probatio fidei & virtutis patientiæ noſtræ multo pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur. Hic aduerte, quàm optime Chriſtus poſuit exemplum de muliere puerpera, quæ dum prægnans eſt, plus gaudet in acetoſis quàm in dulcibus, gratiusq. comedit aliquando amara quàm dulcia: ſic anima, quæ Deum conceptum paritura eſt in gloria, plus nunc lætatur in aduerſis quàm in proſperis, ſi digna inuenitur pro veritate contumeliam
Prou. 14. pati: vnde de tali anima pœnitenti dicitur: Cor quod
b nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus, ſcilicet dæmon, qui ſuis non cauſat gaudium niſi in rebus peſsimis, cum male fecerint exul-
Gaudium malorum. tantes. In quo gaudent ſuperbi, qui in auibus cæli ludunt, niſi in dignitatibus de quibus triſtandum foret?
Iob 12. b O magnates interrogate iumenta, & docebunt vos, qualiter dignitatis onus non eſt gaudium, ſed triſtitia: nam ſi iumentum oneres plus & vltra, gemit, ſudat, & non ſaltat, ſed cadit: vos autem ſemper dicitis: Affer, affer, propterea quòd non onus, ſed honorem inſpicitis, nequiter diuidentes quod indiuiſum eſt. Gaudeat cor humile in deiectione ſua, quia exoneratum currere poterit ſine cura, quæ cor vrit: & ſecurius erit, & agilius in his, quæ ſunt ad Deum. De quo gaudent diui-
1.Tim.6. tes huius ſæculi, cum nihil intulerint in hunc mun-
b dum? nudi reuerſuri ſunt, qui argentum theſaurizant:

quia

quia diues cum obierit non ſumet omnia: nec deſcendet *Pſ.48.d* cum eo gloria domus eius, ſed ignominia: quando viri diuitiarum dormierint ſomnum ſuum: & nihil inuenerint in manibus ſuis præter diuitiarum labores, & timores, & triſtitias in acquirendo, poſsidendo, & perdendo: ideoq. dictum eſt, quòd non ſumet omnia diues, ſed aliqua, ſcilicet pœnalia ſolum, delectabilia dimittens. Gaudeat ergo cor pauperis Chriſti cum Lazaro, qui defunctus lætanter delatus eſt ab angelis in ſinum Abrahæ, vbi omnium bonorum reperit abundantiam, cuius extremitatis digiti gutta reficere poterat diuitem epulonem. De quo lætantur luxurioſi, niſi de luto, niſi de limo terræ cœnoſo? Væ vobis ſimilibus porcis in volutabro luti, qui æſtuantes igne magno turpi, refocillatis corpora veſtra, immemores quòd proiecerunt ſe porci in mare æternæ amaritudinis, de quo ait Iob: Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Gaudeat ergo qui caſtum putat ſe habere cor, quia huic dicitur: *Gaudebit cor veſtrum*. Vbi aduerte quòd non immerito Chriſtus ex toto homine nunc dicit gaudendum, cor ſignanter, quamuis totus noſter homo interior & exterior exultabit in Deo, ſed pro nunc in lacrymarum valle ſolum cor videtur gaudere, & cetera membra non. Superbi gaudent in capite nobis coronato: Cupidi in oculis qui nutibus oculorum ibant: Irati gaudent in naribus, quorum ſpiritus in naribus ſuis: Guloſi lætantur in ore, quia ſcriptum eſt: Omnis labor hominis in ore eius, dum ſcilicet tantum comedit, quantum vndique lucratur: Auari gaudent manibus plenis auro & annulis, ſic etiam diuerſa vitia, diuerſa membra peccatoris afficiunt non autem cor, quia ideo gaudium peccatoris dicitur gaudium hypocritæ, qui aliud prætendit extra, aliud habet intus, ſcilicet omne cor mœrens. Iuſti autem triſtantur in capite humiliato, & in oculis: quia euntes ibant, & flebant, & in naribus dum eſt pro ſuaui odore fœtor infirmorum, & in ore ſicco & famelico: & etiam triſtantur in manibus vacuis, & in pedibus nudis aliquando dilaceratis, & in toto corpore caſtigato frigore,

Pſ.75.A

Gaudium malorum quale.

Iob 21.b

Eccls.6.c

Iob 20.A

Iuſtorum gaudium quale.

Pſ.125.b

frigore & nuditate, tamen cor eorum ardens in ipſis gaudet: propter quod ait Apoſtolus: Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Triſtes ad extra in operibus duris, gaudentes ad intra, *quia gaudebit cor veſtrum*, vt ait thema.

2.Cor.6.b

Et in iuſtis tanto amplius abundat gaudium quàm tribulatio pro Chriſto: vbi aduerte quòd de re magis noſtra plus gaudere ſolemus: vnde Dominus in Euãgelio exemplum poſuit de muliere gaudente in filio vteri ſui, quem naturali poſsidet iure, & diuino, & ciuili. Nulla autem res magis eſt ſanctorum virorum quàm Deus meus, ideoq. amplior de eo lætitia eſt. Quamquam multiplici ratione ſit noſter Deus noſter, nec ſit alia natio tã grandis quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis: duas nunc afferam rationes, quibus liqueat, cur propinquior nobis eſt Deus noſter, quàm res vlla. Prima, quia inabdicabilis eſt, & inauferibilis a nobis Deus noſter. Neque inſtãtia, neque futura, neque altitudo tenebrarum poteſtas, aut creatura aliqua nos poterit ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu noſtro. Vide tu ne proijcias eum peccando: quia nemo eum rapere aut furari poterit de manu tua: quin dum conabitur aliquis hoc facere, ſi tu reniteris, intimior tecum manebit tibi Deus tuus, vt amplius gaudeas. Exemplum eſt in quodam paupere a quo voluit aquilo rapere togam, quod ipſe conſiderans fortius ſtringebat eam, & hinc inde eum affligens, ſæpe concuſſum deijciens impellebat: tamen ille vtraque manu togam tenens, ita eam applicuit ad ſe, quòd aquilo ceſſauit, intuens conſtantiam tenentis, & amplexantis amplius veſtem ſuam propter frigus ortum & aerem. Sic iuſti fortius applicant Deum ſibi, dum vident tribulationem ingruentem, & ideo amplius tunc fruuntur eo: vnde Paulus ait: Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis: ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Videns ergo Dauid, quòd nemo poterat ſibi Deum auferre, ſolum ſeipſum timebat, quando dixit: Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori: ne forte exaltentur. Nam deſiderium noſtrum malum, eſt tradens Deum, quod intingere ſolebat ſecum manum in catino cordis noſtri. Secunda ratio eſt, quia multum voluntarie ipſe Deus manet apud ſuos: & cum liber ſit, nec dubium quiņ ſe poterit dare,

Deus plus eſt hominis quam alia res.

Deut.4.a

Rom.8.g

Exẽplum.

2.Cor.1.a

Pſ.139.b

dare, quia de ſe & ſuis poteſt quod vellet facere. Ego inquit, merces tua magna nimis. Nec ſolum voluntarie ſe *Gen. 15. a* confert iuſtis Deus, ſed amatorie, vt ait Dionyſius, & opportune, importune tamquam filijs ſe nobis tribuit: ſtat *Apoc. 3. d* ad oſtium pulſans, intrare deſiderat animam, dicens: Ape- *Cant. 5. a* ri mihi ſponſa, quia deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum: *Prou. 8. d* & ſi mulier oblita fuerit vnici: ego non obliuiſcar tui. Tam prompte ſe Deus tribuit, immo & tam ardenter, quòd citiſsime contrito peccata dimittit, & cuncta dona non ob aliud confert nobis, niſi vt gratis & gratius det. Cetera dat vt det, ſe dat vt det, & denique cuncta facit *Deus cur* vt ſe nobis ingerat, qui in animas noſtras ſe transfert, & *ſe det.* ſe ignem mittit in oſsibus meis. Has duas ſolummodo *Sap. 7. d* dixi rationes, ob quas eſt Deus noſter præ ceteris rationibus, quæ in his verbis Euangelij præſentis includuntur. Gaudium quod eſt in corde ſecurius permanet, & ſecuriſſimum quando nemo poſsit illud auferre, etiam ſi vitam auferat: tamen prima ratio videtur narranda prius, quia ipſe Deus prior ſe nobis confert. Gaudeat igitur fratres cor noſtrum, cum quo ſola hæc optima paſsio manebit in cælo: nam eius quattuor ſunt paſsiones, videlicet timor, ſpes, iuſtitia, & gaudium: tribus primis conſopitis ſolum gaudium nobiſcum permanſurum ſcimus, & ideo amplius ei adhærere oportet, quia vt ſapiens ait: Non eſt oblecta- *Eccli. 30. e* mentum ſuper cordis gaudium. Pulſo timore, ſpe neglecta, triſtitia oblita gaudebit cor noſtrum in cælo, ſed his tribus eget vt gaudeat in via: vnde arbitror Chriſtum de gaudio mentionem feciſſe, non quia alias tres paſsiones voluit excludere, dum ſumus viatores, ſed eas in ſeruis ſuis ad gaudium ordinare, vt ſic totum cor gaudeat; quæ quamuis aliquo modo videantur ſibi contraire maxime in ſæculari philoſopho, non contradicunt ſe in Chriſtiano fideli. Nam timor Dei filialis non facit cor timidum, aut pauidum, ſed lætum, quia ſcriptum eſt: Timor Domini *Eccli. 1. b* gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium & longiudinem dierum. De alia autem paſsione cordis ait Paulus: Spe gaudentes. Nec ob aliud gaudent Sancti *Rō. 12. c* vehementer cum inuenerint ſepulchrum in die defunctionis eorum, niſi quòd eis euenit quod ſperabant, & dicunt:

Lignum

Prou. 13. b Lignum vitæ deſiderium veniens. Cupiens ergo diſſolui, & eſſe cum Chriſto ſpem dirigit ad gaudium. De tertia paſsione cordis, quæ triſtitia dicitur, minime eſt ambi-
2.Cor.7.c gendum quin ad gaudium ordinari valeat. Quoniam, ſecundum Paulum, eſt triſtitia ad Deum, quæ ſalutem ope-
Eccli.7.a ratur, de qua dicitur: Cor ſapientium vbi triſtitia. Et
Baru.2.d etiam Propheta dixit: Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, ſcilicet peccati, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi gloriam & iuſtitiam Domino. Conformiter huic prophetæ ait Auguſtinus: Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat. Ecce igitur fratres qualiter totum gaudebit cor veſtrum, & quo modo eius omnes paſsiones ad gaudium veniunt ordinandæ, vt ſpiritualiter cum Chriſto reſurgatis, habentes cum eo ſic dotes quattuor glorificati corporis veſtro modo: nam agilitas eſt in timore, quia vt ait
Sap.7.c Sapiens: Timens Deum nihil negligit. Impaſsibilitas eſt in ſpe, quæ facit vt ferendo nil ſentiamus: ideo non laborioſi, ſed operoſi dicũtur ſancti, qui putant parua, quæ ſufferunt propter ſpei magnitudinem. Claritas propriæ cognitionis eſt in triſtitia pœnitentiæ, quia ideo dictum eſt cor ſapientium vbi triſtitia, quæ clarificat ingenium. Subtilitas eſt in gaudio cor penetrante: vt cæ-
Rõ. 15. c lum valeat penetrare. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti, cuius fructus eſt gaudiũ in præſenti gratiæ & in futuro gloriæ,
2.Cor.6.b quam mihi, &c. De gaudio Bonorum lege Bedam ſuper id: Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.

SERMO

SERMO DOMINICÆ QVARTÆ POST PASCHA,

Iuxta Euangelium.

THEMA.

Expedit vobis vt ego vadam. *Ioan.* 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DOMINVS Ieſus ſapientia incarnata dicit prædicatoribus ſuis: Qui me elucidant, vitam æternam habebunt. In ſermone autem elucidatur Chriſtus: væ autem eis qui ſeipſos prædicant, quia iſtis aureola non promittitur, ſed elucidãtibus Chriſtũ,qui etſi omni in ſermone pio elucidetur,maxime diebus iſtis in quibus de reſurrectione eius fari oportet, qua lucidior ſole viſus eſt,vt tenebras infidelitatis atque triſtitię expelleret,& animę cuiuſque fidelis diceret: Iã enim hiems tranſijt,imber abijt, & receſsit. Surge amica mea,& veni.Hiems infidelitatis, imber lacrymarũ abijt, & paſsio receſsit,flores, id eſt nazareni,ſcilicet Ieſus,& ſui apparuerũt in terra noſtra iam læta & florida. Igitur in hoc ſermone clarificatur Ieſus, non tamẽ ſine gratia Spiritus ſancti, quoniã in hoc Euangelio dicitur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: & annunciabit vobis.* Hæc etiam claritas atque expoſitionis gratia ad verbum Dei elucidandum repoſuit Spiritus ſanctus in Maria, ex quo ei ſuperuenit, vt verbum carnem faceret, velut in pergameno viſcerum ſuorũ ſcriptum, non atramento nigro, ſed feruido igne amoris diuini,qui vſque hodie ardet in Virgine, quæ nunc libẽtius ceteris temporibus gratiam verbi præſtabit, vt lucidior fiat Chriſtus eius, qui occumbens in morte induxit tene-

Eccli. 24. *c*

Cant. 2. *c*

bras ſuper vniuerſam terram, ſed oriente gratia eius in cordibus noſtris effugabuntur, pro qua obtinenda, ei offeramus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Pſ.39.a TOTA lex vetus anxia erat, dum dicebat: Expectans expectaui Dominum, quaſi dicat duplici expectatione expectaui: nam expectabat operibus ſacrificiorum, quę omnia ad Christum venturum ordinabantur. Et expecta- Aduentus expectatio. bat ſecundo animi affectione, & rationabiliter: quia venturus duplicis naturæ credebatur, ſcilicet diuinæ & humanę, ideoq. corporaliter & ſpiritualiter expectãdus erat, qui non minus iudæorum quàm gentilium expectatio futurus erat, quia iuxta Apoſtolum ad hoc per Prophetam *Rō. 15. c* dicitur: Lætamini gentes cum plebe eius. Dum ergo tam longa expectatione Sancti patres Christum Domini expectauerunt: nec mirum quòd triſtentur filij eorum, ſcilicet Apoſtoli audientes receſſum Chriſti, tamen ipſe volens eos lætos reddere, ait: *Expedit vobis vt ego vadam*. In Diuiſio. ſermone dicam quo modo duplex eſt via Chriſti. In prima parte de via læta, quæ terminatur in dextera patris. In ſecunda de via triſti, quæ terminatur in cruce.

PRIMA PARS.

IN ea cœna, qua Chriſtus viaticum inſtituerat, optabat, vt cum interrogarent Apoſtoli de termino viæ ſuæ mirabili, & ſcitu digno, quoniam eſt præcipua ſcientia viatorum ſequentium eum: nam periculoſius ignoratur terminus, ad quē quàm via ipſa. Cupiebat ergo Chriſtus, vt ſciſcitarentur ab eo, ad quem nam iret: quoniam ex hoc pendebat ſcire, quo & ipſi erant venturi: quis Euangelij explicatio. enim viatorum negligit ſcire quo venturus eſt? Hæc ergo interrogatio tam ad eos, quàm ad Chriſtum faciebat, ideoq. ait: *Vado ad eum, qui me miſit, & nemo ex vobiſ interrogat me, quo vadis?* Ratio propter quam eum non interrogant, eſt, quia ipſi nolebant, vt iter ageret: *Matt.17. a* nam princeps Petrus nec ipſum volebat ire, dicens: Bonum eſt nos hic eſſe: nec ipſe ad alium ire cupiebat, dum

ait:

ait: Ad quem ibimus Domine: nam verba vitæ æternæ *Ioan.6.g*
habes. Ideoq. iure non interrogant, quia nemo interro-
gat de non amatis, immo dum audit quæ nolebat, triſtis
efficitur, ideo ſequitur in Euangelio: *Quia hæc locutus*
ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Gaudio pleni
erant, dum Chriſtus aderat, cui dicebat vnuſquiſque: Ad- *Pſ.15.c*
impleſti me lætitia cum vultu tuo. Nunc autem eius ab-
ſceſſu triſtitia implentur non tantum in facie, ſed etiam
profundius in corde: cuius quattuor ſunt paſsiones, ſeu
ſinus, aut partes, ſcilicet ſpes, timor, triſtitia, & gaudium.
Nunc autem ex vno ſinu effluit in alios, vt totum cor triſti-
tia redundet, & occupet illud caligo, & inuoluatur ama- *Iob 3.a*
ritudine. Merito quidem, quia prædominans paſsio alias Paſſio intē-
conuertit in ſe, patet in maxima triſtitia Ægypti, vbi te- ſa alios trahit.
nebræ palpabiles viſæ ſunt, & aqua verſa eſt in ſangui- *Exo.10.f*
nem, & omnia repleta ſunt morte, & in vnaquaque domo
erat planctus primogeniti: vnde tota Ægyptus occupata
eſt a triſtitia. Nunc autem res vertitur in oppoſitum: quia
ſerui Dei triſtantur, & mundus gaudebit. Tunc angelus
percutiens, omne primogenitum Ægypti occidere viſus
eſt. Nunc autem Iudas angelus ſatanæ percutit primoge-
nitum Dei, quapropter iure triſtantur Apoſtoli, expectan-
tes videre in cruce ſigna Ægypti iam innouata. Chriſtus
autem volens huic triſtitiæ ſubuenire, ait in reliquo Euan-
gelij: *Sed ego veritatem dico vobis, expedit quidem vobis*
vt ego vadam. Paſſus iſte communiter exponitur a do-
ctoribus de aſcenſionis via, poſtquam venit ad Apoſtolos
Spiritus paraclitus. Prima ratio propter quam expedie- Spiritus ſan-
bat primum aſcendere quàm dari viſibiliter Spiritum ſan- ctus cur nō
ctum, eſt, vt Apoſtoli ſeparati a Chriſti conuictu dulciſ- mittatur an-
ſimo velut ab vberibus, diſcant ſolidiorem cibum ſpiritua- te aſcenſio-
lem inquirere, & ad pura ſpiritualia peruolare. Secunda nem.
ratio, quia Spiritus ſancti ſolatio non ita indigebant, do-
nec Chriſtus aſcendit: nam antea ipſe Chriſtus ſerua-
bat eos, & poſtea pecularius ſeruauit eos Spiritus ſan-
ctus. Tertia ratio, vt oſtenderetur, quòd miſsio Spiritus
ſancti erat ex merito Chriſti, & totius vitæ ſuæ. Vbi no-
ta, quòd licet Chriſtus meruerit omnia in primo inſtanti
conceptionis ſuæ, non tamen ſunt liberati ſancti patres,
donec realiter Chriſtus illuc deſcendit, vt clarius innote-

Digitized by

ſceret, quòd eius meritis eripiebantur, & ſic noluit mittere Spiritum ſanctum de cælo, donec aſcendit illuc, vt id oſtenderet. Cui etiam aſcendenti patent cæli, ſicut deſcendenti patent inferni. Quarta ratio, vt ſciamus non niſi de plenitudine Chriſti eſſe noſtrā plenitudinem: ideo eam noluit dare, donec in ſe haberet, tam in corpore, quàm in anima, quàm in loco totum etiam accidentaliter quod ad ſe pertinebat, hoc fuit in aſcenſione. Et hanc rationem innuit Ioannes, dum dixit: Nondum erat ſpiritus datus: quia non erat Ieſus glorificatus. Quinta ratio, quia maius ac plus dignum quod cælum habebat, non debuit dare, donec reciperet a terra dignius quod habebat, hoc eſt corpus Chriſti: vbi attende, quòd ſicut non deſcendit filius Dei de cælo vt caro fieret, donec recepit ſummum obſequium, ſcilicet illud: Ecce ancilla Domini: ſic nec Spiritus ſanctus deſcendit ad Apoſtolos, donec reciperet ſummū obſequium: & fuit receptum, quando Chriſto aſcendente obtulit totam paſsionem ſuam, & ſeipſum etiam pro nobis. Nam, teſte Apoſtolo, introiuit Chriſtus in ipſum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Sexta ratio, quia vt ait Thomas ſuper ſeptimum caput Ioannis, præcipue datur Spiritus ſanctus, vt faciat animam ſuſpirare pro gloria cæleſti, & quia confert ad amorem rei cognitio, & experientia eius: vnde prius quidem debuerunt videre gloriam Chriſti, tam reſurgentis, quàm aſcendentis in cælum: vt ſic nimis diſpoſiti eſſent ad eius amorem. Septima ratio, quia rex non ſolet elargiri dona, dum eſt in miſeria, ſed in ſua coronatione: ideo dum Chriſtus gloria & honore coronatus aſcendit, dedit dona hominibus. Octaua ratio, quia non niſi Chriſto aſcendente diſpergendi erant per orbem, vt experirētur mundi pericula: quapropter tunc egent amplius Spiritu ſancto, qui & doceret omnem veritatem prædicandam, ceteraq. faceret neceſſaria: propter has ergo & conſimiles rationes ait thema: *Expedit vobis vt ego vadam*, ſcilicet ad cælum.

Ioan. 7. f

Luc. 1. d

Heb. 7. d

SECVNDA PARS.

Rupert. in c. 16. Ioan. to. 3.

HVnc locū etſi poſt Cyprianū omnes doctores exponāt de via aſcenſionis, quā tetigi. Rupertus tamen doctor non

non intelligit hoc, ſcilicet: *Expedit vobis vt ego vadam*; niſi de via crucis: nam de via aſcenſionis nullus Apoſtolorum triſtatus eſt, ſed propter viam crucis euenit eis illud: *Triſtitia impleuit cor veſtrum*. Et vt hanc triſtitiam ab eis amoueret, dixit: *Expedit vobis vt ego vadam*, quaſi dicat expedit me triſtari, vt vos gaudeatis, expedit me nudari, vt vos induā, expedit me torqueri, & cruciari, vt meo liuore ſanemini, me mori, vt vos viuatis: alioquin paraclitus conſolator non veniet ad delendum triſtitiam veſtram: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, ob merita mea. Nam dum inclinato capite emiſit ſpiritum Ieſus, effectiue meruit miſsionem Spiritus ſancti ſuper ſuos. Sed hoc verbū, *Expedit vobis vt ego vadam*, maximum eſt, atque nimis expediens, & tamquam tale optabat illud Iſaias, dum dixit de ſe & de alijs prophetis: Deſiderauimus eum virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Et pater Abraam tamquam multum expediēs, hanc viam laborioſam Chriſti optauit, dum tres in viſione conſpexit, & vnum humanandum adorauit, cui dixit, vt ſub arbore ſcilicet crucis requieſceret: & factum eſt quando inclinato capite obdormiuit Chriſtus in cruce. Quin & beata Maria hanc viam Chriſti optáuit, ſicut pharmacum amarum optari ſolet filio ægro: nos in ægritudine videbit, quos pharmacho Chriſti ſui ſanandos noſcebat. Ideoq. illud ei optabat, ſciens quantum expedit vnum mori pro populo ne tota gens pereat. Hoc etiam optabat ſponſa, dum aiebat: Veniat dilectus meus in hortū ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Hortus Dei non fuit paradiſus terreſtris, qui potius eſt luciferi: nam ibi fecit lucifer quod voluit, & in illo ſpoliauit primum hominem, & commune tropheum ſtatuit apud ſe. Hortus Dei eſt gethſemani, vbi fit voluntas Dei, Chriſto dicente: Non mea voluntas, ſed tua fiat: comedat, inquit, fructum pomorum ſuorum. Poma Chriſti opera eius ſunt: fructus horum pomorum redemptio animarum, quem comedebat in cruce, dum dicebat: Sitio. Si autem vis plenius videre quantum expediat Chriſtum ire ad crucem, lege introductionem paſsionis: & in prima littera primæ partis alphabeti ſpiritualis inuenies duas & viginti rationes, ob quas Chriſtus fuit ad crucem: vnde merito ait: *Expedit vobis vt ego vadam*,

Expedit interpretatur diuerſimode.

Ioā. 19. f

Iſa. 53. a

Gen. 18. a

Ioā. 11. g

Cant. 5. a

Luc. 22. e

Ioā. 19. e

De operibus, quæ facturus erat Spiritus ſanctus, ſequitur: *Cum autem venerit ille, arguet mundum.* Ecce optimam rationem cur expediebat Chriſtum ire, ſcilicet vt patrem orphanorum & propugnatorem mitteret ad eos: nam pro eis arguit mundum etiam totum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Mirum quidé, quòd iudex nunc Spiritus ſanctus miſſus ſit: nam oportet, vt rectus iudex non acquieſcat precibus, nec muneribus flectatur, Spiritus auté ſanctus orationibus & lacrymis vincitur. Iudicium ergo potius ad potentiam Patris, aut ſapientiam Filij, quàm ad beneuolentiam Spiritus ſancti pertinere videtur. Igitur quo modo mittis Spiritum ſanctum, qui bonitate ſua pleniſsima in omnes benignus eſt? Aduerte clementiam Chriſti, qui non timore, ſed amore inimicos ſuos confundit, ne fugiant, ſed reſipiſcant, & conuertantur, & ſanet eos: nam omni mundo expedit, vt talem iudicem mittat Chriſtus, alioquin non fieret ſalua omnis caro. Et merito hic iudex mittitur contra eos, qui peccãtes in Spiritum ſanctum per inuidiam tradiderunt Chriſtum: nam inuidia fraternę gratię eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ideo ipſe in quem peccatur, veniat, vt iudicet feram peſsimam deuoranſem Chriſtum domini. Nunc vt mitius iudicet mittitur iſte dilectus iudex amoris: in iudicio autem vltimo areſcentibus hominibus præ timore veniet filius Dei poteſtate magna, & maieſtate, mundanum quemque arguere terribiliter pro manſuetis terræ.

Spirit⁹ ſancti, & iudicis tẽporalis differentia,

Iſa. 6. d

Luc. 21. e

Sed videamus quid ſibi velit iſte iudex. *Arguet*, inquit, *mundum de peccato: quia non crediderunt in filium Dei.* In futuro iudicio de operibus fidei exigetur a nobis ratio: nunc autem Spiritus ſanctus quærit ſolummodo arguere defectum fidei. Optime quidem incipit iudicium ſuum, quia maius peccatũ inter cetera eſt infidelitas: nam quis, vt ait Ioannes, eſt antichriſtus, niſi qui nõ credit in filium Dei? Si, vt ait Philoſophus, paruus error in principio, maximus fit in fine, quid nobis dicendũ de maximo errore in principio? creſcet ne adhuc amplius in finem? Maximus error in principio eſt infidelitas: nam fides eſt fundamentum ac radix rerum ſperandarum, quo ſublato, Spiritus ſanctus nõ habet vbi reponat fructus ſuos, quos impertiri deſiderat. Vtinam nos plantemus arboré fidei in cordibus

1. Io. 2. d

Ariſt. 1. Cœli cõtex. 33.

Infidelitas maximum peccatum eſt.

noſtris,

noſtris, vt Spiritus ſanctus incrementum præſtet. Ianua ergo donorum Dei eſt fides, & hanc Spiritui ſancto claudit, qui non credit in filium Dei.

Secundo arguit mundum de iuſtitia Chriſti, quæ ſtat in hoc, quod eſt ire ad patrem. Multipliciter Chriſtus iuit ad patrem etiam in cælo, vbi dum Spiritum ſanctum ſpirat, ad patrem dicitur ire: nam Spiritus ſanctus eſt amor filij ad patrem, & patris ad filium impenſus & repenſus, vt ait Richardus. Dum etiam pater & filius inquantum vnum ſunt, ſpirant Spiritum ſanctum, filius it ad patrem, vt ſecum ſpiret Spiritum ſanctum: quamuis ergo filius a patre procedat, ad eum vadit, quia etiam ſemper in eo manſit. Ecce igitur quo modo etiam in cælo ad patrem vadit filius, quin & a cælo veniens vadit ad patrem, dum per patris obediētiam venit. Bonus autem obediens quocumque vadat, principaliter quo ad intentionem tendit in eum, qui miſit illum: ideo ſemper Chriſtus etiam deſcendens de cælo ad patrem iuit. Et ſignanter venit Chriſtus in mundum, vt in membris ſuis iret ad patrem, & omnia opera mirabilia quæ fecit, ea patrauit, vt ſcirent homines eum abijſſe ad patris ęqualitatem. Opera moralia quoque fecit, vt videntes glorificent patrem in filio: & etiam ad crucem vadit, vt ibi dicat: Pater in manus tuas commēdo ſpiritum meum. Centurio Chriſtum etiam morientem ad patrem ire conſpexit, quando dixit: Vere filius Dei erat iſte. Et in aſcenſione vadit, vt oſtendat præſentialiter patri omnem gloriam ſuam. O fratres mei quantum eſt in omni opere noſtro ire ex intētione ad patrem, ire ex induſtria mentaliter ad patrem, ire per mētis eleuationem continuam ſemper ad patrem, vt ſurſum corda habeamus! Hæc eſt omnis iuſtitia noſtra: *quia ad patrem vado:* vtinam clericus vere dicat: Ad patrem meum Petrum moraliter vado: & monachus: Ad patrem Franciſcum vado. Et omnes dicamus opere: Ad patrem Chriſtum vado greſſibus operum. Vtinam non ſimus vt Agar ancilla Saræ, quæ non ibat, ſed veniebat a patre Abraam recedens ab eo: nos quidem a patre recedimus, dum ſpernimus quæ placita ſunt ei. Eos ergo Spiritus ſanctus arguit de iuſtitia, qui a patre recedunt, ſicut angelus arguit Agar, donec eam reduxit: & eos laudat de

Bonus quocūque tendat, ad patrē pergit.

Pſ. 30. a

Mar. 15. d

Gen. 21. b

iuſtitia, qui morantur apud patrem, vt filius ſenior, cui
Luc.15.g Pater dixit: Omnia mea tua ſunt: nam hic eſt heres, ſicut Iacob vir ſimplex, qui non recedebat a domo patris: & ſic meruit benedictionem.

Arguit tertio de iudicio: *quia princeps mundi huius iam iudicatus eſt.* Arguit mundum de principe ſuo iam
Mūdus dānabitur. damnato: quid mirum ſi damnetur mundus, cum habeat iam damnatum principem ſuum? numquid ſeruus eſt maior Domino ſuo? Dominus mundi dæmon iam iudicatus eſt, & damnatus, quid ergo erit ſeruo ſuo? certe
Matt.25.d poſtmodum & cito audiet: Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, ſcilicet principi veſtro, & angelis
Ioan.1.a ſuis. De tali mundo ſcriptum eſt: Mundus eum non cognouit. Errauit in intellectu per infidelitatem, de qua primo diximus: & errauit in affectu per prauitatem, de qua ſecundo retulimus, ideo quia noluit intelligere vt bene ageret, damnatur cum principe ſuo ſimilia facien-
Ioan.8.f te: nam mundus ex patre diabolo eſt. Felix qui dicere
Ioā.14.d poteſt: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam: nec de peccato quod commiſi: nec de iuſtitia quam omiſi: nec de iudicio quod contempſi. In me non habet quidquam de peccato, quod non diſsimulo: nec de iuſtitia, quia eam ordino: nec de iudicio, quia non temere iudico. Si hoc fecerimus fratres, non timebimus iras iudicis huius, qui adhuc per conſcientiæ ſtimulos arguere non ceſſat eos, qui prædictis malis innodantur, qui peccatum committunt, qui iuſtitiam omit-
Aug. tract. 95. in Ioa. 10.9. tunt, qui iudicium Dei contemnunt. Sic enim gloſſat Auguſtinus tria verba prædicta. Bernardus autem dicit, quòd
Bernard. in paruis ſerm. ſer.21.to.1. qui peccatum diſsimulat, & iuſtitiam non ordinat, & temere iudicat, arguendus eſt, atque damnandus cum principe ſuo talia faciente.

Sed quia addidit Chriſtus: *Et princeps mundi huius iam iudicatus eſt:* videre oportet quando, & propter quid iudicatus ſit, de quo ſufficiat hoc quod ait Chryſoſtomus: Iudicium dæmonis confirmat iuſtitiā Chriſti: quia morte iniuſti hominis non poſſet dæmon damnari: eſt autem iudicatus cum non eſt Ieſus detentus in limbo. Hæc ille: in die ergo reſurrectionis iudicatus eſt dæmon, & Chriſtus ereptus ab eius carcere, ſcilicet morte, iudicatusq;

eſt vt

eſt vt in inferno clauſus maneat: quia Deus mortem & auctorem mortis in ſempiternum præcipitans, adiudicauit Chriſtum non poſſe teneri nexibus mortis. Igitur dæmon damnatus & iudicatus eſt, Chriſtus autem ereptus a doloribus inferni, & cum ipſe ſit caput noſtrum, cum capite ſunt & membra erepta, atque liberata: vnde iure dixerat Chriſtus Apoſtolis: Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Ecce igitur quantum expediebat, vt Chriſtus ad crucem iret, ad quam omnes damnati eramus, & occaſione Chriſti erepti ſumus, ſicut occaſione capti regis liberantur ſui ſtipendio & pretio eius, ipſo pro omnibus ſoluente. *Ioan. 8. d*

Nunc fratres ſupereſt dicendum de via contemplationis ad illuminationes, atque de via paſsionis ad actiuos: nam per has duas vias expedit vobis ire: per primam mente: per alteram pariter & corpore. Alioquin paraclitus non veniet ad vos, qui ſi venerit arguet mundum minorem: nam quos amat Spiritus ſanctus arguit, & caſtigat: & quaſi pater in filijs complacet ſibi in eis. Tria ſolet arguere ſpiritus deuotionis, ſcilicet peccatum propriũ, & iuſtitiam Chriſti, & iudicium dæmonis: Nam de primo dicitur: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, id eſt, de peccato iam per pœnitentiam remiſſo. Væ autem illis, qui non agunt pœnitentiam, aut recidiuantes irritam faciunt, quam fecerunt. Nam iſti arguendi veniunt de multiplicato peccato: ad incipientes ergo pertinet argui de peccato: ad proficiẽtes vero argui de iuſtitia Chriſti. Nam ſi Chriſtus Dei filius non intrauit gloriam patris ſui ſine operibus iuſtitiæ, quid erit nobis, quibus dictum eſt: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum? Perfecti vero arguantur de iudicio principis mundi huius; qui propter ingratitudinem ſuam damnatus eſt. Si ergo Deus huic tanto principi non pepercit ſuperbo, quid erit tibi terra & cinis? expedit quidem tibi humilitatis via, quam vt ſequamur, Deus aliquando recedit a nobis. Felix qui nimium ſentit abſentiam Dei, vt Iob, dicens: Quis mihi det, vt ſim iuxta mẽſes priſtinos, ſcilicet conſolationis? Quando Deus erat mecum in tabernaculo meo: & ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, id eſt *Apoc. 3. d* *Eccli. 5. b* *Matt. 5. c* *Iob 29. a*

eleuatio

eleuatio mentis: & petra, id eſt cor meum durum, fundebat mihi riuos olei? per lacrymas, & lauabã pedes meos butyro, id eſt affectus meos deuotione, &c. Talis non eſt negligens de ſua ſalute, ſed interrogat: Domine quo vadis? Ad hanc interrogationem potius tenentur monachi: nam, teſte Gerſone, aſtricti ſunt ad perfectionem tendere, & facient ſi ſe ſemper arguant per conſcientiæ remorſum, ſi ſuum mundum minorem ſemper corrigant, & prælatum corrigentem diligant. Nam ſpiritus Dei habitat in prælato, quando ſubditum arguit, quando autem eum palpat non eſt prælatus. Virga igitur correctionis egrediatur de radice Ieſſe, hoc eſt de incendio charitatis ad ſubditos, vt corrigantur per ſpiritum amoris, & tunc dicet: *Expedit vobis vt ego vadam*, ſcilicet ad corrigendum vos. Sed vt ad Chriſtum reuertamur, aduertite quòd eum ad crucem ire expedit angelis, & beandis, & cruci ipſi, & deuotioni noſtræ, & electioni diuinæ, & fidei chriſtianæ, & gratiæ conferendæ, & humilitati, & innocentiæ primæ, & liuoribus noſtris, & miſericordiæ ſuæ, & Nazaræis, & oneribus & pœnitentibus, & querulosis, & regno Eccleſiæ, & ſcripturis, & tentis in limbo, & victoriæ martyrum, & xp̃ianis omnibus.

Via crucis expedit ob multa.

Expedit ergo Angelis, vt ruinas eorum impleat. Beandis, vt eis beatitudinem acquirat. Cruci ipſi, vt omnibus lignis ſiluarum præponatur, facta lignum vitæ. Deuotioni noſtræ, vt ibi copioſior ſit ei materia. Electioni diuinæ, vt ſignati ex omni tribu veniant. Fidei chriſtianæ, vt ibi cognoſcatur filius Dei. Gratiæ conferendæ, vt ex alto crucis effluat impetu maiori. Humilitati, vt Deum habens ſectatorem amplius honoretur. Innocentiæ, vt ibi reſtituatur eius ſtatus, quo nudi erant, & non erubeſcebant. Liuoribus noſtris, vt dicant: Liuore eius ſanati ſumus. Miſericordiæ, vt ibi decentius vtatur ea pro nobis Chriſtus, & econtra. Nazaræis tuis, vt tibi offerantur religione perpetua. Oneribus noſtris, vt imponantur humero tuo Chriſte. Pœnitentibus, vt ſis eis exemplum Domine. Querulosis, vt taceànt viſo te punito, cui Pater non pepercit. Regno Eccleſiæ, vt ibi fias rex Iudæorum, id eſt, confitentium nomen tuum. Scripturis ſacris, vt impleantur, & conſumentur. Tentis in limbo, vt eruantur ab eo.

Chriſtũ ire ad crucem expedit omnibus.

Iſa. 53. b

ab eo. Victoriæ martyrum, vt per paſsionem tuam vincant mundum. Xpianis omnibus, vt ſanguine tuo vngantur, & pinguedine viſcerum tuorum, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet ipſe Ieſus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, &c. Amen.

SERMO DOMINICÆ QVINTÆ POST PASCHA.

De petitione, & gaudio.

THEMA.

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Ioan. 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

De Alexandro Magno perhibetur, cuidam pauperi vnam ciuitatem dediſſe, quam cum ille recuſaret accipere, dixit ei rex: Si tuæ paruitati magna eſt donatio hæc, meæ magnitudini parua eſt. Tam magnus agnoſcitur Deus noſter rex omniū ſæculorum, quòd non ſolum vnam confert ciuitatem vni, ſed plurimas contulit regibus: immo cuilibet pauperi iubet, vt acquirat primum regnum Dei, *Luc.12.d* quòd proculdubio ſolus ipſe Deus dare poterit, &c. ſuperaddit: Quia omnia, inquit, adijcientur vobis. Ex his ſequitur, quòd qui plura petit, gratior eſt Deo diffuſio ſui: vnde cum Maria maiora petierit quàm Angeli, plus placet ei: immo nec omnes ſancti, quibus præſtatur gratia per partes, tantum petierunt quantum Maria: multum petijt Deus a patriarcha: primo, quando poſtulauit vnigenitum dilectum Iſaac ſibi immolandum, ſed parua hæc *Gen.22.a* petitio

petitio fuit: nam quod dederat, petijt: Maria autem nihil hæſitans petijt ab æterno Patre Filium conſubſtantialem ſibi ac diuiniſsimum, quem ei dederat vt crucifigeret eum pro nobis cruce humanitatis noſtræ: nã corpus hominis, quod Maria Dei Filio dedit, crux fuit ei, & ad modũ crucis diſponitur. Iuxta magnificentiam principalem arbi-
Eſth.5.b tratus eſt Aſſuerus reginæ Heſter conferre; quando ei dixit, quòd etiam ſi dimidiam regni partem peteret, impetraret, ſed rex æternus Pater poſuit in corde Mariæ, vt peteret ſibi & nobis filium Dei a Deo, qui eſt totum quod
Luc.1.d Pater eſt, & citius obtinuit quàm diceret: Fiat mihi ſecũdum verbum tuum. Et datus eſt ei filius Altiſsimi tam principaliſsima largitate, taliq. additamento, quòd quidquid vltra peteret, impetraret: vnde vt gratiam prædicandi nobis obtineat, ei Aue præſentemus.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

PETITE, &c. vt ſupra. Duo in his verbis, videlicet promotionem ad petendum. *Petite,* inquit, *& accipietis.* Et declarationem petendorum, vt ſciamus quid petere debeamus, & eſt: *Vt gaudium noſtrum plenum ſit.* Primo roboratur puſillus grex: ſecundo ignorans quid petere debeat, docetur: vt ſic intellectui, & volũtati ſubueniatur: vt ſciat homo & etiam audeat petere. In prima igi-
Diuiſio. tur ſermonis parte de petitione agam. In ſecunda autem de eo quod petendum eſt: nec enim nobis minorem gratiam fecit Chriſtus in ſecuritate petitionis, dum addit: *Accipietis:* quàm in explicatione petendorum dum intulit: *Vt gaudium veſtrum plenum ſit.*

PRIMA PARS.

NVNC Dominus noſter Ieſus expedit ſe, volens ſuos relinquere: & ne triſtes remaneant ſine tanto patre & paſtore, eos liniebatur blanditijs, inquiens: *Petite, & accipietis.* Hoc præſidium maximum putamus erga Apo-
Quàm malum ſit ab hominibus petere. ſtolos, quia pretioſiora vltimo dari ſolent. Sed vt clarius eluceſcat negotium petendi, & qualiter petere ſit chriſtianum, præſidium illud impugnantes, dicamus Chriſto

in per-

in perſona cuiuſlibet Apoſtoli: Domine mendicare erubeſco, amplius vellem a te audire: Date, & dabitur vobis, quàm petite, & accipietis. Dum nos petere iubes, paupertatem noſtram oſtendis, ſi autem facultatem nobis dandi conferres, prius diuites faceres & acceptos omni plebi. Vt videamus quàm melius ſit dare quàm accipere, aduertendum eſt dictum illud, quod quidam miles deferebat in armis ſuis & ſignis, videlicet: Dare libertas, accipere ſeruitus eſt: hoc adagium ex illo videtur deductum quod Sapiens ait: Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. Ecce qualiter dare libertas, accipere ſeruitus eſt, quia imperare libertas eſt, & ſeruus fit qui accipit. Quod cernens ipſemet Sapiens ibidem ſubiunxit: Victoriam & honorem acquirit qui dat munera; animam autem accipientium aufert. Vis in cauſis eſſe victorem, da. Ille ſecurius victoriã obtinet qui iudicibus plura confert. Cauſidicis hodie contingit ſicut piſcatoribus, qui piſcandi virgam rectam tenent, dum non accedit piſcis ad paratum hamum, ſi autem capit eſcam, & aut ore attingit eam, ſtatim educit virgam, putans ſe aliquid capere, & ſic cupiditate curuat eam. O iudices qui iam eſtis piſcatores effecti, & virgam iuſtitiæ feciſtis arundinem piſcationis: quia quodcumque munus etiam paruum nimis tortam facit, & a rectitudine deuiantem iuſtitiam veſtram, & ſic victoriam acquirit non iuſtus, ſed qui dat munera vobis, victis etiam remanentibus ab ipſis paruis auibus, aut pecunijs præſentatis: Quia a quo quis ſuperatur, eius ſeruus efficitur. Nec ſolum victoriam in cauſis acquirit munera tribuens, ſed honorem prælationis: quia etiam hodie fit illud, quod ſcriptum eſt: Æſtimabat Lyſias templum in pecuniæ quæſtum habiturum, & per ſingulos annos venale ſacerdotium. Ab his talibus ſacerdotibus, qui pecunia emerunt officium, occiſus eſt Chriſtus, ſcilicet Anna & Caypha, qui annuatim ob multam pecuniam præſtitam ſuccedebant ſibi in dignitate. Simoniaticus Lyſias multiplex eſt hodie in Eccleſia Dei, a quo quamuis immeritus ſit, honorem acquirit qui dat munera, ſed timendum eſt illud: Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiã iuſti aufertis ab eo. Suprema munerum victoria eſt, quia vt dixit Sapiens, animam

Luc. 16. a
Luc. 6. f
Prou. 22. b
Exẽplum.
Munera corrumpũt iudices.
2. Pet. 2. d
2. Mach. 11. a
Iſa. 5. d

animam accipientium aufert etiam qui dat munera, vel eam aufert a Deo: nam cum alium peccare facis, eum a Deo auſers, demis ab eo Deum, & eum a Deo pro paruo turpi lucro. Vel eam auſers tibi, vt mens eius ſit tecum, eam volens ponere pro te: vnde paruo pretio vitam hominis emiſti. Ecce igitur qualiter dare libertas, accipere ſeruitus eſt. Sed forte dicis, quòd cum damus malis hoc verum eſt, cum autem damus bonis non tantum acquirimus, immo amplius per omnem modum: vbi aduerte, quòd dare etiam iuſtis libertas eſt: primo, quia dans eſt in genere actiuorum, recipiens vero in genere paſsiuorum: fere tantum melius eſt dare quàm accipere, quantũ amare eſt melius quàm amari, quia amare dicit actionem, amari autem nec actionem, nec meritum dicit: quia etiam immeritos amare ſolemus. Item qui dat, bonum honeſtum acquirit, qui autem accipit, tantum acquirit de per ſe bonum commodi: honeſtũ autem melius eſt quàm bonum commodi, teſte philoſopho. Tum, datio abundantiæ ſignum eſt, quia nemo dat, quod non habet, acceptio autem ſignum eſt indigentiæ, quæ de per ſe mala eſt, iuxta id: Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quam glorioſus & indigens pane. Tum, & vltimo, quia dans ſimilior eſt Deo quam receptor, & per maioré aſsimilationem abſque dubio meliores ſumus: immo ab ea tota noſtra bonitas meritoria dependet. Et quòd ſit Deo ſimilior, patet: quia ille omnibus dat, & cunctis neceſſaria largitur, bonorum noſtrorum non indigens. Pater luminum dicitur Deus: quia nil præclarum eſt, quin ab eo emanet. Et etiam illi angeli dicuntur meliores in cælo, qui alijs impartiuntur actus hierarchicos: & ſol rex dicitur planetarum, quia in eas diffundit lumen ſuum: nec ſolum dator eſt ſimilior Deo quàm acceptor, ex eo quòd proprium ſit Deo dare, ſed ſimilior eſt Deo in eo, quod melius eſt in ipſo Deo: nã quæ ab æterno cõueniunt Deo potiora ſunt, quàm ea quæ ei conueniunt ex tempore: & in eis quæ ei ab æterno conueniunt, ea meo iudicio ſunt potiora, quæ amplius ſunt neceſſaria: nihil autem eſt in eo neceſſarium quàm emanatio quædam, & affluentia ſuperabundans, nec enim ſterilis eſt Deus noſter, ſed ab æterno dedit ex ſe etiam infinita. Perſpicuum igitur habetis fratres quàm melius eſt

Melius eſt dare, quàm accipere.

Amare præſtat amari.

Prou. 12. b

Iac. 1. c

Deus dat ab æterno.

dare

dare quàm accipere cum etiam Paulus dicat : Oſtendi vobis,quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos , ac meminiſſe verbi Domini Ieſu , quoniam ipſe dixit : Beatius eſt magis dare quàm accipere. Ea , quæ adducta ſunt quamuis valeant, vt libentius eleemoſynas faciatis , nihil afferunt contra primum conſilium Chriſti dicentis : *Petite , & accipietis :* quoniam bene quidem quòd inter homines beatius ſit dare , quàm accipere propter ea quæ dicta ſunt : tamen ſi inter Deum & hominem quæſtio vertatur,beatius eſt mihi ab eo accipere,quàm homini dare. Et ab homine accipere indignum arbitror & laborioſum: poſtquam enim multum inſeruieris mũdo, & Regi, & Papæ pauca dabit , & multa improperabit,& expecta , reexpecta dicet tibi, donec deficias animo tuo : vnde iuſte Sapientis conſilium eſt : Noli quærere ab homine ducatum , neque a rege cathedram honoris . Deo , inquiens , etiam ſeruiendum eſt,vt det, nec omnibus dat , nec ſemper nos audit . Latroni ſolummodo legitur cito dediſſe , qui alienus videbatur ab eo : de ceteris autem ait Ioannes : Scimus quoniam peccatores Deus non audit , ſed ſi quis Dei cultor eſt,& voluntatem eius facit , hunc exaudit . Ob id anima mea non deſiſtas petere : fatemur equidem quòd Deus ſeruitoribus ſuis confert bona , tamen quemadmodum melius eſt petere ab eo quàm dare mundo,ſic melius eſt ei ſeruire,quàm in mundo regnare : quia rex hodie eſt, & cras morietur : & omnis potentatus vita breuis : de iuſto autem ibidem dicitur : Seruo ſenſato liberi ſeruient . Liberi angeli ſunt filij Dei libertate donati , qui ſeruiunt ſeruo Dei.Nec libertate carẽt ſerui Dei,quia Pater æternus ad Filium ait : Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua : non defraudes illum libertate , neque inopem derelinquas illum . Pete igitur anima mea a Patre & Filio eius , qui pluſquam animam ſuam te videtur dilexiſſe, quoniam eam pro te tradidit in manus inimicorum eius , & qui animam dedit,cuncta donabit : qui etiam te a ſeruitute liberauit peccati , nec inopem te derelinquet, ſi a petendo non ceſſes.Petitiones tuæ innoteſcant apud Deũ, nec vmquam cuncteris , dicens quòd non ſemper audit : quoniam ipſe ait : *Petite , & accipietis :* numquam petis quin recipias, immo hoc firmiſsime crede , quòd quando videtur

Act.20.g
Iſa. 28. e
Eccli.7.A
Luc.23. e
Ioan.9. f
Eccli.10. b
Ibid. d
Angeli hominibus parent.
Eccli.7. e
Phil. 4. b
Orantes sẽper obtinent.

videtur tibi nihil obtinuiſſe ab eo plus accepiſti quàm petieras: quoniã decretum eſt apud Deum, vt duplex gratia correſpondeat orationi noſtræ, videlicet tẽporalis, & æterna: ſecunda ſemper datur, quæ ideo æterna dicitur, quia in cælo nobiſcum poterit perdurare. Petentes pluuiam, & ſalutem, aliaq. huiuſmodi, parum cogitant de gratia gratum faciente, quæ nihilominus datur animæ vel cumulatur, quamuis pluuia temporanea non detur. Et ſic hæc pluuia aliave res non tibi datur dum petis: nullatenus dubites niſi vel quòd non bene petis, vel quòd Deus omnium inſpector in melius diſponit petitionem tuam, quamuis omnia aridiſsima fiant, quia teſte Auguſtino: Deus non ſineret mala euenire, niſi ex eis aliqua eliceret bona, quibus electi decentius diſponentur. Et vt orationem multiplices, attende, quòd quemadmodum qui dat hominibus munera, victoriam, & honorem, & animam accipientium acquirit, vt prædixi: & quemadmodum ob rationes prætactas eſt melius dare hominibus quàm ab eis accipere, ſic melius eſt petere a Deo quàm ab hominibus: igitur petite, & accipietis victoriam contra dæmones, quæ ſolum in oratione obtinetur, & honoré apud angelos, qui orãtibus aſsiſtunt. Et animam Chriſti acquires, quæ plus diligit plus orantes. Petere a Deo etiam libertas eſt, quia orantibus dat liberum aditum, & benignum præſtat auditum. Nec indigentia Dei miſeriam denotat, ſed magnitudinem, quoniam plus Deo eget homo quàm lapis, & angelus quam dæmon: quia quo maior eſt creatura, eo amplius eget Deo. Et vltra aduerte, quòd ſimilior eris Deo petendo ab eo quàm hominibus dando: quoniam deuote petentes diuina ſimilitudine creſcunt, & indies fiunt diuiniores. Nec inter diuinas perſonas deeſt receptor, quoniam Filius, & Spiritus ſanctus deitatem recipiũt: quibus aſsimilantur receptores gratiæ Dei, qui voluntarie genuit nos verbo veritatis. In eo enim quod dixit voluntarie, operationem Spiritus ſancti denotauit, & in eo quod innuit de Verbo vitæ, obiecit operationé filij, quibus ſimiles ſunt factores huius ſententiæ: *Petite, & accipietis.* Colligitur ergo quòd tot bona habet petitio Dei, quot dat hominibus, & mala quæ ex acceptione munerum ſequuntur, in bona conuertentur: ſic ea accipias a Deo.

Aug. in Enchir. c. 13. & 27. to. 3.

Orationis virtus.

Prou. 22. b

Creatura quo maior plus indiget Deo.

SECVN-

SECVNDA PARS.

QVAMVIS omnia nobis tradita ſint a patre noſtro, qui ſpiritum, & animā, & vſque ad ſaliuam noſtram dedit nobis: hāc præcipuam, vt notat Auguſtinus, inter petitiones ſignauit, quòd petamus vt gaudium noſtrum plenum ſit. Nec ſolum præcipua eſt hæc petitio, ſed certior vniuerſis, & ideo plurimum oportet inſiſtere, vt ſcias quod eſt gaudium plenum. Quid eſt ad plenum lætari? aut quid ex parte tātum? Gaudium ſemiplenum noſtrum eſt, ſed non ponitur in petitione Dei, immò non placet altiſsimo. Semiplenum eſt gaudium peccatoris, cuius riſus dolore dicitur mixtus: & extrema huius gaudij luctus occupat in perpetratione culpæ, finito & conſummato peccato. Vel extrema eius erunt in inferno, quando prę triſtitia gementes exterminabuntur. De gaudio ſemipleno peccatoris, quo angeli pacis amare flebūt, dicit Iſaias: Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. In die illa paſsionis vocauit Dominus Apoſtolos ad planctum & fletum, quando iuſsit vt vigilarent ſecum, & ipſi obſequentes triſtati ſunt: quoniam Chriſtus ait: *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Nos autem filij ſcelerati non ſic, quamuis vocemur ad opera pœnitentiæ, & peccatorum contritionem, aut patiendum cum Chriſto mundi aduerſa, ſed vt innuit propheta: Ecce gaudium & lætitia: & eſt hæc ſemiplena lætitia peccatoris quadruplex, iuxta quadruplex animalium genus nocte gaudentium ad lumē lunæ. Primo, nocte gaudet bufo, qui in flatum ſuperbum ſignat gaudentem in virulenta bellorum rabie ac rixarum contumelia: & ideo primam lætitiam huius dixit Iſaias eſſe occidere vitulos, id eſt, impugnare alios ſuperbos, & contra alios bellare, vt faciunt duces in aciebus gaudentes: vt de quolibet eorum dici valeat: Stultitia gaudium ſtulto. Secundo, nocte gaudent latrones, vbi auaritia capitur, quamuis auari ſint latrones diurni,

[Margin notes: Peccatoris gaudiū ſemiplenum eſt. — *Prou. 14. b* — *Iſa. 22. d* — *Matt. 26. d* — *Iſa. 22. d* — Gaudium malū quadruplex. — *Prou. 15. c*]

contra quos dixit præfatus, quòd lætitia eorum erat iugulare arietes, hoc eſt diſsipare, & exheredare ſimplices, & homines imbecilles, quia ſcriptum eſt: Gaudium onagrorum paſcua gregum. Tertio itidem, nocte lætantur mures, qui detractores oſtendunt, proximi vitam rodentes, & contra hos aſſeruit Iſaias lætitiam peccatorum eſſe comedere carnes, quod eſt alienæ vitæ detrahere, & hi videntur dicere: Deprehendi nihil eſſe melius quam comedere, & bibere, & gaudere. De his etiam ait Bernardus: Conſolatio ſubditorum, murmuratio prælatorum. Væ igitur illis, qui carnes ad veſcendum conferunt, & ſanguinem innocentium bibunt. Quarto, gaudent nocte nycticoraces, quæ oleum comedunt Eccleſiarum, vbi gula reprehenditur, quæ in eccleſiaſticis viget: cõtra quos ſubiunxit ille propheta, quòd gaudium peccatorum, ſcilicet guloſorum, erat bibere vinum, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Horum alter ad alterum videtur dicere illud Eccleſiaſtes: Bibe cum gaudio vinum tuum. Bibere quidem peccatum non eſt, ſed qui cum gaudio formaliter bibit, ſpeciem aut ſaltim initium habet gulæ. Hos igitur nocte & ſemiplene lætos & alacres dixerim: Quia qui male agit, odit lucem: & vel ex hac parte defecit gaudium cordis eorum. Hos ergo nocte lætantur, id eſt ficte, velut ſomniatores, qui parum poſt iam vigilantes nil reperiunt: vnde ait Beda ſuper illud Pauli: Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Si quis ſomnium indicat, addit quaſi ſedebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam. Totum quaſi, quia cum euigilauerit, non inuenit, quod videbat. Quaſi theſaurum inueneram, dicit mendicus. Si quaſi non eſſet, mendicus non eſſet, ſed quia quaſi erat, mendicus eſt. Itaque modo qui ad lætitias ſæculares oculos aperiunt, & corda claudunt, tranſit quaſi eorum, & venit verum ipſorum. Quaſi ipſorum, facilitas eſt ſæculi, verum autem ipſorum, pœna eſt æterna. Hæc ille.

Iſa. 32. d — *Eccli. 8. d* — *Iſa. 22. d* — *Eccls. 9. b* — *Ioan. 3. c* — *Beda in 2. Cor 6. circa med. to. 6.* — *Quaſi facit mendacium.*

Vt autem de iuſtorum lætitia loquamur, arbitror quòd in hac lacrymarum valle plena eſſe non valet ex toto, quoniam aliquando opus eſt flere cum flentibus, & ideo opus eſt dum viuis petere: vt gaudium tuum plenum ſit in cælo, vbi implebuntur horrea tua ſaturitate: & vino lætitiæ

Ioã 16. e — *Prou. 3. b*

lætitiæ torcularia redundabunt. Triplex præcipue torcular eſt in anima, ſcilicet intellectus, memoria, & voluntas. Primum implebitur quando videbimus eum ſicuti eſt: in quem deſiderant angeli proſpicere. De hac prima lætitia dicitur: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Semel nos nunc videt per gratiam Deus, non tamen ad plenum gaudere facit, donec iterum nos in gloria videat. O quantum gaudium erit nobis videntibus clare, quòd oculi Domini in diligentes ſe! Si nunc gaudemus videri a noſtris, quid erit tunc quando reſpiciet Dominus in ſeruos ſuos & in opera ſua? O quando reſpicies Domine animam meam, & inijcies oculos tuos clementes in eam, quando lætificabis me in gaudio cum vultu tuo? Secundum memoriæ torcular etiam gaudio redundabit per tentionem, quando cum ſponſa dicet anima noſtra: Tenui eum, nec dimittam. De hoc alibi ait Dominus: Gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. Tentione igitur implebitur memoria noſtra: vbi locum vacuitati non relinquet Deus, ne vagari valeat alicubi. Tertium eſt voluntas, quæ fruitione replenda eſt quantum valebit, de quo Dominus dicit: Gaudium meum in vobis ſit: & gaudium veſtrũ impleatur. Gaudium Dei eſt fruitio ſui, qua fruitione beati replentur, iuxta id: Replebuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Voluptas Dei fruitio eius eſt, quæ torrens dicitur reſpectu beatorum, mare autem magnum ac dulciſsimum reſpectu ipſius Dei, a quo emanat torrens gaudiorum eſurientem animam replens.

Ioel 2.f *1. Io 3. a* *1.Pet.1.b* *Ioã.16. e* *Cant.3.b* *Ioã.16. e* *Ioã.15. b* *Pſ.35. b*

Mirum quidem eſt quòd nec anima Virginis Mariæ dum vixit ex toto plena fuerit gaudio, & quòd minimus ſanctus in cælo vndique gaudio repleatur: pro quo aduerte quòd gaudium ſanctorum in via, ideo non eſt plenum, quia multæ ſunt eis triſtitiæ rationes: vel quia incolatus eorum prolongatus eſt: vel quia memores ſunt malorum, quæ geſſerunt: vel quia peccata deflent aliorum, ſicut Samuel Saulis: vel quia vident lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: vel quia vident penuriam fidei & virtutum, & condolere volunt his, qui errant: aliquando etiam placet paſsionem Chriſti flere. In cælo autem non ſunt rationes triſtitiæ, quia quilibet

Cur beati non triſtãtur ex peccato.

Pſ.119. a *1.Reg.15 g*

Pſ.29.b canit ibi: Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: & circumdediſti me lætitia. Sed forte dices, quòd nec in cælo deerit potiſsima triſtitiæ ratio, quamuis aliæ conuertantur in gaudium. Præcipua ratio eſt Deum offendiſſe: Huius cum meminit beatus, vel diſplicet ſibi, vel placet. Si primum, triſtatur: quia triſtitia diſplicentia eſt. Si ſecundum, non videtur beatus cum gaudeat in rebus peſſimis. Si mere priuatiue ſe habet, negligens videtur, dum in re tam ardua non elicit actum circa illam. Propter hanc rationem (vt recitat magiſter ſententiarum) aliqui voluerunt dicere, quòd peccatorum memoria non erit in cælo: Quia beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & tãtum, quòd hec ipſi qui ea perpetrarunt videant præterita mala ſua. Hoc dictum aberrat: quia ſolummodo ſunt in ſanctis tecta peccata: quia non ea imputat Deus. Alij dicunt quòd beati dum ſunt in gloria, memores pecatorum quæ fecerunt, rident de eis, vti nos ridere ſolemus in ſenectute de puerilibus, quæ geſsimus in infantia. Sed hoc dictum inſcium eſt, & non ſapientibus dignum, multum quidem intereſt per omnem modum ab opere pucrili ad peccatum malitia plenum, ita vt aliquando peccans in ſua oſtinatione diabolus fit. Nec ridere ſolemus de horribilibus noſtris, aut de magnis periculis: ſi autem in ſacra pagina peccatum dicatur opus puerile, reſponde tu: Maledictus puer centum annorum. Alij non bene volunt inſinuare, quòd beati gaudent in patria de peccatis perpetratis in via, ſicut gaudere ſolent de malis, quæ Deus permittit in mundo, vt ex eis eliceat aliqua bona, ſed hoc ſolummodo habet verum in malis pœnæ, non in malis culpæ. Pro ſolutione aduerte, quòd de dimiſsis peccatis multum gaudent, dicentes: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Si gaudet auis euadens rete, & piſcis hamum, qualiter gaudebunt qui ab inferno inferiori pœnæ, & ſuperiori culpæ liberati ſunt? ob iſtud accidentale gaudium memoria peccatorum reſeruatur in ſanctis, vbi cui magis dimittitur, magis diligit, & gaudet ſaltim accidentaliter. Dum autem recordantur peccatorum ſuorum ſub iſta ratione tantum, quia commiſſa ſunt contra Deum, dicit Scotus, quia Deus impedit ne ſequatur in eis triſtitia: & ideo ſcriptum eſt: Abſterge Deus omnem

Margin notes: Beati an triſtentur. — Pſ. 31. a — Iſa. 65. d — Pſ. 123. b — Apo. 21. b

omnem lacrymam ab oculis eorum : & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra. Ex hoc miro impedimento triſtitiæ, non parua lætitia ſequitur, dum vident manſuetudinem Dei, cui tanta cura eſt de eis, quòd non cupit, niſi vt eos lætificet taliter, quòd fugiat ab eis dolor & gemitus. Nec ob aliud dicitur in ſcriptura quòd abſterget Deus omnẽ lacrymam ab omni oculo, & ab omni facie, niſi quia ex nulla notitia ſequetur triſtitia aliqua, quamuis plurimas circa peccata poſsit habere beatus conſiderationes. Ibi ergo gaudium noſtrum erit plenum vſque ad ſummum: vbi ſimul adinuenies omnes gaudendi rationes, quas alibi reſperſas non inuenies. Si dum viuimus bonum eſt & iucũdum habitare fratres in vnum, quid tunc erit quãdo dici valebit: Venerunt fratres Ioſeph: & gauiſus eſt Pharao, & omnis familia eius? Si mane oriente ſole aues lætantes garrulant, qualiter tunc repletum erit gaudio os noſtrum, videntes Mariam, quæ omnium oculis incredibili decore pulchra nimis apparebit? Si Magi videntes ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde, qualiter gaudebimus nos videntes quemlibet per ſe beatorum & angelorum? Si exultauit infans Ioannes in gaudio, ſentiens Chriſtum vtero matris incluſum, quo modo lætabimur nos eum videntes ad dexteram maieſtatis in excelſis? Si dum natus eſt Chriſtus gaudium magnum euangelizantes angeli apparuerunt, qualiter tunc inſtabunt vocibus vt gaudeamus omnes in Domino? immo beatus quilibet alter ad alterum dicet: Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus in mundo perierat, & nunc inuentus eſt, & a patre luminum honorifice receptus. Si Zachæus recepit Ieſum gaudens in domum ſuam, quanto iucundior nos recipiet Chriſtus in æterna tabernacula, & in manſiones, quas nobis conſtruxit pater noſter, qui eſt in cælis? Si videntes arcam Dei Bethſamitæ gauiſi ſunt nimis, quæ lætitia erit nobis tunc ſcrutantibus deſiderabilia eius? Si inueniens theſaurum Euangelico in agro abſconditum, tantum lætatus eſt, quòd præ gaudio illius venditis omnibus emit eum, quanto nobis prouenit iucunditas reperientibus theſauros inuiſos meritorum Chriſti, & premium quod gratis condonabit Deus?

Beatitudinis exclamatio.

Gen.45.e

Matt.2.b

Luc.15.g

Luc.19.a

1.Reg.6.e

Matt.13.f

3.Reg.1.f Si quando Salomon vnctus eſt in regem, aſcendit multitudo poſt eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra a clamore eorum, quid erit in cælo, quando non ſolum vnus rex ſed omnes nos vncti erimus oleo exultationis a rege regum Chriſto, vt in perpetuas æternitates regnemus cum Deo, & agnus Dei nobiſcum, cui ſit gratiarum actio & vox laudis noſtræ, quia cuilibet noſtrum dicet: Euge ſerue bone, intra ſicut natans ad natandum in gaudium Domini tui: vt intus & extra gaudium tuum plenum ſit gloria, quam mihi & vobis præſtare dignetur Dominus Ieſus Chriſtus, gaudium noſtrum, & corona noſtra: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Matt.25.b

SERMO I.

IN ASCENSIONE DOMINI.

De auxilijs propter Aſcenſionem Chriſti nobis impenſis, & de hiſtoria huius feſti.

THEMA.

Aſcenſor cæli, auxiliator tui. *Deut.* 33.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

Nu.11.c BEATVS propheta videns quòd Deus imponeret humero ſuo totius populi onus, pondusq. negotiorum vergeret in eum, dixit ipſi Deo Patri: Numquid peperi ego hanc multitudinem, quòd dicis mihi, porta eam

Luc.10.g in ſinu tuo? Et beata Martha dixit filio Dei: Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?

niſtrare? ſic forſitan fratres cogitationes aſcendunt in corda veſtra, putantes quòd beata Maria Domina noſtra aliquid ſimile dixerit Spiritui ſancto, quando Filius eius abijt in regionem longinquam accipere ſibi regnum cæli. Interea tamen commiſit matri, vt omnes quos triſtes relinquebat, foueret in gremio, collocaret in ſinu. Nec enim vbi tantum data eſt nunc Virgo in matrem, vt quando ſub cruce data eſt Ioanni, ſed a Chriſto data eſt in matrem omnium, vt ſingulum nutriat gratia ſua ſicut infantem ſuum: ideo figuratur in Delbora quæ dicebatur mater Iſrael, quamuis ergo relinquatur ſola omnibus miniſtrare, non eſt conqueſta, non renuit onerari, ſed ampliſsima charitate annuit, confidens in Deo ſalutari ſuo: & ſciens quòd ſic beatam eam dicerent omnes generationes. Nec tunc ſe poterat excuſare: nam recumbentibus vndecim aderat ipſa, & dum Ieſus eis apparet. Nec dubium quin iuxta matrem ſederit, quapropter beatus Bonauentura dicit, quòd Ieſu loquente de Aſcenſione ſua, mater eius recubuit ſuper pectus eius abſorpta, quod & Ioanni contigit in cœna. Dum ergo aſcenderet ad cor altum filij ſui, non poterat deſerere dulcedinem ſuam, quæ eam ex toto nimis occupatam tenebat. Dum autem euigilat, iam videt aſcendentem filium, qui videntibus illis, & plus matre eius Maria eleuatus eſt. Tunc eius aſcendente filio ipſa liquefacta eſt: quoniam vt aſſerit Scriptura, quando ſol aſcendens radios diffunderet ſuos, liquefiebat manna. Gratia Virginis in corde eius velut cera liqueſcit, vt ſit ibi detenta, nihil aliud valens attendere gaudio ſopita. Aut aliter, & melius, dum Chriſtus aſcenderet, manna, id eſt, gratia Spiritus ſancti copioſius liquefit, vt amplius fluat ad Virginem, quæ eſt vas auri ſolidum, vbi manna gratiæ repoſitum manet in arca Eccleſiæ ad futuras generationes. Quod etiam quotidie liqueſcit, & numquam deficit, ſed magis ac magis abundat in Virgine: nam eius charitas eſt velut ignis, qui dum datur non minuitur. Si ergo quotidie nobis dat menſuram gratiæ, hodie pro ſabbato ſabbatorum, quo filius eius requieſcit, duplicem dabit portionem: nam, vt Heliſeus, duplici egemus ſpiritu quo ad præſens, ego dicen-

Maria omnibus relinquitur mater.

Mar. 16. c

Exo. 16. e

Exo. 16. g

Charitatis, ignisq. comparatio.

4. Reg. 2. c

di, vos autem audiendi, pro quo ei offeramus genibus flexis. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVANTO auxiliator eſt maior, tanto qui auxilium recipit eſt ſecurior: nunc ergo propheta, vt ſecuriorẽ filium ſuum redderet, benedictionem, quæ eſt in verbis thematis, cõtulit ei, qui vocabatur Aſer, & interpretatur beatitudo, ad quam requiritur ſecuritas, quæ maxime eſt in præaſſumpta ſententia. Nec enim amplius laudari poteſt auxiliator noſter Ieſus, quàm ſi vocetur aſcenſor cæli: pro quo notandum, quòd ipſa diuinitas dicitur cælum, pro eo quòd nõ poteſt recipere peregrinas impreſsiones: eſt ergo optimum cælum ipſa diuinitas Dei, de quo lucifer ait: In cælum aſcendam, & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Tunc in altiori cælo erat lucifer, quando hæc protulit verba, in quo & creatus eſt, quapropter, vt aiunt gloſſæ, ipſum Deum intellexit, quando dixit: In cælum aſcendam, id eſt in deitatẽ, eam attingens. Ad hoc cælum raptus eſt Paulus, quãdo in ipſo Deo vidit arcana Dei. Dum ergo Chriſtus dicitur aſcenſor cæli, deitatis aſcenſor vocatur, & eſt a conceptione ſua, vbi impletum eſt illud: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Homo Chriſtus acceſsit ad cor diuinum Verbi, eiusq. deitatis fuit aſcenſor per hypoſtaticam vnionẽ, & homo exaltatus eſt Deus opere Spiritus ſancti, qui ad conſolationem noſtram dicit nobis: *Aſcenſor cæli, auxiliator tui:* nam ex tunc filius hominis qui eſt in cælo, auxiliator noſter fuit factus caput noſtrum. In hoc ſermone agam de impenſis per Chriſti aſcenſionem nobis auxilijs: & in ſecunda parte afferam aſcendentis hiſtoriam.

Diuinitas dicitur cælũ, quia nõ recipit peregrinas impreſsiones.

Iſa. 14. c

2. Cor. 12. a

Pſ. 63. b

Diuiſio.

PRIMA PARS.

O FRATRES mei ſi ad plenum daretur nobis ſcire, quanti ponderis eſt ſententia thematis, etſi breuiſſima ſit. Quis enim principum terræ habet in curia Papæ, aut Imperatoris talem procuratorem, ſicut nos habemus hodie in curia cæleſti? Solummodo reges habent in curia

Romana, qui fideliter poſsit eorum expedire negoti a, vos autem, o Chriſtiani genus electum, regale ſacerdot ium gaudete, quia veſter negotiator ad luminũ patrem aſcendit hodie, vt interpellet pro minimo etiam Chriſtiano: quia puſillum & magnum ipſe redemit, & de omnibus cura eſt illi, tam grandis, quòd ſi mater oblita fuer it vnici ſui: noſter auxiliator non obliuiſcetur nos, nec aliquem noſtrum, quem ideo in manibus ſuis deſcripſit, atque exarauit, quas hodie, vt vincat Iſrael, habet eleuatas: quoniam eleuatis manibus ferebatur in cælum. Non *Luc. 24 g* dixit: In manibus meis ſcripſi te, ſed appoſuit *deſcripſi*, *Iſa. 49. d* vt oſtenderet, quo modo ſigillatim per ſingulas partes quemlibet noſtrum habet in operibus ſuis. Nam totus Chriſtus ſe occupat in rebus noſtris, manus adiutrices porrigens. Nec dixit deſcripſi vos, ſed te ſingulariter, ne aliqua confuſio credatur in eo. Habet ergo te, o chriſtiane, Chriſtus præ oculis, quoniam quod in manibus habemus, inſpicere nimis ſolemus: facile quippe hic negotiator Chriſtus exuitur a negligentia, quoniam ſolicitior aſcendit pro nobis. Si manus Chriſti opera eius ſunt, & meliora opera dignoſcuntur eſſe reſurrectio, & aſcenſio, ad nos dirigit hæc omnia: nam ideo in manibus ſuis nos deſcriptos habet. Vtinam & nos ſaltim eum memoriter haberemus, aut deſcriptum in pedibus affectionum, optantes cum eo aſcendere, quia tunc animæ noſtræ diceretur: Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia principis! *Cant. 7. a* Lætemur denique fratres, quoniam meliorem habemus procuratorem quàm pater Abraam: nam ſi perrexit ille *Gen. 24. d* vt quæreret vxorem filio Domini ſui, noſter auxiliator aſcendit, vt quærat nobis gloriam paradiſi. It enim parare *Ioã. 14. a* nobis locum. Et etiam meliorem procuratorem habemus quàm tota domus Iacob. Nam ſi Ioſeph extitit pro- *Gen. 45. c* curator fratrum ſuorum, & patris in Ægypto apud regem Pharaonem: iſte & patris Adæ, atque totius generis humani curam habet in cælo coram rege æterno. Si to- *Exod. 4. c* tus populus Iſrael procuratores habent Moyſes & Aaron, in quorum manus velut oues traditi ſunt Iſraelitæ, nos hodie habemus matrem, & filium, alterum in cælo, alterum in terra: alter aſcendit in montem cæli in Sinai: al- *2. Reg. 12* ter manet cum populo in Eccleſiæ tabernaculo. Felix fuit *a*

illa

illa ouis, quæ in ſinu Domini ſui dormiens de pane eius edebat, & de calice potabatur, eratq. illi ſicut filia, ſed felicior eſt populus Chriſtianus hodie, qui in ſinu lateris Chriſti aſcendit cum eo, vt in gloria comedat panem angelorum, & vino fruitionis potetur, ſitq. Chriſto populus iſte non ſolum filia, ſed ſponſa, cor vnum, & anima vna. Nec miremini quòd dixerim cum Chriſto eius aſcendere
Iſa. 40. c populum, quia ſcriptum eſt: In ſinu ſuo leuabit agnos, ſcilicet eos, quos Petro commiſerat. In corde ſuo nos defert. Iam ergo exhilerate corda veſtra, quoniam *Aſcenſor cæli, auxiliator noſter eſt.*

Quoniam magis nobis neceſſaria eſt aſcenſio Chriſti, magis gaudere debemus de noſtro auxiliatore aſcendẽte,
Luc. 15. b quàm aliæ creaturæ. Angeli qui gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiã amplectente, hodie ineffabiliter gaudent,
Iob 38. a alioquin Deus non quæreret a beato Iob: Vbi eras cum me laudarẽt aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Iubilus, vt ait Bonauentura, eſt quoddam gaudium cordis, quod nequit explicari, nec alteri oſtendi, quamuis aliquibus ſignis valeat inſinuari. Quod & angeli hodie fecerunt quaſi conãtes monſtrare, quæ intus ſentiebant: dum enim apparent in veſtibus albis, inſinuant depoſuiſſe iam
Iſa. 33. b ex toto veſtes lugubres, quibus angeli pacis dicuntur in paſsione amare fleuiſſe; nunc autem vice verſa ſuauiter gaudent. Nec mirum: nam quemadmodum in Chriſti morte, quia Deus pater non poterat ſentire triſtitiam, omnes creaturas nigro veſtiuit habitu, vt pro eo dolerent, ſic hodie viceuerſa facit: nam pro eo qui nec accidentaliter in ſeipſo poteſt de nouo gaudere, voluit vt omnes angeli de nouo gaudeant aſcenſore: & vt hoc magnum gaudium hominibus innoteſcat, vult vt eis appareant in veſtibus albis. Si ergo iubilus eſt angelis, quid erit nobis, quibus neceſſario aſcendit auxiliator? non immerito igitur ait ſan-
Pſ. 67. d ctus Dauid: Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino, qui aſcendit ſuper cælum cæli. Cantemus Deo canticum nouum, vt nouo gaudio perfruamur: quoniam *Aſcenſor cæli, auxiliator noſter eſt.*

Si de auxilijs nobis impenſis aliquid vultis audire, ad-
Eccli. 34. e uertite, atque audite illud Eccleſiaſtici, qui de noſtro auxiliatore ait: Oculi Domini ſuper timentes eũ, protector poten-

potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris,,& vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutoriũ caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Duodecim auxilia breuiſsime poſuit, quæ etſi partim cõueniant ad ſecum aſcendentes, & partim ad Apoſtolos, omnia ad nos aptari poſſunt, nimis enim conferunt ad ſalutem animarum noſtrarum, & huic feſto peculiaria ſunt. Chriſti auxilia duodecim.

Primum ergo auxiliũ dixit, quòd oculi Domini Ieſu ſuper timentes eum. Vbi notandm quòd aquila dũ habet filios teneros ſuper nidum, altiſsime volãs non auertit oculos ſuos ab eis, vt videat, ſi quis noceat eis, & ipſa vltrix exiſtat citiſsime deſcendens. Hoc idem fecit Chriſtus, qui ex altiſsimo cælo videns, quòd Saulus nidum Eccleſiæ deuaſtabat, deſcendit ſuper eum, atque in terram deiecit, dicens: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. In quibus verbis & aliam ſimilitudinẽ facit, alludens nautis, qui dum inimicos cõſpiciunt, fortior eorũ altum nauis aſcendit, & ſtans in apice ſuper malum & coronam ipſius nauis, iacit iacula & ſtimulos contra inimicos ſecurior, atque vtilius, quia plus exinde ferit. Sic hodie videtur feciſſe Chriſtus, qui ad coronam ſuæ nauis, ad coronam Eccleſię, ſcilicet, ad cælum aſcendit: vt inde ſtimulos mittat contra tyrannidem inuaſoris: ne quis contra Eccleſiam ſuam præualeat, ad cuius fideles dicit: Qui tangit vos, quaſi qui tangit pupillam oculi mei, quæ citiſsime læditur: & ſic noſter auxiliator citiſsime ſentit ſuorum grauamina, ita vt nolit, quòd capillus de capite eorum pereat. Hic impletur figura Moyſi aſcendentis in montem: Obſecro vt gradiaris nobiſcum, &c. & ſequitur: Eijciam ante faciem tuam Amorræum, &c. Auxilium primum. *Act. 9. a* *Zach. 2. c* *Luc. 21. d* *Exo. 24. b*

Secundum auxilium: quia eſt protector potentiæ: vbi aduerte quòd Chriſtianus quilibet eſt in potentia aſcendendi ad cælum, ſi nunc per fidem habitatio eius in cælis ſit: eſt ergo in potẽtia non in actu cæli aſcenſus realis: potentia perficitur per actus, & per meliores magis: aſcenſus autem Chriſti melior eſt ceteris quibuſcumque aſcenſionibus, quia ſicut, teſte Philoſopho, vnus actus intenſus præualet multis remiſsis: ſic aſcenſio Chriſti omnibus alijs præualet: nec raptus Enoch, nec aſcenſus Heliæ, nec raptus Auxilium ſecundum.

raptus Pauli comparatur aſcenſioni Chriſti, quia per ſolam Chriſti aſcenſionem roboratur noſtra aſcendendi potentia, per eamq. reducetur in actum: quia dum caput aſcendit, membra ſe accingunt ad idem: quemadmodum ergo dum aſcendit dux, pariter exercitus inſequitur: ſic dum Chriſtus præit, omnis Chriſtianus poſt ipſum aſcendet. Figura optima eſt in Abimelech, de quo dicitur:

Iudic.9.f Aſcendit in montem Selmon, &c. vſque ibi, ſequebantur ducem: vbi nota quòd Selmon interpretatur pax, & eſt illa quæ exuperat omnem ſenſum; ad requiem opulentam dux noſter aſcendit cum ramis victoriæ: nunc melior celebratur proceſsio ramorum.

Tertiũ auxilium. Tertium auxilium: quia eſt firmamentum virtutis: vbi aduerte quòd apud nos ſunt multi infirmi, multi imbe-

Pſal.30.c cilles firmamento indigentes, quoniam dicimus: Infirmata eſt in paupertate virtus mea: tamen quemadmodum merito ſuæ reſurrectionis reſurgimus, ſic ſuæ aſcenſionis merito aſcendemus. Clarius tamen & ad litteram fuit firmamentum virtutis Stephano Chriſtus, quando vt eum firmaret in fide, fecit, vt ſurſum aſpiceret, quo dice-

Act.7.g ret: Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei: vt ſcilicet ipſe ſit firmamentum virtutis

Pſ.15.c meæ: Quoniam a dextris eſt mihi ne commouear. Quod igitur ſic patenter exhibuit Stephano, exhibet quotidie nobis, quamuis non ſuſpicimus in cælum ad videndum gloriam Dei aſcendentis. Huius auxilij figura eſt in arca

Nu.10.d fœderis, de qua dicitur: Arca fœderis Domini præcedebat eos, prouidens caſtrorum locum. Ad terram promiſ-

Col.2.a ſionis præcedit arca Dei, & ad cælum Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Magna quidem confidentia erat ſequentibus, nimiſq. cor eorum ſtabilitur, dũ vident præire arcam, & ſic nos Chriſti aſcenſionem contemplantes. Nonne dum iter agimus, & ad anteriora oculos extendimus, noſtra firmatur virtus, ſi aliquem eadem via conſpicimus ante nos? quemadmodum qui retro manet, aliquo modo relaxat cor viatoris: ſic illud firmat ad eundum, qui præit.

Quartum auxilium. Quartum auxilium: quia eſt tegimen ardoris: vbi notatur, quòd Chriſtus aſcendens, tentationes noſtras temperat, qui & operit peccata noſtra, & mitigat occaſiones:

vnde

vnde ait Iſaias: Sub tegumento manus ſuæ protexit me, *Iſa. 49. a*
ſcilicet ab ardore vitiorum, quapropter aſcenſio Chriſti
figuratur in illa columna de qua dicitur: Dominus præ- *Exo. 13. d*
cedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna
nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux eſſet itineris
vtroque tempore. Columna iſta in die aliquantulum
erat ſpiſſa, vt orare poſſet contra ſolis ardorem, nocte autem
erat lucida quaſi lampas ad viam, vnde ipſa duxerat:
ſed melius Dominus Ieſus in ea figuratus, qui rorare non
ceſſat, vt mitiget nos a diebus malis. Obumbrat igitur
ſuos ex cælo in die proſperitatis, humilitatem demonſtrans,
quia ipſe aſcendit. Et in nocte aduerſitatis dicit,
quòd iſta eſt via quæ ducit ad cælum: quoniam turbine, *4. Reg. 2. b*
ſcilicet aduerſitatis, raptus eſt Propheta.

Quintum auxilium: quia eſt vmbraculum meridiani: *Quintum auxilium.*
vbi nimia conſolatio innuitur, quia meridiano tempore
nimis egent conſolatione laborantes, quod autẽ plus conſolatur
eos, qui ſunt in labore, eſt præmij ſpes, alioquin
non diceretur: Vidit Iſſachar requiem, quod eſſet bona, *Gen. 49. e*
& ſuppoſuit humerum ſuũ ad portandum. Chriſtus aſcendens
multum auget ſpem fidelium, quoniam ipſe dixit:
Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & *Ioã. 14. a*
accipiam vos ad meipſum: quod fit quotidie, non ſolum
in morte fidelium, ſed vt nos ad meliorem frugem faciat
conſcendere de virtute in virtutem, ad quod non eſt piger
Chriſtus, qui ait: Vado & venio ad vos. Omnes denique *Ibid. d*
ſpem erigite, quia vbi eſt corpus, congregabuntur & aquilæ:
vbi eſt Chriſtus, congregabuntur Sancti eius, qui
nunc aſcendit pandens iter ante eos: Propter hoc auxiliũ
Chriſti, figuratur eius aſcenſio in illo, cui dicitur: Surge, *Gen. 31. b*
& egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis
tuæ: ſurrexit itaque Iacob, & abijt: tulitq. omnem ſubſtantiam
ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſierat,
pergens ad Iſaac patrem ſuum. Hæc figura optima
eſt, & maxima expoſitione indiget, vbi præcipue tangitur,
qualiter bonus paſtor ad paſcua vberrima montium
Iſrael duxit oues ſuas, & nunc ante eas vadit.

Sextum auxilium: quia eſt deprecatio offenſionis. Non *Sextum auxilium.*
ſolum dicitur Chriſtus deprecator quotidianæ offenſionis
noſtræ, ſed ipſamet deprecatio: vbi innuitur quòd quãuis
taceat,

taceat, deprecatur per ſolam exiſtentiam, & aſsiſtentiam
1. Io.2.a patri, quod & ſenſit qui dixit: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantum, ſed etiã pro totius mundi. Hucuſque pater Deus quærebat, qui ſe opponeret ei pro terra, & ſurgeret ad tenendum eum, ne diſsiparet eam, nunc autem aſcendit Chriſtus eleuatis manibus orans, & dicens frequentius
Luc.23.e quàm in cruce: Pater ignoſce illis. Nunc implet Chri-
Leuit.16.d ſtus figuram veteris teſtamenti qua iubetur vt pontifex ſemel in anno inferat ſanguinem offerendum in ſancta
Hebr 9.c ſanctorum oraturus pro omni populo. Chriſtus autem per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta virtute ſanguinis ſui.

Septimum auxilium.

Septimum auxilium: quia eſt adiutor caſus, quia reparat caſum: nam qui te adiuuat vt cadas, impulſor dicitur. Intra nos habemus impulſorem dæmonem, ſuprà nos
Pſ.70.b autem adiutorem Chriſtum, de quo dicitur: Et tu adiutor fortis. Oportet enim vt ſit fortis, quia nos euellere ha-
Pſ.43.d bet: Nam adhæſit in terra venter noſter: & ego infixus ſum in limo profundæ malitiæ: & vltra hoc terrena occupatio me deprimit, & vos fratres pondere diuitiarum preſsi attendite, quia multi dati ſunt in auro caſus: ideo conuenit quòd Chriſtus ſit adiutor fortis ad nos eleuandum, qui in contrariũ reluctamus. Vnde Chriſtus aſcen-
Eze.1.c dens figuratur in aquila Ezechielis, quæ nunc in arduis ad præceptum patris eleuata ponit nidum ſuum, qui pro-
Deut 32.b uocat filios ſuos ad volandum ſuper eos volitans, vt & ipſi volent. De aquila dicitur, quòd ſi tunc filij eius volare nequeunt, eos roſtro ferit, & ſi necne, ſubtrahit eis cibum, vt volare diſcant: ſic nobis euenit aliquãdo per Chriſtum, qui nos immiſſa tribulatione ferit, ſubtrahitq. temporalia, vt ſaltim mentaliter aſcendamus ad eum.

Chriſt⁹ eſt aquila fortis.

Octauum auxilium.

Octauum auxilium: quia exaltans animas eſt Dominus Ieſus, quod pertinet ad eos, qui cum eo pariter aſcendunt ex limbo. Nam ſicut ſol virtute multa exaltat vapores, quos extrahit a locis humidis, ſic ſol iuſtitiæ Chriſtus ex lacu inferiori trahit animas ſanctorum, quoniam ambu-
Iſa.9.a lantibus in regione vmbræ mortis lux eſt orta. Propter hoc auxilium figuratur aſcenſio Chriſti in ſigno dato

Ezechiæ,

Ezechiæ, de quo dicitur: Et reuerſus eſt ſol lineis per gradus quos deſcenderat. Non eſt arida figura iſta, ſi tempus adeſſet exponendi: quo modo rex Ezechias eſt genus humanum, cui ſalus, id eſt Ieſus, conceditur, qui deſcendit per horologium creaturarum: ſed iam aſcendit, &c. *Iſa. 38. b*

Nonum auxilium: quia eſt illuminans oculos, ſcilicet per augmentum fidei, quæ roboratur, ſiue creſcit in abſentia rei, cui credimus: vltra hoc igitur quòd tota fides noſtra myſterio aſcenſionis firmior, & credibilior fit, attende quòd ait Beatus Thomas: Aſcenſio Chriſti magis vtilis fuit, quàm præſentia corporalis fuiſſet: primo quidem propter fidei augmentum, quæ eſt de non viſis: vnde ipſe Dominus dicit, quòd Spiritus ſanctus adueniens arguet mundum de iuſtitia, ſcilicet eorum qui credunt, vt Auguſtinus dicit ſuper Ioanne: ipſa quippe fidelium comparatio infidelium eſt vituperatio: vnde ſubdit: Quia ad patrem vado, & iam non videbitis mei: Beati enim qui non vident, & credunt. Hæc Thomas. Aſcendit ergo fides noſtra Chriſto aſcendente, quia plus valet: propter hoc auxilium figuratur aſcenſio Chriſti in illa de qua dicitur: Moyſes autem aſcendit in montem ad Deum, & ſequitur in perſona Dei: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Mons Sinai cæli figuram tenet, ad quod cum aſcenderet Chriſtus, Deus in nube occurrit ei, quando nubes ſuſcepit eum, non alia quàm illa de qua dicitur: Ecce nubes lucida obumbrauit eos: & vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus. Nubes ergo eſt pater qui filium ſuſcipit, eiq. loquitur: nam Dei verba etiam opera ſunt. Dum ergo angelos mittit, dat filio teſtimonium, vt ei etiam totus credat mundus: quoniam ideo plures conuertit aſcendens, quàm in terra degens.

Nonum auxilium. *3. p. q. 57. ar. 1.* *Ioã. 16. d* *Aug. tract. 95. in Ioan. ante med. to. 9.* *Ioã. 20. g* *Exo. 19. a* *Ibid. b* *Matt. 17. a*

Decimum auxilium: quia eſt dans ſalutem: vbi nota, quòd ſalus corporis conſiſtit in debita proportione quattuor humorum, & ſic animæ ſalus in debita proportione quattuor virtutum cardinalium, quas ampliat in nobis Chriſtus, dum cælum aſcendit. Prudentiam noſtram reddit meliorem dum aſcendit, quia reuerentius ſe habet homo ad ea quæ minus tractat: quia familiaritas nimia parit contemptum. Vnde iam non ſcitur Chriſtus ſecundum

Decimum auxilium. *Adagium.*

dum carnem, ſed altius prudentia volat. Meliorem reddit Chriſtianorum iuſtitiam, ideoq. dicitur ſacrificium iuſtitiæ, quod totus hodie offert mundus coram Deo patre per ſemper & ad ſemper. Meliorem reddit noſtram forti-

Ioã. 16. d tudinem, alioquin non diceret: Confidite, quia ego vici mundum: & magis nunc, quoniam relinquit mundum, & vadit ad patrem. Meliorem reddit noſtram temperãtiam: nam ab omnibus ſe abſtinet animus, vt ſecũ valeat abire: dum enim eius deuotionem guſtat, nauſeat anima iuſti.

4. Reg. 2. b Ob hoc decimum auxilium figuratur Chriſti aſcenſio in Elia, quem quattuor equi ignei ſubſtulerunt, & quattuor reliquit diſcipulo ſuo, ſcilicet prophetiam quo ad prudentiam, & pallium quo ad fortitudinem, quia eo percutiens aquas iordanis, diuiſit eas. Dimiſit & duplicem ſpiritum, ſcilicet temperantiæ primo quo ad ſe, & iuſtitiæ poſtea

Amb. lib. 1. de offic. cap. 9. 10. 4. quo ad alios: nam teſte Ambroſio iuſtitia eſt reddere vnicuique, quod ſuum eſt.

Vndecimũ auxilium. Vndecimum auxilium: quia dat vitam, ſcilicet amorem, qui eſt animæ vita: nam teſte Auguſtino, anima plus eſt vbi amat quam vbi animat: propterea quòd vbi amat eſt vitæ, id eſt amoris fulcimentum: aſcendit ergo Chriſtus vt ſecum ducat noſtrum amorem, vnde monet Paulus,

Col. 3. a dicens: Quæ ſurſum ſunt quærite: quæ ſurſum ſunt ſapite: vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram. Vbi eſt theſaurus noſter Chriſtus, ſit amor noſter: quia vt eum ampliaret, aſcendit. Nam ipſe dixit Apoſto-

Ioã. 16. b lis: Si ego non abiero paraclitus, ſcilicet amor, Spiritus ſanctus non veniet ad vos. Iam eum habuerant, ſed non ita abundantius vt poſt aſcenſionem. Dat ergo vitam ampliorem amoris, & propterea figurata eſt Chriſti aſcenſio

Tob. 12. d in illo, qui dixit: Tempus eſt vt reuertar ad eum qui me miſit. Iſte angelus quos reliquit in amore fecit exardeſcere, ſemperq. cantare laudes Deo.

Duodecimum auxilium. Duodecimum auxilium: quia dat benedictionem: nam dum iret eleuatis manibus benedixit eis, vt ait Lucas:

Luc. 24. g Iſta benedictio fratres magni ponderis eſt: nam ſi benedictio patris fundat domos filiorum, quid faceret benedi-

Gen. 27. d ctio Chriſti glorioſi? ſi benedictio Iſaac cæci cõtulit Iacob ius primogenituræ, quid contulit Apoſtolis benedictio Chriſti cuncta videntis? ſi erat Iſaac pater Iacob, & poterat

terat facere quidquid vellet, Chriſtus eſt pater orphanorum, & non eos deſolatos relinqueret: tantæ ergo virtutis arbitror fuiſſe iſta benedictio Chriſti, quantæ illa erit, qua dicet: Venite benedicti, &c. Morem patrum antiquorum ſecutus eſt Dominus Apoſtolos ſuos benedicens: nam patriarcha Iacob ſuos filios benedixit: ſimiliter & Moyſes omnes filios Iſrael. Hæc ergo aſcenſio denique figuratur in alia, quam ipſe Dominus fecit, de qua dicitur: Videns Ieſus turbas aſcendit in montem, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Turbas quas ex limbo eduxerat, videbat ſemper ſecum, & cum eis aſcendit in montem gloriæ, tamen prius in montem oliueti, vbi acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, quo eos benediceret.

Matt.25.d
Gen.49.a
Deut.33.a
Matt.5.a

SECVNDA PARS.

SI autem vultis fratres mei aſcenſionis audire hiſtoriam litteralem, aduertite quòd quadrageſimo die poſt reſurrectionem, recumbentibus diſcipulis apparet aſcenſurus Ieſus, vt edat cũ illis, ſicut fecerat antequam aſcenderet crucem. Longum in altera menſa texit ſermonem, quem etſi fecit in iſta, noluerũt ſcripto mandare, niſi quòd increpauit eos de fidei tarditate, dicens: Si vos videntibus me ſurrexiſſe nõ credidiſtis, donec ego ipſe affuiſſem, quid mirum quòd mundus non credat hoc myſterium? O duros corde ad credendum videntibus veritatem. Tunc Apoſtoli proni in terra ſe fatentur incredulos fuiſſe, minimamq. aut nullam exhibuiſſe condignam ſeruitutem tanto Domino. Tunc ipſe Chriſtus Spiritui ſancto ſtratum parabat humilitatis. A cœnaculo in Bethaniam perrexit cum eis & ſanctis patribus, quos habebat ſemper ſecum quocumque abiret. Bethania eſt in latere montis oliueti, qui tenet, vt ait Beda, Chriſti figuram, in cuius latere aperto Eccleſia, quæ eſt Bethania, ſita eſt, vt ex vertice, deitate ſcilicet Chriſti, oleũ miſericordiæ recipiat. Receptis ergo quæ ibi erant, Chriſtus Apoſtolis viſibilis immo & credo quòd cunctis Chriſtus tunc viſibilis abijt ad verticẽ montis, non tamen feſtinus: quoniam, vt regi euenit abeunti, Apoſtoli non ſinebant eum iter facere, accedentes ſigillatim ad aures eius, & dicentes:

Hiſtoria feſti aſcenſionis.

Luc.23.d

Beda in c. 11. Mar. to. 5.

Domine hoc mihi donum peculiare tribue. Et alius aiebat ſecrete: Hoc & mihi exhibe ſingulare beneficium. Et alius Chriſti vaporans aurem ſuggerebat: Ne me ſine munere ſpirituali deſeras Domine, ſed exhibe talem gratiam. Ad ſingulum applicat aures audiendi munificus redemptor, nullumq. indonatum dimiſit: nam largitus eſt ſecreto munera iuxta magnificentiam principalem, prærogatiuasq. ſingulis conceſsit. O ſi hodie fratres ſic petitiones veſtræ innoteſcerent apud Deum. Denique poſtquam ventum eſt ad verticem montis, cœpit ſingulis vltimum vale dicere, & amplexari vnumquemque, & ei conſentanea dicere verba incipiens a Petro, cui dixit: O bone Petre cui exhibui vicem meam, ouesq. commiſi: eſto ſolicitus donec reuertar ad te. Ad Ioannem autem ait: O mi dilecte Ioannes cui matrem commiſi, vt inſeruias ei veluti filius chariſsimus. Et Andreæ dixit: Tu es primus diſcipulus meus, qui & mihi Petrum fratrem tuum adduxiſti. Sic ergo ceteros alloquens mandauit, vt irent vſque ad vltimum terræ, doceret omnes gentes ea, quæ ipſe docuerat, mundumq. baptizare: Eſſent ſibi teſtes, ac fideles coadiutores. Interea quidam curioſi dicunt: Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? quibus ait: Non eſt veſtrũ noſſe quæ pater ſibi reſeruat, ſed accipietis virtutem ſpiritus, quem cito mittam vobis a patre, quia ſi Ioannes baptizauit aqua, vos cito baptizabimini Spiritu ſancto. Mater Maria genibus flexis expectabat etiam vltimum vale dulciſsimum pro amariſsimo quod recepit, quando filius erat crucem aſcenſurus. Poſtquam ergo ceteris ſignauit partes, ad quas ituri erant prædicare, & diuiſit illis terram, accedens ad matrem, ait: O chariſsima parens quàm libenter te mecum deferrem, ſed ne dicant, ſe ſolos & orphanos remanere (nam non eſt orphanus, qui matrem habet maxime talem) ne ergo dicant, quòd nos ad gaudia pergimus, & eos relinquimus amaritudinibus, vellem vt remaneas ad ſarcinas, quia ſicut me nutriſti vſque dum grãdis eſſem, & me pati vidiſti, ſic & Eccleſiam & corpus myſticum foueas, donec aliquantulum creſcat, & patiatur martyrium. Pro eis roga, eos conſolare, ſolicitior inuigila, vt quemadmodum eras iuxta crucem, ſis erga quemlibet Chriſtianum meum: quia ipſe meus frater,

Chriſtus aſcenſurus habet ſermonem cum Apoſtolis.

Act. 1. b

Act. 1. a

Mar. 3. d

frater, ſoror, & mater eſt. Nunc autem quia tu ès theſaurus meus eis relictus, & ego theſaurus tuus in cælo repoſitus, cor meum maneat tibi, & oculi mei ſint in te, cor autem tuum abeat mecum: tunc & matri regium & ſecretum contulit munus, melius quàm contulerat Salomon reginæ Saba. Hoc peracto cœpit cunctis videntibus eleuari ex monte oliuarum, quia vt alter Dauid in ſua miſericordia notata in oliua conſecutus eſt ſedem regni, atque ideo templi oſtia de oliuis erant, hunc locum aſcenſionis deſignantia: & velut pontifex miſſam perficiens, benedixit eis ſigno crucis, quod eis impreſsit, & vſque ad interiora cordis immiſit, ne pati pro cruce timerent, ſed optarent: his verbis ſpiritualiter intelligendo benedictionem expreſsit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram *Gen. 1. e* Eccleſiæ filijs Dei per Euangelium generatis: Sicut illa benedictio mundi principio virtutem contulit producendi primis parentibus, ſic Apoſtolis hæc. Dum ergo aſcenderet, ceteri ſancti, & animæ beatæ pariter eleuabantur Chriſti virtute, ſicut vapores aſcendente ſole: tunc impleta eſt hæc prophetia: Tamquam aues volantes protеget Dominus exercituũ Ieruſalem: protegens & ſaluans. *Iſa. 31. e* Apoſtoli Chriſtum intuẽtes pariter mente aſcendunt, ſed Chriſto iam altius diſtante, ne eorum viſus amplius fatigetur, nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, quæ fuit velut ſedes Dei a patre miſſa Chriſto: nam Dominus dixit, *3. Reg. 8. b* vt habitaret in nebula. Miſit & pater: vt adorent eum omnes angeli Dei. Tunc rupti ſunt cæli, vt angelos velociter deſtinarent, quia ruptus fuerat lacus limbi, vt patriarchæ aſcenderent, & ſic immẽſa gloria eleuaretur arca Dei *Pſ. 96. a* Chriſtus in ſublime a terra, vſque dum ſuper montes Armeniæ ſuper hierarchias poneretur. Deſcendentes ergo angeli vt manus Chriſti oſcularentur, aiunt: Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et ipſe reſpondit: *Zach. 13. c* His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me, has non odio ſed amore ſuſcepi, earum impreſſores iam me diligunt, nil nunc vindicandum eſt. Sic ergo procedit aſcenſio, donec per angelorum ordines progrediẽs inquiritur de meliori loco: Et omnes aſsignant ſuperius dexteram patris: Domine aſcende ſuperius: Domine intende *Luc. 14. b* proſpere ad dexterã maieſtatis, Tunc impletum eſt illud:

Pſ.46. a Tibi reddetur votum in Ieruſalem : In terrena vocant, vt
Dan.2.a moriatur: in cæleſti dicunt : Rex internũ viue. In terrena Ieruſalem dicunt : Ad crucem ad crucem inter latrones. Sed in cęleſti Ieruſalem vociferant : Ad dexteram patris, ad dexteram patris inter diuinas perſonas collocetur. Sic ergo ſanctorum & angelorum caterua ſtipatus pergit ad patrem ſuum, qui aſſurgens filio, & in oſcula ruens, dixit:
Pſ.109. a Sede a dextris meis. Hucuſque in ſiniſtris mundialibus fuiſti, & in rebus aduerſis vſque dum in manus meas tuum commendares ſpiritum. Nunc ſede requieſcens æternaliter a labore nimio, quem extenſus cruce paſſus es, & quie-
Pſ.109. a ſce: quia ego ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, & puluerem pedum tuorum lingent, viam paſsibilis vitæ tuæ imitãtes & amplectentes. Non vis fili vindictam capere, ſed amore capere eos, qui te ceperunt in cruce: totũ te video amore tinctum, ideo voluntati tuæ annuens, ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, per amo-
Pſ.98. a rem ſubiectos, taliter vt de eis dicatur : Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Spiritum ſanctum mittemus, qui eos ſanctificet, & vrgeat amore, amicosq. tibi multiplicet. Totus ardes, vt ameris, ſede, quieſce, quoniam cito mittemus amorem noſtrum ſuper ciuitatem. O pater omnipotens, inquit filius, ego procurator aduenio generis humani & filiorum Adam, vt ſim apud te iugiter
Pſ.101. b pro eis intercedens, quia nunc tempus miſerendi eſt. Tu
2.Cor.1. a autem pater miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis vocaris, cui offero hæc pia vulnera filij tui chariſsimi, quæ pro liberatione humani generis ſuſcepi, erués illud, atque de manu diaboli ſaluans, vt implerem has deſertas ſedes, quas dereliquit ſuperbia : tamen mea & crucis humilitas optat, vt hos humiles exaltes in eis. Horum exaltatio ſit humilitatis meæ præmium. Cui pater : O fili vnice qui tot filios mihi adducis, hæ ſedes ſpolia ſunt principis luciferi, quem deiecisti, victorem cuncta ſequitur. Tu ipſe
Sap.10.d eas diſtribue: Vt victricem manum tuã laudemus pariter. Sic Dei filius in ſedibus collocat, quos ex limbo duxerat, quod figuraliter fecit Ioſue quando eduxit filios Iſrael de Ægypto, & eis iam in terram promiſsionis introductis, fu-
Ioſ.11.d niculo diſtributionis partitus eſt ciuitates, dicens : Ite ad ſedes veſtras, & quieſcite.

Nec

Nec vlterius loqui valeo de paterna receptione, qualiter promiſit filio dare gentes, & poſſeſſionem eius terminos terræ: hoc tantum dico, quòd ſi filius prodigus tam honorifice receptus eſt, ſi peccatorem tam humane Deus recipit, vt mirentur etiam angeli, qui propterea gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, & adducunt ei ſtolam primam,& annulum, & cetera, quanto amplius & nunc eos lætabundos,& patrem Deum ſolicitum putatis in receptione tanti filij, qui tam longa peregrinatione peracta totum opus conſummauit ſibi commiſſum? nec immerito tantum myſterium, ſcilicet aſcenſionis tam paucis, etſi claris verbis, ſcripſerunt Euangeliſtæ, niſi vt inſinuarent, quòd nimis confortata eſt hæc feſtiuitas & immenſa, ideoq. non poterant ad eam ſcribendam eſſe idoneos, quam nec angeli poterant Apoſtolis enarrare. Quia ſi nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, quanto maiora præpararet Chriſto, qui ampliſsima charitate vitam pro omnibus, quos Deus creauerat poſuit? Iam ergo Dominus Ieſus etſi diuine receptus, atque proſperis ſuccedentibus, non eſt tamen oblitus eorum, qui remanſerant in exilio, ſed ait angelis duobus: Ite ad montem oliueti, conſolamini populum meum, ferte eis de gloria mea vel micam vnam, qua ſaturentur. Tunc ecce ſubito duo viri in veſtibus albis, qui familiariter aſtiterunt iuxta illos. Plures quidem venirent (natiuitati namque multitudo cæleſtis exercitus aderat) ſed ne deeſſent tanto feſto: & ſatis eſt, vt duo prebeant aſcenſioni teſtimonium, ſicut & reſurrectioni. Nec veniunt timentes, quòd Apoſtoli quærerent per montes Chriſtum, quemadmodum filij prophetarum quæſierunt Heliam, putantes quòd Deus eum cadere ſineret, ſed veniunt, ne amplius Apoſtoli fatigatione grauentur, ſuſpicientes in altum, quo nimis caput grauatur, & gloriæ ſint participes: vnde aiunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes,&c. vſque ſic veniet: vſque hodie, vel vſque ad Spiritus ſancti aduentum ſic ibi eſſent: niſi Chriſtus nuncios ſuos deſtinaret eis, qui eos Galilæos,id eſt, transmigrantes a ſe vocant, ac in cælum tranſlatos in eum, de quo litteraliter dictum fuerat: Præcedet vos in Galilæam. Magna quidem

Margin notes: Luc.15.a · Aſcēſio eſt ineffabilis. · 1.Cor.2.b · 3.Reg.18 b · Act.1.b · Mar.16 b

laus Apoſtolorum, quorum anima ſuſpendium elegerat, & ipſi ſuſpenſi erāt Chriſto: ingerunt eis angeli nomē Ieſus, dicentes: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum: vt eos ad ſe ducant tam dilecto nomine audito, & vt angelicā familiaritatem ad Chriſtum oſtendant: ſic veniet, tā maxima gloria ad vos nimis amatos. Nam & nos qui de eius reſurrectione teſtimonium reddimus, nunc etiam aſſerimus quòd ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum: ad omnes venturus eſt Chriſtus quando veniet ad iudicium, vita Chriſtiani nil aliud eſſe debet, niſi expectatio iudicij, & iudicis venturi. Apoſtoli poterant angelis reſpondere: Sed cur vos deſeritis tantum feſtum, cur & vos non eſtis Galilæi? nam & Ieſus galilæus eſt. Apoſtoli cum matre Ieſu & ceteris ob angelorum monitionem reuerſi ſunt in cœnaculum Ieruſalem expectare. Nunc & nos fratres ſimus galilæi, mente aſcendamus, vel ſacram ſcripturam contemplemur. Finies cum exclamatione figurarum, repetens duodecim figuras prætactas, & torrente ſermonis ſequentis, qui eſt in fine eius.

Act. 1. b

SERMO II.

IN ASCENSIONE DOMINI.

De rationibus Chriſti, & de noſtra aſcenſione.

THEMA.

Aſcenſor cæli, auxiliator tui. *Deut.* 33.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

INTER alios, de duobus cælis optimis ſacra pagina facit mentionem, vbi dicit: Regna terræ cantate Domino: Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem: magnificētia eius, & virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem,

Pſ. 67. d

tutem, & fortitudinem plebi ſuæ. Totus hic pſalmus de myſterijs aſcenſionis agit a principio vſque in finem: vbi ſanctus Dauid voluit vt regna terræ pſallerent contemplando myſteria Chriſti aſcendentis ſuper cælum Eccleſiæ triumphantis. Hoc cælum, id eſt, Eccleſia triumphans eſt alterius cæli: nam ideo dixit cælum cæli. Eccleſia triumphans dicitur eſſe Eccleſiæ militantis: nam ex ea implet ruinas ſuas, & hic dolantur omnia, vt poſtea ſine ſono ferramenti ex viuis & electis lapidibus conſtruatur. Duo igitur cæli, ſunt Eccleſia militans, & Eccleſia triumphans. Chriſtus aſcendit hodie ad præcipuum cælum Eccleſiæ triumphantis: ideoq. virtus eius in nubibus, quas ponit aſcenſum ſuum. Et eſt mirabilis in ſanctis, quos ducit ſecum, datq. virtutem plebi ſuæ in terra manenti. Hæc virtus & fortitudo eſt beata Maria mater Dei conceſſa plebi apoſtolicæ & toti Eccleſiæ, quæ eſt ſecundum cælum, ad quod Maria aſcendit hodie. Nunc enim virtus eius innoteſcit, & quo ad innoteſcentiam dicitur aſcendere ſuper Eccleſiam, quamuis antea mater Eccleſiæ fuerit. In abſentia ſolis cognoſcitur quantum luna proſit, quæ officium ſolis exercet, eo abſente: ſic nunc beata Virgo, quia reuertitur ſol ſuper lineas, quas deſcenderat, ipſa vero aſcendit vt luna plena in diebus ſuis, quæ quidem ſupplet abſentiam filij, quemadmodum & regina in quolibet regno ſupplet abſentiam regis, determinat cauſas, expedit negotia, dat præmia meritorum, & confert dona bene meritis. Cum ergo pater abſentatur, ſolicitior cura matri de filijs incumbit, eiq. datur quidquid filijs neceſſarium eſt. Vbi aduerte quòd quemadmodum Chriſtus patrem rogauit non ſolum præſentibus Apoſtolis, ſed pro omnibus qui credituri erant per verbum eorum in eum: ſic matri non ſolum pro præſentium, ſed futurorum curam impoſuit, quæ eſt velut ſpiritus duplex datus Heliſeo, ſcilicet cura præſentium & futurorum. Nec mirum quòd Maria ex tunc noſtram ſeruet portionem gratiæ, quæ noſtram ſeruauit ſub cruce fidem. Ad noſtram ergo auxiliatricem, vt nobis porrigat manus adiutrices, pro gratia occurrentes, præſentemus. Aue Maria.

Eccleſia militans, & triumphans ſunt duo cæli.

Maria eſt virt° & fortitudo Eccleſiæ.

4. Reg. 2. b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

S.Tho.opuſ. 57. & habetur in feſto corporis Chriſti.

VT ait Plato, non nobis nati ſumus, & quo abilior eſt homo eo minus ſibi ſoli naſcitur: vnde Chriſtus non ſibi natus eſt, ſed nobis: quia *nobis natus, nobis datus ex intacta Virgine*. Nec ſibi ſurrexit, quia teſte Paulo; Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, nec ſibi baptizatus eſt, ſed nobis: denique eo modo quo non propter ſe deſcendit de cælo; ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem: non propter ſe nunc cælum aſcendit, ſed propter genus Adæ, vt ſublime faciat illud, atque collocet quo in diuina prædeſtinatione ſtatuerat apud ſe: quod innuens thema, ait: *Aſcenſor cæli, auxiliator tuis*: in prima ſermonis portione dicam thema cuilibet Apoſtolo. In ſecunda vero illud ingeram toti generi humano.

Rom. 4. d

Diuiſio.

PRIMA PARS.

Bernar. ſer. 2. de Aſcen. to. 1.

VT notat Bernardus præſens ſollemnitas partim triſtis, partim vero læta reperitur; triſtis autem quia filij ſponſi non poſſunt non lugere ſublato ſponſo. Hæc Apoſtolorum triſtitia non parua fuit, ſed adeo profunda, vt ipſe Chriſtus vix plurimis rationibus & promiſsionibus eam potuerit ſedare. Si autem Dominus Ieſus tantum laborauit, vt Apoſtolos quos relinquit, conſoletur de abſentia ſua, nos etiam oportet in eorum cõſolatione detineri, quia plurimum hoc ad aſcenſionem confert. Metus cadens in conſtantẽ virum excuſatos facit Apoſtolos, quamuis plurimũ triſtentur Chriſto recedente. Vbi nota quòd multum languens nimis timet ſolis occaſum, quia tunc ſe deteriorem inuenit, & experientia compertũ habet, quòd cum ſole, eius recedit ſalus, & lucente ſibi ſole melius ſe habet: quia tunc ægris ſalus refunditur. Iam ergo quia nouerãt Apoſtoli, quòd quãdo ſol iuſtitiæ Chriſtus cognouit occaſum ſuum in cruce, ſe nimis deteriores relinqui, ac ſemiuiuos relictos, mortuos in anima, viuos in corpore. Quia igitur hoc experientiã nouerant, & putabant ſibi hoc prouenisse ex abſentia Chriſti, hinc eſt, quòd nullo

Apoſtolorũ metus.

modo eum abire ſinunt. Ecce ergo quo modo erat in eis metus cadens in conſtantes viros: merito denique Apoſtolus quilibet aiebat Chriſto: Ne abſcondas faciem tuã a puero tuo: &, id eſt, quia tunc ſimilis ero deſcendentibus in lacum, ſcilicet inferni. Ex triſtitia etiam Apoſtolorum anxietas eorum potuit prouenire, & non ex timore, quem perfecta charitas, per inſufflationem Chriſti eis immiſſa, foras miſit: ex triſtitia ergo prouenit, quòd eum ire non ſinunt, ne amplius triſtentur: vnde Chriſtus ait: Quia hæc locutus ſum vobis: triſtitia impleuit cor veſtrum. Timor & triſtitia ab amore proueniunt, qui radix eſt omnium paſsionum, ex eo quòd immediate procedit a voluntate, quæ eſt potiſsima potentiarum animæ; vnde prius rem amamus, ſecũdo timemus ei contrarium, tertio de malo quod accidit, triſtamur. Hinc eſt, quòd defectus Apoſtolorum in eo, quòd ægre ferunt Chriſti aſcẽſionem, aliquo modo peccat in amore; pro quo aduerte, quòd antiqui ad proprium nitebantur res depingere, & ad viuum amorem in figura decori iuuenis efficiebãt præter oculos, quos habet cæcos: hic amor cæcus non ſolum eſt mundialis, ſed ſpiritualis etiam aliquando eſt cæcus ſuo modo. Mundi amor potius dici valet exoculatus quàm cæcus, vt figuraliter patet in Samſone, quem ob feminam erutis oculis molere fecerunt. Amor Dei eſt in incipientibus nimis rationalis, qui vt ament Deum plurimas rationes quærunt, & occaſiones, quibus moueantur, alioquin frigeſcunt, ſicut ignis lignis deficientibus. Amor proficientium eſt aliquantulum cæcus, quia ratione non ducitur, nec temperatur: vbi nota quòd defectus rationis eſt quærere rationem in re tam per ſe nota. Defectus famis eſt incitamenta quærere vt panem regium edas; & ſic eſt defectus amantis inquirere rationes amandi tam amabilem Deum. Quando anima, vt ita dicam, quadam paſsione ſeu ardore ducitur, nullam attendens rationem, tunc ſancta cæcitate agitur, & amor impatiens agitat cor, quod charitas Chriſti ſola vrget; fornax ardet nimis, iam paucis indiget lignis, cæcus dicitur, qui aptus eſt videre: quoniam amor iſte aptitudinem magnam habet, vt Deum videat in meridie perfectæ charitatis. Interea tamen defectu non caret, ... ſi defe-

Pſ. 142. b

Ioã. 16. b

Timor & triſtitia oriuntur ab amore.

Iudic. 16 c

Amor Dei qualis ſit.

ſi defectus dici debeat: quia non eſt defectus niſi reſpectu altioris ſtatus. Reſpectu etiam noſtri dicamus de quolibet Apoſtolo: Quòd melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Beatus Ambroſius denotans hanc proficientis animæ cæcitatem dicit ſuper illud Exodi: Oſtende mihi faciem tuam: Nouerat ſanctus vates, quòd inuiſibilem Deum facie ad faciẽ videre non poterat, ſed menſuram ſuperegreditur ſancta deuotio. Ex hoc haberis documentum, quòd quãdo viri religioſi ſiue alij deuoti altius deflent abſentiam Dei, aut palam ſuſpirãt, aut clamant ad Deum etiam ſenſibili voce, aut aliquid nimis addunt ſeruitio Dei, tunc amor impatiens eos agitat, vt aſcendant ad eum, etſi non gradibus ordinatis. Iam ergo Apoſtolis triſtibus ex Domini regreſſu dicamus, vt eorum amorem illuminemus verba thematis, ſcilicet, *Aſcenſor cæli, auxiliator tui*. Quid meres, o Apoſtole Dei, cur non attendis, quòd, *Aſcenſor cæli, auxiliator tui?* propter bonum tuum aſcendit, vt te commendet patri, & omnes dicere valeatis: Introiuit in ipſum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Aſcendit etiam vt ad vos Spiritum ſanctum deſtinet: quia ideo ſcriptũ eſt: Etenim cæli diſtilauerunt, ſcilicet linguas igneas, a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael, a facie Chriſti Dei cæli & terræ. Vel in his duobus ſignatur primo Spiritus ſanctus, qui velut ignis deſcendit ſuper Sinai, & in Iſrael notatur, quòd quemadmodum Iſraeli occurrerunt angeli velut caſtra Dei; ſic Dominus Ieſus miſſurus erat angelos ſuos pro tuendis Apoſtolis. A facie igitur ſua, id eſt, propter ſuam præſentiam, cæli Spiritum ſanctum diſtillauerunt, & angelos.

Eccli.42. c
Exo.33. c
Ambroſ. in Pſ.118. poſt verſum: Deprecabor vultũ tuũ.
Io.2.
Aſcẽſionis prima ratio eſt auxiliatio.
Heb.9.d
Pſ.67. b

Si adhuc dicitis: *Mane nobiſcum Domine:* audite & aliã rationem aſcenſus Chriſti. Corpora quo ſunt naturaliter meliora, altiori conſiſtunt loco, patet hoc & in elementis, & in luminaribus cæli, & in ipſis cælis, & in angelis, & in membris humani corporis. In elementis, quia ignis eſt nobilior, ideoq. ſuper alia collocatur elementa. In luminaribus ſol eſt perfectior, ideo altior eſt. In cælis, cælum empireum eſt melius, ideoq. ſtat ſuper ceteros. Angelorum nobiliores ſunt Seraphim, ideo altiori manſione ſtabiliuntur in cælo. In mẽbris meliores ſunt oculi, quapropter altius inſident. Nunc Dominus Ieſus in

Aſcẽſionis ſecunda ratio eſt melioritas.

elementis

elementis eſt ignis cõſumens: in luminaribus ſol: in cælis eſt empyreum, quoniam cælos mouet: in angelis eſt ſeraph, quoniam aſcendit ſuper cherubim, & volauit in mẽbris noſtris: oculis comparatur Ieſus, qui eſt lux mundi. Cum ergo ſit in omnibus principatum tenens, melior locus debetur ei, qui eſt ille, de quo dicitur: Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, &c. Locus ille pro iſto corpore ingemiſcit: quod dextera maieſtatis immediate formauit ex puriſsimis ſanguinibus purioris Virginis. Cum ergo naturaliter puriora ſuperius aſcendant, grauamen ingeritis aſcendenti, ſi non libenter & vos detis locum abeunti ad locum ſibi tã rationabiliter debitum. Si autem adhuc dicitis: *Mane nobiſcum Domine:* audite & aliam rationem ſui aſcenſus. Vos ipſi audiſtis eum ſæpe dicentẽ: Qui ſe humiliat exaltabitur. Hic non ſolum vſque ad mortem crucis ſe humiliauit, ſed vſque ad inferiores partes terræ, quapropter neceſſe eſt, vt aſcendat vſque ad ſuperiores partes cæli: nam inter aues, quæ profundius deſcẽdit, altius volat, vt patet in aquila, quæ vt piſces capiat etiam ſub aqua immergit ſe, poſtea vero tantum aſcendit, vt vix valeat ab humanis oculis videri. Ecce aquila Chriſtus qui ſub aquis nimijs paſsionũ ſe immerſit pro ſanctis patribus eripiendis, qui naufragium patiebantur, & pro nobis qui immergimur profundo ſceleris ſub vnda. At nunc capta præda ad præceptum patris eleuabitur aquila: & in arduis ponet nidum ſuum. Aqua etiam naturaliter ſi ordinate veniat, tantum aſcendere poteſt, quantũ deſcendit, Chriſtus autem ideo comparatur aquæ ſapientiæ ſalutaris, qui a fonte paterno, a patris pectore oritur, tamen ad vallem noſtræ mortalitatis deſcendit ordinate, non vt Lucifer qui cecidit, ideoq. aſcendere non poteſt, Chriſtus autem deſcendit per meatus humilitatis: nunc autem nititur aſcendere ad angelos potandos torrente voluptatis ſuæ, qui hactenus ſitibũdos potauerat homines, vt dicatur de eo: A ſummo cælo, id eſt a pectore patris, egreſsio eius: & occurſus eius vſque ad ſummũ eius. Nam ideo ait quidam, quòd Ieſus decem diebus ſpatioſe ac lento gradu aſcendit per nouem choros angelorum, in vnoquoque diẽ vnum conſumens: nam cogebant illum, teſte Bernardo, dicentes: *Mane nobiſcum Domine:* aliquãtulum qui tantam

moram

Tertia ratio aſcẽſionis eſt puritas.

Heb. 1. a

Quarta ratio aſcẽſionis eſt humilitas.

Luc. 24. e

Chriſtus eſt aquila

Iob 39. d

Chriſtus eſt aqua.

Pſ. 18. b

moram cum hominibus traxiſti non ſolum paſſurus, ſed etiam ſuſcitatus, igitur in vnoquoque ordine diem traxit, dum collocat ibi de ſanctis, quos defert ſecũ in ſedes eis debito præparatas. Si daretur vobis, ô Apoſtoli Chriſtum detinere vobiſcum, vt eum volebat detinere Petrus, cum ait: Faciamus hic tria tabernacula: quia bonum eſt nos hic eſſe: dicatis obſecro, vbi nam collocaretis eum: nam locus debet proportionari locato. Chriſtus immortalis eſt: mundus autẽ repleuit omnia morte, vbi mors regnat. Chriſtus habet pacem, quæ exuperat omnẽ ſenſum: mundus preſſuram, qua deprimit ſenſum multa cogitantem. Chriſtus & ſui omnimodam tenent impeccabilitatem: in mundo autem inundat iniquitas, natat malitia. Chriſtus & ſancti ſui habent requiem ſempiternam: mũdus autem omnimodam vitiorum ſeruitutem, & labor in medio eius & iniuſtitia. Chriſtus induitur gloria: mundus autem induitur ſicut diploide confuſione ſua: mundus eſt carcer, Chriſtus eſt inter mortuos liber: Quæ comparatio lucis ad tenebras, Dei ad belial? Totus hic mundus in maligno poſitus eſt, Chriſtus autem ſegregatus a peccatoribus excellior cælis. Ergo non poterit ei adhærere in mundo ſedes iniquitatis: migrare eum oportet a ſede mundi, ſinite eum abire ad locum ſuum. Hic verus angelus Tobiæ, qui peracto opere illuminationis Adæ, vobis ingerit: Tempus eſt vt reuertar ad eum, qui me miſit. An neſcitis Apoſtoli quòd reditu ſuo ſingula gaudent? non venit, vt maneat, ſed vt abeat, accõmodatum habetis eum, reſtituere oportet tantum bonum, ne furto arguamini. Aſcendat igitur ad populum accinctum noſtrum: vt ſedeat ſuper principes, & ſolium gloriæ teneat in domo maieſtatis ſuæ: non ſit rex ſine ſolio. Alioquin de ruſticitate & incuria notabimini non ſinentes Chriſtum abire. Namque angeli adduxerunt eum ad vos, quando miſſus eſt Gabriel, & facta eſt ibi cum angelo multitudo cæleſtis exercitus: nunc autem in eum deſiderant angeli proſpicere, cuius facies plena eſt gratiarum etiam pro angelis, qui de plenitudine eius accepturi ſunt, ſicut accepiſtis & vos ſublimiori tamen modo: igitur vice verſa angelis cõcedite, quod ipſi gratis vobis dederunt. Venit de cælo ad mũdum deſideratus cunctis gentibus, aſcendat de mundo ad cælum

Quinta ratio aſcẽſionis eſt conuenientia loci.

Matt.17.a

Mundus & Chriſt' opponuntur.

2.Cor.6.c

Sexta ratio aſcenſionis eſt operis ſui cõſummatio.

Tob.12.d

2.Reg.2.b

Septima ratio aſcẽſionis eſt angelorũ deſiderium.

Luc.2.b

cælũ deſideratus cunctis angelis. Immo deſideratus Patri & Spiritui ſancto. Nam ſi ſuper montem Thabor congratulantur bonis ſuis, quid facient nunc in præſentiarum? tunc Pater dixit hominibus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Nunc idem dicet angelis, Chriſto aſcendente, ingerens eis gloriam Chriſti ſui. Spiritus ſanctus in monte nube lucida obumbrauit Chriſtum, & etiam nunc dicetur: Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, vt ſcilicet oculis paternæ gloriæ eũ repræſentet gradientem in multitudine virtutis ſuæ, qui nec immemor erit alicuius ſerui ſui, nam ipſe dixit: Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: quoniam *Aſcenſor cæli, auxiliator tui*. Videntes igitur Apoſtoli has & complures rationes dixerunt Chriſto: Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui. Exaltare Domine prius ad gloriam Patris, & Spiritus ſancti, & angelorum, & omnium quæ ſunt ſuper cælos, tamen non deſeras terram, ſuper quam gloria tua dilatetur, præcipue vt Apoſtoli, atque diſcipuli, omnesq. in te credẽtes atque dilecti tui liberentur ab omni malo: vnde propter veritatem ſcripturæ, & manſuetudinem, ſcilicet crucis, & iuſtitiam quam feciſti, quæ & hoc expoſtulat, intende, proſpere procede, & regna in ſæcula ſæculorum. Amen.

Octaua ratio aſcẽſionis eſt Trinitatis congratulatio. *Matt.17.b* *Act.1.b* *Luc.10.d* *Pſ.107.c* *Pſ.44.b*

SECVNDA PARS.

IN ſecunda parte nimis oportet ad nos thema dirigere: nam præcipua feſtiuitas noſtra eſt hodie, quod enim a natura plus ineſt homini, eſt aſcendere. Aſcendendi cupido nimis vexat nos etiam non aduertentes, nam ex aſſuefactione prouenit, ſine aduertentia fieri: tota namque cura noſtra verſatur in aſcendendi ſolicitudine, & anxietas quædam torquet nos, vt ſemper ad ſublimiora nitamur, ita vt adepto mundo non quieſcat homo: vt patet in Alexandro, de quo dicitur: Siluit omnis terra in conſpectu eius. Et tamen adhuc ſi alter eſſet mundus, inquirebat. Semper denique videtur homini ad aurem dici: Amice aſcende ſuperius, & erit tibi gloria. Hic appetitus ignis vocatur in ſacra pagina, qui numquam dicit: Suffi-

1. Mach. 1. a *Luc.14.d*

Homo cupit aſcendere.

cit, cuius natura eſt ſemper aſcēdere, & quo maior eſt homo, magis aſcēdere cupit: nam adeptis dignitatibus ſemper irritatur appetitus, ita vt Seneca dicat: Magno nihil magnum: quamuis ergo non valeat homo addere ſtaturæ ſuæ cubitum vnum, nititur etiam lanceam apponere ſtatui ſuo. Ratio potiſsima cupidinis huius, vt arbitror, eſt ob id, quòd poſtquam viderit homo, quòd nulla terræ ſublimitate adepta quieſcit, ſaltim coniectet, quòd iſta cupido altius tendit, cælum ſpectat: Quæ ſurſum ſunt quærit, nō quæ ſuper terram. Vnde attende, quòd hanc aſcendendi cupidinem Deus optimus maximus miſericorditer contulit homini tam inſatiabilem, quòd niſi ad eum aſcendat, non ſatiatur: ipſe vult ſolo ſemet paraſidem cordis humani adimplere: vnde merito ait propheta: Pars mea Deus, dixit anima mea. Ac ſi experta fuerat, quòd cetera nihil erant. Immo & ipſe Deus ait: Ego merces tua magna nimis, ac ſi dicat: Cetera parua ſunt tibi: non adimplent in bonis deſiderium tuum. Iſte igitur appetitus aſcendendi ſignaculum certū Dei eſt in homine, vt ſciat ſe a ſolo Deo factum, poſtquam eo ſolo ſatis ſit, ſciatq. Deum finē ſuum eſſe, quia eo ſolo adepto requieſcit. Cur enim non quieſcemus in ſolum Deum aſcendentes, cum ſciamus, quòd ipſe non quieuerit niſi homine creato? cuncta creauerat Deus, non tamen quieuerat, niſi cum fecit hominem ſimilem ſibi in aſcenſu, qui aſcenderet ſuper cherubim, & volaret ſuper pennas ventorum. Hic nimis nota, quòd quemadmodum a ceteris donis homini Chriſto collatis prouenit chriſtianis ſuis ſingularis & peculiaris participatio: nā ab eius vnione hypoſtatica prouenit nobis vnio gratifica: ab eius filiatione, vt filij Dei nominemur & ſimus: ab eius reſurrectione, vt reſurgamus: & ſic ab eius aſcenſione, vt aſcenſionem optemus: ſed væ nobis, ſi hoc donum rebus caducis dederimus. O igitur fratres ſi Deus cordis noſtri tranſcendit omnia propter nos homines, quanto amplius nos propter ipſum cuncta deberemus tranſcendere? Merito denique ait Cyprianus: Sufficis tu Deo: ſufficiat tibi Deus. Hic ergo appetitus & ſacra cupido fecit philoſophos circa vniuerſi contemplationem curioſos, & ſapiētes huius ſæculi altiora ſe quærere, tamen errauerunt in ſolitudine, id eſt ſine fide ſociante, & viam ciuitatis habitaculi

Matt. 6. d

Coloſ. 3. a

Pſ. 72. d

Gen. 15. a

1. Io. 3. a

Cyprianus in Serm. de Aſcen. Domini ſupra med tom 3.

Pſ. 106. a

taculi non inuenerunt, quia Chriſtus nondum fuerat pandens iter ante eos. Hæc denique ſacra ambitio aſcendendi etiam ſanctos ſolicitat, & eos querulos reddit atque dicentes: Quis aſcendit in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius? quis hominum aſcendere valet ad illum, aut quis angelorum ſtare in illo? nam Lucifer in veritate non ſtetit. Alter ſanctus etiam dicit: Quis dabit mihi pennas vt columbæ, & volabo & requieſcam? nec alterius niſi columbæ volebat alas, in cuius ſpecie Spiritus ſanctus viſus eſt: concupiuit namque anima eius volare, quo venerat columba illa, vt appetitus eius requieſceret, Spiritus ſancti fauore ſuffultus. *Pſ. 23. a* *Pſ. 54. b*

Aduerte tamen, quòd quamuis appetitus iſte vigeat in nobis, non facilis eſt eius executio: nam difficilis eſt aſcenſus, atque difficillimus etiam ſanctis viris atque perfectis, quia nulla creatura difficilius obtinet ſuum finem quàm homo, aut angelus, ex eo quòd iſtorum finem potiorem dignoſcimus atque meliorem. Nam de angelo dicit Magiſter ſententiarum, quòd ſtare poterat in gratia, qua conditus erat, non tamen ad maiorem ex ſe aſcendere ſine noua gratia. Nec homo, vt ait beatus Thomas, poteſt vti bene accepta gratia ſine auxilio ſpeciali: quod & ille poeta videtur ſenſiſſe, cum ait: Quàm difficilis ſit aſcenſus. *1. 2. q. 109. per totum.*

Facilis eſt deſcenſus auerni. *Virg. 6. Aeneid. metro. 126.*
Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, ſuperaſq. euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Qui deſcendit a proprio pondere iuuatur, aſcendens autem niſu indiget atque vi: quando autem ſpiritualiter & bene voluerit homo aſcēdere, opus eſt illi adiutorio. Quod etiam ſi habeat homo nociuū videtur ſibi aſcendere, cum ſit puluis & cinis, qui melius infimo tenentur loco, & in aſcenſu euaneſcunt. Propterea patriarcha Abraam intuitus Sodomam, vidit aſcendere de terra fauillam quaſi fornacis fumum, qui ex ſe deficit, & vento diſpergitur. Adam, & Lucifer, & Abſalon, & Aman volentes aſcendere, vento vanæ gloriæ diſperſi ſunt atque deiecti. In hoc falluntur homines, quòd videntes ſe cupido aſcendendi, & quòd cælum eſt ſurſum, concludunt quòd ſurſum inhiare debent, cum ſit econtra: non enim ſurſum ſed deorſum Ambitionis mala.

itur

itur ad cælum, non verſus cælum itur ad cælum, ſed ver-
Luc.14.c ſus terram: quia non qui ſe exaltat, ſed qui ſe humiliat exaltabitur. Vbi nota quòd nemo cecidit niſi quia volebat
Pſ.72.c aſcendere: quoniam ſcriptum eſt: Eiecisti eos dum alleuarentur. Aſcenſus ergo fit præcipitium, veluti contingit ſuſpendendo, qui eleuatur, vt deijciatur: nam officiũ dæmonis eſt eleuare vt deijciat, veluti faciunt detractores, qui priuſquam feriant abſentem, extollunt aliquam virtutem eius, vt poſtea ſecurius mordeant. Nemo igitur gaudeat in aſce..ſu mundiali, quoniam ad præcipitium ordinatur. Sed etiam ipſe aſcenſus cæli, omnem quam prædiximus, habet difficultatem: nam pugnare oportet contrà aereas poteſtates, iter noſtrum obſidentes, quod in oratione ſua vidit beatus Antonius, quando ei oſtenſum eſt, quomodo ipſe Lucifer in figura maximi hominis, a terra ad cælum vſque attingentis ſtabat, vt animas aſcendentiũ arriperet, atque deijceret. Quòd etſi contra hunc hoſtem præualuerimus, adhuc inutilis iudicatur aſcenſus: quia ignis eſt ante ianuam paradiſi nõ facilis, ſed vt ait Gloſſa, eſt veluti os inferni, aut ſpiraculũ ſulphuris, qui nullo modo nec omniũ lacrymis extingui poteſt. Primo igitur difficilis eſt aſcenſus ex parte defectus gratiæ, quam non habemus, Secundo ex parte noſtra, quia puluis ſumus; Tertio ex parte dæmonis obſidentis. Quarto ex parte ignis ad ianuam exiſtẽtis. Quinto ex parte cherub oſtiarij, qui habet curam arcendi volentes ingredi, ibiq. poſitus eſt, vt ait
Gen.3.d Scriptura, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ne homo viueret in æternum. Hic cherub tantæ ſapientiæ eſt, quòd nulla oratione aut verbis cõpoſitis vinci poteſt, nec admittit preces cuiuſquam deprecantis. Habet inſuper obſtaculum ſextum, ſcilicet gladium verſatilem, qui ſemper vertitur, ne ſpatium ſperetur ingreſſui, cui nullum ſcutũ opponitur. Hic ergo cherub gladium ſuum vibrat magis ti-
Num.22.d mendum quàm gladium Michaelis, quam etiã aſina pertimuit: nam & corpus etiam ferit gladius iſte. Igitur vo-
Pſ.62.c lentes aſcendere, tradentur in manus gladij. Eſt & ſepti-
Actt.25.a mum obſtaculum, quoniã clauſa eſt ianua, & infrangibilis durior adamante, nec hucuſque homo clauem eius habere potuit. Hæc ſeptẽ igitur inter alia præcipue obſtant aſcenſui noſtro, quem ſi tantum non optaremus forſitan dimitteremus,

Gigantes obſidet promiſſionis terram.

Aſcẽſionis impedimẽta.

teremus, ſed quia eum nimis optamus, & amplius egemus, adhuc erit nobis ſpes tepida, quam reparant verba thematis, dum aiunt: *Aſcenſor cœli, auxiliator tui*. Noli trepidare homuncio, non te frangat iſta res obſtaculorum; noli prædictis occaſionibus pauimento adhærere, ſed innitatur cor tuum ſurſum aſcendere, ſurſum agi; & ſuſpendium eligere, quoniā iam habes ducem, iam patebit deinceps aditus. Sed forte dices, nonne iſte homo eſt, nonne ſimilis noſtri effectus eſt, nonne ſimilis omnibus primam vocem emiſit plorans? Etiam iſte aſsimilatus eſt fauillæ & cineri, quoniam ipſe nouit, & expertus eſt figmentum noſtrum, qui puluis ſumus. Quamuis aſcenſor iſte cineres & pulueres humanitatis noſtræ ſecum habeat, ſic vniti ſunt in eo ac in vnū redacti, vt nullum aſcenſui inferant præiudicium: quoniam etſi in ea parte qua eſt homo, aſcendere per ſe ſolitarius nequeat, ita per vnionem hypoſtaticam innixus aſcendit Verbo Dei, vt angeli etiam mirentur, dicentes: Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluēs, innixa ſuper dilectum ſuum? De humanitate innixa dilecto filio Dei mirati ſunt, qui a limbo iam deſerto aſcendit. Ecce igitur noſter Elias Chriſtus homo curru igneo deitatis ſuffultus aſcendit: Nam Deus noſter ignis conſumens eſt, qui naturaliter ſurſum tendit, atque tendere facit. Et licet Chriſtus dicatur propria aſcēdiſſe virtute, hoc non refertur ad naturam humanā, ſed ad perſonam diuinam, quoniam actus ſunt ſuppoſitorū, vt ait philoſophus. A verbo namque Dei habet, vt tam potenti virtute aſcendat, quia humanitas inquantū humanitas aſcendere non poteſt, niſi inquantum hæc humanitas: vnde ait Auguſtinus: In eo qui eleuat diuinam potentiā, in eo qui eleuatur, humanam agnoſce ſubſtantiam. In ripa fluminis parua vitis & gracilis eſſe ſolet, quæ maxime adhærens arbori, in aſcenſu æquatur ei, propterea quòd innititur ei. Chriſtus vitis vera eſt, de quo ait propheta: A ſummo cælo egreſsio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Egreſsio præſertim tribuitur deitati Verbi ad vnionē & incarnationē: nam humanitas non eſt allata a cælo. Occurſus vero tribuitur humanitati, quæ antea nō erat in cælo. Et hæc duo videntur æquari dū dicitur: A ſummo cælo egreſsio eius: & occurſus eius vſque ad ſummū eius, &c.

Sap.7.a

Chriſtus quo modo aſcendit.

Cant.8.b

4.Reg.2.b

Deut.4.d

Ariſt.1. metaph. cap.1.

Aug. ſer. 3. de Aſcenſ. ſub princip. to. 10.

Pſ.18.a

Vitis ergo humanæ naturæ adhærens ligno vitæ æternæ, quod eſt Verbum Dei, tantum aſcendit, quantum ipſum, immo ceteris dat virtutem aſcendendi: nam vitis tribuit virtutem aſcenſus folijs ſuis, ac racemis, & palmitibus: Chriſtus Dominus omnibus membris ſuis confert aſcendendi vires, ideoq. ſuperius dixerunt Angeli, quòd aſcendebat delicijs affluens. Affluentiæ deliciarum Chriſti adhærent ſancti, vt aſcendant ad delicias paradiſi.

Chriſtus adiutoria noſtræ aſcẽſionis habet.

Ecce igitur contra primum defectũ gratiæ, quẽ ſupplet Chriſtus affluẽtia gratiarum ſuarum tendentiũ ad gloriã. Contra ſecundum eſt vnio beatifica, quæ taliter cineres conciliat, vt ſimiles angelis faciat homines: hæc autẽ vnio confertur beatis ob vnionem hypoſtaticam Chriſti, & ob illam conciſionem, quã eius anima ſeparata eſt a corpore. Contra tertiũ impedimentum aſcenſus eſt etiã auxilium in Chriſto: nam fugiunt dæmones ab eo, quẽ dum mortalis viueret, nec videre, nec audire poterant, dicẽtes: Quid tibi & nobis fili Dauid, qui veniſti ante tempus torquere nos? iam equidẽ venit tempus illud, quo præſentia iudicis terrentur dæmones: quia quemadmodum oriente ſole fugiunt tenebræ, ſic dæmones Chriſto aſcendẽte diſparẽt, & cadunt, quoniã ideo dictum eſt: Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Contra quartũ obſtaculum ignis, affert etiã Chriſtus auxilium aquã lateris ſui, de qua dicitur: Vidi aquã egredientẽ de templo a latere dextro; vſque ſalui facti ſunt: a latere dextro templi corporis ſui exiuit aqua contra omnẽ ignem iræ Dei. Contra quintum obſtaculũ cherub oſtiarij, defert Chriſtus illa Dei promiſſa: Tibi dabo claues regni cælorũ. Vt non iam cherub, ſed Petrus ſit oſtiarius. Contra ſextum obſtaculũ gladij, quod contra ſeipſos euaginauerunt peccatores irritantes Deum in adinuentionibus ſuis ad vindictã, iam defert Chriſtus vaginam miſericordię, aperturã ſcilicet lateris ſui, ne iam ſit nuda iuſtitia Dei, ſed multa miſericordia tegatur, quæ etiã operit multitudinẽ peccatorũ: propterea igitur quòd Pater æternus non eſt auxiliatus ei in bello, ſed auertit adiutoriũ gladij eius: nunc qui eſt, erat contra homines, gladius abſcondatur in vagina ſua. Contra ſeptimũ obſtaculum clauſuræ ianuæ adamantinæ affert ſanguinẽ ſuum, qui, teſte Hieronymo, eſt clauis paradiſi: nã per proprium

Mar. 1. 8

Pſ. 67. a

Habetur in Miſſali poſt Aſperges, tempore paſchali.

Matt. 16. a

Miſericordia tegit iuſtitiam.

ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione *Hebr 9. e*
inuenta. Defert & aliã clauem, ſcilicet crucem: nam ſera lignea indiget claue etiã lignea: lignum ſcientiæ clauſit paradiſum, ideoq. lignũ crucis eſt clauis eius, plenũ ergo auxiliatorem habemus: quapropter vnuſquiſque ſit accinctus ad aſcenſum cũ Chriſto, qui quamuis a primo die reſurrectionis hæc omnia, quæ diximus, haberet, voluit tamen quadraginta dies adhuc expectare nõ otioſus, ſed loquẽs de regno Dei, vt etiã corda huc manentiũ ſecũ a portaret ad ipſum regnũ Dei. Cum ergo dies aſcenſus aduenisſet, voluit Dominus iterũ comedere cum ſuis, vt aſcenſurus crucẽ, fecerat, &c. dic hiſtoriã. Tandem & nos fratres ſaltim mentaliter aſcendamus cũ illo per indagationem ſcripturarum, ſimus & nos Galilæi, id eſt tranſlati, aũt migrantes animo ad cælum ſcripturæ: quoniã hodie aquila grandis defert medullã cedri virginei ad vrbẽ negotiatorum angelorũ, qui ſunt fautores Eccleſiæ: arca Chriſtus in plauſtro nouo corporis glorioſi cũ cantoribus, & pompa magna ad verum templũ non manufactum ducitur: arca fœderis hodie Abſalon, qui eſt Adam per Ioab, qui eſt Chriſtus, introducitur ad regẽ patrem ſuũ. Heliſæus de Ierico aſcendit in Bethel. Colũba redit ad arcam gloriæ. Columna ignis præcedit populũ, aſcendit Deus in iubilo angelorũ: & Dominus in voce tubæ ſanctorũ. Egreſſæ quidẽ ſunt angelicæ creaturæ, vt viderent regem Salomonem. Filius mulieris coronatæ, id eſt Marię, raptus eſt vſque ad thronũ Dei. Gratiæ irriguum inferius fit ſuperius ad angelos, vt germen Domini ſit in magnificentia & gloria. Elias curru aſcendit, currus gloriæ corpus eſt: quattuor equi ignei ſunt quattuor dotes. Ioſeph regi præſentatur regni prouiſor, lumẽ gloriæ apparet in terris, quo ſicut veſtimẽto induti ſunt aſcẽdentes. Moyſes aſcẽdit in montẽ Sinai, nubem ſubintrat aſſumptus ab aquis mortalitatis. Obuiã exeũt caſtra Dei, angeli ſcilicet vero Iacob. Põtifice mortuo exules reuertũtur ad propria, quia ille proprium ſanguinẽ intulerat in ſancta. Currus triumphi eſt ordo aſcendentiũ, cui Chriſtus inſedit. Raphael reuertitur. Samſon infert patri fauum mellis ab ore leonis. Thronus ſapiẽtiæ in columna nubis, quæ profundum abyſsi penetrarat. Pater vocat ex Ægypto filium ſuum, o qualiter recipitur &c.

Figurę aſcẽſionis Chriſti.

4. Reg. 2. d
Gen. 8. b
Exo. 13. d
Pſ. 46. a
Gen. 41. e
Exo. 34. a
Gen. 32. a
Tob. 12. d
Iudic. 14. b

SERMO DOMINICAE INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

De noſtra ſpirituali aſcenſione.

THEMA.

Aſcenſor cæli, auxiliator tui. *Deut.* 33.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVANTVM aſcenderit beata Virgo, & quàm exaltata fuerit in Cades, id eſt in ſanctitate, vix poterimus indagare, niſi menſuratorem prophetam audiamus dicenté, quòd a loco vulgi vſque ad atrium templi exterius erãt ſeptem gradus. Et ab atrio exteriori vſque ad atrium interius aſcendebatur per octo gradus. Et ab atrio interiori vſque ad templum per octo gradus erat aſcẽſus. Templũ hoc tam ſublime Virginis ſanctitas eſt, cuius aſcenſio ſublimis eſt valde. Nam ſi cũ adhuc eſſet infans quindecim gradus aſcendit, vt templum ſanctitatis attingeret: quot arbitramini deinde gradus eam aſcendiſſe? Tunc ſane ſicut aurora cõſurgens fuit: in ſummitate autem aſcẽſionis ſuæ terribilis prædicatur vt caſtrorũ acies ordinata. Ordinata, inquam, tribus ordinibus prædictis: in primo ſunt a loco vulgi vſque ad atrium exterius ſeptem gradus. Vulgi autem locus eſt noſter miſerabilis ſtatus: Nos enim peccatores ſumus, vulgus promiſcuum flagrantes deſiderio carnium. In hoc ſtatu eſt peccati ſeruitus, & pene peccandi neceſſitas: Quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Secundus eſt gradus pœnitentium, vbi eſt & pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Tertius eſt ſtatus perfectorum,

3. Reg.6. a

Cant.6.b

Nu.11. a

Ioan. 8. d

rum, vbi non eſt pronitas ad malum, ſed tantum difficultas ad bonum. Quartus autem gradus ſanctitatis, eſt ſtatus innocentiæ, ſicut fuit ſtatus Adæ ante peccatum: quia indifferens erat ad bonũ & ad malum. Quintus vero eſt ſtatus ſanctificatorum in vtero, in quibus non erat pronitas ad malum, ſed ad bonum. Sextus eſt ſtatus beatæ Virginis ante incarnationem Domini, cuius ſanctitas ſic pura erat, vt prædictos excederet. Septimus eſt eiuſdem ſtatus poſt incarnationem, vbi non habuit potentiam ad peccandum, quæ manere non potuit cum tanta perfectione, & plenitudine gratiæ, ſicut nec eſt in angelis, quos Maria ſtans in terra attigerat velut ſcala Iacob. Ecce videtis, quia ſicut exaltantur cæli a terra, ſic exaltata eſt, & aſcendit beata Virgo a vulgi loco, id eſt, a miſerabili ſtatu noſtro. Sed nec ad ſolum profectum ſuum exaltari ſe putat, quin profectibus noſtris ſe præbeat: vnde ait thema: *Aſcenſor cæli*, id eſt Mariæ ſpiritus, *auxiliator tui*, o chriſtiane: quia de cælo poterit tibi auxilium deſtinare: nam per ſcalam, & propter Virginem non ſolum angeli aſcendunt, ac deſcendunt, ſed etiam Dominus ſcalæ dicitur innixus, id eſt, Mariæ, vt per eam deſcendat ad nos: cuius gratiæ condeſcenſionem vt mereamur, beatæ Virgini deferamus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

De noſtra ſpirituali aſcenſione acturi, præmittere debemus aliam, quam beatus Petrus ſcripſit fidelibus, dicens: Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem: quòd autem in prædictis virtutibus Petrus Apoſtolus aſcenſum deſcripſerit, ſatis oſtendit, dum ſubiunxit: Sic enim abundãter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnũ Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Iam ergo primum dicit habendã fidem in mente: deinde ſecundum virtutem in opere: tertio autem ſcientiã, ſcilicet in electione ſpiritualium chariſmatum: quarto abſtinẽtiam *2.Pet.1.b*

in proſperis: quinto autem patientiam in aduerſis: ſexto pietatem in corde: ſeptimo amorem fraternitatis in oratione: octauo denique charitatem in intentione. Sed quia gradus iſti adhuc in terra ſunt, quoniam ad proximum tendunt propter Deum, ad ipſum Deum propter ſe diligendum, eſt maior aſcenſus, non terreſtris ſed cæleſtis: ideo aduerte quòd ſicut in amore polluto ſunt gradus, ſic etiam in amore diuino, qui per alterum, vt Richardus docet, inueſtigari poteſt. Vnde amat interdũ iuuenis virginem, & eam precibus interpellat: hic autem eſt amor tepidus. Aliquando & precibus interpellat, & munera mittit: at hic eſt amor prouidus. Aliquando etiam cum præmiſsis dura ſuſtinet, & probitates oſtẽdit: hic eſt amor ſtrenuus. Aliquando autem omnia ſua diſsipat, ſicut de filio prodigo legitur: & hic eſt amor prodigus. Aliquando patriam, parentesq. relinquens etiam ribaldus efficitur: & hic eſt amor fatuus. Aliquando etiam corpore languet amore: & hic eſt amor languidus, ſcilicet per effectum. Aliquando inſanit quodammodo, ſecundum illud poetæ: *Inſanire libet, &c.* & hic eſt amor ebrius. Per ſimiles gradus in cælum amoris diuini aſcẽdere poteritis. Nam primo ſunt aliqui Deum amantes, tamen nihil aut parũ pro eo facientes, vel patientes, tantummodo precibus eum interpellant. Talibus autem in Apocalypſi dicitur: Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, &c. & ſunt alij qui eleemoſynis peccata redimunt: & hi habent amorem prouidum. Tertio autem ſunt, qui propter Deum complacent ſibi in infirmitatibus, in contumelijs, & in perſecutionibus, & in anguſtijs pro Chriſto illatis, habentes amorem ſtrenuum. Quarto autem ſunt qui omnia relinquunt, & vere pauperes ſpiritu fiunt, habentes amorem prodigum. Quinto etiam ſunt qui religionem ingreſsi, viles & abiecti in domo Domini appetunt reputari, habentes amorem fatuum. Sexto ſunt, qui præ teneritudine amoris Domini corpus ferre non præualent, aut nutrire: & iſti amore languent. Septimo autem ſunt qui virtute amoris acti, & totum mundum obliuioni tradentes, clamant: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: hic eſt amor ebrius. Octauus autem gradus in amore polluto non inuenitur: & hic eſt amor puriſsimus, qui in cælum deitatis aſcendens, eleuat

[Margin notes: Aſcẽſus ad amorẽ Dei. — *Luc.15.c* — *Apo.3.c* — Gradus amantium Deum. — *Phil.1.d*]

eleuat animam, de quo ait thema: *Aſcenſor cæli, auxiliator tui*. Hoc amore agebatur ſurſum Paulus, cum dixit: Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? &c. vſque neque creatura aliqua poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Longum eſſet nunc fratres mei oſtendere, quo modo Chriſtus per hos gradus aſcendit, immo & deſcendit ad Eccleſiam ſuam, ex qua nunc aſcendit ad Patris dexteram: ſed quia etiam cupit in animam noſtram aſcendere, & non poteſt ſine nobis, nec nos aliquid poſſumus ſine illo, ideo Euangelium exponam: vbi oſtenditur quo modo in cælum animæ noſtræ cupiunt aſcendere. In toto ſermone nil aliud faciam, niſi exponere moraliter Euangelium, quia eſt deuotiſsimum. *Rom. 8. f* *Auctoris intentio.*

Angeli loquentes de aſcenſione memorant quoque deſcenſionem Chriſti, dicentes: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Hæc deſcenſio etiam eſt aſcenſio in cor noſtrum, & eſt illa, de qua Chriſtus Magdalenę ait: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſcilicet in corde tuo, prout exponit Auguſtinus. Vnde ſenſus eſt: Noli familiaris eſſe mihi, donec me credas æqualem Patri, tunc enim ardentius & ſublimius me amabis, & cum magna reuerentia me tractabis, & tactu fidei cor penetrante me tanges, & tactus ille nimis prodeſſe tibi cognoſces: quoniam Eſther deficienti dictum eſt: Accede igitur, & tange ſceptrum. Tunc Magdalena tetigit ſceptrum Chriſti, id eſt diuinitatem, quando credidit ei traditam omnem poteſtatem in cælo deitatis, & in terra humanitatis. Multum ergo nobis confert tangere fide Chriſtum: nam ſi cadauer cũ tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit, quo modo animæ noſtræ non lucrabuntur vitã gratiæ, tangendo pia deuotione Chriſtum? Tunc ergo poteris Chriſtum tangere, cum ipſe aſcenderit in cor tuum, & tunc aſcẽdet quando ſuper omnia eum dilexeris, quando ei ſedem dederis cor tuum, quoniam ipſe dixit ſponſæ: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. Felix cor ſi Chriſto ſignatum fuerit, quia tunc dicere poterit: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam, ſcilicet reſurrectionis, in corde meo. Quemadmodum ergo lumen po- *Act. 1. b* *Ioã. 20. d* *Eſth. 15. d* *4. Reg. 13 d* *Cant. 8. b* *Pſal. 4. b*

 nitur

Chriſtus ſuper cor, & lumē ſuper lucernam. nitur ſuper lucernam, vt viuat, ſic ponitur Chriſtus ſuper cor, vt reſurgat in gratiam ſuam, ad quam nobis prius cōdeſcendit: vt patet in Euangelio, quod incipit:

Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus. Vndenarius numerus tranſgreſsionem decalogi oſtendit. Dum ergo in rebus caducis tranſgreſſores recumbunt terræ adhærentes, apparet Ieſus: Quia in operibus manum ſuarum comprehenſus eſt peccator, ne poſsit implere manus eius quod ceperat. Cum per totam diem oraſſent Apoſtoli, & ſuſpirantes optaſſent apparitionem Domini, tempore prandij, quominus expectabatur, venit. Ne vllus tranſgreſſor putet eum dormientem: Qua hora non putatis, id eſt, dum in peccato recumbitis, filius hominis veniet ad carpendum vos. Nonne in tranſgreſsione humilitatis recumbit ſuperbus, quando amat primos accubitus in menſis, & ſalutationes in foro? Nonne in trāſgreſsione paupertatis ſpiritus recumbit auarus, cum ſcriptum ſit: Qui confidit in diuitijs ſuis, corruet? Nonne in tranſgreſsione caſtitatis recumbit luxurioſus laſciuiēs, quando dicit: Non ſit pratum per quod non tranſeat luxuria noſtra? Denique quando peccas, in tranſgreſsione recumbis: velut illi de quibus dicitur: Ecce illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ, comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem pro cuncta præda & ſpolijs. Superbus ſpoliat proximum, & prædatur honorem ſuum. Auarus nudos dimittit pauperes, prædamq. agit viduarum & orphanorum. Luxurioſus deprædatur caſtitatem puellarum. Et ſic vniuerſi peccatores diſcumbunt ſuper faciem floridam vniuerſæ terræ nihil mali ſuſpicantes: tamen flagrante delicto irruit ſuper eos Dauid, vt auferat prædam, id eſt, peccata ab eis: vnde ſequitur in præſenti Euangelio: *Et exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Vix eſt aliquis cui Ieſus non appareat mentaliter, vt conuertatur, & viuat. Nec enim conuerſio peccatoris eſt in facultate præconis verbi Dei, ſed in ipſo verbo infuſo. Tunc ergo Ieſus apparet tibi, quando te recogitare facit vitam tuam, & tranſgreſsiones tuas: tunc enim ſecrete in anima tua exprobrat incredulitatem tuam, & duritiam cordis tui: ad quod vult aſcendere per fidem formatam & viuam.

Pſal. 9. e — *Luc. 12. e* — *Prou. 11. d* — *Sap. 2. b* — *1. Reg. 30 d*

Eius

Eius increpatio diſsimulari non poteſt, quamuis omnium aliorum ſic: nam increpatio interior multum vrget nos, eſtq. illa flagellum domeſticum, & aduerſarius familiaris, cui conſentire iubemur. Duo nobis exprobrat, ſcilicet incrudelitaté quo ad intellectum, & duritiam cordis quo ad effectũ, vtrumque enim peccando violamus: vnde mortale peccatũ & fidem extinguit, & charitatem demit. Vbi aduerte quòd dum peccas, te modicã fidem oſtendis habuiſſe, & minorem charitatem. Quo modo namque ſe credit inter filios Dei ſortem habiturum, qui nunc inter dæmones, id eſt, inter peccatores, ſatagit promoueri? Quo modo inter angelos ſe commoraturum ſperat, qui in paucitate plebis dominari cupit? Quo modo diuitias gloriæ ſibi credit futuras, qui argentum theſaurizat? qui maiora indubitanter ſperant, ſolent parua deſpicere; auarus autem ſatis oſtendit ſe parum credere diuitias cæli habiturum, poſtquam terrena inhiat: contra præceptum illius qui dixit: Vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam: Dominus poſsidebit me. Hic eſt Chriſtus. Iam ergo de luxuria quid vultis audire, cum ei deditus vix credat Ioanni dicenti: Nihil conquinatum intrabit in illam cæleſtem Ieruſalem? Si te obuium haberem ego inter duas vias volentem ire in Ieruſalem, ac dicerem tibi: Ecce dextra tendit in Ieruſalem, ſiniſtra vero minime. Si tu aſſereres te velle in Ieruſalem pergere, & ſiniſtram viam arriperes, nonne ego vnum e duobus concluderem, ſcilicet vel quòd non credidiſti mihi, vel quòd non velles, vt dicebas, ire in Ieruſalem? Primum iſtorum pertinet ad intellectum tuum, alterum vero ad voluntatem: quia vtrumque vitiat peccatum. Iure igitur Chriſtus exprobrat incrudelitatem & duritiam cordis, id eſt, intellectum & voluntatem peccatoris. Multi exprobrant nobis hoc, tamen parum cauant viſcera noſtra, parum mouent verba hominum, attamen carpit nos Deus, propterea quòd ad monitionem aliorum non conuertimur, ideo ſequitur in Euangelio: *Quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe a mortuis, non crediderunt*. Angeli & prophetæ in ſpiritu, & boni viri Chriſtum viderũt ſurrexiſſe a mortuis. Tamen aduerte quòd eſt viſio quædam operatiua, vt illa de qua dicitur: Inſpice & fac. Et hæc eadẽ eſt viſio

Volũtati & intellectui nocet peccatum.

Prou. 8. c

Apo. 21. g

Exẽplum.

Exo. 25. d

viſio fidei per dilectionem operantis. Illi ergo Chriſtum viderunt ſurrexiſſe a mortuis, qui cum illo ſurrexerunt a
Eccli. 34. d peccatis quæ dicuntur mortui, iuxta illud: Qui lauatur a mortuo, vt iterum tangangat mortuum, nihil prodeſt lauatio eius. Ille lauatur a mortuo, qui mundatur a peccato. Iam ergo mortui ſunt actus peccatorum, quos qui deſerit, Chriſtum vidit in ſe a mortuis ſurrexiſſe. Sic videntibus deberemus credere: vnde nec mirum ſi peccator concionator peccatorē non conuertat: ſi tamen prauus homo ad iuſti monitionem non conuertitur, hoc improperabit ſibi Deus. Iam ergo vt omnino conuertamur ad ipſum Deum, ſequitur in Euangelio:

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Philoſophi hominem vocauerunt mundū
Richar. p. 1. de miſſione Spiritus ſā-cti longe a fine. minorem, quamuis, Richardo teſte, irrogent ei iniuriam: quia homo non minor, ſed maior mundus eſt: vnde non dixit Chriſtus: *Ite in mundum*, ſed etiam addidit *vniuerſum*: quia vniuerſus mundus eſt homo, id eſt, verti poteſt vni Deo, & ei comparari. Vt ergo mundus ſit vniuerſus, ite & prædicate ei: nam hucuſque mundus, id eſt, homo verſus erat multis, & ad multa ſe conuertebat. Ne igitur
Luc. 10. g turbetur erga plurima, dicite ei, quòd vnum eſt neceſſariū, vt ſit verſus vni, id eſt, conuerſus ad vnum neceſſarium. Si autem cupis ſcire, quo modo homo ſit mundus maior,
Vbi ſupra. lege Richardū in ſermone Spiritus ſancti ſuper illud: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, maxime ab illo loco: Nonne philoſophi videntur erraſſe, qui hominem microcoſmum, id eſt, minorem mundum dixere? &c. in
Homo eſt maior mū-dus. hoc ergo eſt homo maior mundo: quia propter eum factus eſt mundus. Et quia poteſt verti vni Deo ſuo, quod mundus ſenſibilis non poteſt facere: quia infra cælum ſolus homo poteſt verti atque reuerti, habet enim vertibilitatem arbitrij, & propterea vt ad vnum vertatur eius animus, ait Chriſtus: *Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euange-*
Euangeliū prædicare ſibi. *lium omni creaturæ.* Ille ſibi Euangelium prædicat, qui ſecundum Euangelium viuit: ille autem infernū ſibi prædicat, qui iuxta vias inferni graditur: quoniam de infer-
Sap. 1. d nalibus viris dicitur: Iniuſtitia eſt mortis acquiſitio: impij autem manibus & verbis accerſierūt illam. Ecce quo modo iſti verbis & operibus prædicarunt ſibi infernum:

quia

quia iuxta eius decreta vixerunt in ſuburbanis Gomorræ. O vos Chriſtiani prædicate vobis Euangelium bonum paradiſi nuncium, & viuetis, & ad illum cum Chriſto aſcendetis. Nam ſicut infernum ſibi prædicat, qui peccata ibi punienda committit: ſic paradiſum ſibi prædicat, qui bona in eodem præmianda operatur. Euangelium ergo interpretatur bonum nuncium, ſcilicet paradiſi, quem lex non promittebat, ſed Euangelium. Iubetur ergo Euangelium prædicari in vniuerſo mundo omni creaturæ, id eſt, cuilibet parti hominis, vt omnino regas omnia tua iuxta Euangelium. Primum os, ne ſcilicet in eo ſit crapula. Deinde oculos, ne videas mulierem ad concupiſcendum eam, &c. & ſic de ceteris membris & ſenſibus tuis. Dum hoc bonũ nuncium prędicas tibi, forte requires quas ſtrenas debes accipere. Nam qui bona nũciat, ſperat ſtrenas. Hic aduerte quòd bona nuncia ſecum afferũt ſtrenas ſuas: ideo dicunt Hiſpani: *Las buenas nueuas conſigo ſe traen las albricias*. Cum ergo Euangelium hoc, id eſt, bonum nuncium ſit, etiam per bonum & optimum, ſecum habet ſtrenas ſuas, de quibus ſequitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Ecce ſtrenas æternæ ſalutis, ad quas conſequendas non ſufficit credere, quia dæmones credunt, & contremiſcunt. Vbi eſt nunc lutherus volens ſola fide ſaluari? non ſufficit credere, non ſufficit quòd cæco liniatur oculus luto, ſed oportet, quòd vadat ad natatoria ſiloe. Cum fide igitur debes etiam baptizari. Vt ergo ad vltimum ſalueris, & fides tua vltimate perficiatur: aduerte quòd eſt triplex baptiſma, ſcilicet fluminis, ſanguinis, & flaminis. Primo baptizantur paruuli, altero autem martyres, tertio vero Apoſtoli, dicente Chriſto: Ioannes baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Iam ergo nos qui adulti ſumus, qui martyrio, & igne viſibili Spiritus ſancti caremus, & baptiſmum aquæ iterare non poſſumus, alium triplicem baptiſmum quæramus, vt ſimus veluti oues aſcendentes de lauacro. Iam ergo primum baptiſma ſit lacrymarum, quo mundantur peccatores ab omnibus inquinamentis ſuis. Hoc baptiſma plurimum eleuat animam, quoniam ſapiens dixit: Lacrymæ viduæ, id eſt animæ orbatæ, a maxilla in cælum aſcendunt: & Dominus exauditor eſt. Aliud baptiſma, ſcilicet ſanguinis,

Euãgelium quid.

Matt. 5. d

Iac. 2. b

Fides non ſufficit ad ſaluãdum.

Baptiſmus quotuplex.

Act. 1. a

Baptiſmus triplex.

Eccli. 35. f

guinis, eſt meditatio ſanguinis Chriſti, qui altius eleuat
Heb. 9. c cõtemplantem: quoniam ſi Chriſtus introiuit per propriũ ſanguinem ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta; nos quotidie intramus, eum cantemplantes, & per Sacramentum meriti quotidie aſcendimus. Vnde quia beatus Ioannes altius hunc ſanguinẽ, ac diuinius intuebatur, meruit aquila vocari, de qua dixit Iob: Contemplatur eſcam, ſcilicet Euchariſtiæ in cœna, & de longe oculi eius proſpiciunt, ſcilicet ſanguinẽ lateris in Caluariç loco. Pulli eius, id eſt affectiones, quas tunc temporis nutriebat, lambunt ſanguinẽ, ſcilicet Chriſti, currentem per crucem. Tertium baptiſma nos altius eleuat, dũ per amorẽ frequentiſsimũ flamine, id eſt, amore Spiritus ſancti infundimur. Flamma hæc amoris eleuat animam ſecum, vt ſuper cuncta cæleſtia peruolet: nam propterea ſeraphim ſupremo loco tenentur, quoniam amor deſiderat alta tenere. Et quoniam hæc ardua ſunt, ac difficiliter ſcitur quis habeat ea, Chriſtus ſigna quędã poſuit, quibus ſciri poſsint: vnde ſubiũxit:

Ioannes eſt aquila.

Iob 39. d

Sanctorum ſigna.

: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequẽtur: In nomine meo dæmonia eÿcient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Cum Ieſus interpretetur ſalus, in eius nomine dæmonia eijcere, eſt intuitu ſalutis æternæ a ſe longe peccata relegare, ſicut expellitur omnino infirmitas adepta ſalute. Dæmones ſubtiles etiam ſunt nociuæ cogitationes, quæ faciliter expelluntur, ſi meditatio nominis Ieſu occupet cor. Et tunc ſequetur alterum ſignum: quia cum ex abundantia cordis loquatur os, proculdubio linguis loquentur nouis, qui nomen Chriſti habuerint in corde. Ex hoc ſequetur tertium ſignum, quoniam per verba Dei ſerpentes quarumcumque tentationum tollent a proximis ſuis. Quemadmodum enim verbum malum eſt velut ſerpens penetrans & mordens cor; ſic verbum bonum iurgia tollit, odia expellit, ſuſpiciones fugat. Ex hoc ſequitur quartum ſignum, dum ſcilicet vir iuſtus audit a malis falſa teſtimonia, & ſe hypocrita indici, tamen hoc non ei nocet, quia non eum agit in iram, quia pace Dei cuſtoditur. Immo ex hoc ſequitur quintum ſignum, quia cum vir ſanctus dat bona pro malis, ſuper ęgros proximos,

Luc. 6. g

Chriſti nominis effectus.

pecca-

peccatores manus adiutrices imponit, vt bene habeant, quoniam ſcriptum eſt: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, potũ da illi: hoc enim faciens prunas congeres, ſcilicet charitatis, ſuper caput eius: Ecce quo modo bene habebunt. Nec miremini, quòd omnia hæc ſigna dirigantur ad proximi ſalutem: nam quemadmodum aſcendente Chriſto, omnes ſerui eius in terra manentes directi ſunt, vt ſaluti proximorum inſeruirent, ſic ſanctorum virorum actiones proximis proficuæ ſunt. Hic enim eſt rectus ordo, vt poſtquam ſaluam feceris animam tuam, alias pariter velis eripere: & poſtquam aſcenderis in ſtatum profectionis, manum porrigas remanentibus in valle miſeriæ: nam propterea Chriſtus cum aſcendiſſet, Spiritum ſanctum miſit. Et quoniam poſt ædificationem proximi, debes ad orationẽ conuerti, ſequitur in Euangelio: *Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei*. Spiritualis aſcenſio completur hic: nam propterea dicitur Chriſtus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus, quia poſtquam impartitur nobis gratiam, quæ in labijs ſuis diffuſa eſt, aſſumuntur per nos in cælum animæ noſtræ. Cum anima noſtra virtutibus velut ſideribus decoratur, & a terrenis eleuatur, & peregrinarum impreſsionum, ſcilicet peccatorum, ſuſceptiua non eſt, tunc ſane cælum dicitur, & Ieſus geſtit in hoc aſcendere cum magna pompa: de quo mirabatur ille, qui dixit: Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus. Super animas iuſtorum velut ſuper cælos eleuatur Deus, vt deos faciat eos, & filios excelſi omnes: Nam ſi eos dixit ſcriptura deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, quanto melius dij poſſunt dici, qui ſermonem omnipotentem Dei habent ſcriptum & inſedentem animæ ſuæ? propterea ergo dicitur: *Et ſedet a dextris Dei*, id eſt, viri iuſti, qui habens Deum ſuper ſe, Deus dicitur: ſicut mundus dicitur clarus, quando clarum ſolem habet ſuper ſe. A dextris ergo habet vir diuinus Deũ, quando eum ſtatuit in melioribus bonis ſuis, quando ei omnia meliora tribuit, quando nil dextrũ ſe credit habere, quin a Deo proueniat. Væ autem hominibus prauis, qui Deum habent ſub ſe, volentes vt deſeruiat eorũ deſiderijs, eumq. a ſiniſtris ponunt, imputantes ei peccata ſua, ſicut fecerat

Prou. 25. c
Rō. 12. d
Anima dicitur cælũ.
Pſal. 8. a
Ioã. 10. g
Vir diuinus habet Deũ a dextris.

pater

Gen. 3.c pater Adam quando dixit: Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Sic praui dicunt Deo: Caro quam dediſti mihi præcipitat me quotidie. Non ſic Oſe.13.c fratres, quia ſcriptum eſt: Iniquitas tua ex te Iſrael: tantum a me ſaluatio tua. Dum habes Deum ſuper animam tuam ſaluat eam, & facit eam cælum, & mutat eam in melius: vnde propterea concludit Euangelium: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Ille profectus dicitur a ſeipſo, qui relinquens parua, in anteriora ſe extendit, & mutatur in virum alterum, ſcilicet in Chriſtum. Iſte vbique prædicat, quia vbique taliter viuit, quòd omnes ædificat. Concionatores noſtræ tempeſtatis non prædicant niſi in cathedra, poſtea ſæpius contraria operantes depredicant, & diſcedunt a doctrina propria. Sed vir iuſtus vbique prædicat, vbique habet cathedram honoris, vbique habet præ oculis Deum, qui confirmat per interiorem illapſum quidquid ipſe dixerit: quia expertus loquitur. Signa ſequentia ſunt virtutes, & gratiæ, ac dona plurima ei data, & exempla bona, quæ ipſe omnibus exhibet, & impreſſio ſiue immutatio, quam cauſat in proximis ſuis, qui ei dicunt: *Aſcenſor cæli, auxiliator tui*. Id eſt Chriſtus, qui aſcendit in cælum animæ tuæ, adiuuat te, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Concionator euāgelic⁹ qualis.

ALIA INVOCATIO pro ſermone præcedente.

NON poterat tantum aſcendere Maria, niſi Deus eam adiuuaret nimis, vt ſuper omnes cælos peruolaret, ita vt pſalmographus dicat: Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Id eſt, Maria, cui magna feciſti, per quam tuam magnificentiam oſtendiſti: eleuata eſt ſuper choros angelorum omnium & ſanctorum. Gloſſa ſuper id Deuteronomij. En Domini eſt cælum, & cælum cæli; ita ordinat ſeptem cælos: Primum ponit aereum: ſecundum æthereum: tertium olympum: quartum igneum: quintum ſidereum: ſextum aqueum: ſeptimum empyreum. Iuxta litteram ſpheram aeris in duo di-

Pſal.8.b

Deu.10.c

niſit, & inferiorem partem, vbi ſunt nubes & ventus, vocat aereum, ſuperiorẽ vbi eſt ſerenitas, vocat æthereum. Similiter ſpheram ignis diuidit in duas partes, inferiorem vbi eſt ardor propter admixtionem extraneæ materiæ, id eſt aeris, vocat olympum: ſuperiorem vero vbi eſt ignis ſine ardore, quia in ſua propria materia, vocat igneum. De alijs patet in littera. Spiritualiter autem per cælum aereum vnde deſcendit pluuia, & vbi ſunt nubes & volucres, poſſumus accipere cætum doctorum & confeſſorum, de quibus ait Iſaias: Qui ſunt hi, qui vt nubes volant, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas? Per æthereum vbi eſt amenitas & ſerenitas, chorum virginum: Sub pedibus Domini apparuit opus ſaphirinum, quaſi cælum cum ſerenum eſt. Per olympum vbi eſt ardor & ventus, exercitum martyrum. Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi. Per igneum vbi eſt ignis ſine leſura, conuentum Apoſtolorum, quos repleuit ignis diuinus non comburens, ſed illuminans. Per ſidereum accipimus cætum prophetarum, qui tamquam ſidera ſuis mundum temporibus, antequam illuſceret vera fides, illuſtrabat. Stellæ dederũt lumen in cuſtodijs ſuis. Per chriſtallinum, ordinem angelorum propter claritatem ſuam: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit, niſi ipſe ponderator ſpirituum, qui in numero pondere, & menſura ordines angelorum diuinitus ordinauit? Per empyreum autem accipitur beata Virgo: quia ibi eſt lux puriſſima & perfectiſsima præ ceteris cælis. Super iſtos igitur omnes cælos eleuata eſt beata virgo Maria tripliciter, ſcilicet dignitate, ordine, & poteſtate: vnde ipſa dicit: In Ieruſalem poteſtas mea. Hoc ait vt nos ad petendum inuitet gratiam, quam vt ſermoni aſſequamur, ei offeramus. Aue Maria.

Iſa. 60. b *Exo. 24. c* *Dan. 12. c* *Baru. 3. d* *Iſa. 40. c* *Eccli. 24. b*

TOMI PRIMI FINIS.

PARTIS

MERIDIONALIS SERMONVM

F. FRANCISCI AB OSSVNA BETHICI

Ex Ordine Minorum

In Euangelia Dominicalia totius anni

Tomus II.

AD ILLVSTRISSIMVM
ET REVERENDISSIMVM
CONSTANTIVM SARNANVM
S. R. E. Cardinalem.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMÆ

Apud Dominicum Baſam. M. D. XC.

ILL.MO AC REVER.MO D.

FRATRI CONSTANTIO SARNANO

S. R. E. Cardinali tit. S. Petri in Monte aureo, multum benemerito, & Domino ſuo colendiſsimo.

D. HIERONYMVS VICECOMES Canonicus Regularis Lateranenſis, & Euangelicus Orator. S. D. P.

MAGNVM *illud & memorabile ius erat ab antiquis Perſis, Illuſtriſsime & Reuerendiſsime præſul, diuq. ſeruatum, vt memorabili grauioriq. ſupplicio afficerentur, qui beneficio vel ſaltem mediocri laceſsiti, fuiſſent ingrati, quàm ſi quod aliud nefandum ſcelus perpetraſſent. Ne igitur Perſico more fortaſsis plectendus ſim, cum a tua pientiſsima humanitate, in peculiarem alumnum mira quadam ac ingenita beneuolentia fuerim iam ſuſceptus, vt grati animi erga te mei gratitudinem iterum exponerem, cum diebus his elapſis ſub celeberrimi nominis tui tutela primmum volumen, ſiue primum Tomum partis Meridionalis Reuerendi admodũ patris fratris*

Franciſci Oſſunenſis ſeraphici ordinis, Doctoris & verbi Dei oratoris excellentiſſimi in publicam lucem emittere curauerim; ſitq. animi ingenui, cui multum debeas eidem plurimum velle debere, ſimul cum tuis laudibus creuit voluntas mea, ſecundum hunc Tomum emittere. Neque tamen ſum neſcius fore multos, qui me vt hebetem, vel fortaſſe etiam vt cæcum reprehendant, quòd hanc Meridionalem partem (ſic enim ab ipſo Doctore inſcribitur) auſus fuerim emendare, exornare, auctoritatibus & notulis adaugere; & poſtremo quod omnibus erit carius vtiliusq. nouo indice decorare. Tibi igitur Illuſtriſsime Conſtanti, quod in hanc alteram partem laboris impendi, maxime ob eam cauſam exopto probari, vt ſi qui temerè iudicare, aut propter imperitiam non poſſunt, aut propter malitiam minime audent, noluntve, eos a conſilio detrahendi tua deterreat auctoritas & maieſtas: dabo inde operam pro conatu, reliqua Doctoris iſtius euangelici & ſeraphici e tenebris ad lucem pro communi omnium vtilitate reuocare. Vale Illuſtriſsime præſul omniq. omnium laude excelſior; D.O.M. incolumem te diu pro ſanctæ Eccleſiæ ſuæ beneficio conſeruet. Datum in terra Treuij vallis Spoletanæ in ædibus diuæ Mariæ Virginis lacrymarum dicatis. Cal. Martij M. D. XC.

ILLVSTR.^MO^ AC REVER.^MO^
CONSTANTIO
SARNANO.

D. HIERONYMVS VICECOMES
Mediolanenſis.

DESPECTAM noſtro virtutem tempore quiſquis
In tenebris ſordere putat, quæriturq. deeſſe
Debita doctrinæ: ſeu rectæ præmia vitæ
Fallitur: Ecce rubro iam protegit ora galero.
Sarnanus Auſonidũ reſplendet in ordine Patrum
Inter vt exurgens vulgaria ſidera Phœbe:
His tibi pro meritis, & pro virtutibus amplis
Queis tua vita micat, Sixti mens grata galerum
Puniceum tribuit, ſacrumq. aſciſcit in agmen
Cardinei cœtus, lato qui conſulit orbi;
Ac ſibi ſuccedas cæleſtia regna petenti
Optat: & Imperij inſolitum tibi tradere pondus.
Non ſors ipſa fuit, non gratia parta perenni
Extulit obſequio, magnis ſed cognita virtus
Rebus & eloquij largiſsima flumina ſacri.
Hæc populo clarisq. viris, hæc denique Sixto,
Te gratum fecere patri, dum dogmata pleno
Ore tonans Chriſti. Durus dum cenſor ab alto
Deturbas ſolio vitium, moresq. proteruos
Arguis, & meritis reſeras virtutis honores:
Idq. facis, legis myſteria dena reſignans
Omnigenæ ſparſis, doctrinæ lumine libris,
Quos qui deguſtet Scoti, Thomæq. beato

Dogmate ſepoſito, cupiet ſibi ſemper adeſſe.
Hæc iuueni tractata ſibi, robuſtior ætas
Impenſa eſt omnis Sixte, qui linquere cuncta
Iuſsit, & iniuncti partem ſibi ferre laboris;
Protinus vt vires animi, mentisq. vigorem
Sublime ingenium, rebusq. ingentibus aptum
Vidit, & exactæ vitæ, ſine labe tenorem.
Prouida mens Sixti, rubrum tunc ipſe galerum
Tradere decrerat, numeroq. aſciſcere patrum;
Quem Petri ſperat quandoque e ſede beati,
Chriſticolis populis, ſanctiſsima iura daturum,
Et dabit excelſus, ſi ſic iubet altior ordo.
O vtinam noſtræ producat ſtamina vitæ
Tantum parca ferox, virides & porrigat annos,
Sarnani vt videam pacato legibus orbe;
Aurea falciferi decurrere ſæcla parentis,
Rurſus & expulſo vitiorum examine tetro:
Aſtreæ regnare chorum: terramq. ferentem
Sponte ſua fruges, & dulcis munera Bacchi:
O tum quanta meis, accedet gratia, plectris
Publica ſublimi referam cum gaudia voce,
Vate minor nullo; vires mihi ſuggeret ipſa
Materies, numenq. tuum mihi ſanctius omni
Pieridumq. choro, Deliq. nitenſis alumno.

SERMO DOMINICÆ PENTHECOSTES.

De eiuſdem Spiritus ſancti vnitate & ſpiritualitate, & ſublimitate, & operatione.

THEMA.

Operatur vnus atque idem Spiritus. 1. Cor. 12.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVIA de operibus ſancti Spiritus nobis imminet ſermo, eundum eſt ad Mariam, in qua ceteris maius opus fecit: quando ipſe Spiritus ſanctus Verbum fecit carnem, Deumq. fecit hominem, in quo opere tantũ exultauit ſpiritus Mariæ, & tam magnificata fuit anima eius, vt dicere valeat: Apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter cælum & terram. Dum Maria ſe exinaniuit eleuata eſt. Dum ſtatuit formam ancillæ ſumere, ſuperuenit Spiritus ſanctus, & eam eleuauit, atque ſtabiliuit inter cælum & terram. Nonne decentius eſſet, vel eam cælis inſerre, vel nobis eam relinquere, quàm in tali medio ponere? Attendite fratres myſterium, quoniam ſi in medio conſiſtit virtus, optime collocatur Maria inter cælum & terram, quia ei dictum fuerat: Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Vt igitur dignoſcamus, quòd eſt Maria virtus diuina, quæ ad omnia ſe valet diffundere, ipſa Dei genitrix dicitur ſtatuta inter cælum & terram, ad vtrumque prouidendũm, regendum, & fouendum. Secundo dicitur

Maria tenet mediũ & cur.

Ezec. 8. A

Luc. 1. c

citur eſſe inter cælum & terrã, vt vtrumque conciliet, quæ antea inimica erant ad inuicem: nunc autem intercedente Maria fit connexio amoris. Nec mirum quia cælum diuinitatis & terram humanitatis contexerat. Tertio dicitur eſſe inter cælum & terram, propterea quòd etiam mater Dei effecta vitam communem duxerat inter actiuã & contemplatiuam; vt omnes doceat, atque ſociet. Quarto autem & altius, aduerte quòd medium participat cum extremis, extrema ſunt cælum & terra, cum quibus Maria participat: nam ſuperueniens Spiritus ſanctus etiam a die incarnationis duo contulit Mariæ. Primum, vt eſſet impeccabilis cum angelis in bono confirmata. Secundum, vt mereri poſſet cum hominibus laborioſæ vitæ relicta. Habes igitur, o Maria melius quod eſt in cælo, ſcilicet confirmationem, & melius quod eſt in terra, ſcilicet exercitium merendi, quatenus optime dicas: Eleuauit me ſpiritus inter cælum & terram, conferens quæ meliora ſunt poma noua, & vetera. Idem tamen ſpiritus hoc opus operatur etiam hodie in Apoſtolis, non tamen ſic ad plenum, nec totaliter ſicut illud fecerat in Maria: nam illi venialiter peccare potuerunt, Maria autem nequaquam. Immo aduerte, quòd tantum Maria ab incarnatione Verbi omni gratia plena fuit, vt aliqui dicant quòd nihil hodie Spiritus ſanctus ei contulit. Nam omnem gratiam, ad quã erat prædeſtinata, recepit tunc. Nunc autem miſsio viſibilis Spiritus ſancti venit ſuper Mariam nil gratiæ ei conferens, ſicut columba ſuper Chriſtum in Iordane. Tamen & nunc velut inter cælum & terram eſt Maria inter Apoſtolos & alios credentes, & ſtatuitur in medio, a qua pariter orante velut a centro ad omnes Chriſti fideles ductæ ſunt lineæ gratiarum. O quis videret ardere rubum Mariam igne Spiritus ſancti accenſam, filiosq. applicari ſibi. Sed quia rubus non ſolũ aues confugientes ad ſe recipit, quin & reptilia etiam amplectitur, ideo nobis auſũ præſtat Maria, vt pro gratia impetrãda, ei deferamus. Aue Maria.

Ezec. 8. a (margin, beside "tium merendi")

Miſsio viſibilis fit ſine inuiſibili. (margin)

ARGVMENTVM DICENDORVM.

1. Cor. 12 b (margin)

PARVM viſum fuit Apoſtolo dicere, quòd *ſpiritus Dei eſſet vnus:* & ideo non abſque myſterio addidit:

atque

atque idem. Et forte in hoc voluit innuere, quòd ſpiritus hominis quamuis ſit vnus, non tamen eſt idem. Quia ſpiritus hominis mutabilior eſt vento. Et nimia mutabilitas variat eſſe rei. Quis fratres eloqui valet, ſiue narrare mutabilitatem ſpiritus peccatoris? nunc amplectitur iſtud, & paruiſsimo tempore interiecto apparet contrarium: coram profert vnum, & tergo dato idem reuocat. Iam proponit hanc ſequi virtutem, & ſtatim exercet contrarium facinus, & ſic numquam in eodem ſtatu permanens, plures habet appetitus quàm mulier prægnãs. Vnde iure videtur aſsimilandus peccator illi animali, quod dicitur Camaleon, de quo refertur, quòd tam diuerſis induitur coloribus, quàm diuerſa ſunt colorata loca, in quibus ſedere contingit. Hac ergo varietate cognita in ſpiritu hominis, quis non arbitretur, quòd quamuis ſit vnus non ſit idem? nam ex diuerſis actibus diuerſas potentias arguere ſolemus. *Dei* autem *ſpiritus vnus eſt atque idem*: quoniam apud eum non eſt tranſmutatio. Vnde Sapiens ait: Nil ſub ſole nouum (id eſt ſub amore diuino) nec quiſpiam dicere valet: Ecce hoc recens eſt. Super hoc ait Gloſſa: quia in æterna prædeſtinatione iam facta ſunt, quæ futura ſunt. Secundum hoc recte dicit Paulus, quòd ſolus Deus habet immortalitatem, quoniam nulla in eo voluntas moritur, quod ſæpe nobis euenit. Nec ſolum in Deo *operatur vnus, atque idem ſpiritus*, ſed inſuper aduerte quòd operatur vnus, atque idem actus volendi, & eodem modo ſe habens omnino, nullam remiſsionem, aut incrementum ſuſcipiens. Super quo puncto non eſt parua in ſcholis difficultas, quamuis omnes catholici confiteantur, quòd ſicut ſemel locutus eſt Deus, & eodem verbo fecit omnia, ſic ſemel voluit Deus, & eadem voluntate & actu voluit omnia: nec aliter vellet quàm voluit. Eſt tamen contra hoc fortiſsima ratio: quia Deus acceptat duo contradictoria, ſcilicet, peccatorem damnare, dum vel ſolo cõſenſu peccat, & eundem ſaluare, dum pœnitet. Saluari auté & non ſaluari ſunt contradictoria, quæ vnico actu impoſsibile eſt velle. Ergo Deus plures habet actus volendi. Reſpõdet Scotus quòd ad hoc quòd ſint aliqua cõtradictoria, oportet, quòd accipiantur pro eodem & eodem modo ſe habente. In exemplo auté ſupra poſito non

Mutabilitas variat eſſe rei.

Iac. 1. d

Eccls. 1. b

1. Tim. 6. c

Volitio Dei vnica.

Pſ. 61. c

Immutatio Dei & mutatio noſtra.

eſt ſic: quoniam mutat vitam, qui de peccato tranſit ad pœnitentiam, & ideo Deus mutat ſententiam non quòd in eo ſit mutatio ſed in te. Nam in Deo ſemper etiam ab æterno manet hæc ſententia: Volo condemnare peccatores. Et hæc: Volo ſaluare pœnitentes: vnde Spiritus ſanctus immutabilis manens dat locum pœnitentiæ maxime hodie, quando tot pœnituerunt de deicidio Chriſti. Huius mutationis & immutabilitatis eſt exemplum: quia ſi aliquis circa me mutaretur de leua ad dexteram, verum eſſet de me immutato dicere, quòd nunc illum habeam ad leuam, & poſtea dicitur etiam de me, quòd non eum habeo ad leuam ſed ad dexteram, quæ contradictoria videtur. Et ſic immutabilis Deus ſi permanes in peccatis, habebit te ad leuam cum præſcitis & cum hœdis. Si autem pœnites, eris ad dexteram cum ouibus ſuis. Vnde non eſt mutatio in Deo, ſed in nobis, quibus contingit, vt nauigantibus, qui vident cuncta, quæ circa ſe ſunt, etiam terram & arbores moueri, cum tamen ipſi ſoli moueantur. Ex hac immutabilitate ſpiritus Dei mira deriuatur doctrina, & ad bonos & ad malos vtilis. Nam ex hoc firmiſsimus dignoſcitur in promiſsionibus, quas olim fecerat Deus, & hodie compleuit: inſuper & alia eſt in hoc moralis eruditio, videlicet quòd quemadmodum Deus eodem ſpiritu, eodemq. amore nobis aduerſa & proſpera infert: ſic & nos æquo animo, & pari amore accipiamus quæcumque dederit dulcia, ſiue amara. Nam ſpiritus Dei pater orphanorum facit ſicut chirurgus, qui & veſtibus valde bonis induit filium dilectum, poſtea vero ſi habet vulnera, cremat ea paternali amore: ſic ergo *operatur vnus atque idem Spiritus ſanctus*. In prima parte quo modo operatur in cælo oſtendam. In ſecunda quo modo etiam in terra patefaciam.

Mutationis, & immutabilitatis exemplum.

Dei firmitas ex quo cognoſcatur.

Exemplū.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

Spiritus ſanctus ſcitur difficulter.

OMNE quod eſt de fide tam arduum eſt, & tantum excedit intellectum noſtrum, quòd vt determinant doctores in prologo primi Sententiarum, neceſſe fuit reuelari nobis cæleſtis doctrina, quæ etſi difficilis ſit, & in ſecretis ſecretorum poſita, in ea tamen vnum eſt magis

abditum,

abditum, magiſq. reconditum quàm aliud: quoniam multi dicunt rationi conſentaneum, & fere per ſe notum Deum eſſe. Vnde ait Damaſcenus: Deum eſſe eſt vox naturæ. Et aliqui philoſophi ſcrutati ſunt generationem filij Dei. Vnde in libris Trimegiſtri dicitur: Monas genuit monadem. Ac ſi apertius dicat: Deus genuit Deum. In tertio tamen ſigno defecerunt magi Pharaonis, id eſt ſæculi ſapientes; Vnde Paulus prædicat ſapientiam, quam nemo principum huius ſæculi cognouit. Principes ſæculi dicuntur philoſophi. Qui etſi Spiritus ſancti non habuerunt ſcientiam, de eo ignorantes prophetauerunt: ſicut Cayphas de Chriſto. Dixerunt ſiquidem magi Pharaonis, in tertio ſigno deficientes: Digitus Dei eſt hic, id eſt Spiritus ſanctus. Quod enim vnus Euangeliſta ait: In digito Dei, alius expoſuit, dicens: In ſpiritu Dei. Vnde digitus Dei nominatur Spiritus ſanctus, de quo Strabus ait: Per digitum, Spiritus ſanctus intelligitur, non quòd minor ſit Patre, & Filio, ſed quia in digito plurimæ diuiſiones ſunt, & per Spiritum ſanctum datur diuiſio gratiarum. Hic aduerte quòd id quod ſolo digito datur, parum eſt, & ſic ea, quæ dat nunc Spiritus ſanctus, parua ſunt reſpectu ſuiipſius, & reſpectu eorum quæ daturus eſt in cælo: ideoq. nunc ſolummodo dicitur guſtari, in cælo autem inebriabimur ab vbertate ſua. Nunc digito ſuo dat nobis Deus annulum deſponſationis, in cælo autem vbi beatum matrimonium conſummabitur, & brachio, & humero nobis occurret bonis ſuis onuſtus Deus.

Damaſ. libro 1. de fide orth. cap. 3.

Dionyſ. de diu. nomin. cap. 4. infra med.

Exo. 8. c

Luc. 11. c

Matt. 12. b

Digitus Dei Spiritus ſanctus eſt.

Pſ. 35. b

Nec ſolum dicitur Spiritus ſanctus digitus Dei, ob id quòd ſubtiles gratias diuidit, maxime hodie hominibus ex omni gente, ſed propterea dicitur digitus, quia digito ad oculum demonſtrare ſolemus, atque docere. Et Spiritus ſanctus hodie familiariter & clare docuit Apoſtolos omnem veritatem, quam ſapientia Dei Chriſtus ſcripſerat in cordibus eorum, non ſic aperte vt ſcire poſſent omnia. Vbi nota quòd qui longius ituri ſunt ad ardua negotia, ſolent ea ſcribere cum ſucco pomi citrei, & huiuſmodi ſcriptura non apparet, quoniam alba eſt, nec legitur niſi ad ignem applicata. Chriſtus autem non ſucco huius pomi, ſed ſuiipſius exemplo & ſanguine ardua ſcripſerat in cordibus Apoſtolorum, qui legere neſciebant,

Spiritus ſanctus quare dicatur digitus Dei.

Io. 13. a ſciebant, quoniam ipſe Ieſus dixit Petro: Quod ego fa-
cio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea, ſcilicet cum
venerit ignis Spiritus ſancti cordi tuo applicandus, vt
plene capias, quæ operatus ſum in te. Tertio dicitur di-
gitus, quia medici digitis medentur infirmis, & ſic di-
Spiritus ſanctus medetur nobis. gitus iſte ſanat animas ægrotantes: quoniam in digito
Dei eijciuntur dæmonia & peccata. Venit hodie digi-
tus Dei ad Apoſtolos, vt eos faciat medicos animarum
errantium, eisq. tribuat gratiam ſanitatum contra mul-
tiplicem morbum animæ & corporis. Nec mirum fra-
tres mei quòd iſte digitus Dei, qui cunctis lapidibus, &
herbis, & ſeminibus virtutem aliquam contulit, ſana-
tiuam habeat originaliter poteſtatem, cum & Lazari di-
gitus cum ſola gutta aquæ ſedare poſſet infernalem fe-
brem diuitis epulonis: tamen de hoc ſacro digito fons
Ioan. 4. b oritur aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Spiritus
ſanctus præcipue dicitur digitus Dei, propterea quòd
theſaurizantes digito numerant nummos ſuos: & ſic Spi-
Pſ. 146. a ritus ſanctus numerat multitudinem ſtellarum: & ſingil-
latim omnibus electis nomina vocat. Vnde quemadmo-
dum electi ſumus in Filio, qui eſt Patris notitia, ad quem
pertinet electio, ſic amati ſumus in Spiritu ſancto, vbi
eſt completa prædeſtinatio: quoniam amor omnia perfi-
cit, atque complet. Multum igitur debemus ei, qui nos
ab æterno applicuit ſibi, vt vnus ſpiritus eſſemus cum eo.
Sed cauendum nobis eſt, ne ſimus mali aut viles num-
mi: quoniam in theſauros eius non reponuntur niſi pre-
tioſa quæque: ideo enim apparuit iſte digitus ſcribens
Dan. 5. g in pariete hanc ſententiam: Appenſus eſt in ſtatera, &
inuentus eſt minus habens, quaſi dicat, ideo non eſt repo-
nendus in theſauris meis: quoniam qui peccat in vno fit
Error circa Spiritum ſanctū cauendus. omnium reus. Habes igitur quòd philoſophi ſine Spiritu
ſancto, & de Spiritu ſancto prophetantes, eum digitū Dei
non immerito vocauere, quāuis eum ignorarent: qui teſte
Auguſtino de Filio & Patre nō tacuerunt. Nec ſolum phi-
loſophi nō attigerunt myſterium Spiritus ſancti, ſed qui-
dam ex noſtris etiam doctiſsimi viri errarunt in Spiritu
Hieron. lib. 2. in cap. 4. epiſt. ad Galat. 10. 6. ſancto, non intelligentes ſacramenta Dei. Et vt taceam
moder nos, de quodam antiquo, ſcilicet Lactantio Firmia-
no, dicit Hieronymus: Spiritus ſancti negat ſubſtantiam,
& errore

& errore iudaico, dicit eum vel ad patrem referri, vel ad filium, & ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari. Iſte Lactantius arbitrabatur ſic: Deus pater ſpiritus eſt, & eſt ſanctus: ergo eſt Spiritus ſanctus. Item Deus filius ſpiritus eſt, & eſt ſanctus: ergo eſt Spiritus ſanctus. De diuiſis ad coniuncta videbatur arguere. Sed peſsimum eſt argumentum quo quis nititur excludere perſonam Spiritus ſancti. Non negamus quòd pater ſpiritus ſit & ſanctus. Sed quando Chriſti fideles Spiritum ſanctum nominant, ſignanter intelligunt tertiam Trinitatis perſonam, non patrem, nec filium, ſed alium ab eis procedentem.

Hic aduerte pro ampliori elucidatione, quòd quando Spiritum ſanctum nominamus, fere ſemper denotat ſpirationem paſsiuam, quæ nec patri conuenit, nec filio, ſed ſoli ſpiritui paraclito, qui ab eis ſpiratur. De tribus, ſcilicet, Deo, & angelo, & homine dicitur hoc nomen *ſpiritus:* atque de quolibet iſtorum dupliciter ſumitur, poteſt enim denotare ſpiritualitatem, vel ſpirationem. Spiritus in homine ſecundum quòd denotat ſpiritualitatẽ eſt quoddã corpus ſubtile, mediante quo anima facit operationes ſuas in corpore: vnde ſpiritus ſic acceptus importat quendam impulſum vitalem progredientem a corde in reliqua membra, & ſic dicimus ſpiritus vitales, quos in corpore ſubtiliter ebullire ſcimus. Secundũ autem quòd ſpiritus de homine dicitur a ſpiratione, qua os meum aperui, & attraxi ſpiritum, denotat halitum noſtrum ſiue flatum. De angelo autem hoc nomen *ſpiritus* etiã capitur a ſpiritualitate, & tunc denotat ſubſtantiam ipſius angeli, quæ ſpiritualis eſt. Secundum autem quòd dicitur a ſpiratione, denotat amorem angeli ad Deum. De his duobus dixit ſanctus Dauid: Qui facit angelos ſuos ſpiritus: & miniſtros ſuos flammam ignis. ſpiritus dixit quo ad ſubſtantiam eorum, & flammam ignis quo ad actum ſpiritualem amoris. Amor namque ſpiratio quædam eſt, quia ſicut illa eſt intrinſeca, ſic ille; & ſic etiam procedit a calore. Et ſicut ſpiratio vitam demonſtrat; ſic amor. Nam ſicut qui non ſpirat; ſic & qui non amat manet in morte. Et ſicut ſpiratio ducit & reducit, emittit, & trahit; ſic amor amantem ducit ad amatum, & amatum ad amantẽ:

Spiritus dicitur de tribus.

Pſ. 118.

Pſ. 103.

Amor eſt reſpiratio noſtra.

Vnde

Vnde amor recte dicitur ſpiratio ſiue reſpiratio.

Spiritus dicit de Deo duobus modis. Duobus pariter modis ſpiritus dicitur de Deo: nam aliquando denotat ſpiritualitatem, aliquando ſpirationem. Si primo capiatur modo, toti Trinitati conuenit, & etiã cuilibet perſonæ: quia indifferenter dicitur in Euangelio: *Ioan.4. d* Deus ſpiritus eſt. Quando autem ſpirationem denotat hoc nomen *ſpiritus*, tunc diſtinguendum eſt, poteſt enim ſignificare ſpirationem actiuam & paſsiuam. Si primam, tunc & Patrem, & Filium repræſentat, qui vnica ſpiratione ſpiritum Deum producunt. Si autem hoc nomen *ſpiritus* denotat ſpirationem paſsiuam, ſcilicet illud quod ſpiratur, tunc ſolummodo conuenit tertiæ perſonæ Trinitatis, quæ ſpirata dici poteſt: quoniam per ſpirationem habet quidquid habet. Iam ergo quando Spiritum ſanctum inuocas, ſpirationem paſsiuam Dei appellas, ſcilicet illud quod ſpirauit Deus Pater, & Filius eius, *Sap.7. d* quod eſt Spiritus ſanctus, de quo dicitur: Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis eius. Et ipſa *Eccli.24. b* Dei ſpiratio ait: Quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non mixtum odor meus. Felix ergo qui inuocat id, quod ſpirat Deus, quoniam omnipotens eſt: alioquin non diceretur de Deo no*Cant.4. d* ſtro & ſpiritu eius: Emiſsiones tuæ paradiſus, ſcilicet infinitarum deliciarum. Riuus enim æquatur fonti, & eſt ei æqualis. Notandum eſt tamen quòd dicitur Spiritus Spiratio Dei cor vaporat. ſanctus, quaſi libanus non inciſus, quia non ſcinditur a Patre, & Filio: tamen venit vaporare habitationem ſuam quæ eſt cor deuotum, & etiam totum cælum. Chriſtus *Ioã.20. f* etiam inſufflans ſuis, ait: Accipite Spiritum ſanctum: quamuis flatus Chriſti non eſſet formaliter Spiritus ſanctus, de quo eſt nobis feſtum præſens. Erat quidem figura eius, quia ſicut ab anima, & corpore tamquam ab vno procedit flatus: ſic a Patre, & Filio ſimul tamquam ab vno Spiritus sãctus dicitur flatus. procedit Spiritus ſanctus. Non procedit flatus a corpore ſeparatim, nec ab anima ſolitaria per ſe, niſi ſimul ab his duobus vnitis: ſic nec a Patre ſolo, vt putant Græci: nec a Filio ſolo, vt putant hæretici, procedit Spiritus ſanctus, ſed ab eis ſimul tamquam ab vno: quoniam ideo Spirit᷒ Dei eſt vnus atque idem. dicit thema: *Operatur vnus, atque idem ſpiritus*, ſcilicet Patris & Filij. Iſta vnio, quæ eſt in Patre, & Filio ad ſpi-

rationem

rationem Spiritus ſancti, voluntatis eſt non informationis, amoris eſt non carnalitatis. Nec putes hinc atque inde iſtæ duæ perſonæ conuenire ad vnionem iſtam ſecretiſsimam: ſed altius eleua intellectum, vt ſcias qualiter *Spiritus Dei eſt vnus, atque idem*. Nam quamuis a Patre, Filioq. procedat, non fit vnus tamquam e duobus fieri, aut conglutinari ſolet, nec habet partes aliquas in ſe vnitas, quoniam hic ſpiritus emanat ab vnica voluntate Dei. Nam in Patre, & Filio vnica eſt voluntas, a qua velut a fonte infiniti amoris emittetur Spiritus ſanctus: hæc voluntas æqualiter eſt in Patre, & Filio, ideoq. nulla prioritate admiſſa procedit ab eis tamquam ab vno, nec prius ab iſto quàm ab illo, ob vnitatem ſupremam quam habent. Cum Deus Pater communicat eſſentiam ſuam Filio per intellectum, integram voluntatem communicat ei, atque tribuit, qui nondum habet in primo ſigno originis expletam operationem ſuam. In ſecundo autem quando expleta operatione intellectus diuini generato Filio, iam voluntas amando eſſentiam pariter eſt in Filio tota pleniſsima, & infinito amore fœcunda, quo actualiter amat actu infinito. Iſte amor productus eſt ipſe Spiritus ſanctus a duobus, ſcilicet a Patre, & Filio productus tamquam ab vno: quoniam vnum principium producendi eſt in eis, ſcilicet voluntas ardentiſsima, quæ exercet ſe amando eſſentiam Patris, & Filij, & actus huius exercitij eſt Spiritus ſanctus, quemadmodum actus intellectus diuini eſt notitia genita, Filius ipſe.

Deus in primo ſigno cõmunicat eſſentiam Filio.

Nec ſolum dicitur vnicus ſpiritus Dei propter iam prææallegatas rationes, ſed ob ſuam maximam ſublimitatem: nam quod omnibus præcellet, vnicum dici ſolet, quantum autem emineat Spiritus ſanctus, aduertes, ſi attendis quo modo primus ſpiritus dicitur vegetatiuus, ſecundus ſenſitiuus, tertius animalis, quartus rationalis, quintus intellectualis. Primus viget in plantis, & herbis, & floribus quo nutrimur: ſecudus in omni quod mouetur ſuper terram, in quo ſpiritus vitæ eſt: tertius in animalibus aliqua vtentibus anima: quartus viget in hominibus: quintus in angelis. Primus eſt bonus, ſecundus melior, tertius optimus, quartus habet imaginem Dei, factus ad eius ſimilitudinem, quintus eſt proximus Deo. Et horum ſpirituum

Sublimitas Spiritus ſancti.

Spirituum gradus quinque.

Luc.7.d tuum qui minor eſt in cælo, maior erat Ioanne Baptiſta in terra viuente. Per hos autem ſpiritus angelicos aſcendendo, reperies plures gradus quàm ſtellæ ſint in firmamento cæli: quia non eſt numerus militum eius: quantum autem ſpiritus angelicus collegam ſiue ſuperiorem ſuum excedat, beatus Thomas innuit, dum dixit, eos
Ariſt.8.metaph. cōtex. 10. ſpecie differre: & ſpecies ſe habent (teſte Ariſtotele) ſicut numeri, qui ſemper vnus exceditur ab alio. Iam ergo anima mea propera per gradus tam altiſsimæ ſca-
Iſa.38.c læ aſcendere, ſi tamen ſuppetunt vires: Quoniam attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in vnicum ſpiritum Dei: nec omnes ſpiritus angelici potuerunt inuiſtigare, quàm ex alto veniat ſpiritus Dei. Dicitur tamen quòd Spiritus ſanctus ponderator ſpirituum, ſeptem ſpiritus habet in conſpectu throni ſui: quoniam in omnes ſpiritus vni-
Gen.1.a uerſaliter influit, & in cælo, & in terra. Nam quemadmodum ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas in mundi principio, ſic etiam ſuper cælos ferebatur in angelos;
Figura Spiritus ſancti de fluuio. quapropter ait thema: *Operatur vnus atque idem ſpiritus*. Vt autem videas huius ſpiritus vnitatem pariter & ſublimitatem, aduerte figuram Ioanni oſtenſam in ſua Apo-
Apo.22.a calypſi, vbi ait: Oſtendit mihi angelus fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tamquam chryſtallum, procedentem a ſede Dei & agni. Confortata eſt hæc viſio, & ſolum ingenium Euangeliſtæ non poterat ad eam, niſi angelo ſibi oſtenderetur in ſpiritu: nam de Spiritu ſancto agitur in hac viſione, vbi vocatur fluuius, cuius quidem impe-
Pſ.45.a tus lætificat ciuitatem Dei etiam totam, quamuis ſit magnus & ingens tractus habitationis eius. Nam intus circuit eam per girum tam abundanter, vt aquis dulcibus nauigent angeli ad ipſum Deum, & natare valeant in his aquis, quæ ſuper cælo ſunt. Ideo Spiritus ſanctus dicitur fluuius, quia ſemper fluit, ſemperq. emanat, nec decreſcit, aut ſiccatur: ideoq. aqua viua dicitur. De
Ioan.4.b quo ipſe Chriſtus ait: Fiet in eo, ſcilicet credente, fons
Ioan.7.f aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Tam viua eſt hæc aqua, vt ſaliat in vitam æternam. Nam hæc eadem aqua, eſt vita æterna; & proprium eſt aquæ ſalire tantum quantum deſcendit. Splendidus dicitur pro-

pter viſionem manifeſtam multorum ſecretorum, quæ in eo relucent. Hic aduerte quòd Spiritus ſanctus eſt angelis via, veritas, & vita. Propter primum dicitur fluuius, quo nauigant ſpiritus angelici reducti ad ſuum principium. Propter ſecundum dicitur ſplendidus, vbi omnis veritas relucet. Propter tertium dicitur aquæ viuæ, ne ibi timeatur mors. Nec te offendat, quòd ſpiritus Dei comparetur aquæ, quia hæc aqua non eſt fluida ſicut noſtra, ſed ſolidiſsima, & in æternum permanens tamquam chryſtallum, qui ſemper eſt ſolidus, immo & firmior indies reperitur. Fluuius iſte diuinus procedit a duobus montibus tamquam ab vno, ideo enim dicitur procedere a ſede Dei & agni, quæ altiſsima eſt. Vbi nota quòd ſedes agni eſt adimpletio voluntatis, nemo enim quietius ſedet, quàm ille qui adimpleuit deſiderium ſuum. Pater igitur, & filius, Deus & agnus Dei ſedent in voluntate ſua, videntes eam expletam in productione Spiritus ſancti, qui ab eorum ſede, id eſt voluntate, procedit. De iſta ſede media charitate conſtrata, dicitur: Quis ſcit niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſsimis? totum hoc nonum capitulum eſt oratio Apoſtolorum. Et dicitur ibi: Mitte illum de ſede magnitudinis tuæ. Nam voluntas Dei eſt maior ſedes eius. De loco ergo voluptatis procedit fluuius iſte ad irrigandum paradiſum. Et ſicut nec fluuius, ſic Spiritus ſanctus non reliquit originem, quamuis ab æterno procedat. Quæ proceſsio fluuij manifeſtat in diuinis perfectionem naturæ, diffuſionem gratiæ, plenitudinem gloriæ, actualitatem influentiæ ad inferiora. Vnde ſicut in patre & filio *operatur vnus atque idem ſpiritus*: ſic etiam in angelis & in omnibus quæ ſunt ſuper cælum.

Spiritus ſanctus via, veritas & vita.

Sap.9.d

Ibid.b

SECVNDA PARS.

NVNC vt videamus qualiter in terra Eccleſiæ militantis *operatur vnus atque idem ſpiritus* hodie eadem, quæ operatus eſt in cælo. Aduertendum eſt, quòd non immerito dicitur ab antiquis doctoribus, quòd Spiritus ſanctus eſt nexus patris & filij, & oſculum oris patris ad filium. Eſt enim illa in patre & filio pax æterna,

Officium Spiritus ſancti.

concordia

concordia perennis, vnitas, & fœderis vinculum indiſſolubile. Vnde omne opus Spiritus ſancti ad vnitatem properat: ideo enim actus hierarchicos ordinauit, vt angeli ad inuicem ſe iuuarent. Et quando ſpiritus Domini ornauit cælos, influentiam vnius ad alterum fecit. Et cum lumina eorum creauit, totum lumen dedit ſoli, vt ei or-
Gen.1.a dinarentur cetera luminaria cæli. Et quando ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, elementa ſymbolizantia fecit, vt vnum alterius ſibi coniuncti qualitatem participa-
Pſ.84.b ret. Hanc ergo vnionem venit facere in mundo: vt inhabitet gloria in terra noſtra. Nam vult, vt ſit Apoſtolis cor vnum, & anima vna cum Chriſto, quatenus ſicut in cælo ſunt angeli per ipſum Deo vniti: ſic in terra ſint homines capiti ſuo Chriſto: quod incœpit ſuperueniens Mariæ Dominæ noſtræ, & nunc amplius perficit: vbi completur
Ioã.13.b illa Chriſti petitio, qua dixit patri: Sint vnum, ſicut ego & tu vnum ſumus. Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, & vniuntur in eo, & ſic voluit Chriſtus, quòd Spiritus ſanctus ſibi ſuos vniret, vt capiti & membris eſſet vnus atque idem ſpiritus. Qui non ſolum eſt nexus Patris & Filij, ſed etiam Chriſti & membrorum eius, vt eodem ſpiritu vegetentur & membra, quo caput cui
1.Cor.6.d vniuntur. Quoniam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo. Quapropter venit in igne nunc Dominus, quo
Figura Spiritus sãcti. metalla vniuntur, & vnum fiunt. Vnde nota quòd idem fluuius qui lætificat ciuitatem ſupernam, idem hodie ſanctificat tabernaculum Dei, & fere eodem modo: nam
Dan.7.c per Danielem prophetam dicitur: Fluuius igneus, rapidusq. egrediebatur a facie eius: millia millium miniſtrabant ei. Ipſa perſona Spiritus ſancti a Chriſto Deo procedit, & eius dona procedunt etiam meritorie a Chriſto homine, quia intuitu meritorum Chriſti, ea confert Spiritus ſanctus: vnde propterea dicitur quòd a facie Chriſti procedebat fluuius iſte, qui hodie influit in Apoſtolos. Nam pro Chriſti præſentia aduocante pro nobis coram patre, hodie datur Spiritus ſanctus. Solent magnates ſibi inuicem dona mittere, & quia decem retro diebus in conſpectu antiqui dierum ſedentis ſuper thronum obtulerunt Chriſtum patriarchæ in cælo: ideo Pater ipſe conſiderans pretioſitatem doni præſentati, decreuit

creuit hodiè mittere donum ſimilę ad Eccleſiam Chriſti, & quod eſſet tanti valoris ſicut alterum : miſimus melius quod erat in terra, & ſimiliter ille mittit melius, quod eſt in cælo, dans ſpiritum bonum, & rectum, & principalem petentibus ſe. Et id miſit in ſpecie ignis, vt innueret amorem, quo mittebatur.

Iam ergo ille fluuius qui in cælo chryſtallino erat, igneus fit ad nos: an forte propterea, quia plus amat nos. Gaudium namque eſt in cælo ſuper vno pœnitente, quàm ſuper plures, qui non indigent pœnitentia. Vel venit ad nos amore ignitus magis quàm angelis, quia plus fecit pro nobis quàm pro illis. Immo & forſitan plura nobis donabit quàm illis. Venit ergo igneus, cuius natura eſt aſcendere ſurſum, vt Apoſtolos eleuet ad illud principium, a quo & ille proceſsit. Et venit rapidus neſciens tarda molimina, ſed vehementi impetu venit, operans mirabilia hodie per millia millium angelorum, qui miniſtrabant ei, quorum miniſterio linguæ formatæ ſunt, & factus ſonus, qui vſque hodie ſonat in aures deuotorum: ſicut & linguæ perſonant in ore fidelium chriſtianorum linguam eucharem habentium. Fit ergo ſonus non terrificus ſed muſicus, & optime ſonorus ad Apoſtolos conſolandos: ideo dicitur vehemens, quia mentes eorum vehebat, ducebatq. ſurſum oppreſſos triſtitia. Quæ quidem ſecundum Deum erat, ideoq. plurima bona operabatur in illis. O quis dicere ſufficiat, quàm diſpoſiti erant carbones iſti, qui ſuccenſi ſunt ab eo igne, qui miraculoſe holocauſta ſolebat abſorbere? Nec mirum, quia hi ſunt holocauſta gratiſsima. Aſcenderant in cœnaculum ad ſuperiora, velut obuiam Spiritui ſancto, mente & corpore terrena dimittentes. Erantq. pariter in eodem loco ſecum non diſperſi vt nos, ſed vniti: quia omnis virtus vnita eſt fortior ſeipſa diſperſa. Nihil valuit contra eos terrena habitatio, quæ ſolet ſenſum deprimere, quoniam iſti iam ſemicæleſtes erant, ſenſum Chriſti habentes. Nec eorum corpus aggrauat animam, vtpote ieiunio maceratum, doctumq. ſeruire ſpiritui. Fides erat illis viua ad Chriſti promiſſum, ſpęs certa ad alium paraclitum, charitas feruida ad Spiritum ſanctum. Sitiunt ad Deum fontem viuum: nam cuiuſlibet anima ſuſpendium elegerat. Nec immerito

Cur venit in igne.

Luc.15.b

Narratio hiſtoriæ & Apoſtolorum præparatio.

immerito venit hora tertia Spiritus ſanctus eis, qui ſunt intenti Trinitati, quam prædicaturi erant. Ad alterum

Iſ.132.a alter percutit alas ſuas vt ſeraphim. Nunc eſt iucundum habitare fratres in vnum; gemitibus enim alterius alter gaudet atque excitatur. Denique ſpiritualiter tendunt aquilæ vbi eſt Chriſti corpus, & velut abſorpti & ſuſpen-

2. Cor.12 a ſi Deo ſiue in corpore ſint, ſiue extra corpus, neſciunt. Et fit repente ſonus vt redeant ad ſe e cælo, quoniam ſpiritus, quem quærunt, iam exit obuiam eis in linguis, quæ canendo veniebant per aera ſonum mirificum ad eos lætificandos. Et vt ipſi loquerentur ex abundantia cordis, quam hactenus explicare non poterant. Repletis ergo eorum cordibus, ex ſuperabundantia, repleuit etiam totam domum

Occurrunt Spiritui ſancto. cœnaculi. Iamq. ſpiritum non valentes extinguere nec mitigare, exeunt qui ſpiritu Dei aguntur leonibus fortiores. Et ecce adſunt in ianuis iudæi viri religioſi, & hi qui ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, erant Ieroſolymis. Qui audientes ſonum, putauere tonitruum. Et videntes ignem, putant fulgura micantia deſcendiſſe ad comburendam domum Dauid, vbi erat cœnaculum, cui ſubuenire ſatagunt. Ad hoc enim (facto prædicto ſono) conue-

Act.2.a nit multitudo, ſed ſtatim mente confuſa eſt, non eo modo, quòd in turri Babel ſed contra: nam ibi nullus capit linguam proximi ſui, nunc autem audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes, velut compatriotas. Videntes igitur eos in ſpiritus feruore prædicantes, dicebant: Quid vult hoc eſſe, nam eorum verba ſicut facula ardebant. Reſpondit ergo Petrus Chriſti Vicarius pro omnibus: Hoc eſt de quo Dominus Ieſus per Ioel di-

Ioel 2.g xit: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri. Hoc ait Dominus Ieſus quem vos crucifixiſtis. Qui memor noſtri ex regno ſuo miſit nobis cæleſtia dona, quæ cernitis. Poſtquam ergo Pe-

Act.2.f trus prædicauit, aſtantes dixerunt Apoſtolis: Quid faciemus fratres? quaſi dicat, quo modo expiare poterimus tam grande peccatum? & Apoſtoli reſpondent: Baptizetur quilibet veſtrum in nomine Domini Ieſu, & mundabimini. O rem mirabilem. Aqua enim quam adduxe-

Opera Spiritus ſancti. rant pro extinguendo igne domum Dauid comburente, valuit ad accendendum in ipſis ignem Spiritus ſancti,

vt fierent

vt fierent domus Dei: vbi ſemper ignis iſte iubetur ardere. Sic ergo in Apoſtolis,& in ceteris baptizatis *operatur vnus atque idem ſpiritus* ea,quæ operatur in angelis. Nam vt ait Cyprianus: Spiritus ſanctus eſt ſacrorum ordinum diſtributor, quia in cælo alios facit cherubim, alios ſeraphim &c. nunc autem ordinem,& rationem cæli ponit in terra. Nam qui facit in cælo angelos, nunc homines angelos pacis conſtituit, eisq. condonat angelicam puritatem. Qui archangelis tribuit mandata maiora, nunc ſecretarios & conſcios Dei facit Apoſtolos: immo eis acceſſum tribuit ad regimen vniuerſi, vnde aiunt: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Qui erga principatus operatur in cælo curam principum & regnorum, facit nunc Apoſtolos principes terræ,& epiſcopos: vt principatum habeant etiã in cælo, vbi eorum confirmatur ſententia. Qui operatur erga poteſtates potentiam in dæmones, idem operatur in Apoſtolis, confirmans eis virtutem ſuper omnem virtutem inimici,& ſuper aereas poteſtates, ad idola deſtruenda. Qui erga virtutes angelicas miracula operatur, nunc homines facit ſignorum factores: ita vt faciant maiora ſigna quàm Chriſtus. Qui in cælo operatur erga dominationes præſidentiam inferiorum, hos ſuper ceteros extollit ſanctos,quoniam vt ait Gloſſa: Sicut accipiunt primitias ſpiritus tempore prius,ita ceteris abũdantius. Qui ſtabiles facit thronos in cælo: nũc Dei fercula facit Apoſtolos, vt eum deferant vſque ad fines terræ in manibus ſuis: nam ad earum impoſitionem dabatur Spiritus ſanctus, eosq. confirmat in gratia, ne amplius peccent, vt ſecurius deferant in ſe Deum. Qui erga cherubim operatur ſcientiam, nunc docet homines ſcientiam: vt ſint docibiles Dei. Qui ſeraphim accendit,exardere facit Apoſtolos,vt ignem vrentem rubum: vt ſint velut vulpes Samſonis mundum accendentes: iſti ſunt lapides igniti,inter quos ambulat Spiritus ſanctus,& vaſa templi, quæ poſſunt tranſire per ignem ſicut oſſa agni Dei, quæ igne conſumuntur: immo & conſumantur, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, &c. Amen.

Leu.6.c

Cypr. ſer. de ſancto Spiritu cir fin. to. 3.

Act. 15. b

Apoſtolorum dignitas.

Act. 8. c

Ioan.6. e

Iudic. 15 a

SERMO DOMINICÆ PRIMÆ POST PENTHECOSTEN.

De gloria Trinitatis.

THEMA.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Ex ſancta ſynodo Nicana.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

INTER beati Ioannis Baptiſtæ prærogatiuas annumeratur iſta, videlicet quòd ceteris prior myſterij Trinitatis fuerit indagator, ſigillatimq. diuinas nouerit perſonas: quando in Iordanis profluuio habens inter manus Filium Dei, Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie vidit, atque auribus erectis cælum apertum cõſpiciens, Patrem audiuit ibi dicentem: Ioannes attende, quoniam hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quamuis hæc omnia Ioannes nouerit myſteria, quod fateri neceſſe eſt, non tamen in hoc myſterio fuit prior omnibus nec profundior, præiuit enim beata Dei genitrix, quæ eſt prior in donis, maior in ingenio, aptior huic myſterio, quod antea ei angelus retulerat etiam nondum nato Ioanne. Scimus enim Gabrielẽ de Patre æterno immaculatæ Virgini retuliſſe: Dominus tecum, id eſt, Pater Deus tecum vult habere filium communẽ: vt ambo ſitis in vno eodemq. filio eius, de quo ſubiunxit: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. De tertia vero perſona dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Ecce igitur qualiter tres diuinas perſonas enarrauit angelus Mariæ primitus atque diſtinctius! quas familiariius Ioanne ſenſit etiam intra ſe, in Iordane

Matt. 3. d

Maria Trinitatis prior ſpeculatrix.

Luc. 1. e

Ibid. d

viſcerum ſuorũ, concipiendo Trinitatis opere ipſum Dei filium. Sed non miramini fratres ſerenũ Mariæ animum, quæ non eſt turbata in ſermone Trinitatis, inaudito cũctis retro ſæculis, ſed in ſermone incarnationis inſperatæ ſibi. Nec mirum quòd non turbetur tres diuinas audiẽdo perſonas, quas iamdiu contemplãs nouerat noſtra regina Saba, cæleſtem Ieruſalem aſcendens, vt rex vniuerſæ creaturæ doceat eam ſuper omnes ſeruos eius, qui audiunt ſapientiam ſuam ſtantes coram eo: quoniam beata Virgo ab ipſo Deo immediate inſtructa angelis doctior eſt: vt igitur hoc myſterium doceat nos per gratiam ſuam, ad eius pedes prouoluti, ei offeramus. Aue Maria. *3.Reg.10 b*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VT libentius & gratius thematis verba cantemus non ſolum in fine cuiuſlibet pſalmi, ſed in fine cuiuſcumque operis, omnia Trinitati dedicantes, duo faciã in duabus ſermonis partibus. Primum eſt oſtendere qualiter antiqui hoc cecinere carmen. Secundo autem carmen iſtud enodabo, vt nos illud ſapientius propalemus. *Diuiſio.*

PRIMA PARS.

FATEMVR equidem quòd chriſtianis non eſt Deus recens, neque adorant Deum alienum ab illo, quem colebant patriarchæ, prophetæ, atque omniũ cœtus antiquorum, quibus ait Dominus: Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. Et infra: Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. Primum feſtum dicitur paſcha: ſecundum penthecoſtes: tertium ſcenophegia. Primum colebant in memoria tranſitus ex Ægypto: ſecundum autem in memoria legis datæ in monte Sinai: tertium vero in memoria tabernaculorũ, in quibus tot annis patres antiqui demorati ſunt. Sed nũc in hac præclara feſtiuitate, harum trium ſubſtantiam complectimur: quoniã illi Trinitatem ſequebantur figuraliter, dicentes: Ibimus viam trium dierũ in deſerto. Tres dies, tres ſignant perſonas, tamen vna eſt via, vna eſſentia Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus: per ipſum, & in ipſo, *Pſ.80. b* *Exo.23. b* *Exo.34. c* *Feſta tria antiquorũ.* *Exo.15. a* *Exo.34. a* *Exo.3. f* *Act.17. f*

& cum ipſo: per Patrem in Filio cum Spiritu ſancto. Deſertum quo imus nunc fides chriſtiana eſt, qua nos oportet ſenſus deſerere, immo & rationem naturalem: quia dicit Ambroſius: Tolle argumentum, vbi fides quæritur. In hoc ergo deſerto fidei, qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Deſeramus ergo nos verbo Domini ducendos in fidei deſerto, ſubijciẽtes omnem intellectum in obſequium Chriſti. In hoc ſancto deſerto fidei rationem ipſam Deo immolamus, abnegantes omnem humanã ſcrutationem: & iſta abnegatio, & ſubiectio æquiualet ſacrificio Abraæ, qui filium dilectum immolare decreuit, quamuis in oppoſitum de pueri ſucceſsione haberet promiſsionem: tamen contra humanum iudicium credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Felix qui ſacrificat filium, id eſt, intellectus indaginem, confitendo Trinitatem. Primum ergo feſtum in deſerto celebratum fuit Paſcha, & interpretatur tranſitus Domini: nam ſignificat perſonam Patris, qui per creationem tranſtulit nos ab Ægyptiacis tenebris, & ab illis maioribus, de quibus dicitur: In principio creauit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi: & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Hic in opere creationis vniuerſi, totius Trinitatis fit mẽtio: quia creauit nos Deus Pater in principio, hoc eſt in Filio: quoniam, vt ait Auguſtinus: Filius eſt ars omnipotentis Dei, plena omnium rationum formalium. Et ſpiritus Domini venit ſuper materiam primam, fouens eam. Quamuis creatio mundi, totius Trinitatis ſit opus, tamen tribuitur Patri: quia perſonæ Patris nil aliud præſupponitur, ſicut nec ipſi creationi, cui ſolum nihil præcedit, quod eſt tenebræ exiſtentes ſuper faciem abyſsi, ex quibus Pater ęternus tranſtulit nos per creationem ad eſſe naturale, vt nos lucis ſuæ, quæ erat in columna, conſortes faceret: & per fidei deſertum in terram viuentium duceret omnibus promiſſam: Quia vult omnes homines ſaluos fieri. Paſcha ergo, hoc eſt tranſitus Domini, ad Patrem pertinet: qui ſua maxima potentia nos fecit tranſire de non eſſe ad eſſe, & ad bonum eſſe.

Ambr. lib. 1. de fide c. 5. circa finẽ to. 4. — *2. Cor. 10 b* — Fides eſt ſacrificium. — *Rom. 4. a* — *Gen. 1. a* — *Aug. 6. de Trin. c. 10. to. 3.* — Creatio tribuitur Patri. — *1. Tim. 2. b*

Secundum feſtum eſt Penthecoſtes, & quia ibi data eſt lex, Filium Dei ſignificat, qui dedit nobis legem diuinam:

nam vt ad terram pertingas, prius neceſſe eſt ad agnitionem Dei peruenire: quia terra viuentium terra illius eſt. In hoc feſto Deus deſcendit ad montem: quia condeſcēdit in lege ſua, quamuis alta ſit ad nos. In hoc feſto Deus in caliginoſa nube apparuit, quia Filius Dei noſtræ humanitatis caliginem intrans, legem prædicat in monte Euangelij. Ibi tonitrua, & fulgura viſa ſunt: quia comminationes gehennæ fecit contra incredulos, ne legē irritam faciant contemnentes. In monte etiam Euangelij ſicut in monte Sinai, pepercit Deus hominibus factus eorū amicus. Aliud dicitur ſcenophegia, & eſt feſtum tabernaculorum, Spiritum ſanctum repræſentans, qui eſt vmbraculum diei ab æſtu, & operit multitudinem peccatorū, non ſolum exiſtentem in nobis, ſed venientem cōtra nos: nam interponit ſe, nosq. ſibi præparat habitacula. In hoc deſerto fidei demoramur in Spiritu ſancto, & ipſe in nobis, vt nos cognoſcere faciat, quòd ſumus tamquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo non habentes aliud refrigerium quàm vmbram eius, ſub qua viuimus inter gētes: & pro releuando tædio fructus ſpiritus eſt dulcis gutturi noſtro: nam vmbraculum iſtud arbor fructifera eſt: & ex viridi ligno conſtat tabernaculum Spiritus ſancti, ſicut & in deſerto fieri conſueuit. Habes ergo quòd creatos a Patre erudit Filius, & protegit Spiritus ſanctus, vbi ſunt tria feſta, ſcilicet creationis, eruditionis, & remiſsionis. Fuerunt igitur vmbratiles illæ feſtiuitates, quarum hæc præſens eſt veritas, vbi ter in anno aſcendimus in Ieruſalem, id eſt, viſionem perfectam, Dei Trinitatem confitentes, quæ eſt annus tribulationis diuinæ tam fertilis, quòd ipſe ait: Ego merces tua magna nimis. Antea non erat viſio manifeſta: ſed iam poſtquam nota fecit nobis Chriſtus quæ Patris erant, viſionem perfectam aſcendimus per deſertum quamuis non conſummatam, vt in gloria. Ideo enim Ieroſolyma interpretatur viſio perfecta, vel conſummata. Si ergo figura huius feſti tanto præconio colebatur, quòd omnes conuenirent, & nemo vacuus in conſpectu Domini, ſed lætantes, & nouis veſtibus induti, quanto amplius ac celebrius deberet hoc agi feſtum, vbi ſimul illæ tres feſtiuitates iunguntur? In primo igitur trium dictorum feſto dicebant gloriam Patri;

Spiritus ſanctus dicitur vmbraculū diei.

Pater creat, Filius alit, & Spiritus ſanctus protegit.

Gen. 15. A

Ieroſolyma quid.

In quo feſto dicatur: Gloria Patri,& Filio, & Spiritui ſancto.

in ſecundo gloriam Filio: in tertio gloriam Spiritui ſancto. Si ergo illa feſta tanto concurſu populorū & tam multiplici ſacrificio,& fumigatione,& oblatione ſunt celebrata,tantoq. muſicorum genere, cur hoc feſtum tranſit in ſilentio? ſi etiam feſtum corporis Chriſti, aliaq. id genus tanta veneratione colit Eccleſia, cur hoc non ſic? nam eſt origo feſtorum omniū: cetera enim ſunt velut riuuli huius immenſitatis. Et ideo hoc eſt ſabbatum ſabbatorum, & ſabbatum delicatum. Nam ſi in ceteris feſtis Dei bonitas nobis communicatur, etiam in hoc plus datur, quia diuinis perſonis & totaliter tribuitur, ex quo amplius eſſet gaudendum, ſi Deum vere diligeremus. Si autem dicas, quòd cetera feſta magis ad nos faciunt, quia in Reſurrectione reſurgimus cum Chriſto, in Aſcenſione pariter mente aſcendimus, in Spiritu ſancto paraclitum conſolatorem expectamus, quamuis hoc ita ſit, plus facit quidem ad nos hoc Trinitatis feſtum: nam quidquid pater dedit filio, filius contulit nobis. Et omne quod datum eſt Spiritui ſancto etiam dedit nobis. Immo & ſunt aliqui doctores tenentes, quòd ſi ad intra non eſſet communicatio, minus inueniretur ad extra collata creaturis: multum ergo habemus a Trinitate, quia non ſolum in ea baptizati ſumus, iuxta id: Ite,docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In ea pariter ſumus creati, & ad ſignaculum, & ſimilitudinem eius facti: nec eſt aliqua res tam ſimilis nobis ſicut beata Trinitas. Si animam tuam videres, certe tranſlationem Trinitatis inuenires: ex quibus magis in huius feſti amorē deberemus accendi, quia Sapiens monet nos, dicens: Fili in manſuetudine ſerua animam tuam: & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Nil honoratius eſt in nobis imagine Trinitatis, quam honoramus ſecundum meritum & naturam ſuam, quam accepit a Trinitate dicente: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Vox trium ſonat dum dicitur, *faciamus*, & vnitatem exprimit dum dicit, *noſtram ſimilitudinem*. Vbi nota, quòd omnia fecit Deus inquantum vnus: ideo enim philoſophi in cognitionem vnius Dei deuenerunt, non autem Trinitatis: quia inquantum vnus Deus condidit viſibilia, ex quibus Dei cognitio-

Iſa.58. d *Matt.28. d* *Eccli.10. d* *Gen.1. c*

Deus facit omnia inquantum vnus.

cognitionem ſcrutabantur: tamen angelos, & homines videtur creaſſe Deus inquantum trinus, quia angelorum officia tria ſunt, pariter hierarchiæ: & anima hominis trina eſt in potentijs, vna in eſſentia. Quamuis ergo tota Trinitas vniuerſa condiderit: quia nos creando amplius explicuit ſe: dum cetera creat Deus, non loquitur de ſe, ſed de ipſis creandis: dum autem venit ad hominem prius quàm eum crearet, ſe trinum oſtendit, dum ait: *Faciamus &c.* Ideo hoc feſtum magis noſtrum eſt quàm omnium aliarum creaturarum, quæ omnes dant gloriam Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nos eam ſpecialiter debemus: ideoq. vel ſæpe in anno, vel nunc celebrius deberet agi hoc feſtum: ſed in huius rei fœnore ordinauit ſinodus Nicæna, vt quotidie frequentiſsime repeteretur thema, diceremusq. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Hoc de primo ſufficiat.

Deus creãs nos explicuit ſe.

SECVNDA PARS.

NVNC in ſecunda parte de ſenſu verborũ agendum eſt. Vbi aduerte, quòd quidquid applicatur Deo, ſecundum altiorem ſignificationẽ debet ei aptari: nam quod purius & altius eſt in rebus, participatio quædam eſt deitatis: vnde merito dixit Chriſtus: Neminem bonũ niſi ſolum Deum, propterea quòd ſi bonitas eſt, in rebus accommodata eſt, & ab ipſo rerum artifice collata: vnde quãdo per indagationem creaturarum Deum quærimus, per id quod ab eo purius habẽt, quærendus eſt: vt ſic de ipſo faciendo ſermonem, reddamus ei quod dedit nobis, vt Dionyſius notat, de diuinis nominibus loquẽs. Iam ergo altior ſignificatio huius nominis gloria (nam multa ſignificat) eſt diuina eſſentia, de qua Paulus ait: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Hoc dictum Apoſtoli ſi communiter capiatur, etiã de fure, qui cũ Chriſto eſt crucifixus, intelligi valet, quod non eſt opus ab omni fateri lingua, ſed altius intelligẽdo: omni lingua & non qualibet, ſed ignea opus eſt ad narrationem tanti myſterij, & quòd hæc lingua e cælo deſcendat, & etiã de cælo Trinitatis, quia huius eſt myſteriũ, de quo loquimur. Solummodo omnis lingua Spiritus ſancti

Mar.10.c

Phili.2.b

Ignea lingua Deum explicat.

dicere poterit qualiter Ieſus Chriſtus Dominus noſter eſt
1.Cor.2.c in gloria Dei Patris: Quia ſpiritus ſcrutatur etiã profun-
1.Io.1.b da Dei, ceteris creaturis abſcõdita: quia propterea Ioannes dixit, quòd in Deo tenebræ non ſunt vllæ, tamen ſunt in omnibus alijs, quia etiam ſeraphim velãt faciem, quatenus eorum notitia non omnia comprehendit myſteria
Iſa.6.a Trinitatis, quamuis dicant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum. Nec mirum, quòd non ex toto
1.Tim.6.c capiant: Quia Deus lucem habitat inacceſsibilem, vbi nemo nouit ex toto Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius: & ſic perſonæ diuinæ ad plenum ſe norũt:
1.Cor.13 a quia in ſolo Deo tenebræ non ſunt vllæ. Si ergo linguis hominum eloquentium loquar & angelorũ, explicare minime potero, qualiter Dei Filius eſt in gloria Dei Patris: niſi adſit omnis lingua quæ diſpartita in Apoſtolos deſcẽdit. Eloquentia Spiritus ſancti dicitur omnis lingua, quia omnem habet virtutem, omnia proſpiciens.

Iſte ergo ſcit qualiter Filius eſt in gloria Dei Patris, quæ eſt eſſentia Patris æterni non ab alio ſibi præſtita, aut communicata. Gloria ergo Dei Patris eſſentia eius eſt, gloria, inquam ſuperior, gloria maior, gloria quæ poſteriores glorias continet, atque tribuit: quoniam ab hac ſu-

Gloria Dei eſt eſſentia eius.

Iſa.66.d periori gloria ſic effluunt ceteræ, vt Iſaias dicat: Delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. Væ nobis affluentibus
Prou.8.d voluptatum delicijs, quæ nõ dant locum ei: Cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominũ. Omnimoda ergo dicitur gloria Dei, figurata in manna omnis ſuauitatis contentiuo. Tanta eſt gloria hæc vt in reliquijs eius diues poſſet fieri homo, atque angelus, & multiplicari gloria domus eius:
Iſa.6.a nec mirum quia vt aiunt ſeraphim: Plena eſt omnis terra gloria eius, quam cæli capere nequeunt, quia pleni ſunt cæli & terra gloria eius. Attendite fratres prodigium nouum, & mirabile dictum: quoniam gloria hæc adimplens omnia, fugit intellectum noſtrum, non intrat in eum, anguſtus enim eſt. Quis intellectus ſcrutari ſufficiet, qualiter Dei eſſentia occupat omnia? qualiter non ſit locus, qui ſe abſcondat ab ea? qualiter ſit in cælo, & in terra, & in omnibus abyſsis? De quo miratus propheta dixit:
Pſ.131.a Si aſcendero in cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habita-

uero

vero in extremis maris, &c. Ecce quo modo vbique eſt gloria hæc, & tamen noſter intellectus nihil de ea ſcit. In hoc negotio ſe habet noſter intellectus ſicut oculus noctuę ad lumen ſolis, quæ ſtatim clauditur, ſic ad hanc gloriam clauditur noſter intellectus, nec eam poteſt videre, immo nec inueſtigare. *Ariſt. 2. metaph. cõ tex. 1.*

Vnde gloria hæc ſemper hominibus eſt oſtenſa in nube: primo in deſerto Sin, vbi dicitur: Reſpexerunt ad ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. Sin interpretatur rubus; & eſt pater æternus, cui primo eſt gloria, quia primo dicimus: *Gloria Patri*. Nec miremini fratres, quòd pater diuinus ſignetur in rubo: quia ſcriptum eſt: Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non cõbureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam. Magnum quid latet in rubo, ad quem eſt confugium, & refugium omnium animantium minimorum. Iam ergo rubus eſt pater æternus, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, in quo apparet Dominus filius, & eſt ibi flamma ignis, qui eſt perſona Spiritus ſancti. Nec mirum quòd rubum incombuſtam dicat Eccleſia beatam Virginem propter inuiolatam virginitatem ſuam: quia eadem ratione hoc totum conuenit patri, qui etiam virgo ex ſe filium genuit ex vtero ante luciferũ, & ante omnem creaturam, & ante ſæcula. Ignis qui ſuperuenit in Mariam, & Apoſtolos Spiritus ſanctus eſt. Apparuit in rubo Dominus: quia filius apparet in patre, hoc myſterium prædicans: & in perſona totius Trinitatis, dicit propheta eodem loco: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Iacob. Tres iſti patriarchæ Trinitatem præ ſe ferunt, pater eſt Abraam, qui etſi multarum gentium, tamen filium dilectum non vi coitus, ſed vi fœcunditatis genuit: vt aduerteres patrem æternũ non modo humano, ſed diuino genuiſſe filium ſuum chariſsimum, qui pater etiam eſt orbis terrarum, & pluuiæ pater, alio tamen modo. Iſaac ſic filium Dei repreſentat, quòd non ſit opus expoſitione. Iacob autem amore feruidus figuram tenet Spiritus ſancti, qui peregrinus effectus duas accepit vxores Lyam, & Rachel: quoniam Spiritus ſanctus in mundum veniens, & ſinagogam, & Eccleſiam fœcundauit.

Apparitio prima gloriæ Dei. Exod. 3. b

Exod. 3. a

Rub⁹ quid ſignificet.

Trinitas in rubo. *Exo. 16. c*

Filius, & Spiritus ſãctus repræſẽtãtur per Iſaac, & Iacob.

Et vide-

Et videtur ſibi pauci dies, quos ei tribuit præ amoris magnitudine, donec omnes ducat in terram ſuam, vbi non
Apo.21.g eſt dies neque nox, neque egent ſole, neque luna, quia lucerna eius eſt agnus.

Apparitio ſecuda gloriæ Dei. *Exo.40.d* Secundo autem apparuit gloria Domini, vbi dicitur: Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij: & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate Domini corruſcante. Tabernaculum eſt ipſe filius Dei, tabernaculum non manu factum,
Apo.21.a id eſt, non huius creationis, de quo Ioannes ait: Audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. De throno paterno dicitur vox dans teſtimonium filio commoraturo apud nos: vt abſtergat omnem lacrymam ab oculis eorum qui anxie optabant aduentum eius. Ergo Dei filius eſt tabernaculum teſtimonij, qui de patre ſuo dicit nobis, quæ credenda ſunt, & de Spiritu ſancto: quia propterea etiam dicitur tectum fœderis, & tabernaculum fœderis: amicitia enim, & amor patris ad filium, ipſe Spiritus ſanctus eſt, qui dicitur nexus amborum. Gloria ergo Domini, id eſt, patris eſſentia, implet tabernaculum iſtud, quæ eſt eadem in filio & in patre: ideoq. dicimus: *Gloria Patri, & Filio*.

Apparitio tertia gloriæ Domini. *2. Paral. 5.d. & 7. g* Tertio autem apparuit gloria Domini eo tempore, quo primum introducta eſt arca Domini in templum Salomonis: ideo enim dicitur: Compleuerat enim gloria Domini domum Dei. Potentia producendi exhauſta eſt in productione Spiritus ſancti: ideo ibi dicitur gloria Domini completa ſuper arcam fœderis, vbi etiam tota Trinitas figuratur, ſed præcipue Spiritus ſanctus: nam arcæ coopertorium vocabulo dicitur propitiatorium, de quo reſponſa populo nunciantur, & propitius eis erat Deus. De ſpiritu ſuo dat nobis Deus dona & gratias ſeptiformes velut de arca. Nec mirum quòd ſit Spiritus ſanctus propitiato-
Rom.8.e rium Patris & Filij ad nos: pro quibus clamat gemitibus inenarrabilibus. In arca iſta, quæ Spiritus ſanctus eſt, tria reperies, virgam, id eſt emanationem, qua egreditur a patre & filio: hæc virga egreditur de radice Ieſſe, id eſt, de incendio diuini amoris, de ardenti voluntate diuina. Et ſunt tabulæ duæ, vbi mandata Dei & proximi continentur:

tor: quoniam Spiritus ſanctus ſcit omnia neceſſaria & contingentia, vt Apoſtolos omnia doceat. Et eſt manna conſolationis, quoniam qui eum guſtauerat, dixit: O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! Super arcam, ſiue ad latus eius, erant duo cherubim, pater ſcilicet, & filius verſis vultibus in propitiatorium, & ſuper illud expandentes alas ſuas, quoniam totus pater, & totus filius intendunt totis viribus producere Spiritum ſanctum: & tamen dicuntur expandere alas ſuas ſuper eum, eumq. obumbrare: quia & manet in eis, & eum cooperiunt & abſcondunt: nam cooperitur ſpecie linguarum, & in forma ignis, & in nube figuratus. Super arcam ergo apparuit gloria Domini: quia Spiritui ſancto eſt eadem gloria quæ Patri, & Filio: vnde propterea canimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* His tribus viſibus, quæ apparuit gloria Domini, viſa eſt in nube ſemper, & non facile: nam oportuit ad ſolitudinem reſpicere, eam videre cupientes. Qui enim manent negotijs ſæcularibus implicati, nec ſenſus carnis relinquere cupiunt, minime eam poterunt contemplari. Secundo dicitur apparuiſſe poſtquam omnia perfecta ſunt: nec enim imperfectis licet tam ardua rimari, niſi omnia prius perfecerint inferiora, quæ ad Martham ſpectant. Tertio autem apparuit ſuper arcam non vbicumque, ſed quando erat in locum ſuum quietiſsimum collocata: quoniam a tumultu cogitationũ oportet etiam ſeparari, ſi cupimus nunc contemplari gloriam Dei.

Sap. 12. a

Deus non facile videtur.

Si forſitan quiſpiam dicet: Qualiter gloria Domini viſa eſt in caligine aut nebula, cum quotidie videamus nebulam totam terram tegere? eſt ne Dei eſſentia lata, vel extenta ſicut nebula? Huic quæſtiunculæ ſilentio videri meo reſpondendum eſſet, quoniam ſapiens ait: Scrutator maieſtatis opprimetur a gloria. Quod patuit in Thabor excelſo monte, vbi nubes quæ tabernaculum Dei operire ſolebat, & ibidem videri, apparuit iam clarior, & lucidior: quia manifeſte coruſcant myſteria Trinitatis, & lucidius ſolito: vbi namque videtur filius in carne aſſumpta, auditur pater in voce prolata, & Spiritus ſanctus aduenit in nube lucida. Petrus autem ſcrutator maieſtatis concluſerat intra ſe, atque dixerat tria tabernacula conſtruenda, ac ſi perſonæ eſſent diuiſæ, aut diſcordes: ideoq. oppreſſus eſt a

Deus quomodo ſit vbique.

Prou. 25. d

Matt. 17. a

eſt a gloria cum alijs mortalibus & ceciderunt ſuper faciem, donec dictum eſt eis: Ego ſum; quod eſt nomen Dei ſolius: Sed felix oppreſsio, ſi ſuper faciem propriam ſit, ſi ad ſui notitiam ſe homo conuerteret: memor enim quòd intraturus tabernaculum ſe lauare ſolebat in quadam magna pelui, quæ erat ad oſtium, ſpeculis mulierum circumdata: vnde qui voluerit fidei tabernaculũ per contemplationem intrare, abluet quidquid in ſe muliebre inuenerit, donec deſinat in carne ſua fieri muliebria.

Ibid. b

Noſce te deinde Deum.

Nebula tenet figurã Dei.

Act. 17. f

Damaſc. lib. 1. de orth. fide c. 12.

* *Mercurius Trimegiſtus in lib. diffinit. Dei.*

Sed vt amplius mireris aduerte, quòd nebula Dei eſſentiam figurabat, & tamen ſacerdotes, & Moyſes intrare potuerunt in eam, immo & nos in ea viuimus, mouemur, & ſumus. Quia, teſte Damaſceno, Dei eſſentia eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ. Et alius * dixit: Deum eſſe ſpheram intelligibilem, cuius centrũ eſt vbique, circumferentia vero nuſquam. Ergo omnes nos, & omnia, cælum, & infernus intra ambitum Dei ſunt, in eoq. cuncta velut piſces in mari natare dignoſcuntur, in eoq. accipiunt firmamentum ſubſtinentiæ. Dat exemplum beatus Auguſtinus de vita noſtra, in qua eſt corpus, & omne membrum hominis, qua ſublata omnia diſſoluuntur, & pereunt: vnde plus manent membra mundi minoris in hominis vita, quã in ſeipſis, aut corpore quod conſtituunt. Et ſic totus mundus & cælorum ambitus plus manet in Deo, quàm in ſe, magisq. firmantur in eo, quàm in mole ab ipſo conſtituta. Nonne ad oculum videmus congeries corporis humani tabeſcere deficiente vita? in ea enim magis quàm in toto compoſito firmantur humana membra, & ſic in Deo terra, & orbes ſtabiliuntur, ne pereant: ideoq. multi Deum vocauerunt animam mundi. Et ſane intelligendo, optime dixerunt, Dei enim eſſentia eſt ſuper omnes vitas, cunctaq. ſtabilire non ceſſat intus & foris: de quo miratus Auguſtinus dicebat de ipſo Deo: Extra omnia, & non excluſus: intra omnia & non incluſus: infra omnia & non deiectus: ſuper omnia & non elatus. Ex omnibus quæ diximus infero, quòd eſſentia Dei magis eſt eſſentia mea, quàm ea quæ dat mihi eſſe corporeum: & ſubſtantia Dei plus me ſubſtentat, quàm mea propria: vnde naturaliter quilibet appetit ſui permanentiam. Conſequenter etiam dæmones debent dicere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.*

ſancto. Nam ſi Deus non ſubſiſteret, nec dæmones viuerent: quapropter ſcire debent, quòd tenentur optime velle Deum viuere; ſicut homo tenetur bene velle cauſis ſuperioribus, & omnibus elementis, alioquin ex eorum pugna, & aeris infectione ſequitur mors hominis, ſed non niſi in corpore: ex incolumitate autem Dei vita ſequitur, & totius mundi, & animarum, & dæmonum, & angelorum. Habeo igitur gratias eſſentiæ Dei, quæ me magis tenet quàm anima mea, alioquin Dauid minime diceret: Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam, vt ſcilicet teneres opus tuum, ne corruat. Inſuper ſequitur, quòd vbique eſt Dei eſſentia, vt cunctis iuuamẽ eſſendi præſtet, & quòd vbique eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & tota Trinitas: quia ideo dicitur per Prophetam: Qui appendit tribus digitis molem terræ. Manus, eſt Dei eſſentia, digiti tres, ſunt tres perſonæ diſtinctæ inter ſe, tamen vnificantur in eſſentia, ſicut digiti in manu noſtra.

Dei ſubſtitutio, dæmonum eſt vita.

Pſ. 138. a

Iſa. 40. a

Quamuis ſint plures rationes ſuadentes eadem eſſe: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ſufficiat nũc iſtam adducere. Nam cum nihil boni deſit Deo, & ipſe pater gloriam ſuam vocet filium ſuum, ſequitur quòd in filio eſt eſſentia, quia pater eſt glorioſus: & ſic conſequenter de alijs perſonis. Deus pater dicit in Pſalmo: Gloriam meam in puluerem deducam, quod fecit, quãdo Verbum caro factũ eſt: Quia, teſte Salomone, gloria Dei eſt celare verbum, Dei eſt incarnare filium ſuum: vbi erat gloria eſſentiæ ſuæ. Filius etiam ait Patri: Tu es gloria mea: tu es ſuſceptor meus: tu exaltans caput meum. Tu es inquit gloria mea: quia tu es id, quod eſt eſſentia mea. Tu es ſuſceptor meus, quando in cruce dixi: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Tu exaltans caput meum in reſurrectione: quia illud inclinatum tenueram in paſſione. Smiliter & Spiritui ſancto dicitur: Exurge gloria mea: exurge pſalterium & cithara. Exurgit Spiritus ſanctus, quando animas facit exurgere ad cæleſtia, quia propterea in ſpecie ignis venit, qui ſurſum aſcendit. Spiritus ſanctus enim eſt currus igneus, quo ad cælum vſque oportet aſcendere. Et vocatur pſalterium, & cithara, propterea quòd quãdo venit ſuper Apoſtolos dulces fecit modos: Quia factus eſt repente de cælo ſonus, tam dulcis quòd

Perſona vni eſt gloria alterius.

Pſal. 7. b

Ioan. 1. b

Prou. 25 a

Pſal. 3. a

Pſ. 30. b

Pſ. 56. b

Sonus Spiritus ſancti optum' eſt.

Act. 2. a

quòd nulli cauſa tui comparetur, ſed ſi tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, id eſt, talis fuit ſonus, qualis decebat ſpiritui vehementi, qui mentes vehit dulciter ad cælum. Vnde in die Penthecoſtes ſignanter dicitur Spiritui ſancto: Exurge gloria mea: fac animas exurgere ad ſuauitatem tui cantus, qui melior eſt quàm vlla vox citharedorum cytharizantium in cytharis ſuis. Nemo igitur putet vox illa fuiſſe terroris, quia ſatis erant territi propter metum judæorum, ſed fuit ſonus ſonorus in victoriam: quemadmodum beatus Dauid cum cantoribus ſuis ſonare conſueuerat acute ac penetratiue ad mentis eleuationem, dum Spiritu ſancto plenus erat: & per ſuauem melodiam cupiebat eundem ſpiritum in alios transferre, ad quod ſpalmos omnes inſtituit. Si ergo gloria patris æterni eſt filius ſapiens, & pater in ſe pleniſsime glorioſus ſit, aperte conſtat hoc non aliunde proueuire, niſi quòd in filio eſt patris eſſentia. Qua de cauſa & inter diuinas perſonas ab æterno canitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Nec vlla creatura poteſt alteri dicere talia verba, qualia pater ad filium: quia nulla res includit eſſentiam alterius. Perfectius ergo atque ſublimius canitur thema inter diuinas perſonas quàm inter ſeraphim. Nos autem fratres ſperemus illud in cælo canere, adhoc enim decreuit Deus: Vt inhabitet gloria in terra noſtra, intus in corde noſtro: propter nimium amorem quo amauit nos. O bonitas tantæ gloriæ, cui ſi ceteras glorias conferas, erunt vt ſtercus terræ. Merito Domine Deus eſſentia tua dicitur currus gloriæ tuæ, quia quidquid extra illam gloriatur, mentitur iniquitas ſibi: quia glorioſum eſſe non poteſt. Hæc tua gloria Domine mi deſcribi non poteſt ob immenſitatem, ideoq. recte figuratur in propitiatorio raſo, atque exiſtenti ſuper cherubim. Efficit angelos ex hominibus huius gloriæ ſola oſtenſio, inſtanterq. poterit effugare omne quod repugnat beatitudini, ſi nuda fuerit oſtenſa. Hæc finxit omnia ad ſui honorem creatrix eſſentia, cunctaq. ad ſe reuocat. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis, qui non alio veſcuntur pane quàm diuino, nec in alio glorificantur, quàm in eo quo glorificatur Deus. Hanc nemo vidit vmquam, niſi vnigenitus Dei qui eſt in ſinu patris. Eſt tanta quòd inferni pœnam ſederet gloria hæc, ſi dam-

Pſ. 56. b

Apo. 14. a

Prou. 10. a

Pſ. 84. b

Exclamatio gloriæ.

Pſ. 149. a

Ioan. 1. b

ſi damnati cælis apertis viderent gloriam Dei. Nam ſi ſola angeli gloria in fornace fere paradiſum fecit, quid faceret gloria Dei? hæc tam lætiſsima eſt, vt canticum nouum ſemper putet verſum iſtum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Minui non poteſt gloria hæc, ſi tamen quis hoc intendat, omnia quæ fecerit, conuertentur in melius: ſic vt gloria Dei ſemper innouetur. O magnam rem, quòd ipſe Deus nemini amplius nocere valeat, quàm ſi ab inimico ſuo abſcondat gloriam iſtam: huius enim gloriæ abſconſio peior eſt, quàm inferni tormenta etiam ſempiterna. Fratres mei ſi ſunt cantica canticorum, ſi ſabbata ſabbatorum, nos de hac exclamantes, dicamus: O gloria gloriarum glorifica me, hæc tanta eſt, quòd perturbari nequit, vti perturbatur gloria ſtellarum. Quaſi vltimum, poſtquam multa petierat Moyſes, finaliter dixit Deo ſibi blandienti; Domine ſi tantum me diligis, oſtende mihi gloriam tuam. Cui ſtatim reſpondit Deus: Ego oſtendam tibi omne bonum, quaſi dicat rem maximam poſtulaſti. Rex ipſe Salomon in omni gloria ſua miſer nimium iudicabitur, ſi diuinæ gloriæ comparetur. Sola hæc Trinitas angelos, & homines ſatiat, & omnia implet bonitate. Te, o gloria beatiſsima plus tenemus, & minus oſtendimus: quoniam omnis gloria cuiuſlibet iuſti ab intus. Vna iſtius gloriæ gutta totam gloriam produxit, quæ eſt in campis: immo extingueret ſola gutta eius quamcumque inferni miſeriam, teſte diuite epulone. O Chriſtiani cauete, ne peccetis, quoniam peccatum etſi parum videatur vobis, infinite malum eſt: propterea quòd contra tantam gloriam perpetratur. Intime cogitate, quòd hæc eſt brauium, Martyres, Confeſſores, & Virgines acuens in prœlium. Vtinam & nos excitet tale præmium, quod liquide ipſe Dominus per Iob ſanctiſsimum cuilibet Chriſtiano repromiſit, dicens: Qui ſe humiliauerit, erit in gloria, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Dan.3. e

Gloriæ abſconſio inferni tormenta ſuperat.

Exo.33.d

Pſ.44.c

Luc.16.f

Iob 22.e

SERMO

SERMO
DOMINICÆ SECVNDÆ POST PENTHECOSTEN.

De Euchariſtia ex Euangelio præſenti, iuxta narrationem Matthæi.

THEMA.

Ecce prandium meum paraui, venite. Matth.22.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

1.Cor.4.a NVNC ſane, vt ait Paulus, quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Diſpenſator verbi Dei eſt prædicator. Solent autem diſpenſatores accipere ſibi optimam partem, plus & prius ac de melioribus cibis, alioquin iudicatur ineptus: ſi autem non comedit cibos, quos ceteris confert, infidelis iudicari ſolet, ac ſi in eis velut in olla *4.Reg.4.f* prophetæ eſſet mors ab eo poſita vel præſumpta. Væ autem nobis prædicatoribus, qui non prandium noſtrum, ſed alienum paramus in prædicatione populis. Si noſtrum eſſet, ex eo manducaremus, & prius quæ dicimus ore, opere cōpleremus, & meliora ſeparemus nobis, ac ſpiritualiora, immo & maiora. Si ergo prandium virtutum eſt ſermo prædicantis, tunc ſuum iudicabitur, quando non ſolum ex abundantia cordis, ſed operis os loquitur, quando ea quæ prædicat, comederit, quando ex eis ſaginatus vere probauerit qualem ſaporem habent virtutes, quas populo affert. Sed nemo eſt qui hoc, vt oportet, faciat ſine beatæ Virginis fauore: propterea enim dicitur doctrix diſciplinæ Dei: quia & eſt electrix operum illius. Nam *Luc.10.g* optimam partem operum Dei & virtutū elegit ſibi Maria,

Prandium virtutū eſt ſermo prædicantis.

quæ

quæ operata eſt, & prædicauit conſilio manuum ſuarum. Manibus quippe mater Dei prædicabat, & nos digito non volumus tangere quæ docemus niſi lingua tãtum: vt ergo recta prædicem, quæramus gratiam Spiritus ſancti, quam vt per Mariam aſſequamur, ei offeramus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

EVCHARISTIÆ ſollemnia nos compellunt, vt loquamur de illa, cui etiam aptiſsimum eſt Euangelium præſentis Dominicæ, ſed quia Lucæ narrationem iam ſæpe audiſtis, decreui eandem rem vobis proponere iuxta Matthæum, qui apertius, & longius enarrat nobis conuiuium ſanctum, ad quod omnes quotidie vocantur, & per ipſum Chriſtum dicentem: *Ecce prandium meum paraui*. Totus ergo ſermo erit ſeriatim ſuper illud Euangelium, quod incipit: *Simile factum eſt regnum cælorum, &c.* Auctoris intentio.

Huius Euangelij parabolam ad principes ſacerdotum & phariſæos Dominus direxit, in quibus proculdubio & noſtri ſacerdotes genus electum, & monachi figurantur: quapropter non ab re credendum eſt de ſacramento altaris eos inſtruxiſſe, quaſi de potiori eorum officio, vt vigilantiores eſſent, & cautiores in hac re. Sic ergo ait: *Simile factum eſt regnum cælorum homini regi*. Multiplici ſignificatione viget in ſacra pagina hoc nomen *regnum cælorum*, nunc autem ipſum cælorum artificem nobis repræſentat, de quo & alibi dicitur: Regnum cælorum vim patitur. Si modo cæleſti vixerimus, rapiemus hoc regnum: quia propterea dixit propheta: Regnum obtinuerunt ſancti. Si autem ad litteram intelligere mauis, quòd iſti cæli materiales, quos videmus, aliquod regnum habeant, etiam eſt ipſe pater Deus, de quo ſapiens ait: Species cæli gloria ſtellarum: mundum illuminans in excelſis Dominus. A patre luminum dicit prouenire cælis decorem, ſicut regi honorem a regno. Sed melius dicemus quòd pater eſt regnum cælorum, id eſt, ſanctorum virorum, nec mirum: Quia eſt pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: & diuites facti ſumus in illo. Qui ergo hunc patrem habet, regnum cælorum habet.

Regnum cælorum quale ſit.
Matt. 11. b
Dan. 7. d
Eccli. 43. b
2. Cor. 1. a

Ephes.2.b Nec difficile habetur: quoniam propter nimiam charitatem ſuam fit iam ſimilis homini regi permagnifico. *Homo rex Deus eſt.* Homo dicitur pater & rex, quia regalem humanitaté nobis vult exhibere, humaniſsime ſe habens ad nos: ſed quoniam habet filium ſibi chariſsimum, & vult nos ei tradere, immo & illum nobis: quia propterea fecit nuptias filio ſuo, vt nos inuitatos, & cognatos faciat: omnia enim propter electos, & quos elegit, hos & vocauit ad nuptias, ſcilicet ſacramentales, quarum prouinciam in hoc ſermone ſuſcepi. *Apo.19.b* De his ergo Ioannes ſic ait: Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe. Ecce ſponſus venit agnus Dei ad nuptias quotidie ſacramenti, quas Dei ſacerdos agit, quarum thalamus eſt altare: vbi exhibet ſibi Dei filius vxorem, quam acquiſiuit pretioſo commercio, *Nuptiæ Eccleſiæ.* & multo ſeruitio ac labore: antiquitus enim mariti emere ſolebant vxores. Chriſtus autem Dei filius, velut alter *Gen.29.d e f* Iacob plurima ſeruitute emit Eccleſiam vxorem ſuam, quæ nunc eſt Lya: poſtea vero in cælo erit Rachel formoſa valde, quando non habebit maculam neque rugam. Nunc Lya lippa eſt, quia videt per ſpeculum in enigmate *Sacerdos induit ſe omniũ neceſſitates.* fidei, maxime in hoc ſacramento, vbi ſola fides ſufficit. In perſona totius Eccleſiæ celebrat ſacerdos paranimphus: ideoq. debet viſcera eius, & pietatem, & penuriam *Sap.18.d* induere ſe: ita vt in veſte ſacerdotis totus ſit orbis terrarum, & parentum magnalia, & nomina filiorum Iſrael, id eſt, videntium Deum. Vnde & omnis Eccleſia ſanctorum iungitur in hoc ſacramento per induſtriam boni ſacerdotis. Sed forte dicet quiſpiam: Iam diu præceſſerunt nuptiæ in Chriſto, & Eccleſia. Iam in crucis thalamo conſummatum eſt matrimonium. Iam filios procrearunt. Pro reſponſo aduerte, quòd quando maritus multum diſtat ab vxore, puta qui eſt in Indijs, aut Hiſpania noua, & vxor eſt in veteri, tunc dies aduentus eius pro nuptijs computatur, & ſic eſt in præſenti; Chriſtus namque maritus Eccleſiæ abijt via longiſsima in nouam Hiſpaniam cæli, & reuerſurus eſt in domum ſuam: quo*Ioã.16.e* niam ipſe dixit: Iterum videbo vos, & gaudebit cor ve*Nauis eſt Euchariſt.* ſtrum. Sed vt citius veniat, mittit ei vxor ſua nuncium *Prou.31.d* ſacerdotem, & nauigium hoſtiam, de qua dicitur: Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.

Panis

Panis Eccleſiæ eſt ſponſus eius, qui ait: Ego ſum panis viuus, Panis mendacij multus eſt in mundo, & panis mortis, quo eodem die moriuntur comedentes. Vnde recte dicere valent: Comedamus & moriamur, ſiquidem anima, quæ peccauerit ipſa morietur. Chriſtus autem eſt panis viuus, qui non vult mortem peccatoris, id eſt, peccatum, ſed quòd magis conuertatur & viuat. Panis mortis eſt in cunctis viuis ſæculi: nam de ſuperbia dicitur: Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, morietur. De luxuria vero dicit Suſanna: Si hoc egero, mors mihi eſt. De auaritia, & gula dicit Iob: Cum ſe mouerit ad quærendum panem, nouerit quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Cum ſe mouerit, inquit, videlicet a Deo, vt contra eius legem quærat cibum, veluti Adam & Cain. *Ioan.6.e* *Iſa.22.d* *Eze.33.e* *Deut.17.d* *Dan.13.c* *Iob 15.d*

Sed videamus quid noui deferat ex noua Hyſpania Eccleſiæ ſuæ Chriſtus in Euchariſtiæ nauicula. Quid Domine mi afferes mihi pauperi in nullo alio ſpem habenti? Defero, inquit, primo omnia merita mea: ideo dicite inuitatis: *Prandium meum paraui, venite*. Prandium ſuorum meritorum parat nobis Chriſtus in hoſtia, alioquin dixiſſet: *Prandium* veſtrum *paraui*, quod quidem macilentum eſſet atque tenue, ſed nõ ſic; quia prandium ſuum parauit nobis. Quemadmodum enim Aſſuerus non inuitatos, ſed propriam contemplatus eſt maieſtatem in conuiuio permagnifico, quando vinum attulit, quod magnificentia regia dignum erat; ita vt non eſſet opus nolentes cogere ad bibendum, quoniam ipſius vini optima bonitas ſatis alliciebat. Sic in propoſito agnus Dei Deus non noſtrum, ſed ſuum parauit nobis prandium. Sed quod eſt, inquies hoc prandium tanta auiditate dignum? Hic eſt agnus Dei, hic eſt qui tollit peccata mundi, hic eſt qui vt ait Bonauentura totam Trinitatem ſatiauit, figuratus in vitulo illo, quem tribus angelis dedit Abraam, quo eis paraſidem adimpleuit. O beatiſsime agne Dei Ieſu: quoniam ipſe ſaturaſti patrem ſatisfactione noſtrorum delictorũ, & filium Dei fratribus ſatiaſti, vt qui ſolus naſcitur, plures haberet regni conſortes, & Spiritum ſanctum eructare feciſti charitate tua: quoniam pro nobis eum nimis dilexiſti, quod nos nõ poteramus, adimpleſti. Eſt ergo tam magnus *Prandium.* *Eſth.1.b* *Ioan.1.d* *Gen.18.b* *Agnus Dei Deu ſatiat.*

magnus agnus iſte Dei, cuius nuptiæ quotidie venerunt nobis in thalamo altaris, quòd multitudo filiorum Iſrael non ſuffecit ad eſum agni, nec multitudo legis naturæ, nec multitudo Chriſtianorum Eccleſiæ: vnde hos tres ſtatus inuitat rex ter in præſenti Euangelio ad agnum edendum, quia occiſus eſt, vt ait Ioannes, ab origine mundi, vt omnium peccata deleret, & quotidie venit accenſus & aſſus amore, vt tollat peccata mundi. Saturitas abundans ſuorum meritorum ſupplet egeſtatem & penuriam ſeptem annorum, & totius vitæ decurſus. Tantus eſt agnus iſte, ſponſus, & cibus meus, vt orans dicam Deo: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion. Per manſuetudinem Dei fratres attendite ad agnum Dei Chriſtum eius, qui mitis & humilis corde per benignitatem, dominator eſt totius terræ, quamuis ei non deſit petræ fortitudo: quoniam de petra deſerti, de deitate paterna venit, cui myſterium tribuitur ſacramenti propter difficultatem operis, quia hoc opus, vt ait Thomas, difficilius eſt opere creationis, & patri poteſtas tribuitur: vnde vt filius hoc notaret, dixit: Pater meus dat vobis panem de cælo verum: quamuis ipſe filius hunc det panem. Ad montem ergo filiæ Sion agnus mittitur, qui eſt ſacerdotalis dignitas, quæ ſolũ reſidet in filia Sion Eccleſia: de quo monte a beſtia non tangendo dicitur: Faciet Dominus omnibus populis in mõte iſto conuiuium pinguium, cõuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, id eſt, ſanguinis iam glorioſi. Quia in monte hoc ſapiẽtia ædificauit ſibi domũ: excidit columnas ſeptem, ſcilicet ſeptem Eccleſiæ ſacramenta: de quorũ primo ſequitur immediate: Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam. O mons qui ſtas erectus in vertice montium ſacerdotalis dignitas, quæ ſuper Dominum cælorum habes poteſtatem altiorem quàm Papa in terra, & quàm ſeraphim in cælo: quoniam Papa inquantum talis non habet poteſtatem niſi ſuper corpus myſticum, & ſacerdos etiam ſuper corpus Chriſti verum, & angeli omnes non valent ipſam Chriſti perſonam adducere nobis ſicut ſacerdos, qui verbo conſecrationis penetrat cælos & angelos, Dominumq. cælorum facit aduenire.

Apo. 13. b | *Iſa. 16. a* | Euchariſtia eſt Deo patri. | *Ioan. 6. d* | *Iſa. 25. b* | *Prou. 9. a* | Dignitas ſacerdotis eſt mons.

Vinum

Vinum vindemiæ defecatæ, & meriti, & glorioſi non videtur indigere mixtione, aut alterius liquoris ſocietate: ſed agnus gregis ductor ſocietatem non aſpernatur, aliorumq. opes ad noſtram ſalutem inquirit: nam & in horto Gethſemani fertur dixiſſe: Vigilate, ſuſtinete, & orate mecum. O manſuetudinem humillimam Ieſu Chriſti, qui eſt inter mortuos liber, & ſolus potens nos liberare: tamen per humilitatem coadiutores noſtræ ſalutis quærit, caput noſtrum coaptans ſibi membra ſua. Ne ergo dicant hæretici nulla eſſe nobis ſanctorum merita, nec ex eis Eccleſiam vllos habere theſauros, quia de theſauris coadiunctis Chriſto in Euchariſtiæ naui ſequitur: *Tauri mei, & altilia occiſa ſunt, venite*. Tauri qui fortes facti ſunt in bello, martyres Chriſti ſunt, qui caſtra verterunt tyrannorum, immo & imperatorum. Altilia per contemplationem volantes ſunt confeſſores deuotione, & ſpiritus dulcedine ſaginati, & in ara pœnitentiæ oblati Deo. Horum omnium fructus & meritorum reliquiæ ſunt admixtæ, & iūctæ calici Saluatoris: quia ideo miſcuit vinum. Nec mirum: quia, vt ait Chryſoſtomus, martyrum neces, populi ſacrificia ſunt. Et forte nunc ideo non eſt bene actum nobis: quia deſunt talia ſacrificia. Vtinam eſſet qui cum Apoſtolo diceret: Ego impendam & ſuperimpendar pro animabus veſtris. Merita ergo martyrum ſunt in calice ſalutari, & confeſſorum, & virginum, quæ etiam ſignantur in auibus ſaginatis non corpore ſed mente. Mi Domine quid amplius affers in tua naui nobis ex illa noua Hyſpania? nunc aduerte, quòd in duobus præcipua veterum ſacrificia conſiſtere videntur, ſcilicet in animalibus, & auibus, & denique in ſanguine omnia mundabantur: Et ſine ſanguinis effuſione non fiebat remiſsio. Omnis autem illius ſanguinis virtus etiam eſt in calice, quia vt ait Dauid: Inclinauit ex hoc in hoc, ex veteri in nouum. Vnde poſtquam dixit ipſe etiam propheta: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi, ſtatim addidit: Calicem Saluatoris accipiam, vt tibi Domine ſacrificem hoſtiam laudis. Ecce quo modo plus valet calix noſter, quàm cetera quæ dederat antiquis: quoniam & hic in hoc ſacrificiorum veterum implετiuo eſt virtus eorum. Melius tamen dicendum arbitror,

[Margin notes: Vinum Euchariſtiæ. — *Matt.* 26. *d* — *Heb* 11. *g* — Tauri & altilia ſunt martyres & cōfeſſores. — 2. *Cor.* 12. *e* — *Heb.* 9. *f* — *Pſ.* 74. *b* — *Pſ.* 115. *a* — Calix eſt potior antiquis ſacramentis.]

quòd nos non ex eis accepimus incrementa, ſed ipſi ex nobis, Deus enim dixit: Sanguinem hircorum, & taurorum nolui, nec ex eis manducaui, nec bibi. Quare Domine dicis, nolui, ſi nolo dixiſſes, crederemus tibi, quia omnia illa tranſierunt tamquam vmbra, tamen tempore ſuo placuerunt tibi: alioquin non præciperes talia ſacrificia. Minime inquit Deus, placuerunt nec volui ea per ſe, niſi inquantum præ ſe ferebant, & figurabant ſanguinem agni immaculati ac diuini. Non ergo res ab vmbra ſua emolumentum accipit, ſed vmbra ab ipſa re ex qua cauſatur, nec ab vmbra corpus pretium ſumit, ſed vmbra a corpore. Nos ergo habemus corpus Christi, illi autem tantum vmbram, & ſicut virtus adorandi crucem ſtat in illo reſpectu quem habet ad Chriſtum & non in ſolo ligno, ſic valor ſacrificiorum non erat in eis, ſed in reſpectu, quem habuerunt ad ſanguinem Chriſti: tamen ſunt in Euchariſtia omnia vetera ſacrificia velut in complemento ſuo & fine, ſicut lineamenta prima & rudiora ſunt in ſuperueniente figura, quæ ſuper lineamenta curioſe & pulchre perficitur. Dici etiam poteſt quòd in altari ſunt occiſi tauri Dei, id eſt, iuſtitiæ auſteritates, & minæ: quoniam agnus eſt qui ait clementer: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, quia miſereor ſuper turbam: venite, ego reficiam vos meipſo. Tollite iugum charitatis meæ ſuper vos, vt iuncti ſimus in ea. Habete veſtem nuptialem, vt nubat anima veſtra mecum. *Altilia mea* vobis parata ſunt, quia cæleſtia vobis, & non terrena dare cupio. Quatenus non ſolum comedatis bona terræ, ſed cæli.

Iſa. 1. a

Res nō ab vmbra, ſed vmbra a re emolumētū accipit.

Matt. 11. d

Omnia parata ſunt, venite. O grande verbum, *omnia parata ſunt:* numquid Deus paratus eſt? ſane quidem; nam ille eſt omnia, quia ipſe cuidam amico ſuo dixit: Merces tua magna nimis: Ego oſtendam tibi omne bonum. Et beatus pater Franciſcus Deo dicebat: Deus meus & omnia: Deus meus & omnia. Deus ergo paratur nobis in altaris menſa, dum proportionatur paruitati noſtræ, & ad modum noſtrum fit. In cælo autem pro angelis non ſic, nec paratur eis videntibus eum, ſicuti eſt in propria forma Dei, ac ſi dicerem, crudum, & prout eſt in ſua natura. Imparatum ergo ſe confert Deus angelis, & nobis

Deus eſt omnia.

Gen. 15. a
Exo. 33. d

nobis ſe mille ambagibus concinnat: in tantum, vt ipſi angeli concupiſcant videre quæ in hoc ſacramento pro nobis operatur Deus, qualiter ſe concinnat, & præparat, qualiter ſe diſponit, prout decet inuitatos eum comedere. Dixerat enim Deus: Non videbit me homo, & viuet. Ergo multo minus poteramus eum viuentes comedere, niſi præpararet ſe tali modo vt non videntes eum, frueremur eo, amplecteremur eum non tangentes ipſum, ſed velut inuolutum velamine comedentes, donec releuata facie gloriam Domini nudam ſpeculantes cum angelis in cælo, in eandem imaginem transformemur. Nec miremini fratres, quòd ſic ſe conferat nunc nobis Deus noſter, quoniam ſcriptum eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Aquas gratiarum velut furtiue confert nobis Chriſtus in hoc prandio: immo & ipſemet velut furtiue a cælo venit panis abſconditus, ſic ſecrete vt nec angeli deprehendant eius abſentiam: neque enim eſt abſens ei, dum venit ad nos ſuauior panis abſconditus. Vtinam nunc lætetur in abſcondito cor noſtrum, ſcrutans qualiter paraſti in dulcedine tua pauperi Deus teipſum. Attendite fratres quoniam ſuauis eſt Dominus vniuerſis, ſuauior tamen eſt nobis quàm angelis; quia ſe nobis concinnando plura miracula facit, quàm ſe angelis in cælo apponendo: immo ibi nulla, hic autem multa, vbi & omnia præcedétia renouat mirabilia. Igitur opera tua Deus & anima mea cognoſcet nimis, quamuis carnalis ſenſus hæc non attingat. Omnia denique ſunt ſecrete parata in hoc ſacramento: ſicut ſapores in manna erant abſconditi, ad quod intrat ipſe Deus, vt videat diſcumbentes, ſi decenter ſunt & ipſi parati: quoniam felices qui parati ſunt occurrere illi.

Exo. 33. d Deus quomodo ſit in hoſtia. *2. Cor. 3. d* *Prou. 9. d* Angeli nõ ſentiũt abſentiam Chriſti. *Pſ. 67. b* *Pſ. 138. c*

Præparat ſe Deus nobis, vt nos præparemus ei, quoniam ad agni nuptias vxor eius præparauit ſe. Et prudentes virgines ornauerunt lampades ſuas, vt exirent obuiam ſponſo. Non ob aliud rex inuitauit per ſe, qui erant poſtea vocandi per nuncios curſores ad prandium, niſi vt interea præpararent ſe, & quærerent ſibi pro regis honore veſtes nuptiales, ne poſtea ſtupentes audirent: *Amice quo modo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Magnam incurrit pœnam ſacerdos, dum ſine ſtola

Præparatio cõmunionis. *Matt. 25. a* *Matt. 22. b*

 commu-

communicat, & maiorem Chriſtianus quiſque ſi careat veſte charitatis in prandio amoris, quod ipſe amor præparauit nobis. Induit ſe mutatorijs Deus in hoſtia, habitu inuentus vt panis: & in ſimilitudinem vini ſe redigit aliena ſpecie veſtitus, vt nos meliora quæramus indumenta, nouamq. veſtem animabus noſtris imponamus, videntes hanc nouitatem, quæ fit ſuper altare ad vetuſtatem exuendam: nam ideo butyrum & mel comedit Chriſtianus in Euchariſtia: vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum indumentum gratiæ bonæ.

Iſa. 7. c

Differentia inuitatorũ Euchariſtię

De inuitatorum differentia nunc eſt dicendum aliquid, quoniam qui non venerunt in triplici ſunt differentia: primi vocati *nolebant venire*: ſecundi *neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius in negotiationem ſuam*: quoniam alter agricola, alter negotiator erat. *Reliqui autem*, qui ſunt in tertio modo, *tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt*. Tripliciter peccant homines, vel per ignorantiam, aut impotentiam, ſeu malitiam. Primi videntur per ignorantiam peccaſſe, quando nolebant venire: vnde huic defectui ſubueniens rex ait ſecundis nuncijs: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei, &c.* Quod autem ſecundi per impotentiam peccarunt, patet: quia villæ amor, & implicatio negotiationis, fecerunt eos prandium negligere: vnde impotentia numquam venit niſi alterius vitij oppreſsione: Quando ſerui dominati ſunt noſtri. Vltimi autem peccant per malitiam, qui contumelijs effectos occidunt ſeruos. Et contra hos præſertim iratus eſt rex: *Quia miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos*. De ceteris autem non dixit aliud, niſi quòd *inuitati non fuerunt digni*. Quantum apud nos vigeat hæc inuitatorum differentia, ſcitis fratres, & bene ſcitis, quoniam quidam ex noſtris per ignorantiam myſteriorum, non dicunt panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: neſcientes quòd ignorans ignorabitur. Alij autem non accedunt ad hoc prandium ex impotentia: quia ſaturati pane mendacij, & ſiliquis porcorum, indignos ſe dicunt, ſcientes ſe non poſſe ſimul bibere calicem Dei, & calicem dæmoniorũ, magisq. volunt ſedere ſuper ollas carnium quàm ſuper altare. Reliqui autem qui peſsimi ſunt & malitioſi, contumelioſe tractan-

Thre. 5. b

Matt. 6. b

1. Cor. 14. g

1. Cor. 10. a

tractantes eos qui communicant, ſatagunt eos impedire, quod eſt homicidium ſatis graue, quoniam ſcriptum eſt: Panis egentium vita pauperis eſt, qui defraudat illum quaſi qui victimat filium in conſpectu patris. O magnam auctoritatem, cui tempus non ſuppetit ad dicendum qualiter panis altaris eſt vita pauperis ſpiritu, a quo nemo per malitiam ſuam defraudandus eſt, alioquin vir ſanguinis eris, quia ei non corporis ſed animæ vitam rapuiſti. Vnde non reſtat niſi quòd homicida voceris infantium animarum, quæ te inuitabant, dum deu te ſe ad communionem præparabant: nam efficacior eſt vox operis quàm vox ſermonis. *Eccli. 34. d*

Vox operis efficacior voce ſermonis.

Nunc autem vt de inuitatione tractemus, aduerte quòd ipſe regis filius Chriſtus Deus noſter, dum apud nos viueret, omnes inuitauit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hæc eſt ſimplex inuitatio, ſed maior eſt illa: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non hebebitis vitam in vobis. Maxima autem eſt illa: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Multiplex igitur eſt inuitatio Chriſti in Euangelio ad nos. Qui hoc minime contentus inuitatores mittere non ceſſat etiam a ſummo cælo: Nam angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſſi a Chriſto, propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, id eſt, hoſtiam ſalutarem, vt frequentius etiam capiant & reuerentius. Ad hoc prandium libentius inuitant angeli animas iuſtorum, quàm ad ſubcineritium panem inuitabant Eliam: immo etiam libentius quàm Chriſtum inuitarunt ieiunum in deſerto, vbi acceſſerunt angeli, & miniſtrabant ei, non aliud certe niſi prandium, quod filio mater Maria parauerat. Alij vocitatores, quos Deus mittit dicere inuitatis, quòd veniant, ſunt huius ſacramenti deſideria & fames, qui enim eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, ab illo mouentur, de quo dicitur: Miſit ignem in oſsibus meis, & erudiuit me. Ignis deſiderium eſt, qui famem generat: vnde tepidi dicuntur & frigidi, qui non dixerunt. Si ergo paruuli petierint panem hunc, & dixerint: Vbi eſt triticum? credite quòd eorum cor mouent ſacra deſideria ſibi a Deo

Matt. 11. d
Ioan. 6. f
Ibidem.
Heb. 1. d
Matt. 4. b
Thre. 1. d

Pſ.80.b Deó immiſſa dicente: Dilata os tuum, & implebo illud. Noui ſiquidem ego plures hoc igne excitatos ad communicandum. Tertio autem mittit Deus nuncios homines pios & ſanctos libros, ac prædicatores ſuos, dicentes cuilibet animæ in perſona Chriſti: Apud te facio paſcha cum

Matt.26. b diſcipulis meis, id eſt donis cæleſtibus. Sed hos tres modos inuitantium, ſic melius diſtinguere poteris, quòd primi ſint confeſſores, animas purgantes pœnitentia: alij ſint prædicatores, animas illuminantes doctrina: alij vero ſint angeli, animas perficientes amore. Iam autem diximus qualiter nos miſeri nolumus venire, & negligimus, & rebelles ſumus: & ideo non ſumus digni miſeratione hac. Sed veniet hora mortis, quando neceſſe eſt ſalutis viaticum accipere: ſi viatores, optamus fieri comprehenſores. De hac hora mortis, vbi ſaltim conuertendus eſt peccator, ſequitur:

Differentia inuitantiũ.

Via eſt vita hominis.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias. Via eſt vita hominis, de qua dixit Salomon: Tria ſunt difficilia mihi. Via aquilæ in cælo: & hæc eſt vita ſuperba. Via nauis in medio mari: & hæc eſt vita auara. Via colubri ſuper petram: & hæc eſt vita luxurioſa, quæ verſatur in lapide luteo luxuriæ, quo lapidatur piger: quia locus luxuriæ eſt pigritia, & via viri in adoleſcentia: vbi & cetera vitia regnant. Ad exitus ergo viarum iubentur ire ſerui, quando vitas ſuas deſerunt, homines exeuntes ab eis, & a vitijs earum. In hoc ergo exitu neceſſe eſt prandium viaticum accipere, ad nuptias Chriſti venire bonos & malos: boni veniant, vt fiant meliores: mali vt fiant boni: in hoc tali exitu opus eſt conuerti ad Dominum. Si ire debemus, quo ibimus Domine niſi ad te? Quia verba vitæ æternæ habes, tali tempore amplius inuitas homines, ſciens quia tunc ſeniores ſunt dæmones intẽdentes acrius perditioni tuorum: Quoniam modicum tempus habent. In hoc paſſu & conflictu implentur cæleſtes nuptiæ diſcumbentium ad Euchariſtiam in Eccleſia, quæ eſt locus prandij, & tunc intrat rex Eccleſiam per iudicium particulare, quod timebat ille, qui dixit: Non intres in iudicio cum ſeruo tuo Domine: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. In hoc ergo iudicio dum intrat Deus, vt videat qualiter

Prou. 30. a

Ioan.6. g

Apo.12. c

Pſ.142. a

Iudicium ſingulare.

nos

nos dederimus Euchariſtię, videt ibi hominem damnandum, eo quòd non habeat veſtem nuptialem charitatis, cum qua neceſſe eſt mori: Quia operit multitudinem peccatorum. Nam cautum erat olim nequis veſtitus ſacco, regis Aſſueri palatium intraret, quoniam nullus aut ſacco mortalitatis indutus, aut peccato veſtitus intraturus eſt regnum Dei. Adhuc ergo erat in conuiuij loco, in Eccleſia erat, qui audiuit: *Amice quo modo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem* ex lana agni immaculati confectam? ad vnum ſigillatim loquitur, quia non confuſè ſolum, ſed ſinguli iudicandi ſunt peccatores, ac ſi quilibet ſolus eſſet, & totius legis rigor vergeret in eum. Tamen vocatur amicus ob grauitatem iudicij, vbi Deus improbat nobis chriſtianitatem, ceteraq. dona collata, quæ amicis dari ſolent, ac ſi dicat: Amicus fuiſti receptus in domo & menſa mea, non tamen vt amicus, ſed vt extraneus nunc es inuentus: quia non habes veſtem amoris mei. Emiſit Deus peccatores primos a paradiſo pellibus veſtitos, in figura quòd niſi veſtiti lana alba agni Dei eſſent, illuc non redirent.

1. Pet. 4. b

Eſth. 4. a

Peccator quare vocatur amicus.

Interrogatus igitur homo iſte obmutuit, quoniam & ſi in conſpectu hominum ſaltem poſſumus reſpondere pro nobis, quamuis manifeſtum ſit delictum, quòd non illud mala intentione fecimus, hæc reſponſio non habet locum in iudicio Dei, vbi ipſa conſcientia patula erit, & & omnis intentio, & conſilia cordium manifeſtabuntur. De ſic ergo deprehenſo ait rex miniſtris: *Ligatis pedibus eius, & manibus, mittite eum in tenebras exteriores*. Pedes pigros ad viam pacis: manus debiles ad bene operandum, quid mirum quòd ligentur? in purgatorio tantum manus operum habent ligatas, quia ibi non poſſunt meritorie operari: habent tamen pedes ſolutos, id eſt deſideria, quæ ſunt pedes tamquam ceruorum, quibus ſuperexcelſa Dei ſaltant. In inferno vtrumque habent ligatum: quia nec poſſunt bene velle, nec operari, nunc autem inter nos etſi manentes in peccato mortali vtrumque habeant ligatum, ſcilicet pedes & manus, tamen ore ſe poſſunt ſoluere in confeſsione peccatorum ſuorum, cui non eſt locus in inferno: vnde retro habuit iſte manus ligatas, quo non poſſet ſe ore ſoluere. In inferno nec ſe

Manus & pedes habere ligatos & ſolutos quid.

Peccator in inferno caret ſolutione.

poſſunt

poſſunt ſoluere, quia retro ligantur manus, nec ire ad aliquem, qui eos ſaluat: quoniam & pedes ligantur in purgatorio, & ſi non ſe valeant ſoluere, poſſunt ire ad aliquem, qui oblatione aliqua eos ſoluat. In inferno ergo ſunt tenebræ etiam exteriores ſic vt palpari queant, denſiores quàm tenebræ Ægyptiorum: *Ibi erit fletus* ex fumo tormentorum, *& ſtridor dentium* ex frigore, quoniam teſte Iob: Tranſient ab aquis niuium ad calorem nimium. *Iob 24. c* Concludit Euangelium, quòd *multi ſunt vocati:* quia ſæpe rex nuncios miſit, *pauci vero electi:* quoniam pauci venire voluerunt. Vtinam & nos fratres mei inter paucos computemur: quoniam etſi pauci ſunt numero, plurimi ſunt dignitate, quia vnuſquiſque pro decem millibus computatur. *Honor inuitatorum.* O felices conuiuæ, quia pariter eſtis & reges, quoniam ideo rex regum inuitauit vos tamquam regni conſortes, vt honoretis nuptias ſuas, & ampliorem ab eo capiatis honorem, quia omnia vobis parata ſunt & tradita. *Luc. 12. d* Nolite ergo timere puſillus grex, quia placuit patri veſtro dare vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam ſuam in regno ſuo, veſtiti ac tincti ſuo ſanguine: quoniam veſtis veſtra eſt ſicut purpura regis diuini tincta canalibus plagarum Chriſti Ieſu, qui tinctorio crucis veſtes veſtras tinxit, ac nimis decorauit, vt ſic reformaret *Phil. 3. d* corpus humilitatis veſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, qui ſanguine clariſsimo potat vos quotidie, vt intingat eo animas veſtras, & ſic digni ſitis paternali aſpectu, & congratulatione diuina in menſa gloriæ, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

SERMO

SERMO DOMINICÆ TERTIÆ POST PENTHECOSTEN.

De paſtore bono, & oue.

THEMA.

Imponit in humeros ſuos gaudens. Luc. 15.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DECRETVM erat pluſquam humanum, vt ſacerdotes arcam Dei humeris deferrent: vnde referente ſancto Bonauentura, Oza percuſſus eſt, quoniam arcã bobus cõmiſerat, cum eam humeris ſuis geſtare teneretur. Si ergo Deus tanti faciebat arcam myſticam, quãti facturum arbitramini arcam diuinitate plenam, videlicet Mariam virginem, vbi diuinitatis plenitudo habitauit etiam corporaliter? hæc ſane arca non ſacerdotum humeris, ſed angelorum geſtabatur: iuxta illud quod canit Eccleſia: Vidi ſpecioſam ſicut columbam aſcendentem deſuper riuos aquarum, id eſt ordines angelorum, de quibus in propheta dicitur: Paſcãm oues meas in montibus Iſrael, id eſt, in contemplatione trium perſonarum diuinarum, & in riuis, id eſt, inter ordines angelorum, & in cunctis ſedibus terræ, id eſt, in congregatione ſanctorum. Ecce quos cibos paſtor iſte apponet ouibus ſuis, inter quas præcipuam habet ouiculam vnam paruam, quæ vt ait Nathan Dauidi, creuerat cum filijs ſuis, id eſt, cum angelis, qui vocantur filij Dei, apud quos tantũ creuit, tantumq. profecit beata Virgo, vt humeris eorum dicatur geſtari, quia ſuper eos eſt: nam aſcendit ſuper cherubim & volauit: volauit ſuper pennas ventorum, id eſt, ſuper humeros, aut intelligentias ſuperiorum

2. Reg. 6. g

Maria eſt arca Dei angelicis humeris delata.

Eze. 34. d

2. Reg. 12. a

Pſ. 17. b

ſuperiorum angelorum, qui ſeraphim dicuntur. Hæc ergo de qua loquimur ouis, & relictis in deſerto, id eſt angelis, & perditis in agro mundi, id eſt hominibus, præponitur: quapropter optime figuratur in Rachel, quæ oues cuſtodiebat patris ſui, & ipſa interpretatur ouis. Maria igitur omnium ouium cuſtos eſt, ac per conſequens numquam perdita. Quin & paſtorem iuuit, vt oues quæreret, quemadmodum figuratur in prædicta Rachel, quæ cum Iacob erat, oues eius agens. Maria ergo, vt hoc innuat, ſic ait: Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarũ. Ecce qualiter eam paſtor aſſumpſit in coadiutricem, vt cunctas componeret oues, quæ delectabiliter eum ſociauit; ludebatq. ouis hæc, vt tædium demeret paſtoris, qui anxie quærebat in orbe terrarum nos perditos, inuenitq. per Mariam illuminatricem, quæ vt in Euangelio præſenti dicitur: *Accendit lucernam, & euertit domum*, donec reperiret quod quærebat. Sed quo modo potuit lucernam verbi æterni accendere, cum verbum Dei caminum ab æterno habuerit in Ieruſalem? Ad hoc reſpondet Scotus, quòd Maria etſi non meruit incarnationem Verbi, vtpote non cadentem ſub merito, meruit tamen accelerationem incarnationis, & hoc eſt lucernam accendiſſe, quam quotidie accendit, vt ardentius conferat nobis lumen gratiæ, pro qua obtinenda ei offeramus. Aue Maria.

Rachel quid.

Prou.8.d

ARGVMENTVM DICENDORVM.

ÆMVLI Saluatoris in tantam dementiam, ac perniciem deuenerunt, vt iam in Spiritum ſanctũ peccare non erubeſcerent: erant enim inuidia fraternæ gratiæ capti, quod eſt peccatum in Spiritum ſanctum. Cum enim Dominus Ieſus vt pote clemens & pius, daret omnibus affluenter, & nemini gratiam omnium peccatorum negaret, parua pœnitẽtia recepta, indignati ſunt phariſæi, qui potius ad pœnitentiam agi deberent. Et ex bonitate Chriſti oculum nequam ſumentes, dixerunt: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. A facie oculorum Chriſti volebant eos proijci, ac famelicos remanere;

tamen

tamen Dominus Ieſus, qui neminem vult perire, nec venientem ad ſe nouit eijcere foras: & peccatores fouet, vt iuſtificentur: & inuidos torquet, vt ſordeſcant adhuc, *Apo.22.b*
Cum enim materia inuidiæ ſit felicitas aliena, venientes ad ſe feliciores oſtendit, vt nos doceret inuidos vincere, ſcilicet addendo virtutes virtutibus: & ſic ipſe dona donis cumulando, poſtquam receperat ac manducarat cum peccatoribus, dixit de vno eorum: *Imponit humeris ſuis gaudens*, ſcilicet venientem ad ſe. In priori parte agam de paſtore. In poſteriori vero de oue ipſa. Diuiſio.

PRIMA PARS.

QVAMQVAM thematis verba melle, fauoq. dulciora ſint, oportet nos totum Euangelium perſcrutari; vt ſapientiam ab occultis trahamus. Pro quo aduerte, quòd quamuis multam malitiam doceat fraudulentos inuidia, ſic magna eſt diuina bonitas, quòd adhuc præualet. Profunde quidem locuti ſunt inuidi, quando videntes publicanos, & peccatores accedere ad Ieſum, dixerunt: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Hic, ſcilicet ſolus & non alius, quoniam in hac vita nemo, præter Chriſtum caput noſtrum, poteſt membra ſibi conciliare, quod nouerat, qui dixit: Ipſi montes nolunt recipere fugam noſtram. Si enim peſsima peccatorum effigies, prout latet, videretur contra eum inſurgere omnis creatura, & nunc etiam impleretur illud: Pugnabit pro eo orbis terrarũ contra inſenſatos. Sed miſericordia Saluatoris, dum viuimus, vt locum pœnitentiæ præſtet, peccata noſtra tegit: Quia eius charitas operit multitudinem peccatorum, quæ ſibi occulta non ſunt: quia teſte Iob: Nudus eſt infernus coram eo, & non eſt operimentũ perditioni, dum longe ſumus ab eo: dum autem ei appropinquamus, pallio venit nuda noſtra protegere: vnde animæ peccatrici ait: Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Amictus iſte operit peccata, ſicut ſol operit niuem, quam operiendo delet: nudi ſunt ergo peccatores, dum longe ſiunt a Chriſto, & abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt, tamen ei accedentes decorantur & mundantur, & propterea incipit Euangelium:

Sap.5.d *1.Pet.4.b* *Iob 26.b* Chriſtus operit peccatoris nuditatem. *Eze.16.b*

Erant

Erant appropinquantes ad Ieſum publicani, & peccatores. Primi peccatores perpetrato peccato, nudosq. ſe videntes erubuerunt, & in arboris alas ſe conferentes, latere volunt: tamen minime potuerunt, ideo iſti ad Chriſtum confugiunt, vt in abſcondito faciei ſuæ abſcōdat eos, id eſt, in miſericordia ſua, quæ a facie mentis eius abſcondit peccata noſtra. Hoc autem vaticinante iudæorum inuidia murmurantes & obloquentes dixerūt ſcribæ & phariſæi: *Hic peccatores recipit*, ſcilicet ad miſericordiam, quod patet per hoc quod addunt: *Et manducat cum illis*. Nec mirum quòd manducet cum eis, quoniā ipſi ad manducandum venerant, dicente Luca: *Erant appropinquantes ad Ieſum publicani, & peccatores, vt audirent illum*. Auditio ipſa optima eſt manducatio. Comeſtibile quidē eſt verbum Dei, ex quo caro factum eſt, ſed quia, vt dixi, bonitas Dei tendit in ampliora, ipſe Ieſus libens concedit, datq. locum ſententiæ ſcribarum in lege doctiſsimorum, additq. miſericordiæ ſuæ, dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c.* quaſi dicat non ſolum recipio peccatores, cum eisq. manduco, ſed eos perquiro, pro eis laboro, & omnia propter eos relinquo, eisq. me ipſum cibum præbeo, vt ingredientes & egredientes, paſcua inueniant: ideo vt clarius hoc intelligatis, aduertite quòd ego ſum homo ex vobis habens centum oues. Ex vobis, inquit, quia me veſtrum fratrem, & amicum fateor, quoniam de me vobis dicitur: PROPHETAM de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ideſt verum hominem, ſuſcitabit tibi Deus, ipſum audies. Peccatores & publicani accedunt, vt me audiant, vos autem dedignamini tabeſcentes inuidia fraternæ gratiæ, quam eis exhibeo: ideo relinquam vos in deſerto iudææ, in deſerto ſinagogæ ſicut nonagintanouem oues ſine paſtore: nam de cœtu veſtro ſcripſit ſapientia Dei: Neque cum inuidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo nō erit particeps ſapientiæ, ſcilicet incarnatæ. Dum Chriſtus non vult iter habere cum iſtis, proculdubio dicam quòd relinquuntur in deſerto expoſiti periculo: vnde cadentes etiam a iuſtitia legali audient: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Ecce quo modo bonus paſtor prætermiſsis iſtis, vadit ſolicitus ad ouem quæ perierat, id eſt ad peccatorem, ex ignorantia

Marginal references: Gen.3.b; Pſ.30.d; Luc.15.a; Ioā.10.b; Deut.18.c; Sap.6.d; Matt.9.b

ignorantia & ex fragilitate peccantem. Hunc inuenit, quando ipſe in ſe de cetero peccandi voluntatem non inuenit. Et ſicut ouem errantem audit dicentem: Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio: qui hoc dixit ouis erat, qui per ignorantiam peccarat; eratq. in perditione, donec requiſiuit eum bonus paſtor. Et inuentum peccatorem in humeros ſuos ponit gaudens. In his tribus verbis tria notantur ad huius ouis reportationem neceſſaria, id eſt ad iuſtificationem ſimplicis ac fragilis peccatoris perneceſſaria. Primo virium animæ fortitudo: quia propter hanc peccatori tribuendam imponitur humeris Chriſti crucem baiulantibus, cuius intuitu conſolidantur debiles peccatores. O Domine Ieſu paſtor optime, qui non ſolum me ouem errantem imponis humeris tuis, ſed totam perditionem meam, & perditionem totius generis humani, quod in ligno vetito perdidit ſe, quod proprijs baiulas humeris; vt tu ipſe perdaris & damneris: quoniam de te ſcriptum eſt: Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populo, vt peterent Barabbam, Ieſum vero perderent. Quare te perdere volebant, niſi quia tu me perditum quærebas? nec mirum quòd perdatur, qui perditum requirit, alioquin quo modo poterit eum inuenire, niſi & ipſe vadat in eandem perditionem? quod tu ipſe notaſti, cum dixiſti: *Vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam*. Ibas equidem tu in perditionem nobis debitam, cum dicebas: Qui videbant me foras, id eſt tantum in humanitate, fugerunt à me: obliuioni datus ſum tamquam mortuus a corde. Factus ſum tãquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Suimet oblitus erat Dominus Ieſus, dum ibat viam perditionis noſtræ, factus tamquam vas perditum plenum ſane perditionis noſtræ: Quoniam Iſaia teſtante, vere languores noſtros ipſe pertulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Cuius liuore ſanati ſumus. Dicamus ergo cum beato Ambroſio: Humeri Chriſti, crucis brachia ſunt, illic peccata mea depoſui, in illa nobilis patibuli ceruice requieui. Eia igitur, o peccatores vires aſſumite, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro, vt iubet Paulus, quandoquidem ipſe portauit vos

Rom.7.d

Peccatori tria perneceſſaria.

Matt.27.b

Ieſus perditur, vt perditum requirat.

Pſ.30.b

Iſa.53.b
1.Pet.2.d
Amb.lib.7. in c.15. Luca. to.3.
1.Cor.6.d

in corpore ſuo, qui ouem impoſuit humeris ſuis. Alterum, quod fecit paſtor, eſt, quòd pedes ſuos oui accommodauit, quæ vtpote ſimplex neſciret redire ad ouile, non enim agebat ouem paſtor ſed portabat. Credo namque tam extenuatam, ac debilem, & cæcam peccatricem animam, quòd pedeſter minime poterit, nec ſcire redire, ideo dum eam paſtor humeris defert, pluſquam dux

4.Reg.2.b eius ſit, qui propterea currus Iſrael, & auriga eius dici-

Gaudium cóſcientiæ bonæ. tur. Tertium vero peccatori perneceſſarium eſt conſcientiæ bonæ gaudium de ſua recuperata ſalute: vnde gaudens dicitur paſtor iſte dominus ouium: quia eas læta-

Prou.2. c bundas efficit. O nos inſenſatos, qui exultantes eramus in rebus peſsimis: nunc autem triſtes Domino reddimus famulatum. O infelicem ouem, quæ gaudet in medio luporum, & apud paſtorem triſtatur, cum ſcriptum

Sap.8. c ſit: Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Quod ſignanter eſſe debet tempore conuerſionis noſtræ,

Iſa.9.a de qua Iſaias dixit: Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. Nam his oppreſſa erat ouis, & perdita. Iugum eſt prima ſubiectio, qua voluntarie nos peccati ſeruituti conferimus: virga vero qua iam minamur, eſt peccati conſuetudo: ſceptrum vero quo dominamur, eſt diaboli præſcriptio, qui eius ſerui efficimur, quæ omnia ſuperat gratia redemptionis per tria iam dicta. De iſto igitur gaudio ſequitur in Euangelio præſenti:

Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Si conſequenter ad ea quæ diximus, loqui voluerimus, domus hæc, ad quam Chriſtus oneratus venit, eſt gloria beatorum, de qua pendens in cruce dixit cui-

Luc.23. f dam oui perditæ, ſed iam inuentæ: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Ad hanc domum cõuocat, id eſt ſimul, realiter vocat vicinos, ſcilicet ſanctos patres, qui e vicino erant cum eo glorioſi, & eius vice fruebantur. Conuocauitq. amicos, ſcilicet Apoſtolos in die Reſurrectionis: omnes, inquam, amicos etiam

Thomam,

Thomam, & gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino, glorioſum apportante de inferno triumphum. Dum ergo aperuit eis ſenſum, vt ſcripturas intelligerent, & per dies quadraginta loquebatur eis de regno Dei, quid, obſecro, aliud faciebat quàm eos in domum ſuam conuocare, vt congratularentur ei de mundi redemptione? ac de redemptione Adæ patris orbis terrarum, quem ſub ouis nomine intellexit? propterea quòd quemadmodum prima errante oue, ceteræ neceſſario errant, ſic patre Adam peccante, omnes nos ſicut oues errauimus originaliter. De peccatis autem actualibus ſubiunxit Iſaias: Vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. Quòd autem prætactam parabolam pro ſeipſo Chriſtus adduxerit, in ſequentibus oſtendit luce clarius, dicens: *Dico vobis quòd ita gaudium &c. vſque pœnitentia*. Communiter exponitur hoc de gaudio accidentali, quod (vt aiunt) maius eſt de peccatoribus conuerſis, quàm de iuſtis ſaluatis. Hæc expoſitio mihi non arridet: nam in virginibus aureola eſt in eo, quòd non ſunt inquinatæ, nec indigent pœnitentia: maius ergo gaudium accidentale eſt numquam in corruptionem cecidiſſe, quàm ab ea poſt contractum crimen liberari: vnde alia expoſitio quærenda eſt, qua luculenter oſtendatur pœnitentia vnius præponderare iuſtitiæ omnium aliorum. Pro quo inquirendo aduerte, quòd ſacra Scriptura, vt patet in Oſee: Peccatum vocat hoſtiam pro peccato: vnde Paulus legis doctor ait: Deus pater eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Id eſt fecit filium ſuum hoſtiam pro peccatis noſtris. Iſto ergo peccato, id eſt, hoſtia pro peccato, dicitur Chriſtus peccator, & vice corporis ſui myſtici, quorum perſonam agit. Iam ergo pœnitentia huius, notum eſt quòd omnium iuſtitiæ præponderat, quia pretioſior eſt cunctis opibus & meritis. Super iſto igitur pœnitentiario noſtro, id eſt ſuper fructibus pœnitentiæ ſuæ plus gaudij celebratur, quàm ſuper angelorum meritis, qui non indigent pœnitentia. Vnde propterea Chriſtus non dixit congratulandum oui, ſed ſibimet, quia ſuper eius optima pœnitentia celebratur gaudium præcipue, & non ſuper oue inuenta, ſed ſuper inuentore ſuo, qui ſua pœnitentia nos reperit. Si autem breuius velis exponere, dic quòd omnes homines ne-

Ioã. 20. e
Luc. 24. g
Act. 1. a
Iſa. 53. b
Aureola in virginibus in quo fundetur.
Oſe. 8. d
2. Cor. 5. d
Chriſtus quo modo dicatur hoſtia & peccator.

nes ne-

nes neceſſario indigent pœnitentia Chriſti, quia non eſt
Act.4.c aliud nomen datum hominibus, ſub quo deceat nos ſal-
Homo eſt maior angelis. uos fieri: ergo nonagintanouem iuſti ſunt angeli, & ouis
reperta eſt natura humana: ergo eoipſo, quo Dei filius
plus fecit pro nobis quàm pro angelis, plus gaudij agitur
in cælo pro nobis quàm pro illis. Filio namque iuniori
Luc.15.f occiditur vitulus ſaginatus, & pulſatur ſimphonia, & non
ſeniori. Angeli autem quia inuidi non ſunt, gaudent, &
altius exultant ſuper hominum ſalute quàm ſuper pro-
pria: quia mirabilior, ac pene diuina eſt noſtra ſalus Ie-
ſus, qui tantùm incubuit operi redemptionis, vt in eo &
nos ſuper angelos exaltaret, & gloriam ſuam magis quàm
alicubi magnificaret: dum, vt ait thema, *impoſuit nos hu-
meris ſuis gaudens*, ad quos dum aſcendit homo, & ipſe
ſublimatur, & exaltatur Deus: ita vt velut iactanter di-
Ioā.10.c cat: Ego ſum paſtor bonus.

SECVNDA PARS.

NVNC nobis de oue agendum ſupereſt. Putatis ne,
quòd quælibet ouis eſt digna humeris Chriſti? nō-
ne ſunt aliquæ oues ſubtractę pedibus dæmonis? alioquin
Pſ.48.c non diceretur: Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors
depaſcet eos. Hæ nimirum oues ſub diaboli pedibus ſunt,
quas mors non ex toto deuorat, ſed lacerabit in æternum
Chriſti humeri diuinitas, & humanitas. morſu amariſsimo: tamen oues Chriſti ſunt ſuper hu-
meros eius, id eſt ſuper montes, infinite a metu mortis
eleuatæ, vbi non eſt niſi vita æterna. Duo Chriſti hume-
ri, ſunt diuinitas, & humanitas eius; quibus oues optime
Eze.34.d fruuntur, quoniam ipſe dixit: In montibus Iſrael paſcam
oues meas. Montes videntium Deum, ſunt humanitas ac
deitas Saluatoris, vbi ſcilicet non paſcuntur niſi Deum
videntes, vbi dapes ineffabiles reperiuntur, & paſcua
nimia varia: quoniam de oue illa perdita in Ægypto, &
iam humeris boni paſtoris in promiſsionis terram dela-
Deut.32.b ta, dixit Moyſes: Conſtituit eum ſuper excelſam terram,
id eſt montuoſam: vt comederet fructus agrorum: vt
ſuggeret mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſsimo. Buty-
rum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, &
arietum filiorum Baſan: & hircos cum medulla tritici,
& ſan-

& ſanguinem vuæ biberet meraciſsimum. Si hæc nouem fercula ſiue paſcua vis obtinere, vide quòd habeas nouem proprietates bonæ ouis. Prima eſt innocentia. Quis enim iniuria non eſt, nec ferit cornu, vt taurus iniuriando, vt Sapiens ait: Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus. Nec dente mordet, vt ſerpens detrahendo. Quo modo ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Nec vnguibus lacerat, vt aquila rapiendo: Vngues eius, quaſi vngues auiũ, ſcilicet rapacium. Nec pede calcitrat, vt equus, occulte odiendo: Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Secunda virtus bonæ ouis eſt patientia, quoniam de oue illa pro nobis immolata dicitur per Iſaiam: Sicut ouis ad occiſionem ducetur. Hanc virtutem Chriſtus Apoſtolis iniunxit, dicens: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Hæc virtus optime diſcernit inter oues & lupos: nàm multi veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Si autem paſtor has ab illis diſcernere voluerit, faciat, vt omnes oues tranſeant in virga ſub manu ſua numerantis eas, & percutiat numerando quamlibet virga ſua; ouis percuſſa impatientia & pace tranſibit: lupus autem percuſſus mox percuſſori dẽtes oſtendet; vnde Gregorius ait:* Qualis vnuſquiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat. Tertia virtus eſt prudentia, ouis enim agnoſcit proprium paſtorem: quoniam paſtor dixit: Agnoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Lupum autem abhorret, etiam ſi numquam lupum viderit, ideoq. de bonis ouibus dixit paſtor, quòd alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo. Item agnoſcit proprium agnum: dictat enim ei æſtimatiua ſua huic agno eſſe miſerendum, & ab hoc lupo fugiendum: vnde Ambroſius ait: Paſtor aliquando errat in agnitione ouium ſuarum, agnus in agnitione matris neſcit errare: paſtor ſæpe fallitur, ſed ouis pietate non fallitur: agnus matrem balatu agnoſcit, mater agnum odoratu. Quarta virtus eſt ſimplicitas, de qua Pſalmus ait: Deduxiſti ſicut oues populum tuum. Et bonus paſtor Dauid ait: Iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? ego ſum qui peccaui. Quinta virtus bonæ ouis eſt humilitas: cum enim habeat plures gratias & vtilitates, nec

Ouis bonæ pprietates. Innocentia 1. virtus. *Eccli.6.a* *Eccls.10.c* *Dan.4.f* *Leu.20.c* Patientia 2. virtus. *Iſa.53.b* *Matt.10.b* *Matt.7.c* *Greg.lib.3. Dial.cap.5. in fine.* Prudẽtia 3. virtus. *Ioã.10.c* *Amb.lib.6. Hexaem.c.4 cir.fin.to.1.* Simplicitas 4. virtus. *Pſ.86.d* *2.Reg.24 c* Humilitas 5. virtus.

aliquam ſe nouit habere, ſequens conſilium paſtoris di-
Luc.17.c centis: Cum omnia benefeceritis, dicite: Serui inutiles
Pſ.43.d ſumus. Vnde boni viri dicunt cum Pſalmographo: Æſti-
mati ſumus, ſcilicet a nobis ipſis, ſicut oues occiſionis.
Gen.39.a Et in libro Geneſis legitur, quòd cum Ioſeph plura exhi-
beret bona domino ſuo ſimplici corde, ille autem tam-
quam bona ouis in manu Ioſeph nihil nouerat præter pa-
Paupertas ſexta virtus. nem, quo veſcebatur. Sexta virtus eſt paupertas ad ſe,
eſt enim pauper ſibi, quia parcitate alimenti contenta
eſt: vnde Ariſtoteles ait: Oues pinguiſsimæ ſterileſcunt,
& quia in aridis paſcuis diutius viuunt, in paludibus &
pinguibus diu viuere non poſſunt. Hoc ſane bonus paſtor
noſter Ieſus nouerat, cum ouibus ſuis crapulam & ebrie-
tatem interdixit nunc, quia in ſæculo futuro bonis omni-
Luc.1.e bus replebit eas, dicente Maria: Eſurientes, ſcilicet in
hac vita, impleuit bonis, ſcilicet in alia: diuitesq. in iſta,
dimiſit inanes in alia; vt patet in Lazaro & purpurato
Luc.16.f diuite, cui dicitur: Recepiſti bona in vita tua, Lazarus
ſimiliter mala: nunc autem ille, ſcilicet abundans læta-
Pietas ſeptima virtus. tur: tu vero cruciaris flammea ſiti. Septima virtus eſt
pietas, dicitur enim de oue, quòd cum in feruore ſolis
conſortem deficientem iacere cernit, ipſa ſtans iuxta in-
firmam, vmbram ei facit. Apoſtolus autem nos hortatur
Rom.14.a ad ſimile, dicens: Infirmum in fide aſſumite, ſcilicet pro-
tectione veſtra iuuandum. Hinc etiam Ieremias ait: Ra-
Ier.31.c chel plorans filios ſuos. Rachel interpretatur ouis: nam
hæc ob nimiam pietatem deflebat alienos tamquam pro-
Socialitas octaua virtus. prios filios. Octaua virtus bonæ ouis eſt ſocialitas, ad om-
nem equidem timorem conglobantur oues, ſcientes quòd
ſolitarijs lupus inſidiatur. Nam quia lupus rapit, ac di-
ſpergit oues, conquerebatur Deus per Ezechielem, di-
Eze.34.a cens: Diſperſæ ſunt oues meæ, & factæ ſunt in deuora-
Lutherani ſunt lupi. tionem omnium beſtiarum, id eſt hæreticorum, qui ab
Eccleſiæ ouili moliuntur eas ſubtrahere, vti faciunt lu-
therani raptores, qui omnium beſtiarum antiquorum,
id eſt hæreticorum, iamdudum & ab antiquo damnato-
rum veſtigia ſequentes, omnino ſeparant oues Chriſti ab
Eccleſia, & putant ſe verum paſtorem habere, ac ſi diui-
ſus eſſet Chriſtus, qui ouem illam ambigentem, ſcilicet
Apoſtolum Thomam, non curaret, niſi ad Eccleſiæ gre-

mium reuerteretur: nam ſcriptum eſt: Poſt dies octo *Ioan.20.f*
erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis, &c. tunc
ergo diſperguntur oues, cum in varias hæreſes dilabun-
tur, ac deinceps patent dæmonibus & erroribus: diſpen-
ſator auté eſt lutherus, qui percutiens paſtorem ſummum
Pontificem diſpergit oues Chriſti, animas videlicet chri-
ſtianorum, quas ab Eccleſiæ vnitate profugat, vt ſolita-
rijs lupus inferni valeat inſidiari. Quàm autem felix erit
illa, quæ ſub manu Eccleſiæ ſe reduxerit! quia hoc ange-
lus conſulit Agar fugienti & erranti. Nona virtus ouium **Vtilitas nona virtus.**
Chriſti eſt vtilitas: vnde habenti plura, & varia pecora,
Sapiens ait: Pecora tibi ſunt, attende illis: & ſi ſunt vti- *Eccli.7.d*
lia tibi, perſeuerent apud te. Eſt autem vtilis ouis præ **Ouis vtilitates plurimæ.**
alijs pecoribus, quia dat nobis vellus in indumentum,
pellem in documentum, lac in nutrimentum, fimum in
medicamentum, carnes in ſacrificium dare ſolebat, vi-
ſcera in ſolatium, agnum in conſortium, caſeum in ſu-
ſtentamentum, butyrum in condimentum, quid plura?
hoc fac & viues, hoc fac, & a dextris cum ouibus collo-
catus audies: Venite benedicti patris mei, &c. quia eſu- *Matt.25.d*
riui, & dediſti mihi manducare, &c. ſed omnia, quæ ouis
nobis confert, videamus, immo & nos conferamus: dare
enim debet vir iuſtus & bonus vellus annuum, id eſt red-
ditus anni præteriti, iugiter in executionem largitatis:
vt faciebat ille qui dixit: Velleribus ouium mearum ca- *Iob 31.b*
lefactus eſt. Item pellem ſcriptam vitis patrum in docu-
mentum honeſtatis. Vnde Paulus ad Titum ait: Exhi- *Tit.2.b*
beas teipſum exemplum bonorum operum. Item lac ver-
bi dulcis in nutrimentum: quia Paulus ipſe dicebat: Lac *1. Cor.3.a*
dedi vobis potum. Item fimum in abiectionis & vilitatis
exemplum, & in medicamen tentationum, quoniam vt
ait Auicena: Fimus ouis aduſtus cum aceto linitur ſuper
morſum canis rabidi, id eſt hoſtis antiqui, vnde Iacobus
ait: Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimi- *Iac.5.c*
tatis, & laboris, & patientiæ prophetas. Item carnes in
ſacrificium, in exemplum pœnitentiæ: Quis nobis det de *Iob 31.d*
carnibus eius, vt ſaturemur? Item viſcera pietatis in
exemplum miſericordiæ, iuxta illud Pauli: Induite vos *Coloſ.3.b*
ſicut electi Dei ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ be-
nignitatem, quaſi chordas citharæ: quoniam Iſaias dixit:

Iſa.16.d Venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit: & viſcera mea ad murum cocti lateris. Cithara dulciter ſonans eſt cor pium ad murum, id eſt virum induratum, quem dulcius aggreditur. Item dat vir iuſtus caſeum fortis adiu-
1.Reg.17 e torij dimicanti, ſicut fecit Dauid, qui caſeos detulit fratribus ſuis. Item butyrum doctrinæ conſolantis, vt eum
Iob 29. a Iob accipiens, dicat: Lauabam pedes meos butyro. Item agnum in conſortium per prædicationem, & aliorum cõ-
Deut.33. d uerſionem. Benedictus in filijs Aſer. Ecce nouem virtutes bonæ ouis, quas vir probus debet in ſe oſtendere, vt frui poſsit nouem pabulis, quæ iam diximus apud montuoſam terram promiſsionis inueniri, quæ Chriſti gere-
Chriſti paſtus nouẽ, bat typum. Hic ergo paſtor noſter non tantum beatis, ſed viatoribus quoque præſtat illa nouem, quæ vidiſti. Nec enim famelica erat ouis in regreſſu, dum eam paſtor ad alias reduceret humeris ſuis, quibus omnia defert, omnia ſuſtinet. Nec mirum quòd omnia humeris deferat
Heb. 1. a ille, de quo dicitur: Portansq. omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens. In Chriſto igitur tamquam in terra promiſsionis omnia ſunt, quæ ad populum Dei pertinet; nam propterea in vna oue, omnes alias voluit intelligi, & omnem gregem ſuum. Iam ergo vt noueris, quo modo Chriſtus totum pecus cibat, pernotabis quòd in terra promiſsionis dicuntur inueniſſe filij
Deut.32. d Iſrael fructus agrorum, ſcilicet mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſsimo: butyrum de armento, lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan: & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ meraciſsimum.
Scripturæ ſenſus quattuor. Horum quattuor ad intellectus, quinque ad affectus pertinent refectionem. Intellige namque in melle ſenſum anagogicum, qui contemplationis dulcedine reficit. In oleo allegoricum, qui per fidei veritatem illuminat. Iſta de petra dura, id eſt legis littera, & ſaxo duriſsimo, id eſt de ceremoniarum multitudine rudi & incompoſita, cum
Butyrum, & lac quid notent. labore ac deſiderio ſuggerenda ſunt. In butyro a caſeata ſubſtantia ſeparato, moralem ſenſum pinguiſsimum, a littera vniuerſaliter mala inſtar caſei, accipe. In lacte quod nutrimentum eſt paruulorum, plenam hiſtoriam, & liquidam, atque dulciſsima exempla ſanctorum. Iſta duo maxime de armento prophetarum, & Apoſtolorum;

& de

& de grege ſanctorum patrum accipimus. Ceterum in triplici adipe hircorum, agnorum, & arietum triplicem cordis intellige refectionem: in adipe namque hircorum, pœnitentium contritionem, in adipe agnorum, humilium deuotionem, in adipe arietum, prouectorum ſeu prælatorum intellige compaſsionem. Ex his tribus adipibus triplex conditur vnguentum, quorum primum, ſecundum Bernardum, vocatur contritionis; ſecundum deuotionis, tertium pietatis. Licet autem omnia hæc ſeptem reficiant dulciter animam, & interdum impinguare videantur: tamen nec ſuſtentando confirmant, nec inebriando lætificant ſine medulla tritici, id eſt, ſine ſpirituali manducatione corporis Chriſti, quæ per medullam intelligitur. Nam ſi ſolum ſacramentum comederis, non adipe ſatiaris, ſed furfure, aut inflatus manebis, vel intoxicatus. Nec lætificatur anima ſine ſanguine Chriſti meraciſsimo, id eſt, ab omni impuritate remotiſsimo: hic eſt enim panis, qui confirmat cor hominis, & hoc eſt vinum, quod lætificat illud. Hic ergo nouem fercula ſiue paſcua ſunt cibaria ancillis ſuis, ſcilicet ouibus rationalibus, data per Chriſtum in Eccleſia militanti: vbi quemadmodum dicitur in principio Euangelij: *Cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter gregis*. hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Bernar. ſer. 12. ſuper Cāt. nō multum a fine, to. 1.

Euchariſtia nutrit.

Pſ. 103. b

SERMO

SERMO DOMINICÆ QVARTÆ POST PENTHECOSTEN.

THEMA.

Duc in altum. *Luca 5.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVAMVIS Beata Virgo ſit nauis maxima, quæ ſecuriſsime in altum duci poteſt, dicitur tamen propter nos nauicula, ne quis ambigat eam vſibus ſuis aptare, ne quis timeat ei adhærere, idcirco enim figuratur in eo loco vbi ſcribitur: Naues regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in tribus annis: & deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & ſimias, & pauos. Cum ſeruis alienis, cum ſeruis Hiram regis Tyri, cum ſeruis peccati, cum peccatoribus vadit Beata Virgo, cuius corpus & aima duæ naues erant (nam & de duobus nauiculis fit mentio in Euangelio) non otioſæ, non vacuæ. Quia vt peccatores ditaret, iungebat ſe illis, ibatq. in Tharſis, quod interpretatur exploratio gaudij, id eſt, ad nundinas cæleſtes, quibus nos & omnia noſtra vellet vendere. Quando nauis de longe venit, ac extraneas merces & ratas affert, auide requiruntur, iucunde recipiuntur, & care emuntur. In cælo autem bona abundant, & numquam ibi viſa ſunt mala pœnæ vel culpæ. Ideo phariſæus ille euangelicus, non inuenit, qui reſpiceret eum vel merces ſuas, qui onerauerat nauem ſuam bonis ſuis veris vel ſimulatis, dicens: Ieiuno bis in ſabbato, &c. Publicanus autem, quia malis ſuis onerauerat nauem ſuam, ſtatim expeditus fuit, & deſcendit iuſtificatus in domum ſuam. Hoc attendens prudens Virgo cuncta

2. Paral. 9. 6

Tharſis quid.

Luc. 18. c

cuncta mala huius mundi accipiebat ſuper ſe, & onerabat naues ſuas. Vnde quia numquam tales merces fuerunt viſæ ibi, cum gaudio excepit eam rex Ieruſalem, & quanti voluit vendidit, & vltra. Nam dicitur quòd rex Ieruſalem dedit reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiuit ab eo: exceptis his quæ vltro contulerat ei munere regio. Nec ſatis fuit hoc, quin & ipſe rex in his mercibus nimium delectatus, inſtitor & negotiator factus, aſcẽdit in nauim, & venit in ciuitatem noſtram afferens ſecum omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, quærere & emere huius mundi margaritas, ſcilicet paupertatem, vilitatem, aſperitatem, perſecutiones, & paſsiones, & omnes labores mundi huius, & peccata noſtra, pro quibus vendidit, & tradidit ſemetipſum. O admirabile commercium Creator generis humani animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt, & largitus eſt nobis ſuam deitatem. Sic ergo ex tunc facta eſt Maria quaſi nauis inſtitoris currens, & recurrens de nundinis mundi, ad nundinas cæli, deferens ſecum noſtras miſerias, quas ei committimus, & referens nobis aurum, id eſt, manſuetudinem cordis, argentum, id eſt, dulcedinem oris, ebur, id eſt, firmam caſtitatem corporis, ſimias, id eſt, iucunditatem mentis, pauos id eſt, honeſtatem conuerſationis. Sed pro ſermone præſenti, argento nunc egemus gratiæ, quam vt accipiamus, ei genibus flexis dicamus. Aue Maria.

Maria eſt nauis onuſta. 3. Reg. 10 b. Chriſt' eſt mercator. Habetur in prima antiphona ad Laudes in die Circũc. Dom. Prou. 31 b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SI velo & malo caret nauis in altum duci non poteſt, quia dum ſolo vtitur manuum remigio, parum aſcendit in mare, & periculo exponitur, & labore nimio ducitur: vnde in malo & velo eſt tota felicitas magnæ nauis. Sinagoga quidem eius quilibet ſtatus velut nauis vtique fuit, quoniam de eis exponit Gregorius illud Iob: Tranſierunt tamquam naues poma portantes. Leue quidem onus, quod minime poteſt in altum maris duci: nam oportet, vt nauis in altum ducenda, ſit etiam bene onerata, ne ventus, aut fluctus euoluat eam. Poma quidem erant cerimoniæ, & ritus legales, & cetera terrena, quæ ei dabantur in præmium. Illa ſiquidem nauis onuſta non erat

Nauis felicitas vbi ſit. Iob 9. c

erat mercibus gloriæ, nec ad portum paradiſi perducebat: quia malo, & velo carebat. Vnde eius gubernator Moyſes ſub vndas, & inter fluctus maris eduxit nauem ſynagogæ ab Ægypto ſane in deſertum: quoniam non ei dicta erant thematis verba, ſcilicet, *duc in altum*. Si autem quæritis, cur mare mundi non poteſt tranſiri ſine

Pſ.103. c malo & velo? reſpondit Pſalmographus: Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus. Spatioſum, inquit, eſt manibus, ſcilicet remigantibus, quia nullæ manus remis plenæ poſſunt hinc ad paradiſum tranſmeare: nullæ manus, inquam, remis plenæ, id eſt, nulla quidem opera, quamuis digna meritis, quia reptilia peccatorum & occaſionum, & rerum mundi hoc vetant, & reptilia, id eſt, mali ac peſsimi hæretici, quorum hodie non eſt numerus: vnde neceſſarium eſt

Chriſt⁹ eſt velum & malum Eccleſiæ. velum & malum, quoniam alieno adiutorio poterimus in altum ducere, & ad portum pertingere. Malum eſt verbum Dei, & velum eius anima & caro: quoniam propheta

Eze.27.a dixit: Cedrum de libano tulerunt, vt facerent tibi malum. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur in malo. Hoc non dicitur ſynagogæ, ſed gentilitati: quoniam ſic incœpit Ezechiel: O tyre, tu dixiſti: Perfecti decoris ego ſum. Cedrum ergo de libano, id eſt, filium Dei de cælo tulit beata Trinitas pro Eccleſiæ naui, & byſſum variam, id eſt, animam & carnem Chriſti, vt poneret in malo Verbi per hypoſtaticam vnionem, & totum erigeretur in hac naui, vt congrue poſſet in altum duci, & portum attingere: vnde cum Chriſtus eleuaretur in cru-

Luc.23.f ce, quaſi in altum ducens, dixit latroni: Hodie mecũ eris in paradiſo: nec altius potuit eum ducere. Vt ergo nos lætemur ſpe attingendi portum, ait Petro: *Duc in altum*.

Auctoris intentio. Nil aliud faciam in concione hac niſi Euãgelium ad longum exponere altius quo potero, mihi namque arbitror dici: *Duc in altum*.

Verba thematis irritãt intellectum noſtrum, vt hoc totũ Euãgelium in altum, & anagogicum ſenſum exponamus. Immo talia ſunt, quòd ſemper ea præ oculis deberemus habere, vt vbique ſurſum corda haberemus: & in directione cordis operaremur omnia. Iam ergo quamuis ſa-

Exo.23.a cra pagina interdicat, ne ſequamur turbam, ſtatim addidit

ad ſa-

ad faciendum malum, quoniam & ſunt aliquæ turbæ, quæ hortantur ad bonum, quoniã & filius Dei dicit ſe habiturum claritatem ad turbas, & eius ſapientia in capite turbarum, teſte Salomone, clamitabat. Hæ optimæ turbæ ſunt, & exercitus Dei viuentis, quæ in altum ducunt indaginem noſtram, de quibus incipit Euangelium: *Cum turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum geneſareth*. Felices turbæ, quæ certatim properant, vt verbo Dei ſatientur. Laudabatur Maria, quia ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius: feliciores tamen ſunt turbæ iſtæ Ieſu, quæ viribus & poſſe irruebant in ſermonem eius. Verbum equidem Dei auiditatẽ requirit, quoniam ſapiẽs ait: Beatus qui inuenit amicum verum, & qui enarrat iuſtitiam auri audienti. Iſte amicus verus, fratres mei, eſt Dominus Ieſus, quem turbæ iſtæ inuenerunt, quoniam ipſe eas prius inuenerat. *Duc in altum*, eleua intellectum, & reperies quòd turbæ prædeſtinatorũ irruerunt in Ieſum, quaſi cadentes ad gloriam filij Dei ab initio, quoniam eius auxilio indigebant, quod exprimitur, dum datur cauſa hæc: *Vt audirent verbum Dei*. Nec dubium quin per verbum Dei, & in eodem prædeſtinauit nos pater miſericordiarum, in cuius filium omnes prædeſtinati auide irruunt: quoniam vt ait Auguſtinus: Filius eſt ars omnipotentis Dei plena omnium rationum formalium. Formas omnium & ideas in verbum Dei audiendum irruere dicimus, quoniam ab eo captant fauorem, vt finem prædeſtinationis conſequantur electi. Cum ergo pater æternus, teſte Apoſtolo, elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, velut turbæ irruimus in eum, cui proculdubio ex tunc maxima cura eſt de nobis, quando ſapientia increata Dei dixit: Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hereditas illius, ſcilicet populi: & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Populus honorificatus eſt cœtus prædeſtinatorũ, in quo filius Dei radices cogitationis ſuæ miſit, vt ei daret hereditatem gloriæ, quæ eſt plenitudo ſanctorum, in qua volẽs ſe detinere filius Dei, vt eã impleret, manum ſuam miſit ad fortia: tamẽ aliquantulum ſeipſum detinuit, nec enim cito venit, ſed iãdiu deſideratus cunctis gentibus, & turbis prædictis: vnde propterea dicitur fuiſſe

Prou. 1. e

Luc. 10. g

Eccli. 25. b

Prędeſtinatio eſt in Verbo.

Aug. 6. de Trin. c. 10. to. 3.

Epheſ. 1. A

Eccli. 24. b

Populus honorificatus quis ſit.

Geneſareth quid. iuxta ſtagnum Geneſareth, quæ interpretatur profectio principis, & eſt opulentia gloriæ ſuæ, qua pater æternus ab æterno protegit filium in ſinu ſuo, ne veniret ad nauigationem laborioſam. Sed turbæ ſanctorum patrum irruebant in eum, volentes & exoptantes audire, immo & videre verbum Dei, iam viſibile factum & incarnatum.
Cant. 1. a Oſculū oris eſt verbum verbi. Nonne illorum verba ſunt illa: Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt verba tua vino? oſculum oris eſt verbum verbi: eius vbera ſunt expoſitiones & ſcientiæ faciliter lac propinantes paruulis. Non quidem lac vile: quia præcellit doctrinam philoſophorum deſignatam in vino. Iam ergo filius Dei non ſurdus auditor, ſed ad opus ſuum exire, ac deſcendere deſiderans a ſummo cælo proſpexit: vnde ſequitur in Euangelio: *Et vidit duas naues*
Naues duæ ſunt Eccleſiæ. *ſtantes ſecus ſtagnum.* Iſtæ duæ naues duæ ſunt Eccleſiæ, ſcilicet triumphans, & militans, ad quas oculos ſuos direxit filius Dei, maxime dum ſtabant ſecus ſtagnum, ſcilicet expectantes eum. Secus detentionem filij Dei ſtare dicuntur. quoniam vtrobique deſideratur, vt veniat, & ipſe
Gen. 49. b vtramque reſpiciebat: vnde ſcriptum eſt: Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens
Gen. 30. c vſque ad Sidonem. Nato Zabulon dixit mater eius: Dotauit me Deus dote bona, ideoq. Chriſtum ſignificat, quem qui habet, dotem bonam habet. Hic in littore maris apud nos habitauit, & in ſtatione nauium, ſcilicet in gloria, vbi omnes quieſcūt: vnde dicitur pertingere vſque ad Sidonem, quæ eſt portus, ſcilicet gloriæ. Has ergo
3. Reg. 1. b naues diligebat filius Dei: quoniam Salomon in omni gloria ſua mercator factus eſt in nauibus. Sed cauſa quare has naues dilexerit filius Dei, ſubinfertur in Euangelio, dum dicitur: *Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia:* harum nauium merces ſunt piſces, & piſces quidem ſunt homines, quibus, vt videbitis, vult filius Dei ambas nauiculas adimplere. Deſcenderant quippe ſancti viri, docti equidem, vt homines caperent: quia ideo lauabant retia. Prophetæ & patriarchæ, immo & ſancti angeli piſcatores boni ſunt, qui deſcendunt, & condeſcendunt nobis, vt mundo rete capiamur, quotidie in rete
Eccle. 7. d immundum & obſcęnū incidimus, de quo dicitur: Luſtraui vniuerſa, & inueni amariorem morte mulierem, quæ

laqueus

laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. Vincula ſunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa. Mulierem dicit morte amariorem, quia non ſolum aliquando interficit corpus ſed ſemper animã, ſi eam in ſagena ſui amoris capit. *Sagena eſt cor feminæ.* Quemadmodum ergo diabolus immundat ſagenam ſuam, id eſt, cor feminæ malæ, vt plures capiat: ſic viri ſancti emundabant corda ſua, vt ipſum filium Dei poſſent capere, ac tenere: vnde quidam in omnium perſona dicebat: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. *Pſ. 50. b* Sancti ergo lacrymis lauabant retia, id eſt, corda ſua, vt capere amore munditiæ poſſent Deum, quod quidem vel ex hoc apparet ita factum, quoniam mundior eum cepit, id eſt, beata Virgo Maria, in quam ſe tranſtulit propter ſuam munditiam. *Mariæ mũdina.* Iſtam enim ſagenam angelorum manibus ſubtiliſsime creditur fuiſſe contextam, ipſi enim ſunt illi de quibus dicitur: Qui operabantur byſſum in domo iuramenti, *1. Paral. 4. d* id eſt, in tabernaculo fœderis, quod fuit pectus Virginis, in quo angeli habitant non otioſi, ſed plectentes & texentes ſubtilia, & ſubtiliori modo, quàm poſſet dici vel cogitari. *Exẽplum.* Si enim tam parua beſtiola, vt eſt aranea, de proprijs viſceribus ita fila ſubtilia educit, ac telam ita ſubtiliter texit, vt ſi numquam fuiſſet viſum, vix fuiſſet creditum, quo modo putas illi beati ſpiritus, qui illa viſcera Mariæ Virginis cuſtodiebant, ſubtiliter operarentur in eis & ex eis, ne videri poſſet a diabolo opus quod faciebant, vt filius Dei caperetur amore? Iam ergo per huius Virginis munditiam venit filius Dei ad nos: vnde in Euangelio ſequitur:

Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis: rogauit eum a terra, id eſt, a terrenis, *reducere puſillum:* hæc eſt altera ex duabus quas viderat filius Dei, qui ſe humiliauit in virgine, vt aſcenderet in Eccleſiam militantem, quæ nauis dicitur Simonis, qui interpretatur obediens: *Chriſt᷑ meruit fieri caput per obedientiam.* nam per obedientiam Chriſtus meruit fieri caput Eccleſiæ, Paulo dicente: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum. *Phil. 2. a* Et propter eandem cauſam Petrus Chriſto ſucceſsit, eius principatum tenens: quia ei obediuit primo, & in pluribus, quàm alij, vt patet legentibus Euangelia.

gelia. Eccleſia ergo militans eſt Chriſti, & eſt Petri, quem Chriſtus æquauit ſibi, eum caput Eccleſiæ relinquens: hoc lutherus nullo modo patitur. Sed vos fideles aduertite primo hanc nauiculam eſſe militantem Eccleſiam, quæ nauicula dicitur reſpectu alterius, ſcilicet triumphantis, quæ maxima eſt. Iam ergo iuxta Bedam & Ambroſium, hæc nauicula in qua Dei filius perſonaliter docuit turbas, præ admiratione irruentes in eum, Eccleſia eſt. Hæc dicitur Petri, hanc enim Petrus regebat, vt patet in præſenti Euangelio. Eccleſia ergo Chriſti eſt Eccleſia Petri, qui eam ei tradidit, eumq. caput eius conſtituit ſub ſe. Vnde Hieronymus exponens illud: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ait: Id eſt, ſuper te: & tibi dabo claues, &c. Hanc promiſsionem adimpleuit Chriſtus poſt reſurrectionem, dum dixit Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei Petrus: Etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dicit ei Ieſus: Paſce agnos meos, quod & tertio repetiuit, paſce oues meas. Hic ſoli Petro in præſentia aliorum Apoſtolorum commiſit oues, vt principi Apoſtolorum: nam paſcere in ſacris litteris ſignificat regere, & paſtores dicuntur reges: vt patet in multis locis ſacræ Scripturæ. Primatus etiam Petri probatur etiam ex multis alijs ſcripturis: Simon, ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vnde pro Petro rogat præ ceteris, & duo petit, indefectibilitatem fidei, & poteſtatem confirmandi fideles. Sic Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leo, Cirillus, & Beda capiunt. Dixit Chriſtus Petro: Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumés, da eis pro me & te. Patet Chriſtum pluribus diſcipulis præſentibus, ſolum Petrum ſibi æquaſſe in ſolutione tributi. Ita intelligit Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Ambroſius loca Scripturæ: vbi deſcribitur Apoſtolorum conſtitutio ab omnibus, Petrus vt caput nominatur primo: quod pro eius primatu Hieronymus, & Chryſoſtomus exponunt. Solus inſuper beatus Petrus ſuper aqua maris ad Chriſtum peruenit in ſignum ſingularis pontificij, vt ait Bernardus de cõſideratione ad Eugenium.

Ambro lib. 4. in c. 5. Luc. 10. 3. — *Hieron. lib. 3. in c. 16. Matt. 10. 6.* — *Ioã. 21. c* — *Iſa. 44. d & 56. d* — *Ier. 2. b & 22. c* — *Eze 34. a* — *Luc. 22. d* — *Matt. 17. d* — *Matt. 10. a* — *Mar. 3. b* — *Luc. 6. b* — *Hieron. lib. 1. in c. 10. Matt. 10. 6.* — *Ioa. 21. b*

Et ſi

Et ſi diſcipulis alijs imperatur in præſenti Euangelio, vt laxent retia, ſoli tamen Petro dicitur: *Duc in altum*: quod ponderat ſanctus Ambroſius. Tamen quia lutherus adhuc irrationabile dicit totam Eccleſiam ſubijci vni Petro, aduerte optimam rationem, quare ei committitur totum pecus. Fuit ſummus ſacerdos in veteri ac diuina lege, cuius auctoritas eſt in Deuteronomio. Et regimen monarchium eſt optimum, & talis inſuper ordo eſt in Eccleſia triumphante. Si ergo vt pulchre nimis inducit Nazianzenus, Moyſes in dubijs prouidit ſynagogæ: cur Chriſtus non prouidiſſet ſuæ ſponſæ Eccleſiæ? & etiã Gregorius ad hoc ſic ait: Omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios alijs occulta diſpenſatio poſtponit. Ipſa autẽ diuerſitas quæ acceſsit ex vitio, recte eſt diuinis iudicijs ordinata: vt quoniã omnis homo iter vitę non recte graditur, alter ab altero regatur. Deſiderat forte hæreticus Eccleſiam militantem non habere caput miniſteriale, & quòd fiat in Eccleſia quod ſcribitur in libro Iudicum. In illis diebus non erat rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi bonum videbatur, ſic faciebat. Noluit Chriſtus hanc licentiam in ſua Eccleſia remanere, ideo ei Petrum præeſſe decreuit, cuius eſt nauicula, de qua loquimur, in qua Chriſtus realiter ſedit, & ore ſuo docebat turbas Euangelium ſuum, tamen primitus inſtruxit Petrum, quem præfecit. Nemo igitur audeat, nemo præſumat aliunde captare doctrinam fidei: quia ſolum eſt in Petri nauicula, ſolum reſedit in Eccleſia ei tradita, cuius fides poſt conuerſionem ſuam non defecit, nec deficiet: quoniam non Petrus, ſed oratio Chriſti, cuius negotiũ gerit, hoc meruit. Ex his ad litterã ſequitur, quòd lutheri dogma furtiuũ eſt, quia non proceſsit, nec ſubiacere vult Petri vicario. Quòd autem Petro magiſterium primitus tradatur, patet per hoc quod ſequitur in Euangelio:

Amb. lib. 4. in c. 5. Luca. to. 3.

Deut. 17. c

Ibid. c

Greg. lib. 21. Moral. cap. 10. cir. med. to. 2.

Iudic. 17 b. & 21. d

Doctrina lutheri furtiua eſt.

Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum. In hoc vt notat Ambroſius, Petri auctoritas innuitur, qui vt patet etiam in præſenti Euangelio ſolus in verbo Chriſti laxauit rete, & ſolus audiuit ab eo: *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Quis, o fratres mei, nunc ſufficeret enarare qualiter beatus Petrus in altum duxit ſibi traditam poteſtatem? nunc recenſere nolumus

Ambro. lib. 4. in c. 5. Luc. to. 3.

Matt. 14. c

Luc. 5. e quæ Ioannes, Lucas, & Matthæus recenſerunt de Petro,
Ioan. 6. b ſed quæ in actibus Apoſtolorum, pontifex iam creatus fecerit, audiamus. Nam primò Mathiæ ordinationem in
Petri mirabilia. Apoſtolatum direxit: Exurgens Petrus in medio fratrum
Act. 1. c dixit: Viri fratres, &c. Et etiam ſecundo in die Pen-
Act. 2. b thecoſtes omnes Apoſtolos defendit: Stans Petrus cum vndecim eleuauit vocem ſuam. Tunc ſane Spiritus ſanctus ſuggerebat ei: *Duc in altum*. Et laxauit rete cum tot
Act. 3. a millia conuertit. Tertio autem præſente Ioanne ſanauit
Act. 4. b claudum, & coram populo defendit. Quarto autem in
Act. 5. a conſilio defendit ſe & Ioannem. Quinto in Ananiam & Saphiram ſententiam mortis protulit, quod fuit maximũ
Act. 8. d poteſtatis coerciuæ iudicium. Sexto Simonis maledictam nundinationem coercuit. Septimo iuſſus fuit etiam gentes tamquã prælatus in ſuam poteſtatem ſuſcipere, quando vidit lintheum, in quo erant beſtiæ,& reptilia, &c. &
Act. 11. a factum eſt ad eum vox: Surge Petre,ſcilicet, *Duc in altũ*, occide, & manduca. Hic iuſſus fuit velut caput gentes in-
Act. 15. c corporare Eccleſiæ. Octauo in concilio Apoſtolorum fuit auctor ſententiæ ceſſationis legalium, vt docet Hierony-
Hieron. lib. 3. in c. 9. Amos to. 5. mus. Iam ergo in omnibus iſtis locis Chriſtus quaſi ceſſans loqui, ei frequenter ingerebat: *Duc in altum. Duc*, inquam, *in altum*, Eccleſiam meam. Vnde in præſenti Euangelio dicitur de Chriſto: *Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum,& laxate retia veſtra in capturam*. Chriſtus ceſſat loqui, dum ceſſat cum hominibus conuerſari, tamen in Petro nobis loquitur, & in vicario eius quotidie, cui præcipitur, vt in altum, id eſt, in profectum & meliorem frugem ducat Eccleſiam, quæ per mandata reducitur puſillum a terra, & per conſilia Euangelica in altum perfectionis ducitur. Laxantur retia,dum extenduntur etiam in Indos Euangelia Chriſti: ſed Petrus vt oſtendat nihil habere a ſeipſo, reſpondens ipſe Simon obediens, dixit Ieſu: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.*
Papa poteſt dare præcepta. Præceptorem vocat Ieſum,quaſi profiteatur ſe ei paratum obedire. Sed lutherus ex hoc arguit,quòd ſolus Chriſtus & non Petrus poteſt dare præcepta: cum in rei veritate Apoſtolorum præcepta ſint præcepta Chriſti dicentis:
Luc. 10. e Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.

Vnde

Vnde in Actibus Apoſtolorum dicitur: Cum pertranſiſſent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quę erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant in Ieroſolymis. Decreta, inquit, quia non erat ſolum decretum de ceſſatione legalium. Nam Chriſtus non ſolum dedit poteſtatem plantandi Eccleſiam per prædicationé, ſed etiam regendi & gubernandi, modo illa includit poteſtatem faciendi ſtatuta pro ſalutari regimine, ſine quibus hic non viuitur. Attendite igitur vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus, &c. Dum ergo Petrus Chriſtum vocat præceptorem, oſtendit ſe non excedere niſi ſecundum eius præcepta recturum Eccleſiam. Per noctem totam laborat, & nil accipit, qui ſuo proprio iudicio naturali regitur: Petrus autem non ſic, ſed in verbo Chriſti laxat rete doctrinæ: vnde propterea ſequitur: *Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* Quemadmodum apud Chriſtum fuit copioſa redemptio, ſic apud Petrum copioſa fuit animarum lucratio, quæ hic deſcribitur ſub metaphora piſcium. Vbi aduerte, quòd ſicut in hoc mari magno ſpatioſo diabolus piſcatur hamo, id eſt, per concupiſcentiam carnis, retibus, id eſt, per concupiſcentiam oculorum, & ſagena, id eſt, per ambitionem honoris: Sic etiam Dominus Ieſus hamo piſcatus eſt, de ſeipſo faciens hamum: vnde Iob quærit: An extrahere poteris leuiathan hamo? Gloſſa leuiathan hamo captus eſt, quia in Redemptore noſtro, dum per ſatellites ſuos eſcam corporis momordit, diuinitatis eum aculeus perforauit. Retibus etiam piſcatur Chriſtus per Apoſtolos, & præcones ſuos: Mittam vobis piſcatores, &c. Retia fuerunt prædicatores vel eorum conciones, ſicut & mali prælati vocantur rete diaboli: Laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor. Vnde vnum rete miſit Dominus in Indiam Thomam, alium in Italiam Petrum: & ſic de alijs quos laxauit in capturam animarum. Maria vero ſagena fuit totum occupans & amplectens, totum ad littus trahere ſatagens: vnde ait: Girum cæli circuiui ſola, & per conſequens quidquid cæli ambitu continetur: ergo & ipſum etiam infernum, qui in viſceribus terræ eſſe creditur. Vnde merito Maria ſagena dicitur, quæ non ſibi ſoli laborabat, aut pro ſe ſola, aut pro ſuis

Act.16.a
Act.20.f
Laborare die, & nocte quis dicatur.
Deus ac dæmon piſcãtur in mũdo.
Abac.1.a
Iob 40. c
Ier.16. c
Oſee.5. a
Eccli.24. d
Maria dicitur ſagena.

domeſticis, aut pro ciuitate ſua, aut populo, aut regno ſolicita extitit, ſed totum vniuerſum in ſuo concludens pectore, ipſius reparationem & reuocationem charitate copioſiſsima impetrauit. Vnde tot piſcatoribus in Dei opere laborantibus bene ſequitur in præſenti Euangelio:

Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Alia nauis, vt diximus, eſt Eccleſia triumphans, quæ ex militante quotidie impletur. Quos vocare decet in adiutorium noſtrum, quamuis lutherus dicat, quòd non oportet orare beatos, tamen nos exemplo Petri eorum auxilium imploremus, quoniam patrircha Iacob dixit:

Gen.48.c Inuocetur nomen meum ſuper eos, & nomina patrum meorum Abraam & Iſaac. Vnde ſi beatos inuocamus, ipſi inuocabũt Deum ſuper nos, quoniam propheta dixit:

Baruc.3.a Domine omnipotens Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael,& filiorum ipſorum. Nec ſolum beati homines, ſed angelici ſpiritus adiuuabunt nos, quia

Heb.1.d omnes ſunt adminiſtratores eorum, qui hereditatem ca-

Apo.8.a piunt ſalutis. Immo & cuilibet angelo data ſunt incenſa multa de orationibus ſanctorum virorum etiam terreſtrium, vt adoleret ea in altari aureo,quod eſt ante oculos

Act.27.d Domini. Si ergo Paulus orabat pro connauigantibus,cur iam qui eſt in portu ampliori charitate dotatus, non adiuuabit nos cum alijs, orando pro nobis? O igitur beati iam in portu ſecuri,mementote malorũ mundi,quæ etiam vos paſsi eſtis, experti malorum miſeris ſuccurrite, longe

Gen.40.c ſit a vobis obliuio pincernæ, qui abſolutus a carcere non habuit curam Ioſeph conſortis & interpretis ſui: caro veſtra & fratres veſtri ſumus,& conregnantes erimus. Si Dominus veſter Ieſus intercedit pro nobis,cur vos non adiu-

1.Tim.5.a uetis etiam nos? nam qui ſuorum maxime domeſticorum curam non habet,infideli deterior eſt; vos igitur quo modo poteritis obliuioni tradere filios veſtros? ſi Dominus veſter Ieſus in manibus ſuis deſcripſit nos, in corde veſtro nos ſcribite, vt obtineamus nunc in præſenti gratiam, & vobiſcum gloriam per Ieſum Chriſtum. Amen.

SERMO

SERMO DOMINICÆ QVINTÆ POST PENTHECOSTEN.

De remittendis querelis, ac etiam de amore proximi.

THEMA.

Frater tuus habet aliquid aduerſum te. *Matth. 5.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

MVLTVM equidem habet aduerſum nos frater noſter & Dominus Chriſtus, quod maxime oſtendit in præſenti Euangelio, dum dicit: *Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, vſque, *cælorum*. Hoc dicitur nobis, quibus abundauit iniquitas. Perfectiores veteris legis fuerũt ſcribæ, & phariſæi, ſuper quos abundare debemus, qui vix poſſumus adijcere ſtaturæ noſtræ cubitum vnum, nec no- *Matt.6.A* ſtram perfectionem cumulare. Et ſi non abundat iuſtitia noſtra ſuper abundantiam iuſtitiæ eorum, iam taxata eſt a Chriſto pœna, ne videlicet intremus in regnum cælorum, quod eſt durius inferno: nam acrior eſt pœna damni, quàm pœna ſenſus. Optimum tamen eſt nunc remedium: ſcio quid faciam, vt nos recipiat in regnum ſuum, cum amoti fuerimus a præſenti vita. Eſt quædam mulier tam gratiſsima ei, quòd eum fratrem noſtrum fecit, huic nunquam eſt clauſa ianua, omnium cauſas agit, & eſt beata Dei genitrix, cui cura eſt de his qui foris ſunt, puſillanimes iuuat, excluſos includit, peccatores iuſtificat, diminutos reſtaurat, de quo vt nos irritet ad petendum dicit: Vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. *Prou.8.c* Dominus poſſedit me. Ad Mariam igitur fratres eamus pro gratia obtinenda, quam vt aſſequi mereamur, ei offeramus. Aue Maria.

Maria excluſos ducit ad regnum.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Sap. 6. b

QVI puſillum & magnum fecit, de omnibus curam habet, qui læſo dixerat, ne iraſceretur fratri, nec ei maledictum redderet pro maledicto: nunc dicit lædenti, quòd frater ſuus læſus habet aliquid iuſtæ querelæ aduerſus eum, & ipſe Dominus qui amborum pater eſt, nec oblationem, nec etiam Miſſam vult recipere ab iſto, donec reconcilietur fratri læſo, qui habet aliquid contra lædentem ſe iniuſte. Sed quia læſus ſolet multa improperare, quamuis pauca patiatur: nunc aduerte quattuor ex illata iniuria reſultare in læſo. Primum eſt querela quædam coram Deo. Secundum eſt rancor in corde radicatus. Tertium eſt aliquod ſignum huius oſtenſum extra. Quartum eſt actio iudicialis contra offenſorem. De his quattuor agam in ſermone, oſtendẽs quid iuſte retinere, & habere poteſt læſus contra lædentem ſe.

Christus reconciliator eſt.

Auctoris intentio in ſermone.

Certior querela ſemper ex vera oritur calumnia, & non ex opinata contumelia, aut ficta: nam queruloſi vix audiunt verbum aſperum quin cõtra ſe dictum putent, immo & facta, quæ ex alia intentione proueniunt, ex malitia in ſe peracta decernunt: quamuis prolator verbi aut factor operis, nec ſi tu natus eſſes meminerit. Ex induſtria dæmonis prouenit falſa extimatio tua, qui ſeminat inter fratres diſcordias, & hoc faciunt pariter, qui ſunt ex parte eius, narrantes tibi maligniter, quæ ſimplici animo fuere prolata. Immo & ſunt quidam ſerpente callidiores, qui te & illum audientes referũt inter vos, quæ minime dixiſtis, nec etiam corde cogitaſtis; vt vos ad inuicem reddant inimicos. Sic dæmõ medius extitit in paradiſo inter Euam, & Deum mentiendo, vt ſuper eius mendacio amborum fundaretur vera diſcordia. Hos ergo fuge tamquã a facie colubri. Sed nunc de vera iniuria aut damno fari oportet particulari, ſinentes regnorum lites, & dominorum terreſtrium, & clericorum in beneficiis, quæ maleficia dici poſſunt, quando tot controuerſijs obtinentur: ſinamus pariter monachorũ veteres ad inuicem inimicitias, & præſumptiones, ac diſcordias inextinguibiles: ſed generalia odia vel ad Deum, vel ad generale conſilium deuoluentes,

Prima querela læſi in vero dãno.

Prou. 6. c

Eccli. 21. a

ſolum

ſolum agamus de iniuria peculiari vnius & vera, vbi ſi vel corpore læſus, vel pecunia fraudatus, vel denigratus fama immerito fueris. Ex hoc damno illato prius oritur in animo tuo querela ad Deum vſque proclamans: ſcis namque ex præſenti Euangelio, quòd fratris oppreſſor reus eſt gehennæ ignis, quam quia iuſte infliget ei Deus, ideo licite putas reclamandam, maxime dum in terra non fit tibi ius. Tunc forte dicere aſſoles inimicis tuis: Veniat mors ſuper illos, deſcendant in infernum viuentes. Immo & ipſi Deo ingerit læſus: Cur taces conculcante impio iuſtiorem ſe? mitte contra iſtum vindicem manum tuam, nec differas in poſterum, ſed in operibus manuum ſuarum comprehendatur: nam hæc & dixit & fecit in me, & addit peccare adhuc. Querela iſta fratres aliena ſit a viro Chriſtiano, nec eam habeat aduerſus fratrem: quia id habemus, quod de iure habemus: furtiua eſt, ſi eam habes. Nam vt ait quidam doctor: Lex Dei punitiua non eſt reclamanda a te, quia iudex iſte non dormit, nec gehennæ pœnam declarauit, vt eam alleges coram eo, ſed vt mali timeant. Si autem iuſtorum animæ proclamans: Vindica Domine ſanguinem noſtrum, ad nos minime pertinet hoc, qui in multis peccauimus: ideo mulier in adulterio depreheſa, & a peccatoribus accuſata, coram Deo non eſt lapidata: quia peccator vix auditur contra peccatorē in diuino iudicio: vnde phariſæi nullum commodum reportarunt. Time ergo ne dum iuſtitiam petis immediate a Deo, quod etiam veniet ſuper caput tuum rememoratis iniquitatibus tuis. Vox ipſius delicti clamat coram Deo: & clamor iniquitatis aſcendit ad aures eius, quod ſufficit. Nam & iudex delictum conſpexit, & iura dicunt humana, quòd notoria criminia teſtibus non indigent: immo & tunc ſi iuſtitiam peteres & vindictam, præter ea quæ dixi, duo mala faceres: primum, vecordem notares Deum: ſecundum, quia legem eius duriorē redderes, quæ dat locum pœnitentiæ, quem tibi deeſſe noles. Sed forte incuſabis, quòd Chriſtus in Euangelio euexit viduam reclamātem iudici. Ad quod ego: Plurimi ſunt inimici tui, videlicet, carneus appetitus, dæmon, & mundus, & quodlibet peccatum, contra quos Deum inuoca ſæpiſſime. Audi etiam gloſſam, quæ ſuper exemplo viduæ ait:

Pſ. 54. c *Abac. 1. A* Lex punitiua non eſt reclamāda. *Apo. 6. c* *Ioan. 8. A* *Luc. 18. A*

Nota quòd ſancti in terra degentes, nõ petunt vindictam aduerſariorum per gehennam, ſed orant Deum, vt deſinant eſſe mali, iuxta illud: Verte impios, & non erunt, ſcilicet impij. Vel orant, vt licentiam perdant, & tyrannidem, qua iuſtos inuadunt. Denique ſancti viri zelo iuſtitiæ moti, aliquando precabantur Deum, vt calamitates mitteret in aduerſarios, vt emendati non offenderent amplius Deum. Dato quòd ſanctis, qui purgatas habent animæ affectiones, liceat incuſare malos, & in eos clamare ad Deum, ab hoc ipſe qui peccator es, caue, nec ſermonem proferas, qui prouocet iram ſed miſericordiam, quamuis Dei iuſtitia ſe nunc dormire oſtendat. Vnde vt probat Gabriel, & Scotus, non datur caſus in quo abſolute liceat mortem appetere inimico, vel ſolum corporalem, quanto minus æternam! Nec malum verbũ loqui licet ad Deum, vel ſatellitem eius dæmonem contra fratrem te lædentem. Ex quo Chryſoſtomus ait ſuper illud Chriſti: Orate pro perſequentibus vos: Multi econuerſo humiliati, & terram fronte ferientes, ac manibus extenſis orant Deum, non pro peccatis ſuis, ſed contra inimicos ſuos, quod non eſt aliud quàm ſeipſos lancea transfigere: dum oras contra inimicum, eum, qui iuſsit orare pro illo, vt te audiat maledicentem eis. Quo modo poſsibile eſt te exaudiri, eo indignante, qui eſt te auditurus, maxime dum lingua feris eum pro quo orare iuſſeris? quid facis homo, ſtas pro impetranda peccatorum venia, & amaritudine imples os? tempus orationis tempus placationis eſt & gemitus, non furoris. Tam amicus miſericordiæ eſt Deus, quòd non vult aliquem nunc ad ſuam appellare iuſtitiam ante tempus: nam ſatis eſt ſibi curæ faciendi iuſtitiam, ideoq. cuilibet noſtrum dicit: Ecce ego iudicabo cauſam tuam, & vlſciſcar vltionem tuam. Deuiaret a recto ſi Deus vetaret nos ad ſuam appellare iuſtitiam, cum grauamur, ſi hoc interdiceret; ne nobis ſatisfieret, & vt hoc auertat a cogitatione noſtra, dixit ſe cauſam noſtram iudicaturum, immo & vindictam accepturum: nam ſciet, atque poterit eam plenius capere, ſed nimis lætatur interea, dum videt nos tam miſericordiæ deditos, vt eum pro aduerſarijs interpellemus, ita vt libẽtius, te audiat, dum pro inimico ipſe oraueris tuo, quàm alios amicos

Prou. 12. a

Sãcti quare precabãtur calamitates.

Gabr. 3. ſent. d. 30. q. vnica.

Orationis tẽpus eſt & placationis nõ furoris.

Ier. 51. d

Deus magis exaudit orãtem pro inimicis, quã pro ſeipſo.

amicos eius pro eo deprecantes, vt patet in aduerſarijs beati Iob, quibus parcere noluit, donec ipſe Iob pro ipſis intercederet, ſacrificiumq. offerret. Ergo ſimiliter tu offer Deo id, quod paſſus es ab inimico tuo, vt ei parcat miſericors Deus. Nec mireris quòd hoc expectet Deus atque deſideret, nam & ſæcularis iuſtitia non parcit inuaſori, donec inuaſus a querela deſcendat: ſi autem oret pro aduerſario, nimis valet oratio illa. Sic ergo Deus cupit te pro aduerſario orare, vt citius ei parcat, quia nũc eſt tempus miſerendi eius & noſtri: quantum ergo ad hoc chriſtianus quiſque tenetur, & ad iniuſtitiam non reclamare, nec a ſuis orationibus eum expellere, quæ offenſam intulit. Inſuper aduerte, quòd viri perfectiſsimi plus diligunt aduerſarium quàm antea: ideoq. inſtantius orant pro eo, memores beati Stephani, qui magis ex animo pro ſuis perſecutoribus orabat, quàm pro ſeipſo: nam dum pro eis orauit, flexit genua, & clamauit, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, & allegans pro eis addidit: Quia neſciunt, quid faciunt. Dum autem pro ſe oraret, nil fecit nec allegauit, nec dixit niſi hoc: Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. *Act.7.g*

Secundo ex iniuria illata ſequitur rancor ſeu maleuolentia in offenſorem: hunc rancorem etiam tenemur dimittere, vt ait Bonauentura: nam eſt contra amorem proximi, & contra charitatem, quin & Deus aperte iubet hũc dimittere, dicens: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum: ne habeas ſuper illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Super hoc ait Gloſſa: Ne tu diſsimules ex rancore peccatum alicuius, vt poſtea vindictam capias, nec fingas te eum odiſſe caute, vt corrigeretur: nam ſcriptum eſt: Noli eum putare inimicum, ſed tamquam fratrem eum corripe. Nec murmure detrahas occulte, ſed aperte eum carpe inter te & ipſum ſolum. Si quis proximũ ſineret cadere, vt culpabilior fieret, peccaret. Niſi ergo remiſeritis proximis de cordibus veſtris, Deus pater vindictam capiet a vobis: & Paulus ait: Eſtote inuicem benigni, condonantes inuicem, ſicut Deus nobis condonauit in Chriſto. Si ergo Deus tantum perdit rancorem, vt poſt veniam dicat, ſe non eſſe memorem iniquitatum

Secũda querela eſt rãcoris. *Leu.19.c* Correctio fraterna. *2.Theſſ.3.d* *Matt.18 d* *Eph.4.b*

noſtrarum:

noſtrarum: ſic pari forma nos qui tenemur parcere, debemus ex animo & totaliter miſericordiam veniæ præſtare, ac ſi nihil præceſsiſſet: nam Sapiens ait: Qui vindicari vult, a Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? memento nouiſsimorum, & deſine inimicari. Hæc ait Sapiens, qui verba multiplicat, vt rancorem a nobis expellat: hic aduerte, quòd eſt duplex rancor, alter eſt in ratione, alter tantum in ſenſualitate. Secundus quando expelli non poteſt, non eſt peccatum: nam caro noſtra naturaliter fugit lædentem ſe, & impoſsibile fere eſt, quin viſis inimicis tangatur ira. Beatus tamen qui nititur expellere hoc a carne ſua.

Eccli. 28. a

Ex illata iniuria ſequitur tertio ad extra ſignum rancoris, quod eſt multiplex. Primum eſt ei non loqui: ſecundum eo non couti: tertium nolle audire de eo, & ſimilia, quæ, vt ait Bonauentura, tenemur dimittere, dum tamen proximus ac inuaſor per ſe vel per alium orauerit nos, aut per epiſtolam, tamen vere fiat. Vnde ſi aduerſarius tuus humiliauerit ſe veniam poſtulans, teneris dimittere illa ſigna rancoris, quæ merito hactenus ei oſtenderas ad correctionem ſuam, qua viſa & adepta deſine ſigna illa, ſicut & reliqueras rancorem. Tamen ſi ſe noluerit humiliare, iuſte poteris ſeruare ſigna, non ad vindictam, ſed ad correctionem: ne iterum inuadat te, ac perinde labatur in peccatum. Et aduerte quòd dum veniam petit, obligatur ſibi ſatisfacere bono medio, quia Dominus dixit: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: Et ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi. Super hoc ait Beda: Non paſsim dicit parcendum ſed pœnitentiam agentibus, vt ſic & ſcandala & peccata euitentur, & zelus iuſtitiæ ſeruetur. Et Auguſtinus ait: Non parcens pœnitenti, non putet quòd Deus parcet illi: quia Deus negat veniam negantibus eam. Nam

Tertia querela eſt ſignum rancoris.

Luc. 17. a

Beda lib. 5. in c. 17. Lucæ. 10. 5.

Auguſt ſer. 126. de tēp. n. 10.

Nam ideo in oratione ſua inſeruit: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, quaſi dicat: Non dimittam ſi non dimiſeritis. Concluditur ergo quòd iudicium ſine miſericordia fiet contra nolentes miſereri ſuo inuaſori. Et merito tale iudicium fiet: quia ſi ſecundum delictorum qualitatem eſt plagarum modus, iuſte non parcit Deus eis, qui parcere noluerunt. Menſura eadem remetietur tibi. Deus qui cunctorum eſt pater, vult prouidere illi ſicut & tibi, te lucratur Deus parcens tibi. Et vult illum lucrari per hoc, quòd tu parcas illi: quin & ambos lucratur, dum vos paci operam datis. Si non parcis tua res agitur, periculum tuum vertitur, negotium tuũ periclitatur. Nam nec loqui poteris, nec orare niſi contra te, dum non parcis: quia Deus ſic orationem ſuam compoſuit, vt ſi non parcis, eam proferas contra te, & ſic ab ore tuo te Deus iudicet: nam dum orationem Dominicam pronuncias, ſententiam profers contra te, ac ſi dicas: Deus pater noſter, qui es in cælis, non dimittas peccata mea: quia ego nolo dimittere debitoribus meis. Dum ergo non parcis aduerſario tuo, tu ipſe ſis aduerſarius contra te, allegans contra te duritiam tuam. Si quis aliquod malum perpetraſſet in regem, & in præconem redundans: rex autem dimitteret partem ſuam parcens illi, præco autem noluiſſet, nonne præco ſtultus eſſet? Si autem rex iuberet illi, vt parceret, nonne magis ſtultus eſſet nolens, quàm primus offenſor? certe iſte plus offenderet quàm primus. Qui ergo te offendit, etiam Deo infert offenſam: quia ergo ille parcit ob ſolam contritionem, parce & tu: nam lex Dei hoc iubet. Alioquin te culpabiliorem alio iudica: quoniam ille non habet offenſum niſi te: tu autem habes offenſum Deum, cui non acquieſcis, nec mandatis eius. Sunt tamen aliqui ſectatores inimicitiæ, qui volentes ſigna rancoris ſeruare, dicunt: Ego bona volo ei, tamen alloqui nolo, ſint ſua ſibi, longe ſit a me, & ego ab illo, ne aliquo die iterum oriatur diſſenſio: nam eius conditio & mos aut conuerſatio, diſsimilis eſt operibus meis. Ad hæc & ſimilia verba paci aduerſantia dicit Apoſtolus, quòd non ſunt facienda mala vt veniãt bona. Mala ſunt ſigna rancoris, quæ ſeruari non debent vllo prætextu, nec etiã bono: vnde quando inimicus

Matt.6.b
Iac.2.d
Deut.25.a
Loquela non eſt neganda.
Matt.6.b
Exẽplum.
Excuſatio malorum.
Rom.3.b
Signa rãcoris mala.

tuus pœnitens ac ſatisſaciens veniam petit, teneris ei veniam præſtare, ac ſigna rancoris proijcere, & eum alloqui: nam loquela non negatur, niſi excommunicatis. Præterea iubet Apoſtolus nos ab omni ſpecie mali diſcedere, & nulla deterior ſpecies mali reperitur quàm negare inimico loquelam tuam. Nam ſtatim ille iudicat te odire illum, ceteriq. hoc videntes etiam perpendunt vos inimicos ad inuicem. Antequam veniam poſtulet, antequam emendationem promittat, bene poteris ei negare loquelam, non tamen poſtea, quia iam confuſus erubuit: quapropter magis indiget conſolatione quàm rigore. Reſpondere adhuc non ceſſant bellicoſi dicentes, quòd in ſacra pagina licite inueniũtur ſigna rancoris ſeruata: nam Dauid duobus annis loquelam negauit Abſaloni filio ſuo, & ipſe Deus iuſsit ſeruari virgam in ſignum rebellionis filiorum Iſrael: ſic ego in ſignum quòd ille oſtendit me, ſeruo ſigna rancoris, licet non ipſum rancorem. Hæc exépla miſericordiam non primo merentur ſed iram: quia male adducuntur, & peius intelliguntur: hæc ſigna non poterit ſeruare chriſtianus, cui iubet Chriſtus amare, & benefacere, & orare pro perſequentibus ſe, & cetera quæ ad hoc mandatum pertinent. Non faceres ei bonum aliquod ſi ab eo demis & ſeparas loquelam tuam, quæ eſt minus bonum ei præſtandũ & dulcius, ac per conſequens magis debitum. Nam ille inſpector cordis non eſt, ideoq. dum ei loqui deſiſtis, quo modo poterit ſcire, te eum amare? nemo iudicat niſi ex viſis & auditis: in te omnia ſunt mala dum ſeruas ſigna rancoris, ergo non credas nec tu tibiipſi: nam iniquitas odij mentitur tibi, atque fallit, cum te credere facit, quòd proximum diligas, cui amoris inditia negas. Nec dicas quòd ſatis ſit Deo, te diligere in corde creaturam ſuam: nam etiam in hoc negotio iubet oſtendere ad extra bonam conuerſationem tuam amicabilem ad ſocietatem: ne ſcãdalizes vel vnum ex puſillis, aut ceteris præbeas occaſionem vetandi loquelam ſimiliter proximo. Tu & propriam domum atque familiam totam alterius ſcandalizas, ei negando loquelam, quam nec Iudæ Chriſtus negauit. Ad illud de Dauid nolentis loqui Abſaloni, perpende quòd erat iudex, eumq. per duos annos exulem fecit, tu auté noli fieri iudex in cauſa

propria.

1. Theſſ. 5 d

2. Reg. 13 ſ

Nu. 17. d

Inimico ſunt ſigna amicitiæ monſtranda.

Inditium rãcoris cauendum.

propria. Et illa quam dixiſti, virga non fuit rancoris, ſed amoris ſignum, quia florida erat, & fructum medicinalem habuit. Quod autem Deus ad vtilitatem populi virgam ſeruari iuſsit, patet per hoc quod immediate ſubditur: Quieſcant querelæ eorum, quas habent contra me, ne moriantur. Aduerte ergo quàm iuſte de te Deus & aduerſarius tuus poterunt conqueri. Nam & ſuper Cain non odij, ſed protectionis ſignum poſitum eſt poſt delictum, ne quis noceret ei. Atque Deus ipſe ſerpentem ſuſpendi fecit in ſignum amoris, ne morerentur inimici eius. Et leuat ſignum ad nationes, non vt diſpergat, ſed vt congreget diſperſos Iſrael: ne igitur ſerues rancoris inditium. nam loquelæ negatio ſignum ſuperbiæ etiam eſt, quod exemplo Eſther debes abominari. Habe autem ſignum amoris virgam auream bonæ loquelæ, qua ſignum clementiæ proximis monſtratur. Nil ergo nunc ſupereſt nobis dicendũ, niſi quòd vt ait Chryſoſtomus, ſic Deus faciat tibi, ſicut tu facis cum proximo tuo, ſcilicet quòd te diligat in corde ſuo, qui nihil audiuit eorum, quæ fecit, non tamen oſtendat tibi ſigna dilectionis ſuæ, nec tibi vmquam loquatur, aut benefaciat, nec iungat te ſibi, nec intres in domum ſuam, quia ſatis eſt, quòd te diligit intus.

Nu.17.d *Gen.4.e* *Nu.21.b* *Iſa.5.f* *Eſth.14.e*

Quartum quod ex illata iniuria ſequitur, eſt actio iuridica ad procedendum contra offenſorem tuum, petens ab eo omne damnum tam famæ quàm diuitiarum, quod ex eius iniuria ſecutum eſt. Hoc quod eſt principale remanet tibi: nam poteris licite eum conuenire coram veſtro iudice, vt tibi iubeat ſatisfieri ſecundum iuſtitiam ſuam, quæ nullum malum relinquit impunitum. Cuicumque igitur ſiue ſacerdoti, aut monacho, aut ſæculari manet ius conueniendi offenſorem, donec reddat omne damnum ex illata iniuria proueniens, ſubiaceatq. pœnis in iure taxatis ſimilibus caſibus. Videat tamen qui iuſtitiam petit, quo animo illam exequatur, quia ſecundum Scotum tenetur deponere omnem rancorem, & non eam petere amore vindictæ, ſed amore iuſtitiæ: quia iuſte iuſtitia petenda eſt, immo & cum pœnitentia, vt te pœniteat illum pati, aut affligi: tamen ne deteriora contingant, opus eſt punire malefactores. Sicut chirurgus vrit vulnera infirmi

Quarta querela iuridica actio eſt

Exẽplum.

infirmi non liuore ſed cōpaſsione ac deſiderio ſalutis patientis, ſic tu teneris procedere contra aduerſarium tuū, nolens eum perdere ſed lucrari, quia frater tuus & filius Dei eſt, poteritq. ſaluari, & eſſe tecum in perpetuas æternitates. Si ergo iuſte poteris accuſare proximum inuaſorem tuum, & illum iuſtitiæ tradere, vt pœnas luat, ſequitur quòd ille mortaliter peccat, dum veros teſtes non admittit ſed eos calumniatur, ac infames oſtendit. Peſsimū enim eſt ſe iniuſte cum damno alterius defendere, quia ſolum cum moderamine inculpatæ tutelæ vim repellere licet & non aliter. Nec inter monachos deeſt hoc malum. Væ autem prælatis, qui nō expellunt ab ordine ſeditioſos: nam ſi adeſſet priſtina ſanctitas, quilibet ordo eſſet in pace, quia tamē adeſt ambitioſa iniquitas, oportet vt ait Zacharias, quòd in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo ſeruetur ordo. Prius dixit in ſanctitate, quæ ſcilicet fuit in priſtinis monachis, qui vltronei manebant in cœnobijs ſuis, ſed iam in iſtis, qui ſunt detēti velut aqua putrida in ſtagno, perijt ſanctitas, quam reparat iuſtitia prælati ſeueri rigide caſtigantis ſeditioſos ac aliorum conuitiatores. Nec vllus ordo erit ſanctus donec ſtabiliatur, vt abeat qui voluerit, & qui non vixerit quiete, etiam nolens expellatur. Tunc reuera exirent a nobis, qui non ſunt ex nobis. Quātum ergo ad quattuor quæ diximus, aduerte quòd primū, ſcilicet querelam iuſtitiæ diuinæ teneris dimittere, nec dicas offenſori: Deus exquirat hoc a te. Secundum etiam, ſcilicet rancorem, teneris pari forma eijcere etiam nō requiſitus. Tertium, ſcilicet ſigna rancoris, debes etiam deponere, ſi alter pœnitentia ductus veniam poſtulauerit, & emendationem obtulerit. Quantum ad vltimum, ſcilicet reſtaurationem, ſiue ſatisfactionem tibi faciendam, manet tuum ius tibi, vt poſsis petere iuridice ab eo totum damnum, tam perſonæ quàm facultatis aut famæ.

Inuaſor poteſt conuerti.

Luc. 1. 5

Ordinis reformatio.

Epilogatio querelarū.

Quæ diximus neceſſaria ſunt etiā cuilibet chriſtiano, tamen perfectis nunc aliquid ſupereſt dicēdum. Mercenarij chriſtiani tenētur ad prædicta, qui autem ſunt filij Dei ad conſilia Chriſti conantur ſe transferre: nam in qualibet virtute eſt aliquid de præcepto, & aliquid de conſilio, ea quæ vidiſti pertinent ad præcepta, dicenda vero pertinent ad conſilia Chriſti, qui conſulit quo ad primum illorum

Proximi amoris perfectio.

rum

rum quattuor, quòd ores pro aduerſario tuo, & loco querelæ ad diuinam iuſtitiam, quam mali proclamant, tu deuotam orationem emittas, vt parcat illi Deus. Quo ad ſecundum, ſcilicet de rancore, vult amator Ieſus te diligere tenerius inuaſorem tuum poſt offenſam illatam, quia tunc in maiori eſt neceſsitate, & languentes maiori cõpaſsione indigent. De tertio vult Dominus, vt loco ſignorum rancoris, oſtẽdas etiam non requiſitus amoris inditia, & amicitiam offeras aduerſario, ne pereat in odio. Propter iſta tria dixit Dominus: Diligite inimicos veſtros: orate pro perſequentibus, & calumniãtibus vos: benefacite his, qui oderunt vos. Quo ad quartum perfecti chriſtiani petentibus tunicam dant palliũ, ideo cuncta diſsimulant propter Deum. In caſu tamen melius aliquando erit, vt ſoluat. Si tamen dum ſoluit non melioreſcit, dimitte illi, etiã ingrato, quia pater miſericordiarum benignus eſt etiam ſuper ingratos, vt ait filius eius, qui nouit mores patris, & etiam Sapiens dixit: Paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet. Deus paſcit inimicos exhibendo eis temporalia, & patitur adhuc peccata eorũ, & audit amara verba blaſphemiæ. Hæc ſeruus Dei pati debet exẽplo Patris æterni, vt ſcilicet doctrina, & ſubſidio paſcat ingratos inimicos ſuos, nec ſperet gratias, ſed poſtea etiam amaras detractiones audiet: nam forte murmurabunt pluſquam antea. Immo dicent tibi, quòd metu & non religione parcis illis, dicentq. malum de progenie tua. Et quòd tu non audeas loqui illis, ſiue eis opponi. Et conabũtur probare nil boni a te recepiſſe, ſed potius tibi præſtitiſſe, quia non te interimunt, aut peſſundant. Hæc eo amariora ſunt, quo ad inimicos frequentius ea oſtenderis, reſpice Deum, pro quo ſolo hæc ſufferenda ſunt, & non erunt amara ſed dulcia. Qui ergo portat ingratos, crucem portant cum Chriſto. Crucem, inquam, magis diuturnam, quia indies durat, immo & quotidie augetur. Et vix aut numquam habebit obuium Simonem Cyrenæum, vt eum adiuuet hanc ferre crucem: nam ſunt multi homines, qui non hortantur ad iſtam virtutem, ſed alios retrahunt, ac ſeparant ab ea, ingerentes tibi ſuperborum exempla, vt vindices cauſam tuam ſicut illi fecerunt, qui malum pro malo reddentes victores effecti ſunt. Tu autem frater non quæras quæ tua ſunt,

Matt. 5. g

Luc. 6. e
Eccli. 29. d

Murmurano contra condonantes.

Matt. 27. d

1. Cor. 10 e

ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, vt cum eo ſaluus ſis. Omnes quidem crucẽ portant, quia non ſine labore redditur malum pro malo, tamen iſti portant latronis mali crucem, immo & gladium Petri, de quo dici poteſt: Qui gladio ferit, gladio perit. Iſtis enim numquam deerit lex talionis ſuo tẽpore, quam Chriſtus abhorret, qui propterea in contrarium iuſsit, vt percuſſa quidẽ altera maxilla, percuſſori obijceretur altera, ne chriſtianus quiſque adderet conuitio reddere conuitium, cum & Ieſus cunctis præceperit orationem pro inimicis veraciter fundere: vt retaliare nemo præſumeret. Vt autem tu ſumas animum ad virtutem hanc, dico tibi quòd non minus eſt pro conſilio patientiæ Chriſti ſeruando, in cõtumelijs lætari, quàm illud de quo dicitur: Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. O ſi & nunc iremus & nos de virtute in virtutem a conſpectu perſecutorum noſtrorum, quoniam digni habiti ſumus ab eo pro conſilio ſuo, ſcilicet patientiæ ſeruando, contumeliam illatam pati. Quid nunc dicis, quòd martyres eſſe non poſſumus, cum parum differant a martyribus, qui veraciter & pure contumelias gratãter patiuntur pro conſilio Chriſti cõplendo? Iſti ſane abnegant ſemetipſos crucem in altum quidem tollentes, vt ipſum Chriſtum (quamuis nõ paſsibus æquis) ſequantur. Triplex eſt crux, ſcilicet mali latronis, & boni, & Chriſti: primã quidem baiulant, qui recalcitrantes patiuntur pro ſuis ſceleribus. Alteram vero deferunt, qui pro ſuis patienter patiuntur peccatis. Crucem autem Chriſti ſublimiter baiulant, qui pro virtutibus exhibitis contumeliam reportant. Talis equidem crux erit eis vehiculum gloriæ, & ſcala cæli, qua videbit angelos pro illo aſcendentes, ac deſcendentes, vt eum in humilitatem deſcendentem faciant, & poſtmodum in gloriam, quam mihi & vobis præſtet Dominus Ieſus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Amen.

Matt. 26. e

Luc. 6. d

Act. 5. g

Patiẽtia dicitur martyrium.

Crux triplex.

SERMO

SERMO DOMINICÆ SEXTÆ POST PENTHECOSTEN,

Ex Euangelio de miſericordia Chriſti erga nos.

THEMA.

Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me. *Marc.* 8.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

EO. noſtra opera meritoria dignoſcuntur, quo in Deum tendunt: vnde propterea dixit Sapiens, quòd Deus fecit hominem rectum, ſcilicet ad ſe, vt mereri poſſet operibus ſuis attingẽdo finem ſuum. Nec enim per qualemcũque fidẽ acceſſum habemus ad Deũ, ſed per eam fidem, quæ per dilectionẽ operatur. Opera vero miſericordię, quæ proximis exhibentur, non videbantur Deum attingere, ſed in via remanere: Deus autẽ ita diligit a nobis obtineri, & tangi, quòd nollet ſub aliquo inferiori nos detineri, quoniã propterea iuſsit: Neminem per viã ſalutaueritis. Sed ne quis dubitet, an opera pauperibus impenſa etiã ipſum Deum cõcernant dixit ipſe: Quidquid vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Optimam quidem ambagem reperit, vt opera miſericordiæ noſtræ adirent faciem eius. Sed meliorem ambagem, immo & compendium inuenit beata Maria, vt ipſimet perſonæ Dei miſericordiam præſtaret: quia non ſolum minuit eum paulominus ab angelis, ſed eum fecit agnum ita pauperẽ ac nudum, vt matri ſuæ dicere valeat: Pellibus et carnibus veſtiſti me, quaſi dicat nudus eram: et mihi veſtem tribuiſti naturalem. Huius rei figura eſt in

Eccls.7.d — *Gal.5.b* — Opera miſericordiæ Deum concernunt. — *Luc.10.a* — *Matt.25.d* — Mariæ exhibuit miſericordiã Deo. — *Pſal.8.b* — *Iob 10.b*

Gen.27.b Rebecca,quæ videns pauperem filium ſuum Iacob,ei contulit pelles, quibus protexit eum. Et poſtea veſtibus maioris filij valde bonis induit eum. In pellibus oſtenditur naturæ indumentum, quo Maria induit filium Dei: nam
Phil. 2. c in eo teſte Paulo: Habitu inuentus vt homo, ſcilicet mortalis Chriſtus eſt. In veſtibus valde bonis oſtenditur miſericordia, quam beata Virgo exhibuit Chriſto, cui ſeruire ſatagebat melius quo poterat. Sicut ergo lac ipſum, quo Maria nutriebat Chriſtũ, erat optimum: ſic & panis, & cetera quæ præſtabat ei, prout ſibi poſsibile erat: immo & cruciabatur ſpiritus eius in ea, dum præ inopia eum pati aliquid videbat. Nec enim putabat ſufficientem totum mundum, vt Chriſto deſeruiret, cum quo ſeptem opera miſericordiæ turbata erga plurima exercuit, de quibus nunc recenſere longum eſſet. Vnum tantum aduertite: quoniam & ſi nos nullam miſericordiam poſſemus exhi-
Pſ.15.a bere Deo: Quia bonorum noſtrorum non eget, Maria duplicem habuit miſericordiam: priorem in ipſum Deum, poſteriorem vero in proximum, de hac minore ait: *Miſereor ſuper turbam*. Si ergo miſeretur noſtri, nos tale beneficium recognoſcentes, ad eam pro gratia genibus flexis deferamus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

DVM verba thematis ingerimus auribus veſtris, non vtcumque audiatis ea, ſed tamquam ab ore Chriſti promanantia: cuius miſericordia non ſolum eſt ſuper om-
Pſ.144.b nia opera noſtra, ſed ſuper omnia opera ſua, eſt enim miſericordia Chriſti excelſior vniuerſis operibus eius, & in gradu pluſquã heroico: vnde magis delectatur in ea quàm in creatione angelorum; quapropter ſanctus Dauid ait: In ſancto apparui tibi, vt videre virtutem tuã, & gloriam tuam: quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, ſcilicet omnium angelorum & hominum, quia non ſolum miſericordia Dei excedit eorum merita, ſed magis gaudet exhibendo miſericordiam hominibus quàm angelis mi-
Luc.15.a niſtrando vitam: vt patet in exemplo de oue, cui maximam miſericordiam exhibuit, quod iudæis expoſuit, dum eum miſereri vetabant, quibus dixit, quòd plus delectabatur in

Deus plus delectatur in miſericordia, quã in alio quocumque.

Pſ.62.a

batur in miſerendo, quàm in recipiendo eorum ſacrificia, quæ Deo quotidie offerebant. Magis delectatur Deus dum miſericordiam impendit nobis, quàm dum ſacrificia eidem immolabant. Magno ergo pondere pronunciandum cenſeo: *Miſereor ſuper turbam, &c.*

Sermo erit de miſericordia Chriſti bipartitus. In priori parte de miſericordia exhibita pœnitenti. In altera de miſericordia generali Chriſti. Diuiſio.

PRIMA PARS.

NOLO, fratres mei, iuxta hæreſim lutheranorum ſic magnificare miſericordiam Dei, vt opera noſtra ſpernam, ac proijciam, quoniam ficta eſt talis magnificentia, quæ potius eſt paruificentia. Si enim, vt ait lutherus, opera eſſent hypocritarum, fruſtra diceret Ioannes de viris iuſtis: Amodo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. Et fruſtra Chriſtus diceret, vt volens in vitam intrare, ſeruet mandata. Et fruſtra in præſenti Euangelio euexit, ac laudauit laborem ſequentium eum. Vt autem oſtendamus quàm maior eſt miſericordia Chriſti, acceptando noſtræ charitatis opera, quàm ea reijciendo: aduerte quòd in Pſalmo, vbi nos habemus: Accepiſti dona in hominibus, Paulus legit: Dedit dona hominibus, quæ contraria omnino eſſe videntur: quoniam dare dona & accipere dona oppoſita ſunt. Si autem funditus perpendamus miſericordiam Redemptoris, illa cõtraria non ſunt: quoniam dum Chriſtus in hominibus accipit dona, quid aliud facit quàm ſua in compotum accipere? cum nil boni habeamus ex nobis, & ipſe Deus ſolummodo bona vellet accipere a nobis, neceſſario ſequitur, quòd quæ dedit nobis acceptare debet: ideo qui dedit dona hominibus, accipit meritum noſtrum dona in hominibus, quæ ipſe dedit. Tanta ergo eſt miſericordia Redẽptoris, quòd dum nos præmiat, dona ſua coronat. Et opera bona, quæ operatur in nobis, ac ſi nos ipſi ſoli ea operaremur, laudat, & extollit. Vnde incipit Euangelium:

Sola fides non ſaluat. *Apo.14.c* *Matt.19.b* *Pſ.67.d* *Eph.4.b* Deus accipit dona quæ dat.

Cum multa turba eſſet cum Ieſu. Turba multa dæmoniorum fuit cum Ieſu in cælo credẽtium eum, tamen non

dedit eis panem vitæ: quia Chriſtus per os Pauli dixit contra lutherum: Qui non laborat, non manducet, quod vtique & ſpiritualiter, & corporaliter ſeruari debet. Illa ergo turba dæmoniorum in veritate non ſtetit, nec voluit ſuſtinere Ieſum aut momento vno. Sed quid magni eſt eum ſuſtinere? ſi eum lucifer ſuſtinuiſſet, aut viri ſuperbi, non caderent tamquam fulgur de cælo. Quantum ergo grauedinis habet ſuſtinentia Ieſu, cum Sapiens dicat, eius conuictum carere tædio & habere lætitiam & gaudium? ad hoc dubium Sapiens ait: Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat. Quantum ſit iſtud pondus, quo modo poterimus ſcire niſi honeſtatem Ieſu cognouerimus? de hac ſane dicitur: In operibus manuum illius honeſtas ſine defectione. Et ſuperius in eodem libro dicitur: Innumerabilis honeſtas eius. Vnde ſi nec deficere, nec numerari poteſt, infinita perhibetur: quapropter infinito pondere cecidit ſathanas, non quia ſe communicauit Filio Dei vti debuit, ſed quia male ſe voluit ei communicare, & eo abuti, habendo eum æqualem ſibi, quem ſuper ſe debuit habere. Qui ergo miſericordiam Ieſu voluerit obtinere, debet eum ſuper humeros ſuos ferre tamquam honeſtiorem, & ſe ei communicare, id eſt aſsimilare, vti fecit turba hæc, quando erat cum Ieſu, ſcilicet communicando laboribus eius, & fami. Væ autem nobis, fratres, qui a baptiſmate Ieſum tulimus ſuper nos, & crucem eius ſuper ſcapulas accepimus, & tamen vix ei communicamus, vix ei corde adhæremus, parum ſentimus in nobis, quod & in Chriſto Ieſu, cum debeat eſſe honeſtior, qui honeſtiori ſe communicat. Felix hæc turba Euangelica, cuius tanta erat honeſtas, tanta ſimilitudo Chriſti, vt Euangeliſta dicat: *Cum turba multa*, ſcilicet peccatorum amantium iam Deum ſuum, *eſſet cum Ieſu*. Felix ſocietas, cum quo nam ſunt angeli? cum quo ſunt Pater, & Spiritus ſanctus, cum quo eſt Maria Virgo, niſi cum Ieſu? nonne videtur vobis, quòd ipſa turba etiam miſericordiam exhibuit Chriſto, quem ſolitarium eſſe non ſinit? Nam Ieſus bona ſocietate gaudet, ipſo dicente: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego ſum. Turba ergo erat cum Ieſu, & Ieſus cum turba,

2.Theſſ. 3.c — *Eccli.13.a* — *Sap.8.d* — *Sap.7.b* — Societas Ieſu felix. — *Matt.18.c*

vt cam

vt eam lætificaret: quemadmodum olim conuenerunt ad ſanctum Dauid omnes qui erant amaro animo, & oppreſsi ære alieno, & in anguſtia conſtituti: vnde propterea de hac turba chriſtiana ſequitur: *Nec haberent, quod manducarent*. Ecce quantum Chriſto communicauit turba, quia non habet, quod manducet. Miſericordia Chriſti requirit miſeros: miſeros autẽ vocat mundus famelicos, & pro vltima iniuria dicitur alicui: Non habet quod manducet: non habet quod comedat. Sed vtinam ſuper nos eſſet iſta maledictio, qui ita ſoliciti ſumus, quid manducabimus, quid bibemus, quòd Aſſyrijs iam dedimus manum, vt ſaturemur pane, immo dedimus pretioſa quæque pro cibo non hominum, ſed porcorum, ſed dæmoniorum, qui primo adinuenit peccatum, quo in terreſtri paradiſo cibauit parentes noſtros, & nos fructibus, & pomis adhuc paratus eſt cibare, id eſt vanitatibus mundi, quæ ſunt cibus infantium, & non cibus grandium. Omnes igitur dicunt, & cum diuite Epulone proclamant: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur, ſcilicet fame in inferno, vbi deeſt gutta etiam aquæ. Ieſus autem famelicos requirit ſeruos, id eſt ab omni peccato ieiunos, vt patet in Dauid, qui ducem ſuum fecit illum virum, de quo dicitur: Non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus. Hic ſimilis erat Euangelicæ turbæ, in qua quilibet noſtrum figuratur. Nam ſicut homo eſt minor mundus, ſic etiam eſt turba minor, quæ tota eſſe debet cum Ieſu. Dum enim oculos tuos oculis ſuis conformas, & aures auribus, & manus manibus, &c. tunc ſane turba tua minor erit cum Ieſu, erit cum Filio Dei, qui non ob aliud membra ſuſcepit humana, niſi vt noſtra erudiret. Et propterea ſponſa in Canticis cum membratim ſponſum laudaſſet, concluſit, dicens: Guttur illius ſuauiſsimum, & totus deſiderabilis. Viceuerſa ipſe ſponſus in capitulo ſequenti membratim laudauit ſponſam ſuam, vt ſic pars parti correſpondeat, & quibus eſt vnus ſpiritus, ſit membrorum ſimilitudo. Alioquin quando reformabit corpus noſtrum configuratum corpori claritatis ſuæ, niſi nos per chriſtianos mores id cœperimus? Quod & Paulus prænotauit, cum dixit corpus humilitatis noſtræ,

1. Reg. 22. a

Iniuria quę paſsim irrogat pauperi.

Thre. 5. b

Iſa. 22. d

1. Reg. 30. c

Cant. 5. d

Mẽbra tũa Chriſto aptabis.

Phil. 3. d

non enim ſperes corpus laſciuiæ, aut gulæ configurandum Chriſto, ſed corpus humilitatis, quod in frigore & nuditate ſtat cum Chriſto ſuo. Si ergo a planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in nobis ſanitas, adhæreamus membris Redemptoris, & ſalui erimus. Vt ergo eius miſericordiam conſequaris, primo requiritur quòd per vnam fidem ſis cum Ieſu totus, relinquens vitam priſtinam, ſicut hæc turba fecerat. Secundo autem oportet quòd cibus deſit tibi, nec habeas panem mendacij, quem comedas: nam de hac turba dicitur: *Nec haberent quod manducarent*. Qui eſt cum Ieſu ſatis habet quòd ſaturetur, tamen ille vult nos manu ſua cibare, ideoq. deſiderat ne aliunde cibum requiramus animæ noſtræ: vnde dum filij Iſrael farinulam Ægypti habuerunt, noluit eis Deus exhibere manna, ne panem angelorum manducaret homo, donec relinqueret panem mendacij. Nam ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus Deus cibat: vnde hoc mirabiliter figuratur in libro Geneſis, vbi dicitur: Creuit igitur puer, & ablactatus eſt. Fecitq. Abraam grande conuiuium in die ablactationis eius. Creuit, inquit, puer, quoniam & nos creſcere oportet, vt Chriſtum comedamus, quoniam Auguſtino dixit: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Creuerat Euangelica turba, & cum eam Chriſtus videret a propria conſolatione carnali ablactatam, voluit exhibere ei grande conuiuium: vnde ſequitur in Euangelio:

Iſa. 1. b

Relinque cibũ mundi ſi uis paſci Chriſto.

Exo. 16. a

Pſ. 77. c

Iſa. 28. c

Gen. 21. a

Aug. lib. 7. confeſſ. c. 10. to. 1.

Conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Diſcipuli ſunt diſpenſatores turbæ: felix conuiuium, in quo ſenatores cæli miniſtrant. Prima ergo miſericordia Chriſti eſt, quòd Apoſtolos miſericordiam docet, vt & eos miſericordes faciat, in quibus omnes maiores docuit: quoniam, vt Pauli vtar ſententia, pontifex pro hominibus conſtituitur talis, vt condolere poſſit his, qui ignorant, & his qui errant. Gratias igitur referamus miſericordiæ Saluatoris, qui pro nobis conſtituit Apoſtolos, & etiam reges: nam quidquid ſublime eſt in Eccleſia propter nos, qui eorum miſericordia indigemus, factum eſt. Contemplamini, fratres, Dei clementiam,

Heb. 5. a

mentiam, qui vt nobis ſubueniret, domum euertit, & caput fecit propter pedes, & non pedes propter caput: quia non ſubditos propter prælatos, ſed prælatos propter ſubditos fecit Deus noſter, qui propterea dixit: *Miſereor ſuper turbam*. Felix turba Chriſti, & felicior ea vnus de minimis credentibus in eum, quoniam propter eos Apoſtolica ſublimitas conſtituitur, vt potentior ſit ad ſubueniendum puſillis. Quis deinceps, fratres mei, contemnet aliquem puſillum Chriſti, cum ipſe puſillis ſuis Apoſtolos ſubiecerit ad ſeruiendum? Ideo, vt prius dixi, magno pondere pronunciemus: *Miſereor ſuper turbam*. Non dixit: *miſereor* turbæ, ſed *ſuper turbam*, quia eam ad ſuperiora decreuerat agere, miſericordia eam coronare ſatagebat, eam extollere cupiebat: nam de ipſa miratus Deus dixit: *Ecce iam triduo ſuſtinent me*. O Domine Ieſu, ſub quo etiam angeli, qui portant orbem, curuantur, tanta eſt miſericordia tua, quòd magnificas trium dierum ſuſtinentiam, cum nos diu ſuſtineamus & Vicariũ, & Guardianum, & alios homines, quos poſuiſti ſuper capita noſtra, tamen noſtram ſuſtinentiam laudas, vt miſericordiam exhibeas ſempiternam, de qua mirentur Apoſtoli. Sempiternam, inquam, quoniam panis Chriſti confirmat cor hominis in eius fide, ne deficiat in via, vſque dum vadat in domum æternitatis ſuæ. Nemo, qui triduo Chriſtum ſuſtinuerit per fidem, & panem gratiæ ſuæ comederit ad animæ nutritionem, peribit, niſi hæc relinquat. Triduum debet chriſtianus ſuſtinere Chriſtum ſuum per fidem, eum credendo triplicis ſubſtantiæ. Habet enim deitatem, & animam, & carnem, quæ cõſequenter triduo debent ſuſtineri corde, ore, & manu. Chriſti deitatem ſuſtine, quoniam propterea ipſe dixit: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. Eius animam ore tuo ſuſtine: Quoniam corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Hæc autem confeſſio peculiariter animæ Chriſti debetur, quoniam confitetur nos corã angelis Dei, ſi eum coram hominibus confiteamur. Tertio autem debet eius caro manu noſtra ſuſtinere, quia ſi in manu Aggæi prophetæ factum eſt verbũ Domini, iam in manu noſtra Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. In manu, inquam, noſtra, id eſt, in operatione per eum dirigenda.

[Margin: Prælati ſūt ob. ſubditos, & non econtrario.]
[Margin: *Pſ. 103. b*]
[Margin: Triduum Chriſti quale ſit.]
[Margin: *Cant. 8. b*]
[Margin: *Rom. 10. b*]
[Margin: *Matt. 10. d*]
[Margin: *Agge. 1. a*]
[Margin: *Ioan. 1. b*]

Sed quia non paruò conatu opus eſt, nec paruo auxilio ad hæc ſuſtinenda, merito Chriſtus conuocauit Apoſtolos, quaſi miniſtros & coadiutores noſtræ ſalutis: nam Apoſtolorum verba ſunt hæc: Memoriam veſtri faciamus in orationibus noſtris, memores operis fidei veſtræ & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vt ergo Chriſtum triduo cordis, & oris, & operis ſuſtineamus, multo auxilio opus eſt: nam propterea ipſe dixit: *Si dimiſero eos ieiunos in domū ſuam, deficient in via*. Scitis fratres quo modó via eſt vita noſtra. Vita animalium via non dicitur, quia fine vltimo caret; homo autem vadit in domum ſuam, de qua Sapiens dixit: Reuertatur puluis, id eſt, homo in terram ſuam: & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Magna eſt via ex corpore mortis huius ad Deū vitæ meæ, qui eſt domus mea, quoniam ab eo exiui per creationē, & (ni fallor) ad eum vado per chriſtianam conuerſationem, tamen forte deficiam in via, id eſt, in vita mea peccatrice, lutoſa & ſcandalo plena, & incerta, & periculoſa: quòd via noſtra talis ſit, patet per hoc quod ſequitur in Euangelio præſenti:

1. Theſſ. 1. a

Animaliū vita cur nō dicatur via.

Eccls. 12. c

Quidam enim ex eis de longe venerunt. Quo de longius veniſti, eo difficilius redibis. Beda exponens, quo modo quidam de longe venerunt, ait: Eſt qui nihil fraudis, & nihil carnalis corruptionis operatus ad ſeruitium Dei feſtinat. Iſte de longinquo non venit, quia per incorruptionem & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitijs inquinatus, ſolum autem coniugium expertus, ad miniſterium ſpirituale conuerſus eſt. Neque iſte venit de longinquo, quia vſus coniunctione conceſſa, pro illicita non errauit. Alij vero poſt carnis flagitia, alij poſt falſa teſtimonia, alij poſt furta, alij poſt illatas iniurias & violencias, alij poſt perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt. Hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt: quanto etenim quiſque plus in prauo opere errauit, tanto ab Omnipotente Domino longius receſsit. Hæc ille. Vnde aduerte, quòd eo plus indiges alimento Chriſti, quo veniſti a longe: nam ipſe pro longinquis plus eſt ſolicitus: tamē Apoſtoli reſpondent: *Vnde iſtos poterit quis hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Videte quo modo iſti obuiant miſericordiæ Chriſti, quam

Beda lib. 2. in c. 8. Marci non lōge a prin. to. 5.

Quod non ītelligitur, impoſſibile exiſtimat.

cum non intelligant, putant impoſsibile, cùm Paulus dicat: Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia. Ecce quo modo nec Paulus omnino intelligit miſericordiam Dei, quamuis eam ſit conſecutus: vnde optime Chriſtus dixit: *Miſereor ſuper turbam*: Quia confortata eſt miſericordia eius, & ſuper turbarum intellectum eſt. Non ſolum ſuper intellectum ſed ſuper voluntatem, quia nec ſciret creatura tanta bona petere, quanta recipit à Deo, nec auſus eſſet tot poſtulare: & propterea dixit Paulus, quòd ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus: magnificauit Dominus facere nobiſcum. Sed quæramus ab Apoſtolis cur ſolitudinem vocant vbi eſt Dominus vniuerſæ creaturæ, in cuius manu ſunt omnes fines terræ? Nonne de iſta ſolitudine dixit Iſaias: Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit? Vt ait Plinius, nil fœcundius lilio albo, ideoq. poſtquam dixit Iſaias, florebit, addidit: Germinans germinabit. Exultauit ergo Saluator in prædicatione, floruit in miraculorum operatione, germinauit in peccatorum conuerſione. Sed adhuc eſt germinans in miſericordiæ omnimoda exhibitione: vnde perſeuerans dixit Apoſtolis in Euangelio præſenti:

Eph. 3. d

Pſ. 138. a

Pſ. 125. a

Iſa. 35. a

Quot panes habetis? qui dixerunt: Septem: Vt ſenſum moralem quem serioſe ſuper totum Euágelium protraxi, ſequar, nota quòd hi ſeptem panes, quos habent Apoſtoli, ſeptem Eccleſiæ ſacramenta ſunt. Piſces autem pauci, ſunt aliquæ ceremoniæ Eccleſiæ, quæ ad cultum Dei pertinent, quas Apoſtoli fecerunt: vt talibus ſignis diſtingueretur Chriſtianus ab infideli, vtpote conſignatio crucis in ſua fronte, quam quotidie in Eccleſia facimus, & cultus Miſſarum, & Baptiſmi. Nam in iſtis duobus ſacramentis, & etiam in alijs adiunguntur aliquæ ceremoniæ ex traditione Apoſtolica, quæ per manus ad nos deuenerunt. Septem cophini, ſunt ſeptem gratiæ Spiritus ſancti, quæ vſque hodie conferuntur in Eccleſia Dei: quoniam de capite ac eius corpore myſtico dixit Iſaias: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ, &c. Hæc remanent ex panibus ſacramentorum.

Ceremoniæ Eccleſiæ.

Crucis ſignum quorum ſit diſtinctio.

Iſa. 11. a

Quia

Quia per ea dantur. His ergo habitis per miſericordiam Dei omnia diſponentem, nil ſupereſt niſi vt homines chriſtiani, ſcilicet quattuor millia, ad quattuor Euangelia pertinentes, diſcumbant, id eſt, fruantur prædictis, quia Chriſtus per ſuos vſque modo operatur, & tam de nobis quàm de illis ait: *Miſereor ſuper turbam, &c.*

SECVNDA PARS.

Habetur in 3. Antip. ad Laudes in feſto corporis Chriſti.

SED quia de miſericordia Dei loqui cœpimus, & iſti ſepté panes pingues ſunt: Quia pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus: aduerte quòd in ſeptem panibus ſeptem miſericordiæ gradus deſignantur, quos Chriſtus aſcendit: nam eius miſericordia ſublimis eſt valde. Eius miſericordiæ gradus oportet vobis proponere, vnuſquiſque videat quem aſcendit: nam eo altius in iudicio generali ſedebis, quo nunc miſericordiam aſcenderis: quoniam quotidie canimus: Iucundus homo qui miſeretur, &c. Areſcentibus hominibus præ timore iucundus erit miſericors: quoniam dum diſceptatio iudicio ingruerit, rationem exigens operum miſericordiæ, vir miſericors optime diſponet ſermones ſuos in iudicio, vbi & de ſermone otioſo ratio exigenda eſt. Sed beati miſericordes, quoniam miſericordiam, quam exhibuerunt, conſequentur. Primus ergo largitatis gradus eſt dare ſuperflua, quem parum danti, & Chriſtus monuit, dicens: Quæ ſupereſt date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. Si tale præmium habet hic primus gradus, quale præmium erit gradui ſupremo? felix qui vbique cũ Chriſto dixerit: *Miſereor ſuper turbam*. Secundus gradus eſt dare neceſſaria, ſicut fecit illa vidua paupercula, quæ duo minuta, ſcilicet, totum victum ſuum elargita eſt, & eam euexit Chriſtus ſuper eos, qui aurum dederunt, quia reſpectu reſidui plus iſta dedit, cui nihil remanſit. Tertius gradus eſt dare non ſolum temporalia, ſed & omnem gratiam, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem, in alterutrum illam adminiſtrando: vnde Sapiens ait: Nonne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius quàm datum. Et Paulus ait: Habentes donationes ſecundum gratiam, quę data eſt nobis, &c. Quartus gradus miſericordiæ eſt vendere

Pſ. 111. a
Luc. 21. e
Matt. 5. a
Miſericordiæ primus gradus.
Luc. 11. f
Secundus gradus.
Luc. 21. a
Tertius gradus.
Eccli. 18. b
Ro. 12. b
Quartus gradus.

dere omnia, & ea dare pauperibus, & Chriſtum ſequi. *Matt.19.* Hic eſt gradus religioſorum, quem contra Chriſti conſi- *e* lium abhorrent hæretici. Quintus autem eſt de ſubſtan- Quintus tia animæ ſuæ dare eleemoſynam, id eſt, pro peccatis alio- gradus. rum lacrymas fundere, iuxta illud Ieremiæ: Effunde ſi- *Thre.2.f* cut aqua cor tuum pro animabus paruulorum tuorum, &c. paruulorum, id eſt, peccatorum. Sextus autem eſt quie- Sextus gradus. tem corporis, pacem pectoris, & pulchritudinem contemplationis pro amore proximorum deſerere, quod eſt quaſi anathema a Chriſto pro fratribus effici, & quodam modo ipſum Chriſtum pro Chriſtiani amore relinquere: Si *Ioã.21.d* diligis me, paſce oues meas. Hoc eſt proprie, vt dicit Bernardus, Iſaac pro Chriſti amore, & proximorum ſalute iugiter immolare: vnde Gregorius ait: Si vnigenitus patris pro explenda vtilitate omnium de ſecreto patris ad publicum noſtrum egreſſus eſt, nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum præponimus vtilitati proximorum? Septimus gradus miſericordiæ eſt animam pro fratribus Septimus gradus. ponere: Quia maiorem charitatem nemo habet, vt ani- *Ioã.15.b* mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Iſti ſeptem effectus ſeu gradus miſericordiæ ſunt ſeptem lampades plenæ oleo clemẽtiæ, ardentes ante thronum Dei. Sunt etiam ſeptem *Apo.4.c* panes conſperſi oleo, quibus Apoſtoli totum cibarunt or- *Zach.4.b* bem: ideoq. in præſenti Euangelio fatentur ſe habere ſeptem panes, quos Chriſtus multiplicauit: quoniam non ſolum habuit illos ſeptem gradus, ſed vnumquemque ampliauit in immenſum, ita vt cum illis cibaret ſeptem turbas refertiſsimas. Prima eſt turba mundi etiam iu- Turbæ cibatę a Chriſto quæ ſuerunt, & quot. mentorum, cui ſubuenit cum primo pane, id eſt, cum largitione de ſuperfluo, exhibendo omnia temporalia. Secunda eſt turba pauperum, quibus etiam ſibi neceſſaria tribuebat: ita vt oporteat eum aliquando ſpicas pro cibo *Matt.12.* ſuo colligere. Tertia turba eſt Apoſtolorum, quibus im- *a* partiatur gratiam ſpiritualem, ita vt eſſent abundantes in omni gratia per Chriſtum. Quarta vero eſt turba crucis, quæ egreſſa eſt ad ſpectaculum illud: huic omnia dedit, vſque dum remaneret nudus, & ingreſſus eſt religionem crucis. Quinta eſt turba Ieruſalem, quæ eum cum ramis recipit: & huic dedit panem lacrymarum, quando tunc temporis videns ciuitatem fleuit ſuper illam. Sexta eſt *Luc.19.f* turba

turba ſanctorum Patrum in limbo exiſtentium, pro qua Chriſtus anathema fit, dum dicitur: Male dictus omnis qui pependit in ligno: tamen ob id meruit eis illam benedictionem: Venite benedicti Patris mei. Septima turba eſt prædeſtinatorum, pro quibus animam ſuam poſuit Chriſtus, vt hic eis obtineret gratiam, & in cælo gloriam, quam mihi, &c.

Deu.21.d *Gal.3.b* *Matt.25.d*

SERMO DOMINICÆ SEPTIMÆ POST PENTHECOSTEN,

Coram inquiſitoribus in actu combuſtionis hæreticorum habitus.

THEMA.

Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth.7.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DOMINVS Ieſus in præſenti Euangelio homines arboribus comparat: Maria vero non cuicumque arbori comparatur ſed optimæ omniũ: quia Sapiens ait: Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam. Vitam habet pro fructu: quia nimis confert vitæ noſtræ. Aliæ arbores poma producunt, hæc autem producit vitam, non qualemcumque ſed omnimodam, quoniam ipſa dixit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Vita ſine virtute potior & melior eſt mors: quia mors interimit corpus, & vita ſine virtute interimit animam: vnde quia Maria eſt vita virtus cordium, dixit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Vel propterea dicit ſe habere

Prou.3.c *Eccli.24.c*

Maria eſt arbor vitæ omnes inuitans.

habere vitam, & virtutem: vt oſtendantur hæc duo vtrique homini prodeſſe, cum enim aliæ arbores corporibus tantum proſint, arbor vitæ Mariæ, quæ ſuis incolumem vitam præſtat, etiam confert animabus: habet enim vitam pro corpore, & virtutem pro anima noſtra, & horum pretium ſolummodo dicit eſſe ſpẽ, quia ſolo deſiderio vero præſtat vitam, & virtutem ſuis, quibus ait: *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini.* Ecce quo modo Maria gratia plena nos dicit implendos fructibus ſuis, quaſi dicat non eatis ad aliam arborem niſi ad me, quæ adimplebò in bonis deſiderium veſtrum. Nec mirum quòd noſtrum ſatiet appetitum arbor, ex qua Deus ipſe ad vmbram eius ſedens, comedit, & fructus eius dulcis gutturi ſuo: ſedit ad eius vmbram, dum requieuit in vtero eius: & guſtauit fructum, dum ad mammillas pependit: & ſic illa duo etiam Deo contulit, ſcilicet vitam, & vir tutem. Primum in ſacra incarnatione. Secundum autem in ſolicita nutritione: in altero dedit ei vitam humanam: in altero autem virtutem roboris & incrementi.. Cum autem hoc ſancti patres expectarent, recte dixit Maria: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis,* ſcilicet diuinitatis, & humanitatis filij mei. Nonne vidiſtis fratres arborem noſtram, nonne cernitis eſcam vniuerſorũ in ea? prius inuitauit nos, deinceps inuitauit Deum, poſtremo patriarchas, quid ſupereſt, niſi vt & angeli veniant? Sed iſti non inuitati venerunt ad porticum Bethleem, vt fructum arboris adorarent, & eo equidem fruebantur. Et quia nec ſolum Maria per ſingulos menſes profert fructum, ſed per ſingulam horam confert gratiam, ad eam genibus flexis pergentes deferamus. Aue Maria.

Eccli. 24. c

Cant. 2. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

ESSET quidem tolerabile malum, ſi peregrini, & negotiatores noſtri reperirent hæreticos in regnis alienis, vbi quotidie increſcunt, & alienos terminos inficere non verentur: vnde poſtquam Paulus monuerat Timotheum, vt recte tractaret verbũ veritatis, dixit: Prophana autem & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorũ, ſcilicet hæreticorum, vt cancer ſerpit.

Hæretici creſcunt.

2. Tim. 2. c

ſerpit. Chriſtus autem preſcius futurorum, volens vt termini orthodoxorum cuſtodirentur, ne eos inuaderent hæretici, præmonuit ſuos, dicens: *Veniunt ad vos, &c.* quaſi dicat quamuis multũ cuſtodiatis regna veſtra & patriam, vix poteritis hos lupos a grege veſtro arcere: quoniam ad vos latenter etiam quotidie veniunt *in veſtimentis ouium:* cauete tamen, quia, *intrinſecus ſunt lupi rapaces*. Tempeſtas ingruens frequentium hæreticorum nos compellit, vt iuxta præſens Euangelium exponamus, quæ agenda ſunt contra illos.

Diuiſio. In prima parte de veſtimentis ouium cognoſcendis.

In ſecunda de lupis arcendis & interficiendis, quia ſunt rapaces: ſic ergo exponam totum Euangelium.

PRIMA PARS.

Matt. 10. b *Pſ. 57. a* SVos Chriſtus docuerat, vt eſſent prudentes ſicut ſerpentes, obturantes aures ſuas ad vocem incantantium: nam ſi mater Eua diabolo non exhibuiſſet auditum, non diſſeminaretur in mundo hæreſis venenum, nec reuocaretur in dubium, quod antea decretum erat. Cum ergo nec per oculos, nec per manus, nec per guſtum hæreticos poſsimus deprehendere, quia omnes boni apparent, & tangi, id eſt, flagellari ſe permittunt vt martyres, & dulces etiam ſunt vt confeſſores ac doctores: tantummodo ſupereſt nobis auditus, quo eos poſsimus dijudicare, vt Iſaac dijudicauit, ac diſcernit filium minorem a maiori per ſolam auditus attentionem, dicens: Vox quidem vox Iacob. Tu ergo vide, quòd vt ait Chryſoſtomus, magna virtus boni eſt cognoſcere malum, & firma tutela ſalutis ſcire quem fugias: ideo incipit Euangelium:

Bonus auditus dijudicat falsũ, vt patet in Iſaac erga Iacob. *Gen. 27. c*

Attendite a falſis prophetis. Attendite, vt ſciatis verum a falſo ſeparare, quod ſolummodo facit auditus fidelis. Dum ergo Ieſus dixit: *Attendite,* mandatum induxit: nam ſi, teſte Philoſopho, contrariorum eadem eſt diſciplina, ſic eadem eſt obligatio qua tenemur verum credere, & falſum reijcere: nam ſicut per credulitatem veri meremur gloriam æternam, ſic per errorem falſi acquirimus pœnam æternam: vnde Sapiens ait: Attende tibi a peſtifero, fabricat enim mala; ne forte inducat ſuper te ſubſannationem

Ariſt. 3. metaph. contex. 3. *Eccli. 11. d*

nationem in perpetuum. Fabricare mala, & falſo prophetare idem ſunt. Iam ergo quia præceptum difficile Chriſtus dederat, ſcilicet de ſeparando falſum a vero: falſum, inquam, ſub prætextu veri, nec enim difficile eſt falſum a vero ſeparare, niſi illud falſum appareat verum, vt apud hæreticos apparet, quos nomine tantum, prophetas Chriſtus vocat, id eſt, obligationes inducentes, ac ſi deferrent mandata vera Dei ad nos, cum Dominus non ſit loquutus. Iam ergo quia difficiliter tale falſum poteſt a vero ſeparari, adiunxit Chriſtus modum quo fieret, dicens: *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium*. Nunc videnda ſunt veſtimenta pſeudoprophetarum, ſed prius attende quòd falſus propheta ſolum eſt, qui in his, quæ ſunt ad Deum, falſa miſcet: vnde vir qui eſt merus hypocrita, id eſt, qui temporale lucrum ſub fictione prætendit, non dicitur falſus propheta, quamuis induatur veſte ouium, id eſt, ſanctorum. Iam ergo veſtes ouium bonæ ſunt, ideoq. ſecurior latet ſub eis lupus, quamuis contrarios oui habeat mores: quia hic eſt rapax, illa vero liberalis: iſte ſæuus, illa mitis: iſta ſimplex, ille callidus: iſta inermis, ille armatus ſæuitia. Tam bonæ igitur ſunt ouium veſtes, quòd lupus inimicus eius induit ſe illis: quoniam rationibus orthodoxorum ſe muniunt hæretici, dum tamen eas videant ſibi fauentes. Ex veſtibus ouium fiunt membranæ, in quibus antiqui ſcribebant. Vnde noſtræ quidam tempeſtatis hæreticus, præcipue lupus iſte rapax Martinus lutherus, affert nobis membranas ouium antiquarum, id eſt, Euangeliſtarum, dicens: Ecce iſtud & iſtud tenet Eccleſia; & non reperitur in membranis iſtis: ergo non debet obſeruari, quia ſunt traditiones hominum. Sub hac veſte multi lupi latent, volẽtes rapere, id eſt, radere ab Eccleſia bonos mores, & antiquas conſuetudines, quas per os, & manus Apoſtolorum deuenerunt ad nos. Illa veſte protectus hæreticus proteruus non crederet perpetuam virginitatem Mariæ (ſicut Heluidius, contra quem ſcripſit beatus Hieronymus) quia in ſcripturis non probatur. Articulus in ſymbolo fidei, *Deſcendit ad inferos*, non expreſſe probatur ex ſcripturis, quare lutherus non crederet illum articulum: quia in nouo teſtamento non continetur. Si Paulum quis attulerit, dicentem: Quod autem aſcendit,

Fabricare mala, & prophetare falſa ſunt idẽ.

Propheta falſus quis dicatur.

Membrana fuit veſtis & lana.

Epheſ. 4. b

aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Mox dicet hæreticus Apoſtolum loqui filium Dei deſcendiſſe in vterum Virginis, qui deinde aſcendit ad alta cælorum. Similiter ſymbolum Athanaſij, nec Annam matrem Mariæ, nec diem dominicam lutherani non obſeruabunt: quia non continentur in membranis ouium, id eſt, in pellibus vbi ſcripſerunt Euangeliſtæ. Vnde iudicio lutheranorum Chriſtus non bene probaſſet contra Sadducæos reſurrectionem corporum, quia eis non adduxit clarũ textum, ſed quia dictum eſt: Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Iacob: non eſt autem Deus mortuorum, ſed viuentium: & tamen tunc ſolum viuebant ſecundum animas, non autem ſecundum corpora. Mali hæretici nolunt alium iudicem quàm ſcripturam, quia nec in veteri teſtamento lex fuit iudex, ſed ſummus ſacerdos. Si difficile & ambiguum. Et Propheta dixit: Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem, id eſt, expoſitionem legis, ex ore eius requirent, &c. Et catholici quoque maxime admittunt Scripturam, ſed intellectu ab hæreticis differimus: ideo oportet alium eſſe iudicem quàm ſcripturam, quæ eſt veſtis ouium, qua ſe induunt & protegunt lutherani, qui recipiunt ſcripturas ſicut iudæi vetus teſtamentum: quia inſiſtunt ſolummodo ſenſui litterali, & quæ ſunt eis contraria ipſi torquent: vnde ſunt theologi atramentales, aut membranei ſecundum corticem & ſuperficiem. Iudaicum eſt ex ſcripturis impugnare Eccleſiam, quia & ipſe lutherus in aſſertionibus dicit, quòd ſuperbis & impijs ſcriptura ſemper eſt occaſio maioris cæcitatis. Et hoc dictum redundat in caput auctoris, & ſuorum ſequacium. Nam etiam diabolus allegauit ſcripturam contra Chriſtum, dicens: Angelis ſuis mandauit de te, &c. Sed verum intellectum non tenuit, vt inducit Hieronymus cõtra Luciferianos. Atque ſcripturæ ſenſus non in legendo (vt iam vulgus lutheranæ hæreſis putat) ſed in intelligendo conſiſtit, vt Hieronymus ibidem docet. Iam ergo pellem ouis, id eſt, membranam ſcripturæ ab iſto lupo luthero debemus auferre: quoniam aliena eſt ab eo, qui caret oue ipſa, quæ eſt vera intelligentia ſcripturæ. Et vltra ſenſum ſcripturæ, attende contra lutheranos, quod ſi conſuetudo in ciuilibus habet vim legis; cur ergo non in vſibus Eccleſiæ?

Nam

Matt. 22. c
Exod. 3. b
Deut. 17. b
Malac. 2. b
Iudex eſt in Eccleſia Chriſtus.
Matt. 4. b
Hieron. in dial. contra Lucifer. in fine poſt Epiſt. 58. to. 2.

Nam ſecundum Apoſtolum Paulum conſuetudo Eccleſiæ valet contra contentioſos, qui ait: Si quis videtur contentioſus eſſe; nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Super hoc ait Hieronymus: Apoſtolus cum præcepiſſet orare velato capite, præuenit obiectionem, qua quiſpiam ei dixiſſet: Vbi ſcriptum eſt? per hoc quòd allegat cõſuetudinem. Hæc Hieronymus. Multæ igitur ſunt conſuetudines Eccleſiæ, quæ non ſunt in veſtimẽtis ouium, id eſt, in membranis: ideo & membranas, quas hæretici aſſumunt, debemus ab eis auferre tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, ſicut veſtimenta ouium deberent a lupis auferri. Secundo ouium veſtimentum eſt lana: vnde aduerte quòd inter animalia ouis videtur melioribus veſtita: hoc etiam veſtimentum auferunt hæretici, quando volunt videri oues. Piæ rationes lana ſunt, & veſtimenta ouium, id eſt, piarum mentium, tamen lupus, id eſt, hæreticus ne talis iudicetur, tuetur errorem ſuum rationibus pijs. Exempli gratia, lutherus hæreticus vult ne quis oret ſanctos, ne quis feſta celebret eis, ne quis ab eis petat ſalutem, qui vere fuerunt oues Chriſti, quorum pellibus ſe Martinus tueri putat contra eos. Sed videamus pias eius rationes. Prima eſt: Deus eſt pijſsimus, & infinite miſericors, & ſufficientiſsimus: ergo cum eum oramus, ſi aliquis intercedat: derogamus infinitæ miſericordiæ ſuæ, quæ per ſe audit immediate deprecantem. Nonne videtur vobis hæc ratio pijſsima? Eſt & alia ratio: Chriſtus in ſacris litteris dicitur ſolus Mediator, ſolus Saluator: ergo nullum alium ei debes adiungere, ne eum omnipotentem offendas, cuius nomen, eo teſte, omnia poterit obtinere. Ecce fratres mei potiſsimas in hoc rationes hæreticorũ, quæ dicuntur ſecundum ouium indumentum, ſcilicet laneum, quia piæ videntur, & velut lana fouent animã legentis: tamen ſi euellere ab iſtis lupis volumus hanc lanam, facile nudabitur lupus, & rapax iudicabitur. Nonne prima ratio (ſi eam moroſius aſpicias) excludit etiam ipſum Chriſtum, ſine quo impoſsibile eſt ad patrem peruenire? Nonne & altera ratio excludit merita corporis Chriſti myſtici, per quod multa bona operatus eſt nobis? Certe rapax eſt iſte lupus: quoniam Bernardus de hæreticis ait ſuper cantica, de hæreticis ſui temporis:

Cõſuetudo habet vim legis.

1. Cor. 11 c

Rationes piæ viſæ, ſunt veſtes ouium.

Ioã. 16. e

Hæretici ſunt rapaces.

Bern. ſuper Cant. ſer. 66. infra med. n. 1.

Irrident nos quòd infantes baptizamus, quòd oràmus prò mortuis, & ſanctorum ſuffragia poſtulamus: atque Chriſtum in vtroque ſexu tam in mortuis quàm in viuis proſcribere volunt. Nam & mortuis viuentium fraudant ſuffragijs, & viuentes nihilominus ſanctorum, qui diſceſſerunt, auxilijs ſpoliant. Hæc ille. Si autem rationes illas excutere velis, etiam rapaces intrinſecus reperies, dum auferunt a Patre Filium, & a filio fratres, quos non ſolum audit: ſed irritat ſæpius vt petant. Fatemur ergo petendum cum fiducia in nomine Ieſu: at hoc non excludit ſanctos, quia & per ſanctos velut membra petimus in nomine Ieſu eorum capitis. Et licet Deus ſit optimus, & miſericordiſsimus, tamen eſt ordinatiſsimus, diſponit omnia ſuauiter, & inferiora per media ducit ad ſuprema, vt ait Dionyſius. Perpendite tandem, quòd dum lupi ſe ouium veſtibus induunt, ſignum eſt quòd oues ſcoriarunt: ſic & hæretici volunt ſcoriare ſanctos ab honore ſuo, & caput a membris, Chriſtum a ſuis. Sunt & alia ouium, id eſt ſanctorum, veſtimenta quibus hæretici oſtentant ſe. Nam exempla bona ouium ſunt indumenta, & virtutes ouium Dei ſunt ornamenta, quibus hæretici induunt ſe: vnde vt parabolæ ſolummodo Chriſti alludam, & eam ſolum ſequar ſatis eſt de pelle & lana dixiſſe: quæ ſunt nota ouium veſtimenta, de quibus ait thema: *Veniunt ad vos, &c.*

SECVNDA PARS.

POSTQVAM in priori parte lupos ab vſurpatis & raptis veſtibus nudauimus, & raptores oſtendimus, quid nunc ſupereſt niſi eos interimere aut a grege arcere? O inſaniam hæreticorum mirabilem: nam vident ſe a Chriſto lupos vocatos, & adhuc obnixe contendunt ſe non fore abſcindendos ab Eccleſia, & componunt libellos de hæreticis non comburendis. Chriſtus autem non ſolum eos lupos, ſed etiam rapaces vocauit, vt innuat paſtoribus Eccleſiæ, quòd per excõmunicationis pœnam eijciãt eos, ne amplius & crudelius rapiant, & diſperdant oues. Immo ſi oues Chriſti ſcoriauit, cur lupum non licebit ſcoriare, & interficere? Dicunt hæretici quòd forte ex lupo

Hæretici ſunt puniendi.

fiet

ſiet agnus, vtinam ſiet: tamen interea foras eum agere oportet, immo & punire, quoniam ipſe Chriſtus videns Saulum rapacem lupum, afflixit eum vſque dum cadens in terra cæcatus in corpore, & illuminatus in anima proclamaret: Domine quid me vis facere? Hunc non ſtatim fecit Deus arietem ducem gregis, donec obſequeretur Ananiæ, qui dixit ei: Saule frater Dominus Ieſus, qui apparuit tibi, ſcilicet durus, in via tua mala, qua ſcilicet veniebas vt raperes nos, atque vinctos perduceres, miſit me ad te, & cetera. Ecce quo modo Ieſus per vicarios Eccleſiæ vult hæreticos illuminare, ne ſe liberos natos, & exemptos hæretice putent. Sed ne quis diceret, quòd hæreticus vſque dum obierit, expectari deberet, vt conuerteretur: Chriſtus in reliquo præſentis Euangelij oſtendit primo, quòd tardius reſipiſcunt, dum ait: *A fructibus eorum*, ſcilicet malis, *cognoſcetis eos*. Sed forte Domine fructus bonos ac dignos pœnitentiæ faciét, & reſipiſcent aliquando. Nequaquam, quoniam propterea, quaſi dubie, ſinens eis arbitrij libertatem, interrogat Chriſtus Apoſtolos, dicens de ipſis hæreticis prauis: *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Spinæ, quibus coronatur ipſemet Chriſtus, hæretici ſunt, qui etiam dicuntur tribuli, quia Chriſti corpus myſticum quotidie tribulare non deſinunt, & Eccleſiam Dei dicentem: Ad Dominum cum tribularer clamaui, &c. Sed ne aliquis hæreticus dicat, quòd vim infero huic ſcripturæ, dum hæreticos incorrigibiles probo, audi & Paulum dicentem: Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Ecce quo modo arcendus eſt lupus, ecce quo modo deſperanda eſt fere correptio eius, quod vix aut numquã corrigitur, de eo deſperandum eſt: comburantur ſpinæ iſtæ & tribuli, id eſt, hæretici Eccleſiam tribulantes: quoniam ideo ſequitur in Euangelio: *Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autẽ arbor fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Arbor bona erit ſi vere conuertatur hæreticus: & tunc faciet bonos fructus pœnitentiæ, ſed ſero. Nam arbor mala

[Margin notes: *Act. 9. a* — *Ibid. c* — *Pſ. 119. a* — Hæretici ſunt incorrigibiles. — *Tit. 3. c*]

mala excidenda, & comburenda eſt ſubuerſus hæreticus. Quòd autem in ſacris ſcripturis malę arbores ſint hæretici, patet per illud, quod iuſsit Dominus: Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. Antiquitus in nemore ſacrificare ſolebant, vbi dæmones dabant reſponſa, & ſic ſuos faciebant falſos prophetas, a quibus cauendum eſt. Sed forte dicet hæreticus: Hic tam bonã quàm malam arborem vetari. Nulla erat bona, dum in ea dæmon fatidica reſpõſa dabat. Tamen & eſt alius locus vbi ſolas arbores malas Deus ſcindi iubet, ait enim: Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia & in ceteros apta vſus, ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat. Ciuitas rebellis & repugnans eſt Babylonia, id eſt, hæreticorum confuſio: huic adiacent ipſi hæretici vallantes ac munientes ſeipſos, ex quibus ſubſciſsis ab Eccleſia, poſſunt fieri machinæ ad aliorum terrorem. Machina, id eſt, argumentum bellicum fit hæreticus, dum punitur duriſsime ad aliorum cautelam. Duo ergo dixit Chriſtus. Primo quòd hæc arbor mala debet excidi, id eſt, omnino per excommunicationem ab Eccleſia euelli. Secundo autem comburi: quia & *in ignem mittetur*. Hic nõ loquitur de naturali morte hæretici: quoniam de naturali morte hominis alibi dixit: Vbi ceciderit lignum ibi erit. Sed dum ſententiæ ſecuris ad radicem hæretici poſita fuerit, excidetur per anathema, & in ignem verum mittetur ab inquiſitoribus, qui tradent eum tamquam exciſum brachio ſæculari, vt eum tradat igni. Sed ſtatim hæreticus me carnificem proclamabit, dicens quòd nec ipſe Chriſtus, nec Apoſtoli eius talia fecerunt: immo Ioannem prohibuit, ne deſcendere faceret ignem de cælo contra eos, qui noluerunt Chriſtum recipere. Notum eſt, quòd Eccleſia non comburit eos, qui Chriſtum numquam receperunt, ſed eos qui eo iam ſemel recepto abierunt retrorſum, & fiunt canes reuerſi ad vomitum, deinde fiunt lupi rapaces. Denique ſolum eos punit Eccleſia, quibus contulit baptiſma, in quo ſe Eccleſiæ ſubiecerunt, quæ docet ignaros, & punit rebelles lumine fidei. Sed adhuc inſtat hæreticus dicens, quòd nec ipſe Chriſtus puniuit aliquos, qui eo relicto abierunt retrorſum, ſed ſolum dicit eos non eſſe

Deut. 16. d

Hæretici ſunt comburendi.

Deut. 20. d

Eccleſ. 11. b

Hęretici rationes ne puniatur.

Luc. 9. g.

Ibidem.

aptos regno Dei. Fatemur equidem neminem Chriſtum voluiſſe interficere, propterea quòd eum negaret & relinqueret: nam oportuit eum eſſe mitem & pium ſuper omnes homines, quia docuit fidem Euãgelij, ſicut naſcendo non inniti humanæ ſapientiæ: ita nec humanæ potentiæ vſquequo diademata regum ſe inclinarent Saluatori, qui tamen, facto flagello, dure puniuit eos, qui domum ſui patris, domum fecerant negotiationis, & durius puniſſet hos hæreticos, qui eam faciunt habitationem dæmoniorum, tamen in principio mitius agi debuit. De Apoſtolis autem, quibus commiſit Chriſtus, aliter eſt dicẽdum, quoniam Apoſtoli hæreticos excidere volebant, & in ignem mittere, dicente Paulo: Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. Ecce quàm feruide optat illos abſcindi; quòd ſi principes tunc fuiſſent Chriſtiani, ſine dubio obediſſent deſiderio Pauli: nam ſi imperatores puniunt furta, humicidia, rapinas, adulteria, periuria, cur non punirent hæreſes, & ſacrilegia? dicamus ergo cum Auguſtino: Nullus noſtrum vult aliquem hæreticum perire, ſed aliter non meruit habere pacem domus Dauid niſi Abſalon filius eius in bello eſſet extinctus: ſic Eccleſia, ſi aliquorum perditione ceteros colligit, dolorem materni cordis ſanat tantorum liberatio populorum. Hæc ille ſuper Ioannem. Si ergo Petrus ob minus peccatum interfecit Ananiam & Saphiram, nonne diceret nunc iuxta Chriſti decretum: Excidatur hæreticus, & in ignem mittatur? ſed quia forte prius aliqui conuertentur, addidit iterum Chriſtus: *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Si ficulneam infructuoſam volebat ſcindi, & aliam ſine fructibus repertam maledixit, quid faceret hæreticis tot malos fructus proferentibus? Iam ergo Dominus expedit ſe ab hæreticis, & eos reijcit velut in ignem ęternum, dicens: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnũ cælorum.* Hæretici vocant Chriſtum Dominum, quia ei ſe dicunt adhærere, ſeruientes ei. Et iterum vocant eum Dominum, quia eius ſcripta recipiunt, ac venerantur, tamen niſi tertio dicant eum Dominum in Eccleſia ſua, eius obediendo vicario, non intrabunt in regnum cælorũ cum illis, quibus dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Quis ergo intrabit in illud? quis poterit eo frui?

Ioan. 2. b

Apoſtoli puniũt hæreticos.

Gal. 5. b

2. Reg. 18 d

Act. 5. a

Matt. 25. d

Matt.7.c Qui facit, inquit, voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Voluntas patris eſt,
1.Pet.3.d vt intres in Eccleſiam, quæ, teſte Petro, figurata eſt in
Exod.8.d arca Noe, extra quam nemo vixit. Sed magi Pharaonis, id eſt hæretici, deficiunt in tertio ſigno, id eſt in Eccleſiæ obedientia: ideo non dicunt niſi bis: Domine, Domine. Non ergo hæreticus facit Patris voluntatem, cum
Luc. 10.c ſpernit prælatos Eccleſiæ, quibus dixit Chriſtus: Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum
Rō. 13. a qui me miſit, ſcilicet patrem meum: qui vult vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: quoniam qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. Nos autem fratres ſi oues eſſe volumus, & arbores bonæ, & fructus dignos Deo facere, & in regnum Eccleſiæ intrare per gratiam, obediamus prælatis Chriſti obedientis Patri, vt poſtea intremus in regnum gloriæ, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

SERMO

SERMO DOMINICÆ OCTAVÆ POST PENTHECOSTEN.

THEMA.

Erat diues qui habebat villicum. Luc. 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVAMVIS in hodierno Euangelio de malo villico fiat mentio, nec dubium eſt, quòd habeat bonus Dominus alium villicum bonitatis, qui bona Domini ſui non diſsipet, ſed aucta colligat, & ſeruet. Bona Domini Dei noſtri (vt noſtro modo loquar) ſunt mobilia, & radices generaliter diuidendo. Bona mobilia ſunt res corporeæ, quæ mutabilitati ſubiacent, & acquiſitioni, & deperditioni. Spiritus autem rationales ſunt bona radicata, ſiue ſtabilia, & nimium permanſura, quæ in ſeipſis habent radicem rationis, quam nec infernus poterit ab eis euellere. Hæc duo bona virgo Maria Deo appoſuit in annos plurimos reſeruata: vbi ſunt etiam omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. In opere incarnationis, ad quod Maria, vt ait Scotus, concurrit actiue, Deo adiunxit, & conglutinauit, atque vniuit & ſpiritualia & corporalia, carnem & animam, corpus & ſpiritum. Nam corpus Chriſti, Mariæ viſceribus formatũ, quattuor participat eleměta: ex quibus omnia viſibilia ſtant, & anima eius omnibus ſpiritibus & animalibus gratia melior eſt: ac ſi pro decẽ millibus, immo & præ omnibus computetur. Vnde liquet ſatis, quòd eminenter omnia bona Dei, Deo in æternum Maria ſeruauit: immo & ſua etiã bona in Deo repoſuit, ita vt Sapiẽs dicat: Stabilita ſunt bona illius in Domino. Ipſa autem Maria dixit: Cum eo eram cuncta cõponens. Villicus primus Adam

Colos.2.a *Scot.3.ſent. d.4. q.vnic.* *Eccli.31. b* *Prou.8. d*

cuncta diſtraxit: Maria vero cuncta compoſuit. Sed, o Maria ignoras, quòd villicus tenetur prouidere ſeruis domini ſui? ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad te; ne tantũ reſerues Domino, quòd nos famelicos derelinquas: non erit, ait Maria, immo propter homines nutriendos me villicum fecit Deus, & omnia, quæ ei collegi, vobis reſeruo: Nam vt ditem diligentes me, & theſauros eorũ repleam. Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum. Lætamini cũ Maria fratres: nam & villicus noſter eſt, quia vt ait Apoſtolus: Parentes filijs theſaurizare ſolét, propter quod Maria dixit ſe theſauros noſtros velle replere; ſcilicet gratia ſua, quà & illa repleta eſt, quam vt mereamur accipere, ei offeramus humiliter. Aue Maria,

Pſ. 122. a

Maria eſt villic' Dei.

Prou. 8. c

2. Cor. 12 e

ARGVMENTVM DICENDORVM.

DOMINVS Ieſus in hoc Euangelio parabolam proponit, in qua & ad miſericordiam prouocat & liquide oſtendit, quòd eleemoſyna plus prodeſt danti quàm accipienti. Dicit ergo quòd quidam diues bonus & miſericors habebat villicum, qui etſi malus fuit, tamen per eleemoſynam ſaluatus eſt, hic diffamatus eſt a dicentibus domino, quòd fere diſsipaſſet iam bona ipſius. Ille autem non per iuſtitiæ miniſtros, ſed ore ſuo vocauit eum, vt rationem redderet. Qui veniens ante dominum timidus vultum mutat. Ex quo dominus nouit malam rationem ſerui, & ait: *Iam non poteris villicare.* Ille autem conſcius diſsipationis ſuæ de ratione non curat. Sed pro altero die forſitan obtinuit dilatari rationem ſuam: de qua non cogitat, ſed ait intra ſe: *Quid faciam, quia, &c.* ſciens ergo dominus eius ſtationes, quas fecerat ad ſuos debitores, & quòd ſua debita partim dimitteret eis, non eſt ira commotus, ſed laudauit prudentiam eius, qua ſciuit ſubuenire ſibi de bonis alienis. Applicans Chriſtus parabolam dixit, quòd *prudentiores ſunt filij huius ſæculi quàm filij lucis:* quoniam iſte de bonis alienis pro tempore egeſtatis ſcit prouidere, & multi Chriſtiani ſunt, qui quamuis habeãt bona ditiſsimi Dei non prouident ſibi pro tempore alterius vitæ, quando nec laborare per bona opera, nec per orationes mendicare poterunt: non ſit ergo ſic, ſed

Expoſitio litteralis Euangelij.

ſed *facite vobis amicos,* ſcilicet pauperes, *de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis* per mortem, *recipiant vos in æterna tabernacula*, ad fruendum vita æterna.

In prima ſermonis parte exponã moraliter Euangeliũ. Diuiſio.
In ſecunda ſpiritualiter illud pertractabo.

PRIMA PARS.

NON pro ſe, ſed pro nobis ſe diuitem vocat Dominus Ieſus in hac parabola, dicens: *Homo quidam erat diues:* nam diuitiæ ſuæ ad nos diriguntur: Quoniam eſt diues in omnes qui inuocant illum. Quis eloqui valeat diuitias longanimitatis eius? ſunt Chriſto quædam diuitiæ, quas gratia accepit, & has dare non poteſt: tamẽ acquiſiuit alias non ſibi, ſed nobis, vt haberet: quæ poſſet egenis erogare. Chriſtus ingreſſus eſt in theſauros verbi, ſtatim quòd habuit eſſe, & per vnionem hypoſtaticam illico factus eſt infinite diues omni genere diuitiarum: Tunc enim diues, & pauper obuiauerunt ſibi: & pauper homo factus eſt infinite diues. Has diuitias gratis accepit, cum enim ante eas Chriſtus non fuerit, eas mereri non potuit, & etiam tantæ ſunt, vt ſub merito cadere nequeant: vnde ſecundum Auguſtinum: Hæc mera gratia eſt, vt homo fiat Deus. Vt autem Chriſtus haberet, quod egenis affluenter dare poſſet, peculium meritorum ſibi ex tunc cœpit acquirere in ſeruiendo patri ſuo, qui ſuos ſeruos ſecundum qualitatem perſonæ præmiare conſueuit, maioribus maiora tribuens, ſicut & reges terræ, qui nobilioribus miniſtris mercede nobiliori ſeruitia ſoluunt. Hæc eſt tamen differentia: nam in domibus regum mollibus veſtiti, & parum laborantes plurimum mercedis accipiunt. In domo Dei non ſic, ſed vtrumque penſatur, & perſonæ dignitas, & laborum quantitas: vnde quamuis beatus Thomas tantum meritum Chriſti, dicat ei prouenire ratione perſonæ, quæ infinita erat per vnionem homini communicata, vt ſic finite poſſet mereri, tamen laboris pondus & immenſitas multum adaugent meritis Ieſu: ſuper quem, verſum eſt totum pondus prœlij huius mundi. Vt clarius dignoſcere valeas infinitatem meritorum Chriſti, aduerte quòd ſi ceteri ſancti plurimum mereantur coram

Diuitiæ Chriſti.

Ro. 10. 6

Prou. 22. a

Aug. ſer. 9. in Natiuit. Dom. to. 10.

Dei & mũdi differentia in præmiando.

1. par. q. 19. art. 4.

Sancti præmiãtur vltra condignũ, Chriſtus autem citra.

Deo,

Deo, hæc eſt differentia inter Chriſtum & cœtum ſanctorum omnium, quòd eis Deus ſemper reddit præmium vltra condignum, conferens eis menſuram præmiorum, ſecundum ea quæ menſi ſunt ſeruitia: & vltra hoc dat ſeptuplum in ſinu eorum, & menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſuperfluentem, ſicut in monte, vbi ex quinque panibus, duodecim cophinos fecit Deus ſupereſſe, in ſignum abundantiæ glorioſæ, quam facturus eſt in cælo. Sed loquendo de meritis Chriſti, aduerte quòd ipſe ſolus præmiatur, & præmiabitur citra condignum, & minus quàm meruit. Ratio autem diminutionis huius vel poteſt prouenire ex parte Dei, qui tantum retribuere non poteſt: abſit tamen hic error. Nam ſolummodo prouenit ex parte Chriſti, qui nõ habet in quo ſatisfaciat ei Deus. Nam ſi Chriſtus haberet alium mundum ſaluandum & plures, adhuc ſupereſſent ſibi merita, Deusq. diceret ei: Quid amplius vis vt faciam tibi? Et illud Tobiæ diceret tota Trinitas, videlicet: Bonis omnibus per eum repleti ſumus. quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Quis, o fratres, non gaudeat, dum intelligit tanta Chriſti merita? Nam ſi haberemus tot peccata quot mare, & pluuiæ diluuij habuere guttas, & quot arenæ habent minutas particulas, immo ſi quilibet peccator totius mundi hæc haberet: horum omnium remiſsio debita eſt Chriſto. Venite obſtinati, venite rebelles, ſuperbi, auari, detractores, inuidi, hæretici venite, quia ſolutum eſt pretium redemptionis veſtræ. Et vt veniatis dicit de ſe Chriſtus: *Homo quidam erat diues:* intantum ſcilicet, vt pro vobis omnibus ſoluere debita poſsit. Iſte homo diues habuit villicum, qui de bonis domini ſui releuat indigentiam ſuam, quod Dominus non ægre accepit, ſed eius laudat prudentiam.

Luc.6.f — *Ioan.6.b* — *Tob.12.a*

Villicus eſt mercator.

Villicus iniquitatis eſt mercator quilibet, dum velut propria tractat, quæ poſsidet, ac ſi rationẽ non eſſet redditurus. Nunc autem quia tempus nundinarum eſt, ad vos, o mercatores, vellem ſermonem dirigere: nam totum bonum veſtrum ſtat in hoc, vt villicos agnoſcatis voſipſos. Vnuſquiſque veſtrum ſe villicum putet. Si hoc viua fide haberes in mente tua ac reuolueres, certe quòd fieres villicus bonitatis, & pauper ſpiritu: nam qui Domini Dei

ſui

ſui putaret res, quas poſsidet, nonne cogitaret quo modo ad eius voluntatẽ expenderet eas? Faceret ne iſte contractus niſi iuxta indulta illius, cuius determinat eſſe opes quas habet? Venderet ne eas mendacijs & iuramentis, ſciens dominus eius talia audire? Negaret ne iſte neceſſitatem pauperibus Domini diuitiarum? Tota mercatoris iuſtificatio ſtat in hoc, vt ſe villicum eſſe cognoſcat. In veritate plures ego mercatores noui, qui ſolicitando velut ex parte Dei negotiationem ſuam, totum lucrũ, quod conſequi poterant, pauperibus conferebant, principali pro filijs reſeruato. Malus mercator ſolummodo diffamatur apud Deum, eo quòd *diſſipet bona ipſius*. Prius attendamus quid ſit bona diſsipare, poſtea vero quo modo diffametur qui talia facit. Vnica ratione velim vobis hanc diſsipationem intimare, præcauens in futurum ne vos hóc perpetrare contingat. Bona Dei omnia viſibilia ſunt, quorum habetis vſum. Quidquid oculo cernis bona Dei ſunt: quoniam Dominus vniuerſorum eſt. Minora bona Dei ſunt diuitiæ, vt patebit. Hæ diſsipantur, quando vtimur eis in contrarium primæ intentionis Domini ſui. Intentio prima Dei, qua cuncta condidit, eſt vt benedicatur in eis, vt ſint materia laudis, & ratio benedictionis: nam ideo opera Domini Dominum benedicunt, quia ad hoc inſtituta ſunt, vt præbeant etiam angelis occaſionem benedicendi Deum. Nam de quadam creatura dicitur: Vide arcum & benedic eum, qui fecit illum: quod de omni creatura dici valet. Tunc ergo bene conſeruas bona Dei, & te, & membra tua, & opes tuas, & familiam, quando tali diſpoſitione manent, vt per eas acquirat Deus benedictionem ſuam. Tamen dum aliqua re vteris in peccatum, illam diſsipas, & a primaria conditione ſua, & ab ipſo Deo alienas. Quia tunc aſſumis in occaſionem, & materiam iniuriæ, quod factum fuerat materia laudis. Fundas in illa re contraria naturæ ſuæ, & vis vt ſit ratio peccati, quæ ratio fuerat charitatis & gratiæ. Exemplum eſt in cithara, quæ facta eſt ad lætificandum dominum ſuum, ſi autem cum ea percutis eum, quamuis leuiter percutias, iam eam diſsipaſti, eam vertiſti in oppoſitum, eam poſuiſti in odiũ domini ſui, qui numquam videbit eam alacriter: ſed memor iniuriæ, triſtis efficietur. Cum ergo odium ſit Deo impius,

Diſſipatio bonorum.

Pſ. 102. A

Eccli. 43. b

Exemplũ citharæ percutiẽtis dominũ ſuũ.

Sap.14.a impius, & impietas eius, diſsipata manet ſupellex, vbi committitur vſura vel mendacium, aut aliud peccatum. Te & peccatum tuum, & illas diuitias in quibus peccaſti *1.Reg.15 a* tamquam diſsipatas abhorret Deus, qui odit Amalech, & omnia quæ ſua ſunt. Immo ipſæ opes, & res familiares multum læſæ manent, tamquam iniuriam paſſæ, in eo quòd eis vtaris ad peccatum, ſe vindicabunt in futuro iudicio pugnantes contra villicos inſenſatos. Vidimus qualiter mercatores diſsipant, vt plurimum bona domini ſui, quòd ſi leuigando peccatum ſuum, & leue oſtendentes illud, reſpondeant quòd iſta ſunt minima bona domini, & quòd plus peccant diſsipantes animæ potentias, & ſpiritualia dona, dicemus eis quòd peccantes in iſtis minimis fiunt rei ceterorum, & perdent multa bona, ſcilicet naturæ, & gratiæ, & gloriæ. Sed nunc videamus qualiter diffamentur: ſcio enim Deum non eſſe fabulationum nec detractionum amatorem, immo in opprobrium ipſius luciferi vocatur lucifer accuſator fratrum ſuorum. Cum ergo Domine abhorreas tu & tui colloquia mala, & proximi accuſationem, quis tibi dixit peccata iſtius villici? Nemo reuera, nemo. Quo modo ergo innotuit tibi diſsipatio bonorum tuorum? Audite fratres, audite, & timete: nam facinora noſtra per ſe ſine alio internuncio nos accuſant apud Deum, qui propterea dicit viro infamato: *4.Reg.19 f* Inſaniſti in me: & ſuperbia tua aſcendit in aures meas. Et fere moleſtatus a vindicta impetrante, dicit: Clamor *Gen.18.e.* Sodomorum venit ad me, quaſi dicat, quid faciã niſi exercere meam vltricem iuſtitiam? Sed forte vos dicetis, quòd accuſatio iſta ſit in peccatis publicis. Nam euenit quotidie, quòd dum videmus perpetrari peccata, neſcio quid remordere non ceſſat conſcientiam noſtram, & ad cor noſtrum clamat vindictam. Dum blaſphemare videmus, dum innocentem percuti, dum feſta violare, neſcio quid clamat intus ad oſtium conſcientiæ bonorum, tam inſtanter vt velint talos opprimere ſtatim. Iſte clamor ad meliorem conſcientiam altius & inſtantius clamat: tamen ad aures Dei altiſsimi dat vocem ſuam, ne diſsimulet, ſed caſtigatione ſuccurrat. Nec ſolum fit clamor iſte in publicis peccatis, immo magis in occultis. Nam Cain egreſſus in agrum ſolus erat, quando, interfecto Abel, audiuit

Diffamatio fit per ipsũ peccatum.

addidit etiam ſolitarius exiſtens: Cain vbi eſt Abel frater tuus? Qui putans latere Deum peccatum ſuum, reſpondit: Neſcio. Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? O maligne, quia quamuis illum ſepeliſti, & celaſti in foſſa. Ecce ſanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra, vbi etiam ſepultus latere non poteſt. Ecce quo modo abſcondita tenebrarum ad iudicem Deum clamant, & teſtibus non indigent. Nam ſciunt quòd etiam in cælo teſtis fidelis eſt Deus, velut ſpeculator omnium quæ facimus, ſiue bonum, ſiue malum ſit. *Gen.4.b*

Poſtquam ergo diffamatus eſt, vocauit illum Dominus eius, & ait: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Maximum peccatum pœna leuiſsima punit nūc miſericordia Ieſu Chriſti, non enim dixit: Solues vſque ad nouiſsimum quadrantem, aut in carcerem ibis, ſed quia iam non poteris villicare, quaſi dicat tu te ineptum feciſti impenſo beneficio. Exiſtens in peccato nihil boni poteſt facere. Sed nunc de vocatione videamus. Dei quidem inſpiratio dicitur vocatio, qua ſuggerit homini, vt ſtatum ſuum diſcutiat, & velut in paradiſo dixit: Adam, Adam vbi es? Conſidera in quo ſtatu ſis, egredere ab eo cito, quia eſt periculum in mora. Communiter eſt mercatorum mos in quadrageſima, quando voluntfateri peccata ſua, reuiſere libros ſuos, an ibi lateat peccatum vſuræ ſiue fraudis. Alij mercatores poſt nundinas hoc ſolent facere & corrigere: boni autem & optimi ſemper correctè viuunt. Cauent ab omni ſpecie mala in locutione & contractu, nolentes diabolo dare animam ſuam pro temporali lucro, & ſic æternum perdere. Sed ſpecialiter vocatur ille a Deo, qui non ſolum libros ſuos, ſed libros patris ſui corrigit. Conſiderans quo pretio vendebatur triticum tali anno, quo pater eius huius rei negotium gerebat. Penſatis circumſtantijs ſi fraudem reperit, etiam poſt plures annos reſtituit, conſiderans quòd peccatum auaritiæ, quo ad vſuram, eſt contagioſum, ad filios, nepotes, & ſeruos attingens: nam ſi ex proprijs diuitijs poteſt habere tres ſeruos, & venit quartus cui ex vſura præmium tribuis, ille tenetur ad reſtitutionem, & quicumque heredes per vſuram acquiſitorum quacumque generatione: quia

Villicus vocatur.

Inſpiratio dicitur vocatio.

Gen.3.b

Mercatorum mos qualis.

Vſura omnes dānat.

Exemplũ de Vetula. quia iniuſte poſsidens numquam perſcribit. Sic ergo multis euenit, vt cuidam vetulæ, quæ habens plures pullos cum gallina, timebat miluum ſuper eam volitantem. Vt autem ſecura eſſet, hoc reperit conſilium: vt filo mater & filij ligarentur, ne totum ferret pondus. Miluus autem fortis erat, & deſcendens arripuit vnum pullum & filum,

Iob 41.d quo omnes duxit & matrem. Sic dæmon, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ſuæ valeat comparari, quando plures videt vſuræ filo ligatos, non dubitat eos omnes in-

Luc.16.g uadere. Quod forte timebat ille, qui dixit ſe habere quinque fratres, qui heredes extiterant bonorum ſuorum. Et ſuſpicabatur eos venturos in locum tormentorum cum illo, qui eis dimiſerat hereditates male acquiſitas.

Cur villicus nihil reſpondit domino ſuo, ſed ſibi. In hoc Euangelio nihil reſpondit villicus domino ſuo: nam coram Deo conſcientia ſui conſcia mali fere obliuiſcitur, quòd habeat os ad loquendum: nam contra Deum non ſeruit ei quæ ipſe dedit. Seneca in Prouerbijs ſuis dicit: Non eſſe maius malum quàm vocem non habere in tormento. Ac ſi multa patiens dicas: Heu, heu, heu. Et non ſignares partem vbi dolor viget: quia tunc ſignũ eſt, quòd totus homo nimis patitur. Sic euenit peccatori mortali peccato laboranti, qui vocem non habet in tormentis vermis conſcientiæ, quæ intus reſpondit ſibi:

Iſa.38.c Quid dicam ei cum ipſe fecerim? Vnde maius malum culpæ eſt non habere vocem, qua ſe culpabilem redde-

Iſa.16.c ret: vnde recte dicitur: Vox calcantium irruit. Vox eo-

Peccator obmutuit. rum, qui alios conculcant, irrita eſt, & cadit intus in guttur, non audens ad os eleuari aut venire. Vnde recte ſubiungitur: *Ait villicus intra ſe*. Ecce quo modo vox faucibus hæſit. Replicat tamen ſibimet mala, quæ ſibi accidunt. Quia fodere non valet mercator, iam effeminatus & delicatus ex otio effectus. Dum enim mercator ad ſolum calamo, & lingua laborat, & deditus otio, ineptus efficitur ad laborem. Et quia optimis indumentis fuerat ornatus, erubeſcit mendicare, maxime quia ſanus eſt. Et ſanis dicitur vt fodiant aut arent, & ſibi labore acquirant victum. Ob iſta ergo inconuenientia mercatores aliquando reſtituere nolunt, & qui peſsimi ſunt, vt iſte villicus, plus incumbunt vſuris. Iuxta præſentem materiam facit Adrianus vnam quæſtionem in qua quærit:

An qui debet centum mille,poſsit licite retinere ea,dum vnoquoque anno reſtituat quinque millia: ne ſi reſtituat totum ſimul, ad penuriam deueniat. Et reſpondit quòd tenetur totum ſimul reſtituere, vel ab eo, cui reſtitutio debet fieri, obtineat expectationis copiam. Et addit amplius Adrianus, quòd ſi quis moriatur, & in teſtamento iubeat fieri reſtitutionem, quam ipſe facere poterat, quòd iſte non bono ſtatu diſcedit. Hanc quæſtionem alibi amplius enodabo: ſatis ſit ad præſens ſcire, quòd nemini licet alienis opibus viuere, inuito domino, ſine ſudore vultus ſui.

Concludit Dominus parabolam dicens mercatoribus, vt amicos faciant *de mammona iniquitatis*. Nam villicus iniquus, dum diuitias tractaret ſibi pro tempore paupertatis, prudenter ex eis fecit amicos. Hic videnda ſunt duo. Primum cur diuitiæ vocentur iniquæ. Secundum quo modo ex eis licet amicos facere. Poſtea videbimus, qui ſint iſti amici tam potentes, vt nos valeant in æterna tabernacula recipere. Mammona,vt aiunt,eſt quidam dæmon, quem diuitijs præſidere credebant antiqui: & mirum eſt, quòd ſe intromittat dæmon in his, quæ Dei ſunt, ſed parcendum eſt illi hoc: nam cum vidiſſet Chriſtum de diuitijs nihil curare, easq. pro nihilo habere. Nam vidit dæmon quòd latroni Iudæ denarios ſuos commiſit Chriſtus, ſine vlla præuia monitione. Et Petro tam optimo viro tribus monitionibus præuijs agnos ſuos commiſit. Ait ergo dæmon ſi Deus tantum diſsimulat cum diuitijs, quòd furi eas conferat erogandas, etiam nihil curabit, quòd ego me præferam eis tamquam dominus: & vt cogitauerat,compleuit. Nam ipſi Chriſto dixit,quaſi dominus diuitiarum: Hæc mihi tradita ſunt,& cui volo do illa. Ab iſto ergo iniquo vſurpatore diuitiæ dicuntur iniquæ. Eſt etiam alia ratio magis propinqua: quoniam diuitiæ pluſquam aliæ res mundi materia ſunt iniquitatis: nam qui eas habet,ſuperbus efficitur, alioquin non diceret Apoſtolus: Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſuperbe ſapere. Præcipe, inquit, vtinam id per deprecationem faciant. Auaritia cum diuitijs creſcit: nam vt ait Satyricus:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

[Margin notes: Mãmona quid. — *Ioã.12.A* — *Ioã.21.c* — Diuitiæ quare dicãtur iniquæ. — *1.Tim.6.d* — Iuuenalis.]

Luxuria

Luxuria per diuitias acquiritur: nam diues quaſcumque ſolicitat, & concubinas diuites habere ſolent, & pecunijs ſuis earum filios procreare. Inuidus ob diuitias efficitur homo, ex eo quòd alter plures poſsideat. Gula in diuitibus regnat, quia pauperes veſcuntur, vſque dum plus non habent: diuites vſque dum plus non volunt. Ira nonne regnat in diuitibus contra plebeios, & eos affligũt pugno impio? De accidia vero, quid opus eſt dicere, cum ſolos diuites ſciamus tam ſero audire Miſſam, vt poſt meridiem de ſtatu laſciuioſo vix conſurgant? Pauper autem diligentia præditus ſummo mane ſe diſponit victum acquirere. Ecce ergo quo modo diuitiæ ſunt materia iniquitatis conſentanea.

Amici de quo faciẽdi ſint.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Communiter ſic exponitur: De male acquiſito acquirite bonos amicos. Mihi autem videtur quòd mammona iniquitatis non poteſt amicos ſed inimicos facere. Nam quidã mercator, cum haberet plures diuitias iniquitatis, decreuit ex eis Eccleſiam fabricare, quam cum optime perageret, acceſiuit epiſcopum, vt eam conſecraret, qui cum intraret ad hoc, ecce alium epiſcopum Æthiopum in medio Eccleſiæ throno reſidentem, & aqua, & hyſſopo nigro vtens, Eccleſiam videbatur conſecrare. Interrogatus autem cur hoc faceret, conſtanter reſpondit: Volo conſecrare mihi Eccleſiam meam meis pecunijs fabricatam. Quid ad vos? hic aduerte quòd, vt aiunt Doctores in quarto ſententiarum, duplex eſt turpe lucrum, alterum debet proprio ac primo domino reſtitui, vt eſt vſura: alterum vero non, ſed pauperibus: vti eſt illud, quod ludendo & luxuriando acquiritur. De iſto ſecundo intelligitur Domini conſilium. Si autem hoc feceris amicos de bene acquiſitis melius erit, ſi vero de rebus propinquioribus, & de labore tuo feceris, tunc erit optime.

Exẽplum.

Pro amicis faciendis nota, quòd plus egent diuites pauperibus, quàm pauperes diuitibus. Nam vobis diuitibus dicitur, vt pauperes veſtros faciatis amicos: de quibus non paruam habetis neceſsitatem. Nec enim vos fecit Deus propter illos, ſed illos propter vòs, vt ſi bene eis egeritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Habet quippe Deus quo alere poſsit pauperes ſuos, qui & nutriuit

Deus fecit pauperes propter diuites.

triuit in deſerto filios Iſrael; tamen ſcit, quòd opus eſt diuitibus, vt pauperes enutriant, ideo pauperes facit hoc, & ditat illos tabernaculis æternis: vnde merito ait quidam doctor: Amicitia pauperum amicitia regis: paupertas autem reges facit. Iſti reges habent tabernacula æterna, eis equidem dicitur: Beati pauperes ſpiritu: quoniam veſtrum eſt regnum cælorum. Nec ſolummodo eſt veſtrum pro vobis, ſed vt illud dare poſsitis, ſeu in illo recipere alios, quibus obnoxij fueritis. Si diues ille, qui micas Lazaro negauit, ei antea bene feciſſet, ſi eum habuiſſet amicum, ſane quidem quòd quando dixit Abraæ, vt eum ſibi mitteret, melius actum eſſet ei. Quod petijt non obtinuit, quia petitum nō dederat, aquam petiuit, & aquam etiam negarat: vbi aduerte quòd fruitio Dei aqua dicitur ſapientiæ ſalutaris, quia per merita præſertim Chriſti Ieſu acquiritur, qui eſt ſapientia Patris, & ſalus noſtra: nam Ieſus interpretatur ſalus. Aqua igitur diuina eſt fruitio Dei: per manum notatur opus vitæ actiuæ: per digitum autem opus vitæ contemplatiuæ. Dixit ergo diues vt mitteretur ad ſe Lazarus, dum tamen digiti extremitatem afferret intinctam, vt ſaltim vna aquæ gutta poſsit accipere, & voluit dicere: O ſi haberem minimam gloriam Lazari, ſaltim illam quæ correſpondit minimo gemitui, aut ſuſpiro eius: quia illa me beatum faceret. Nam etiam minima pars beatitudinis poterit quemlibet beatificare. Iſte non meruit aquam viuam, qui illam prius negauerat ipſi Lazaro. Hic nota quòd eleemoſyna eſt aqua Dei, qua mereri quis poterit aquam ſapientiæ ſalutarem. *Ely* interpretatur Deus, & *moys* lingua Ægyptia interpretatur aqua: quia ideo puer ſumptus ab aquis vocatus eſt Moyſes. Vnde *ely*, & *moys* eleemoſynam componunt, quam faciunt ſonare aquam Dei, de qua & Ieſus dixit: Facite eleemoſynam, & omnia munda erunt vobis: aqua Dei non ſolum partem, ſed totum mundat: vt ſic valeat homo per eam intrare in æternam requiem, quia vt ait Ioannes: Nihil coinquinatum intrabit in illam. O felicem virtutem, quæ angelos facis hoſpites hominum, & Cornelij nuntios per te ſe fecerunt ad Deum. Tu facis beatos prædicari largitores, ita vt ipſe Deus eos laudet. Tu es charitatis vexillum, vbi depingitur bonitas Dei.

Exo.16.g *Matt.5.a* *Luc.16.g* Dei fruitio quid. Eleemoſyna eſt aqua Dei, & vnde dicatur. *Luc.11.f* *Apo.21.g* Eleemoſynæ cōmendatio.

Deus ipſe de te iactat ſe, dum vt eleemoſynam faceret, euangelizare pauperibus venit. Attendite, fratres, vim
Tob.12.b huius virtutis, quia vt angelus dixit Tobiæ: Eleemoſyna a morte æterna liberat, nec ſinit animam ire in tenebras, ſed facit inuenire vitam æternam. Hæc eſt flamma cordis Chriſtiani, quæ frigida corda calefacit etiam contra-
Ro. 12. d riorum: nam dum eis benefacis, carbones viuos congre-
Eccl.29.c gas ſuper caput eorum. Hæc etiam gratiam hominis quaſi
3.Reg.17 e pupillam conſeruabit. Iſta virtus exhibita Eliæ farinam, & oleum multiplicauit mulieri viduæ. Hæc ianuas cæli
Luc.16.c aperit, vt recipiant vos in æterna tabernacula pauperes.
Eccli.29. e Eſt & lancea pugnans aduerſus inimicos, vt ait Sapiens, & ſuper ſcutum potentis. De tua eleemoſyna repetita di-
Gen.32.e cere poteris: Placabo eum muneribus, quæ præcedunt, & poſtea videbo eum. Non timeas in iudicio tibi male fore:
Matt.25. d quia Chriſtus dicet tibi: Eſuriui & dediſti mihi bibere: nudus eram, & cooperuiſti me, &c. Hæc virtus eſt ora-
Eccli.29. b tio viua coram Deo perſiſtens, quia ſcriptum eſt: Abſcõde eleemoſynam in ſinu pauperis, ipſa enim orabit pro te. Hæc eſt propitiatorium noſtrum, quia Deum reddit nobis propitium, dum videt nos imitari eius maximam
Ibid. e virtutem, ſcilicet largitatem. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus, cum ipſo in via longiſsima deſeruiens, quo poteris tecum deferre omnia bona tua, quæ hic poſsides. Hæc valet in foro Dei ſola, quia ideo dictum eſt per prophe-
Dan.4.e tam regi: Peccata tua eleemoſynis redime. Hæc eſt illa
Gen.28.c mirabilis ſcala Iacob, cui Dominus innititur, qui ſibi di-
Matt.25. d cit fieri, quod vni ex minimis eius fit: vt ſic per hanc cælorum ſcalam vſque ad ipſum Deum valeas aſcendere.
Matt.6.c Igitur fratres theſaurizate vobis theſauros in cælo: quia
Mat.22.f etiam qui parum illuc habent, dicuntur ditiores regibus:
Luc.21.a nam vetulã, ob duo minuta oblata, Chriſtus laudauit præ ceteris: qui iam vltimam perfectionem euangelicam vi-
Matt.19. c detur in eleemoſyna conſtituiſſe, dum ait: Si vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.
Luc.19.a Hæc Zachæum, Publicanum, & Matthæum Telonearium
Mat.9.a iuſtificat in breui, ceteroſq. ſectatores ſuos.

SECVN-

SECVNDA PARS.

VT autem ad tot tantoſq. monachos præſens Euangelium adducam, aduertendum eſt quòd erga nos potiſsime dicitur Deus diues, dum tam affluenter nos paſcit, vt dicamus: Dedit eis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt. Vt cuſtodiant iuſtificationes Domini: & legem eius exquirant. Iſte homo diues habet villam potiſsimã, ſcilicet religionem, de qua dicit: Opus manuum mearum tu es hereditas mea Iſrael. In huius hereditatis ianua poſuit arma ſua, ſcilicet in patre noſtro Franciſco, qui eſt oſtium religionis noſtræ, in quo vulnera ſua Chriſtus expreſsit: vt non inuentione humana, ſed diuina cognoſceretur hæc religio ſtabilita, vbi villicus nõ tantũ eſt prælatus, ſed quilibet frater, dum apud ſe ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, nõ quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti: nam vnuſquiſque noſtrũ de omnibus bonis huius villæ reddet rationẽ, ac ſi ſolus eam poſſederit. Bona, quæ diſsipari non dicuntur, ſunt optima paupertas & caſtitas, in quibus viget tota Chriſti vita. Vulgus habet ſolũ mandata, quæ lege naturali & ſcripta vigebant. Nos autem ſubſtantiam vitæ Ieſu habemus in eius villa & eius domo, quæ eſt noſtra religio, vbi maiora ſunt bona. O Domine Ieſu, qui per paupertatem omnes res tuas obtuliſti Deo, per caſtitatem proprium corpus, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem: per obedientiam propriam animam, obedientia tua non triuialis, ſed vſque ad mortem crucis fuit, vbi & paupertas reſplendet: Quia non habes vbi caput tuum reclines, & ibi relucet caſtitas: quoniam nimis caſtigatus virginibus, Maria ſcilicet, & Ioanne circumdatus es. Quare Domine tam dura & laborioſa bona habere voluiſti in vita tua? propter te homo illa conſeruaui, vt per obedientiam meam te libertate filiorum donarem, qui captiuus eſſe ſolebas. Per caſtitatem meam te mundaui ab omnibus inquinamentis tuis. Per paupertatem ditaui te diuinis bonis: & vt horum trium eſſet memoria in futuras generationes, villam religionis ſtabiliui, vbi tria illa credita ſunt tibi tamquam villico bonitatis meæ: caueas tamen ne ea diſsipare contingat.

Pſ.104. d

Villa eſt religio.

Iſa.19. d

Phil. 2. e

Villæ bona quæ ſint.

Ro.12.a

Luc.9.g

tingat. O fratres mei, quoniam quando ego quaſi ſingularis ferus extento colle vanitatis meæ audire contemno, paruipendens prælatum meum, & non gaudeo penuria rerum. Sed niſi fuero ſaturatus, murmurare non ceſſo, & cogitationes, quæ religatæ fuerant, diſsipatæ ſunt hinc inde vagantes, non torquentes, ſed afficientes cor meum. Iam iam diſsipantur bona diuitis Ieſu in me, quamuis in bono viro conſeruentur, vbi Chriſti religio viget. Nam eam nemo ex toto diſsipabit, quæ in animas ſanctas ſe transfert, deſides atque pigras fugiens. Ideoq. dicitur, *quaſi diſſipaſſet:* nemo namque nec hæretici religionem poterunt diſsipare. Sed quia diſsipatio iſta ſpiritualis & ſecreta eſt, dicitur quòd malus fuit apud Dominum diffamatus, quamuis homuncio, quamuis fratercule te mundus veneretur, & magna reuerentia te ceteri proſequantur, quid tibi prodeſt ſi apud illum, qui nouit interiora cordis diffamatus es? Quis eſt qui ſaluet, quem Deus condemnat? Quis eſt qui abſcondat, quem Deus vocat reddere rationem villicationis ſuæ? Nemo quidem, ideo dicit: *Iam non poteris villicare*. Sed quoniam iſta contaminatio non ad vindictam, ſed vitæ emendationem, & conſcientiæ reparationem fit intus in anima, ideo ſequitur: *Ait villicus intra ſe, quid faciam?* Deliberat iſte pœnitentiam agere, ne pereat. Nam in alio ſæculo fodere per opera meritoria non valebit, nec mendicare: quia orationes ibi parum valent, niſi ad improperium & verecundiam præteritæ deſidiæ. Iam ergo decreuit vocare debitores Domini ſui, qui ſunt intellectus, & voluntas, vt per cautionem pœnitentiæ ſibi prouideant. Intellectus debet centum coros tritici, hoc eſt perfectam doctrinam panis vitæ, & intellectus: nam ex tritico fit panis filiorum. Panis autem canibus mittendus detractio eſt, & cetera quæ ad rem non pertinent. Doctrina ergo Euangelica oportet quòd vigeat in eis qui Euangelium promiſerunt non alia, nec ignorantia: Quia ignorans ignorabitur. Voluntas debet Domino centum cados olei deuotionis, quo carent virgines fatuæ: quoniam qui fatuum habet intellectum, inſipidum & ſiccum habet affectum: quid ergo quæritis inter vos, in quo ſpiritualis vita conſiſtat, cum in his duabus animæ potētijs ſemper & optime accupatis, conſtet virtus contem-

[Margin notes: Diſſipatio bonorum. — *Sap. 7. d* — Debitores ſunt intellectus & voluntas. — *1. Cor. 14 g* — *Matt. 25. a*]

contemplationis? Aduerte tamen quòd centenarius numerus perfectionem denotat, quam Chriſto debes, qui intellectu & voluntate ſolicitus fuit pro nobis: quoniam ſcriptum eſt: *In ſpiritu iudicij*, ecce intellectum, *& in ſpiritu ardoris*, ecce affectum, abluet Dominus ſordes filiarũ Sion. Propter hæc duo figuratur Dominus Ieſus in duobus viris, quorum primus dicitur egreſſus ad meditandum in agro: & alter, ſcilicet Iacob, amore feruidus abijt ad quęrendam vxorem Rachel. Meditemur & nos fratres, & amemus, vnuſquiſque ſedeat ſecum, accipiat litteras ſuas, litteras amoris, litteras confidentiæ, & ſcribat eas in tabulis cordis ſui. Et quoniam ex parte cognoſcimus, & per conſequens ex parte amamus, dicitur quòd ſcripſit multum minus quàm debet. Quia nemo poteſt occurrere Deo, vt decet, nec, vt aiunt doctores, dilectionis præceptum poteſt in hac vita adimpleri. Nec mandatum ſcientiæ Dei quæ confortata eſt, & non potero ad eam. Tamen iubet Deus, quòd in altari voluntatis noſtræ, vbi voluntarie ſacrificamus ei omne quod habemus, ardeat ignis amoris, non tepide ſed feruide eleuet ſuper omnia flammam ſuam ad Deum ſuum, ſaltim per deſiderium iaculatorium. Et vt hoc fiat in volũtate ſacerdos in lege ſatis doctus, qui eſt intellectus noſter ad nutriendum amoris ignem, ſubijciat ligna aromatica montiũ per altas conſiderationes, quas velut in ſilua lignorum inueniet in ſacra pagina, vbi Dei beneficia iam exhibita, & promiſſa in poſterum, & bona futuræ reperiet gloriæ, quam mihi & vobis pręſtare dicitur Ieſus. Amen.

Iſa. 4. b
Gen. 24. g
Gen. 29. a
Pſ. 138. a
Leu. 6. b

SERMO DOMINICÆ NONÆ POST PENTHECOSTEN.

De occurrenti feſto beati Petri ad Vincula: vbi etiam exponitur Euangelium Dominicæ præſentis.

THEMA.

Tibi dabo claues regni cælorum. Matth. 16.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN ſacra pagina regnum Dei vocatur
Luc.17.e eius gratia, dicente Chriſto: Regnũ
Dei intra vos eſt. Qui tale bonũ habet
intra ſe, cur ſolicitus eſt quæ ſunt
mundi, cum portet theſaurum in va-
2.Cor.4.b ſis fictilibus, & eum attente cuſtodiri
tota animi ſolicitudine oporteat? De
Sap.7.b hoc theſauro dicitur: Infinitus enim
theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti
ſunt amicitiæ Dei: ſola enim gratia eius facit hominem
gratum & amicum Altiſsimi. Sed hoc regnum facile per-
ditur, cito amitti poteſt, quoniã violenti dæmones rapiunt
illud a nobis. Tamẽ ſimiliter acquiri poteſt faciliter, quo-
Matt.3.a niam peccatoribus dicitur: Pœnitentiam agite, & appro-
pinquabit regnum cælorum. Vnde prima huius regni cla-
uis eſt pœnitentia: ſecunda vero eſt beatæ Virginis lin-
gua, quæ non ſolum aperit, & confert quotidie gratiam
per orationem ſuam, ſed ſupremum & maximum regnum
cælorum adduxit ad nos, ſcilicet, Chriſtum filium Dei, de
Matt.21.d quo dicitur ſcribis: Auferetur a vobis regnum Dei, & tra-
detur genti facienti fructus eius. Hoc regnum cælorum
erexit Maria, ideoq. Reginæ titulum propter illud obti-
Ps.44.b nuit: nã Chriſto dicitur: Aſtitit regina a dextris tui, &c.

Chriſtus

Chriſtus ergo eſt regnum cælorũ, habet enim tres cælos. Primum eſt carnis, quæ cælum eſt propter munditiam: Quoniam ſegregatus a peccatoribus excelſior erat in ſanctitate iuſtitiæ. Aliud cælum eſt anima Chriſti, quæ ſicut primum cælum eſt ſuper homines, ſic illa eſt ſuper angelos in gloria. Tertium cælum eſt Chriſti deitas, quæ eſt inter diuinas perſonas. Iam ergo propter hos tres cælos dicitur Chriſtus regnum cælorum. Ad quorum primum raptum ſe dicit Paulum, qui propterea raptus eſt in Chriſto vſque ad tertium cælum, vt puritatem Chriſti cognoſceret: deinde ſanctitatem animæ eius: tertio autẽ ſublimitatem diuinitatis ſuæ. Ex hoc ergo triplicis cæli regno venit ad nos omnis gratia: nã diuerſa regna diuerſis opibus, ac diuerſis proprietatibus ſigillatim pollent, hoc regnum præ ceteris, immo & pro ceteris abũdat gratia emanante: Quoniam gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Et quoniam beata Virgo erexit iſtud regnum in mundum, quæ non ſolum fundauit illud, ſed oſtendit illud mundo in Chana Galilææ, quando ad ſuggeſtionẽ Mariæ Chriſtus manifeſtauit gloriam ſuam: ideo quia per eam cum vino cœpit Chriſtus ſuam gratiam effundere, manẽt Mariæ claues cellæ vinariæ, claues gratiæ, de quibus dicitur peccatori: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Si ergo habemus apud Mariam claues gratiæ, ad illam pro illa huic ſermoni obtinenda, genu flexo dicamus. Aue Maria.

Heb. 7. d

Chriſt' dicitur regnũ cælorum.

2. Cor. 12. a

Ioan. 1. b

Maria clauem habet gratiæ.

Ioan. 2. b

Matt. 16. c

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVIA feſtum Petri ad Vincula occurrit, & lutherus his temporibus conatur eum iterum in vinculis ponere, negando eius poteſtatem, oportet ceteris prætermiſsis aliquid tangere de illa, quæ quidem tanta eſt, vt omnes peccatores poſsit abſoluere, & omnes iuſtos habeat ſub eius clauibus, de quibus ei a Domino regni cælorum dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Duo notantur in verbis iſtis, alterum eſt Petri dignitas, ibi: *Regni cælorum*, alterum vero eiuſdem perſonæ ſublimitas, ibi: *Tibi dabo*. Sic erit bipartitus ſermo.

In prima parte de clauibus. Diuiſio.

In ſecunda de clauigero.

PRIMA PARS.

CVM reges nouiter accipiunt regna, vt moris eſt, omnia innouant, officiales mutant, vt ſuam ordinent domum, vt patet in Dauid, qui poſtquam conſecutus eſt ſedem regni, perpeſſus plura, nouos inſtituit officiales. Dominus Ieſus poſt paſsionem ſuam obtinuit regnum data ſibi omni poteſtate in cælo & in terra. Tunc amonuit ab Eccleſia ſua veteres officiales, & inſtituit nouos, juxta illud quod per eundem Dauid promiſerat, dicens: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Hæc auctoritas ſufficit ad auferendam omnem auctoritatem iudæis, ſi credere vellent. Patres fuere patriarchæ, & prophetæ, leuitæ ſacerdotes rectores iudeæ, horum autem filij in patrum laborem intrantes ſunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ, Martyres, & Confeſſores. Filij ſunt potiores patribus, & maioris auctoritatis: Quia conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram. Hoc de antiquis officialibus intelligi non poteſt, qui ſolum regnabant in vno regno paleſtinæ, ſed noui officiales ad omnia ſe extendunt terrarum ſpatia: Quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, in Orientem, Occidentem, & Septentrionem, & etiam Meridiem reſonabat Apoſtolorum fama. In omni terra ſcitur quis fuit Petrus, & Paulus. Hi ſunt noui officiales quos Chriſtus poſuit. Baptiſtam fecit, vt eſſet præceſſor, & Lucam, & alios tres facit ſecretarios, Paulum fecit de ſecretis ſecretorum: Quoniam audiuit archana verba, quæ non licebat ei loqui numquam. Super omnes autem Petrum fecit clauicularium totius regni cælorum, quod ei promiſit, dicens: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Hæc non eſt datio ſed promiſsio: nam ſicut Dauid exiſtens in perſecutione multa promittebat ſeruientibus ſibi, quæ adimpleuit poſtea: ſic Dominus Ieſus ante reſurrectionem hoc Petro promiſit officium pro confeſsione fidei præſentis Euangelij, & poſtea dedit ſibi illud. Nam Chriſtus præſcius noluit ſtatim dare, ne diceret lutherus, quòd dum Petrus negauit Chriſtum, perdidit claues Eccleſię, quas tunc temporis Chriſtus habebat. Sed eas, vt promiſerat, a mortuis

[Margin notes: 2.Reg.8 d; Pſ.44. d; Pſ.44. e; Pſ.18.a; Chriſti officiales qui ſint.; 2.Cor.12. a; 1.Reg.20 e. & 24.d]

ſuſcita-

ſuſcitatus, dedit Petro, vt patet in Ioanne. Quamuis regnum cælorum multa ſignificet, in verbis ad Petrum directis capitur pro ipſa beatitudine, & pro ſacra Scriptura, & pro conſcientiã hominis, & pro Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam ad omnia iſta Petrus habet introitum. Ad beatitudinem, vt eam bonis auctoritate Chriſti conferat. Ad ſcripturam, vt eam exponat, & eius expoſitio valeat pro textu. Ad conſcientiam, vt eam abſoluat, & mitiget vice Dei. Ad Eccleſiam, vt eam regat, & diiudicet, qui ad eam pertineant. Hæc vltima poteſtas erat in ſynagoga reſpectu Eccleſiæ veteris, quoniam Chriſtus eius rectoribus improperat, dicens: Væ vobis ſcribæ, & phariſæi, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Clauis ergo, id eſt, poteſtas a Deo collata regendi Eccleſiam antiquam, reſidebat apud antiquos in ſummo ſacerdote, cui ſub pœna mortis, & eius decreto tenebantur omnes obedire. Iſdem modus in lege noua reſedit in Petro, quem Chriſtus fecit ſummum ſacerdotem gentis ſuæ, cuius decreto ſtare tenetur, alioquin ligabit nos mittendos in tenebras exteriores, extra gremium Eccleſiæ ſuæ, vt eſt lutherus cum ſuis. Iam ergo lege vbi ſupra de ſummo ſacerdote antiquo maxime ab illo loco: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, &c. vſque ibi: Nullus deinceps intumeſcat ſuperbia, ſcilicet vt lutherus, qui renuit obedire Petro, cum ipſe Paulus qui Euangelium ab homine non accepit, & Barnabas in dubio, & ſeditione illa de obſeruantia legis, & Euangelij ad Petrum aſcenderint; & eius decretum tenuerunt, & vſque hodie tenet Eccleſia: vnde ait textus: Cum autem veniſſent Ieroſolymam, ſcilicet Paulus, & alij primates, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia & ab Apoſtolis, vbi & maior ſeditio eſt orta: an deberent cum Euangelio ſeruare quoque legem veterem, multi enim tenebant quod ſic: nam Chriſtus dixerat ſe non veniſſe legem ſoluere, ſed adimplere: ſed dicta eorum nihil valebant, quia claues non habebant, vnde ait textus: Cum autem magna queſtio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus teſtimonium perhi-

Ioã.21. e

Matt.23. b

Deut.17. c

Petrus eſt ſummus ſacerdos.

Ibid. b

Act.15. a

Matt.5. b

Ibid. b

perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos: fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus? ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo. Hæc ibi: vbi oſtenditur quantæ auctoritatis ſint claues Petri, cui omnis multitudo etiam Apoſtolorum, & Paulus obſequebantur, & etiam ipſa littera ſcripturæ: quia etſi dictum ſit: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere: Petrus tamen iugum legis intollerabile ſpiritu oris ſui proiecit a nobis. Deus, inquit, elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij. Qui ergo Euangelium non audit per os Petri, decipitur: quoniam ideo tacuit omnis multitudo, & tota Eccleſia primitiua pendebat ab ore Petri, cuius auctoritas tanta erat, quòd cum haberent a Chriſto mandatũ, vt expreſſe baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, tamen Petrus mutauit hanc formam baptizãdo in nomine Chriſti Ieſu. Pœnitentiam agite, inquit Petrus, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti remiſsionem peccatorum. Et: His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Ecce auctoritatem Petri, quam nemo crederet, niſi Lucas eam memoriæ mandaſſet. Quis enim auderet nec vnum apicem amouere a mãdatis & dictis Chriſti, niſi Petrus eius vicarius? Huic dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Et eſt ſenſus: Tibi dabo claues meas, qui ſum regnum cælorum, vt adaperias quæ ego dixi obſcure, & claudas quæ videbuntur tibi claudenda. Tunc Petrus, vtens officio ſuo, clauſit totam legem veterem, & aperuit virtutem nominis Ieſu, quæ Trinitatis nomini æquiualere oſtendit. Habet ergo claues, vt diſponat regimen totius Eccleſiæ: vnde non addidit Chriſtus quemcumque ſolueris ſuper terram, &c. Sed ſic expoſuit claues ſuas: *Quodcumque ligaueris, &c.* In genere vniuerſali poſuit officium clauſuræ, quoniam extendit ſe ad omnia requiſita in Eccleſia Chriſti: vnde poteſtas Eccleſiæ clauibus comparatur, quæ niſi ordinate procedant, nihil faciunt. Ad quodcumque negotium ergo Petri poteſtas extenditur: vnde nota quòd poteſtas Eccleſiæ, quam habes

Matt. 5. b

Os Petri debet interrogari.

Act. 2. f

Act. 19. a

Matt. 16. c

Petrus claudit, & aperit.

habes per beatum Petrum, dicitur abſoluta, illa abſolutio non intelligitur vt in poteſtate regia, quæ per fas & per nefas aliquando procedit, ſed eſt abſoluta reſpectu ſacerdotum inferiorum, qui habent poteſtatem limitibus arctatam, Petrus autem abſolutam & vniuerſalem: vnde Chriſtus expoſuit claues, dicens: *Quodcumque ligaueris, &c.* Simplices ſacerdotes abſoluunt culpam: ſucceſſor Petri & culpam, & pœnam. Hæc differentia colligitur ex Euangelio, quia ceteris Apoſtolis dixit Chriſtus: Quorum remiſeritis peccata remittũtur eis: Petro autem ſuper hoc addidit: *Quodcumque ligaueris, &c.* Alij veniunt ad Chriſtum nauigio, Petrus autē mari ambulans, quia ſinguli habitant in peculiari nauigio propriæ Eccleſiæ: Petrus autem habet totum mare, totam aquam. Aquæ multæ, populi multi. Et propterea vocantur a Chriſto cephas, id eſt, caput. In capite ſunt omnes ſenſus: in Petro vniuerſalis auctoritas, & regimen vniuerſi, quia caput membra regit. Figuratur mirabiliter beatus Petrus in illo ſacerdote optimo, de quo Deus per Iſaiam dixit: Et erit in die illa, vocabo ſeruum meum Eliachim, &c. vſque ad omne vas muſicorum. Optima ſunt verba iſta, nimiſq. conducunt ad præſens. Quæ dies fuerit illa per nomen declaratur: nam Eliachim interpretatur Dei reſurrectio, ſiue Dei affirmatio. Poſtquam Dominus reſurrexit, vt patet in Ioanne, dedit Petro claues, in quo & apud nos quotidie reſurgit in Eccleſia, vbi manet poteſtas, quam dedit Petro, qui dicitur Dei affirmatio: quia quod Petrus & Eccleſia affirmant, in cælo affirmatur, vt dicitur in præſenti Euangelio: & aduerte quòd Iſaias expreſſit cuius filius erat ſacerdos ille, quemadmodum & Chriſtus in Euangelio expreſsit cuius filius erat Petrus. Helchias vero interpretatur lenitas Domini: vnde Petrus eſt filius lenitatis & benignitatis Chriſti, qui ſi omnes linire & vngere dignatus eſt, plus tamen Petrum, vt magis lenis eſſet nobis: quia in eo poſiſit omnia nobis neceſſaria: Paſce agnos meos, paſce oues meas, &c. Hinc oriuntur piæ diſpenſationes ſedis Apoſtolicæ, quia Petrus eſt filius lenitatis Chriſti, quoniam ideo dicitur: In fide & lenitate ipſius ſanctũm fecit illum, & elegit eum ex omni carne, &c. Dixit ergo Chriſtus in die illa, poſtquam a mortuis

Poteſtas Petri eſt abſoluta.

Ioã.20. e

Apo.17.d

Iſa.22. f

Ioã.21. d

Helchias quid.

Ioã.21. d

Pietas diſpẽſationum.

Eccli.45. a

mortuis ſurrexero, vocabo, ſingulariter ei apparẽs, ſeruum meum, firmitatem meam, Petrum ſuper quem ædificabo Eccleſiam meam. Nam illud, *ſuper hanc petram:* Hieronymus, id eſt, ſuper te Petre. Hunc ergo Petrum induam tunica tua, ſcilicet ſacerdotali, quia dedit Petro ſacerdotium magnum, & ſtatuit ei teſtamentum ſempiternum, vt ſuper omnes ſacerdotes habeat poteſtatem, ſicut Ioſeph ſuper fratres ſuos. Et ſequitur: Cingulo tuo confortabo eum. De hoc cingulo dicitur: Fides cintorium renum eius, vt ſcilicet per fidem generet filios Chriſto, qui pro eo ſigillatim rogauit, ne deficeret fides eius poſt conuerſionem, ſed ita creſceret, vt fratres confirmaret in fide, ſequitur: Poteſtatem, id eſt, ſummi ſacerdotis, dabo in manus eius, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. In Ieruſalem, id eſt, in primitiua Eccleſia fuit Petrus quaſi pater, id eſt, quaſi Chriſtus, ad quem aſcendit conſulendum etiam Paulus. Et eſt nunc quaſi iſdem pater domui Iuda, id eſt, Eccleſiæ Romanæ: vbi regnum & confeſsio fidei viget: ſed quoniam adhuc maiora dedit, ſequitur: Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiet: Quoniam quæ ligauerit ſuper terram, erunt etiam a Deo ligata in cælo: & quæ ſoluerit pari modo ſoluta. Hæc datio parum differt ab illa: Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Habet enim Petrus regale ſacerdotium inter fratres ſuos, quos rexit. Cui cum tantum honoris daturus eſſet, ſæpe generaliter monuit eum vt eſſet humilis. Qui maior eſt inter vos, fiat miniſter veſter: immo eius humilitatem in cœna fuit omnibus in exemplum, quam niſi per cõminationem vix potuit vincere Chriſtus, qui a Petro audiuit: Non lauabis mihi pedes in æternum; tamen poſtea victus obtulit manus, & caput. De claue autem crucis data Petro, ſequitur: Figam illum paxillum in loco fideli. Locus fidelis eſt crux, quæ eſt etiam ſicut fides fundamentum rerum ſperandarum. Huius crucis Petrus fuit paxillus, vt firmius ſtaret. Nam dum Chriſtus aſcẽdit erectus crucem, clauis Dauid velut medium girum fecit; & cælum aperuit latroni: dum autem Petrus aſcendit euerſus crucem, perfecit

Hiero. lib. 3. in cap. 16. Matth. circa med. to. 6.

Iſa. 22. f

Iſa. 11. a

Act. 15. a

Matt. 16. c

Luc. 1. c

Mar. 10 g

Ioã. 13. a

Crucis clauis datur Petro.

Heb. 11. a

ſecit girum clauis, & aperuit Eccleſiam omnibus credentibus: vnde ei generaliter dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum:* nam rete Petri rumpebatur præ multitudine piſcium. Ruptura vero, vt notat Auguſtinus, non facta eſt, vt piſces fugerent, ſed vt alij intrarent: quoniam ideo impleuit ambas nauiculas, id eſt, Eccleſiam militantem & triumphantem. Vnde ob id ſequitur in Iſaia: Et erit in ſolium gloriæ domui patris ſui, ſcilicet Chriſtus: nam ſolium Petri crucifixi euerſi cælum reſpicit, ſurſum inſpicit, quo nos omnes ducere vult: vnde ſequitur: Suſpendam ſuper eum omnem gloriam domus patris eius: vaſorum diuerſa genera, id eſt, diuerſos ſtatus ſanctorum: & omne vas paruulum, id eſt, peccatorum. Vaſa craterarum ſunt peccatorum pœnitentiæ, vaſa muſicorum ſunt confeſsiones iuſtorum: nam omnia Petrum recipiunt, cui dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Tria huius regni habet genera vaſorum, ſcilicet vaſa craterarum, id eſt, corda regum, & poteſtates ſęculares, quæ deſeruiũt Petro. Et vaſa muſicorum, id eſt, corda omnium doctorum, quorum muſicam ipſe debet temperare, cui ſtat omnis poteſtas Eccleſiaſtica. Vas paruulum eſt reliquum vulgus Eccleſiæ. Clauis autem ſuper humerum eius, eſt ſceptrum imperij: nam debet ſecundum leges confirmare & coronare Imperatorem. Omnia hæc in themate includuntur: vbi dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum:* qui habet claues theſauri a proprio domino datas, totum habet. Hæc de poteſtate Petri nunc ſufficiant.

Matt.16. c

Luc.5. b

Aug. lib. 83. quaſt. q. 81. to. 4.

Iſa. 22. g

Poteſtas Petri omnia capit.

SECVNDA PARS.

VIDIMVS dignitatem Petri, videamus aliquid de perſona eius ſanctiſsima: vbi aduerte, quòd bono clauigero neceſſaria ſunt tria, ſcilicet quòd ſit diſcretus, & fidelis, & fortis. Primo debet eſſe diſcretus in aperiendo, maxime temporibus iſtis nouiſsimis: nam alio tempore inuenires ſeras planas & ſimplices, nunc autem eas reperies multis obſtaculis occupatas, & occluſas. Vnde quia tempore iſto conſcientias reperimus implicatas negotijs ſæcularibus, & non planas, oportet quòd conſcientiæ clauiger diſcretus ſit, vt Petrus, qui quoniam ceteris diſcretior

Tria neceſſaria claui gero.

diſcretior erat, claues accepit cæli. Enarrat Euangelium, quòd Chriſtus interrogauit diſcipulos ſuos, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Vnuſquiſque ad emendationem vitæ deberet interrogare amicum ſuum, quid ſentit de ſeipſo dici, maxime dum prælatus eſt. Qui autem amicus fuerit, vti fecerunt diſcipuli, verum debet reſpondere. Dicunt quòd es relaxatus, quòd es importunus, quòd es inurbanus, quòd es auarus, quòd es malæ indolis: econtra vero adulator reſpondit: Dicunt quòd es magnanimus vt Alexander, fortis vt Hector, doctus vt Salomon, prudens vt Octauianus, iuſtitiæ amator vt Nero. Non ſic reſpondent Apoſtoli, ſed dicunt: *Alij autem Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* Chriſtus autem volens homines dimittere, quia vt homines loquebantur; nec mirum quòd humanitus loquerentur, quia liber, de quo iudicant, ſignatus eſt ſigillis ſeptem. Diuinitas latet ſub humanitate cum ſeptem ſigillis, quæ ſunt myſteria incarnationis ſecundum Bernardum: ideo *vos*, Apoſtoli qui ſecretiora noſtis, quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei: *quem me eſſe dicitis?* Omnes cedunt clauigero, ad aperienda myſteria diſertiſsimo, qui vice omnium reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Chriſtus autem vt Petrum oſtenderet diſertiſsimum Apoſtolorum, patefecit quid deberet de Petro dici, dum ait: *Beatus es Simon Bariona: quia caro, & ſanguis non reuelabit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis.* Quod in ſe pretioſum eſt, ſi videatur in vmbra, vile apparet: & econtra, ſcilicet vile apparet in vmbra pretioſum, & in luce vnumquodque apparet, quod eſt, ſcilicet pretioſum, videtur pretioſum, vile in luce videtur vile, ſicuti eſt. Et pannus aliquando in vmbra ſericum apparet, ſed in luce apparet ſyricum. In luce autem ſericum id apparet, quod eſt. Aurum in vmbra videtur æs, & æs in vmbra videtur aurum, ſed in luce aurum videtur aurum, & æs videtur æs. Humanitas noſtra eſt vmbra, dicente Iob: Dies mei ſicut vmbra prætereunt. Gratia vero diuina eſt lux, & eſt radius ſolis, qui pretioſum oſtendit pretioſum, & hoc eſt, quòd homines in vmbra humanitatis non cognouerunt aurum deitatis, quod erat in Chriſto. Et Petrus irradiatus luce Patris luminis, ſtatim cognouit archanum,

Diſcipulorũ de Chriſto opinio, & aliorum reſponſio.

Apo. 5. a

Bern. ſer. 1. paſcha circa med. to. 1.

Petrus ceteris diſertior.

Lux facit cognoſcere rem ſicuti eſt.

Iob 8. b

archanum Verbi: vnde propterea dicitur: *Caro & ſanguis non reuelabit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis*, reuelans myſteria. Ecce quo modo propter diſertiſsimam contemplationem Petri dedit ei claues regni. Videant ergo qui dum ordinantes ſacerdotes accipiunt claues, an hoc faciant propter lucrum temporale: quia tunc ſimoniam perpetrant. Videant etiam hoc pater & mater iuuenis, an ſoliciti ſint intuitu principali, vt ſacerdos ordinetur ad temporalia congreganda, tunc enim & ipſi fiunt ſimoniaci: quia hoc bonis propter maiorem bonitatem acquirendam debet ſolum dari & accipi. Cur debet ſacerdos ordinari.

Secundo clauiger debet eſſe fidelis: nam ianua eſt initium boni vel mali. Fidelis fuit Petrus, & propterea dictum eſt ei: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ex hoc nititur lutherus probare, quòd Petrus non ſit caput ſubordinatum Eccesiæ, quia non ſuper eum, ſed ſuper petram Chriſtum fundatur: vnde cum petra ſecundum Apoſtolum ſit Chriſtus, non poterit referri in Petrum: Quoniam fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, ſcilicet Chriſtus Ieſus. Magnum putat hoc argumentum lutherus: ad quod fidei defenſores optime reſpondent: nam etſi Chriſtus ſit petra principalis, & fundamentum primarium, tamen habet vicarios & ſubſtitutos ſecundarias petras: nam cum dicto Pauli, quòd ſolus Chriſtus ſit fundamentum, ſtat dictum Ioannis in Apocalypſi: Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni. Inſtet contra Petrum lutherus, quòd negauit: & tunc portæ inferi præualuerunt contra eum; & quòd tunc Eccleſiam Petri cecidit. Aduerte primo quòd tunc temporis Petrus non erat fundamentum Eccleſiæ, nec acceperat claues: nam promiſsiones huius Euangelij completæ ſunt poſt reſurrectionem Chriſti, & potius in aduentu Spiritus ſancti, vbi ceteris feruentior extitit, & totam Eccleſiam defendit, vt patet intuenti. Dum ergo diceret ei Chriſtus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* nondum Petrus erat petra, ſed poſt reſurrectionẽ Chriſtus fundauit ſuper eum Eccleſiam ſuam, vt expreſſe teſtatur Hieronymus hic ſuper Matthæum, qui hoc ſuper hanc petram, refert ad Petrum, quem Chriſtus nunc

Petrus eſt petra in lutherum.

1. Cor. 3. d

Apo. 21. d

Hiero. lib. 3. in cap. 16. Matt. circa med. to. 6.

nunc vocauit petram. Ait enim Hieronymus ſuper hoc: *Quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam:* Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, ceteraq. ex Domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram Petræ rectè dicitur ei: *Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Et

Perſonæ lapſus nõ tollit poteſtatem.

vltra hoc aduerte quòd lapſus perſonæ non tollit poteſtatem, nec enim ſummus Pontifex antiquus erat amouẽdus ſi peccaret, vtinam Iudas reſipiſceret: quia adhuc eſſet Apoſtolus. Cum ergo lutherus per petram intelligat fidem, & fides Petri, quam confeſſus eſt, in omnibus Chriſti fidelibus ſit, manifeſte ſequitur, quòd omnes fideles ſunt fundamentum Eccleſiæ per fidem. Et ſi omnes ſunt fundamentum, quam tunc dabit Eccleſiam? Vbi ſunt parietes Eccleſiæ, vbi ſunt tecta? Vbi ſunt manſiones, vbi eſt reliquum ædificium? neceſſe ergo eſt, quòd Petrus ſit petra, & ſuper eum fundemur: ſed quia de Petri negatione locuti ſumus aliquid, ad eius excuſationem dicamus: Hoc enim Petrus habet pro ſe: quia ſi ore negauit, non tamen corde. Hic ſane caſus Petro imputari non debet ad tantum damnum: nam per diuinam promiſsionem, ſeu diſpoſitio-

Pſ. 138. a

nem euenit ei dicenti: Tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de

Caſus Petri euenit ad meliorẽ reſurrectionem.

longe. Vt Chriſtus in altum eum nimis erigeret, permiſit eum cadere. Cum enim vultis emittere virgam in altum, eam prius ſubmittere oportet vſque ad terram, vt

Luc. 1. e

melius emittatis eam ſurſum. Chriſtus magnum habens brachium, fecit potentiam in brachio ſuo, dum erexit Petrum: nam ſurſum emiſerat Baptiſtam, & magis ſurſum in dignitate Euangeliſtam Ioannem. Volens autem ſuper omnes Petrum erigere, & ſurſum agere in primatu Eccle-

Pſ. 112. b

ſiæ, prius eum vſque ad terram dimiſit, vt de ſtercore pauperem erigeret: vt ſedens cum principibus terræ Apoſtolis ſolium gloriæ, id eſt, locum Chriſti teneret. Immo ſic actum eſt Petro in hoc negotio, quòd plus gloriæ quàm confuſionis apportauit. Audiſtis ne hiſtoriam illius auis,

Phœnicis vitæ renouatio.

quæ dicitur phœnix? Hæc vnica eſt in ſua ſpecie, ipſamet dum ſeneſcit, ignem accendit, & ſedens ſuper eum concrematur: tamen in cinere ſuo remanet quidam vermis, cui

cui deinde plumæ increſcunt, & alæ oriuntur, & ſic ei renaſci contingit: egrediturq. ab eo loco renouata. Hæc auis phœnix eſt beatus Petrus, dum erat ſuper prunas ardens, quia vt ait Euangeliſta: Erat Petrus tunc temporis ad ignem, calefaciens ſe. Et inſufflat non veſtis ora ſed ore, primo flat, dum dicit: O mulier non ſum. O Petre, quia combureris, non ſuffles amplius. Tamen ſecundo ſufflat, dum ait: Neſcio quid dicis. O Petre, quia iam ardes viuus. Tertio autem fortius flauit, dum cœpit anathematizare, & iuuare: quia neſcio hominem iſtum quem dicitis. Hic ergo tantus fuit flatus, quòd ignis peccati exarſit, & comburitur omnino phœnix noſtra, & ex Petro nil remanſit niſi cinis mortalitatis. Memento homo, quia cinis es. Gallus cantauit: & recordatus eſt Petrus. Exijt à cinere, incipiens bullire vermis, ſcilicet conſcientiæ: Quia vermis peccantium non extinguetur, nec in damnatis. Per vermem recordatur verbi Ieſu, & credidit, vitâq; captat. Ex hoc verme, cum eum reſpexit Ieſus, oriuntur Petro alæ, & recuperatur phœnix, alas habet ſpei veniæ; quia continuo exiuit foras, fleuit amare. O Petre, auis phœnix intraſti in domum Cayphæ, & auis phœnix egreſſus es. Intraſti debilis, exiſti fortis: intraſti pauper fide, atque egreſſus es diues ſpe. Fides ergo, quæ poſt negationem reuixit in Petro, eſt mira fidelitas, propter quam ei dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum.*

Petrus eſt phœnix. *Ioã. 18. d* *Luc. 22. f* *Ibid. g* *Matt. 26. g* *Gen. 3. d* *Iſa. 66. g*

Tertium clauigero neceſſarium eſt fortitudo. Nam fortitudo eſt opus ad ianuam cuſtodiendam, quã Petro Chriſtus prædixit, dum ait: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, ſcilicet petram, quæ eſt Petrus: nam Petrus interpretatur ſaxum vel petra: vnde expoſitio Hieronymi, qua dicit, quòd Petrus eſt illa petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, litteralis eſt & ad ſenſum Chriſti, qui Simonem vocauit Petrum, id eſt petram, ac ſi diceret: Ego mutabo te in forté, ſtabilemq. faciam, vt ſuper te poſsit ædificari Eccleſia mea. Hic vnum aduertamus, ſcilicet quòd quãuis lutherus pro ſe adducat expoſitionem Auguſtini, non eſt ei concedenda, nec debemus admittere pro ſe dicta Doctoris, quia nõ aſſumit eius auctoritatem, niſi vt impugnet Eccleſiam, quam Auguſtinus defendebat, ita vt nec Euangelio crederet, niſi prius illud Eccleſiam recepiſſet.

Petri fortitudo. *Aug. cont. epiſt. Manichæi, quam vocãt Fundamẽti c. 5. to. 6.*

Iſte autem lutherus tamquam ex agro alieno furari vult, quibus impugnet nos, cum eius cor cum Auguſtino non ſit, cuius fœdauit habitum religioſum. Vnde iuxta ſententiam ſapientis in ore ſtulti, id eſt lutheri, reprobabitur parabola, quamuis vera & bona ſit: quia nō dicit eam in tempore ſuo. Sunt enim aliqua dicta doctorum, quæ priſco tempore, quo hæreſes non vigebant, bona quidem erant, nunc autem quia increuerunt ſerui, qui fugiunt Dominum ſuum ſummum Pontificem, ſolum illis expoſitionibus doctorum adhæremus, quibus nouitas lutheranorum deſtrui poteſt. Tam fortis ergo eſt noſter Petrus, quòd portæ inferi, id eſt, tyranni non præualuerunt contra eū, ſed Petrus contra eos. Nam portæ inferi erant Annas & Cayphas, vbi negauit: ſed tandem præualuit. Portæ inferi erant Nero & domini Romani, cōtra quos præualuit, &c. Vide Originem. Sed quia Euangelium præſentis Dominicæ nimis facit ad rem, ſic enim incipit:

Eccli. 20. 6

Portæ inferi qui fuerint.

Cum appropinquaret Dominus Ieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam, &c. Si hæc per allegoriam notare placet, videbis mala præſentis Eccleſiæ, quæ eſt Ieruſalem mater noſtra, cui Dominus iamdudum appropinquauit per carnis aſſumptionem: Quando lapis angularis eius factus eſt. Nunc autem excreſcentibus impietatibus noſtris, cum eius non obliuiſcatur, neceſſe eſt, vt per miſericordiam ei appropinquet, & per auxilium exhibendum, & vt eius condoleat: vnde ſequitur: *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam:* videlicet Eccleſiam virtutibus vacuam, peccatis plenam, ambitione refertam, & ſui Redemptoris oblitam. Diſcurre per ſtatus velut per vicos, & quære quem diligit anima tua, & vide an reperias Chriſtum in Ieruſalem: eſt quidem in Ieruſalem, eſt in Eccleſia, ſed abſconditus, ſed in angulo. Quis hodie patenter Chriſtum agit? in quo relucet charitas Redemptoris? Videns ergo Eccleſiam vt plurimum virtutibus orbatam, & ſceleribus infectam, & in exilio lætantem vane & inaniter, ipſe quaſi docens quæ facere deberet ciuitas, fleuit ſuper eam, dicens: *Si cognouiſſes & tu.* Flet, vt flere doceat. Dum Deus dicitur flere, & angeli pacis vltimum malum imminere: ac ſi diceres, quòd ſol tenebras emittit. Hoc extremum malum tangitur, dum dicitur: *Si cognouiſſes & tu.*

Expoſitio Euangelij Dominicæ.

Eph. 2. d

Cant. 3. a

Vis

Vix quidem poteſt ſciri quantum ſit malum hæreſum, maxime dum in pace creſcunt: quia ideo dicit lutherus, quòd non debemus Turcis reſiſtere, vt ſua hæreſis in mala pace creſcat. Nam alter hæretious nollet vt alteri reſiſtamus. De hac ergo mala pace ſequitur: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* O paupercula Eccleſia in pace vexata, vt dicas: In pace amaritudo mea amariſsima. Hanc ego pacem mittere non venio, ſed gladium, qui ſi non per Petrum, per Imperatorem, & Reges ſibi aſsiſtentes educi debet in aduerſarios fidei: quia duos gladios habuit Petrus, ſcilicet eccleſiaſticam & ſæcularem poteſtatem. In hac ergo die tua ab altitudine diei timebo, quãdo mundi gloria proſperatur, & fidei altitudo proſperatur: tu autem, o Eccleſia non tantum times, & ratio ſequitur: *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Cauſa præſentis lætitiæ eſt ignorantia futuri mali, de quo ſequitur: *Quia venient dies in te*, id eſt, contra te. Dies iſti quibus Eccleſia impugnatur, ſunt hæreticorum fraudes & eorum claritates: nam dicunt ſe nõ indigere expoſitionibus Scripturæ, quoniam angelus ſathanæ lutherus, iam transfigurauit ſe in angelum lucis Chriſtum, & omnes alios hæreticos illuminauit, vt Eccleſiam ſuo auxilio & audacia impugnarent: de iſtis ergo ſequitur: *Circundabunt te*, o Eccleſia *inimici tui* lutherani *vallo*, ne poſsis extendere gloriam tuam, ſed in terminis anguſtis arcta manebis. Antiquitus vallaris corona dabatur liberatori obſidionis, quam ſperamus aliquem adepturum, quem prius Deus imbuet ſpiritu ſuo: vt creauit in regem Saulem, & eum ſuo impleuit ſpiritu, vt eriperet Iabes ab obſidione tyranni Naas, qui lutheri figuram tenet, volentis eruere oculum dextrum a nobis, id eſt, beatum Petrum patrem fidei noſtræ. Vt hoc procuret, ſequitur in Euangelio: *Circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique:* vt ſcilicet pereat fuga a te. Dum lutherus iſte negat expoſitionem Scripturæ, & ſacra concilia, & primatum Petri, vndique circumdat Eccleſiam & coanguſtat: ita vt cum Threnis Ieremiæ dicamus: Et ipſa oppreſſa eſt amaritudine: vnde ſequitur in Euangelio: *Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui ſunt in te.* Modus autem quo modo iſta mala Eccleſiæ veniunt ſequitur, dum dicitur: *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.*

Iſa. 38. d

Luther⁹ eſt angelus ſathanæ.

1. Reg. 11 a

Thre. 1. b

Petrus eſt ſuper petram Chriſtum.

pidem, id eſt, Petrum ſuper Chriſtum. Lapis primarius angularis eſt Chriſtus, ſecundarius immediatus eſt Petrus: dum iſtum ordinẽ ſegregant illi, in quibus nullus eſt ordo, conantur Eccleſiam euertere, ſublato fundamento, id eſt, Petro & ſuo vicario ſummo Pontifice, ac per conſequens Imperatore. Quia ad deſtructionem vnius, ſequitur deſtructio alterius: nam ſummus Pontifex coronat, & firmat Imperatorẽ, eumq. habet in filium primogenitum. Vnde lutherani ſi aſſecuti fuerint intentum ſuum, perdent imperium. Sed abſit: nam ideo ſequitur in Euangelio: *Eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Cognoſcamus quòd Deus viſitat nos per flagella hæreticorum, vt viuacior & ſalubrior fides erigatur in nobis: quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Nam omnia iſta, quæ irruerunt mala lutheranorum, ordinantur ad hoc, quod ſequitur in Euangelio: *Et ingreſſus in templum, cœpit eycere vendentes in illo, & ementes*: lutherus iſte (vt ipſe ait zelum habens, ſed non ſecundum ſcientiam, nec ſecundum fidem) conatur proſcribere ab Eccleſia ſimoniam, nec ſit ſpelunca latronũ furantium patrimonium Chriſti. Sed nos optantes a Chriſto iuſto cum miſericordia corripi, & nolentes vt oleum lutheri impinguet caput noſtrum, id eſt, ſummum Pontificem, dicamus Chriſto: Peccauimus cum patribus noſtris, id eſt, prælatis, iniuſte egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es miſerere noſtri, & in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te, vt non dicant inter gentes: Vbi eſt Deus eorum? id eſt Petrus: nam antiquitus in lege veteri prælati dicebantur dij. Eſt ergo Eccleſia domus orationis, & fieri a malis prælatis non debet domus negotiationis, quod ipſe Chriſtus ſine luthero docuit, & quotidie docet per ſuos zelantes & ſciẽtes ſeruos: vnde in Euangelio concluditur: *Et erat docens quotidie in templo*. Quid opus eſt iſto nouo doctore malorum ſe ingerenti luthero, cum Chriſtus omni tempore per ſacros doctores ſuos doceat Eccleſiam ſuam? Sunt enim claues eius ſemper in Eccleſia, pro qua dicitur Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Ariſt. 7. phyſ. cõtex. 16.

Mala veniunt propter bonũ.

Pſ. 105. b

Iudit. 7. d

Pſ. 113. b

Eccleſia eſt domus orationis.

SERMO

SERMO DOMINICÆ DECIMÆ POST PENTHECOSTEN.

De beata Maria Magdalena, cuius hodie feſtum celebrandum accepimus: vbi & exponitur Euangelium pręſentis Dominicæ.

THEMA.

Cognouit quòd Ieſus accubuit in domo phariſai. Luc. 7.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

PHARES ſic appellatur, quia per eum diuiſa eſt maceries, & inde nomen accepit: nam interpretatur diuiſio, & anagogice intelligendo eſt pater ille ſupremus, qui diuiſit lucem a tenebris, id eſt, bonos angelos a malis, iuxta expoſitionem Auguſtini. Hic denique totum chaos primum diuiſit: propter cuius amorem beata Virgo ſegregauit ſe a peccatoribus, ita vt nemo ſe auderet coniungere illi, ſed magnificabant eam angeli Dei, qui ſunt inter peccatores ſegregati. Hæc dum ſublimiter vitam ageret, rem ſui nominis acquiſiuit: quia Maria interpretatur illuminatrix, & prius ab intellectibus manuum ſuarum, id eſt operibus, quæ multa docent, illuminauit ſe, in tantum vt thema dicat: *Cognouit quòd Ieſus accubuit in domo phariſai.* O illuminationem clariſsimam pariter & altiſsimam, cognouit quòd filius ab æterno accubuit in ſinu patris, qui eſt domus, vbi æternaliter inuitatus a patre, recumbit ſuper menſam ſuam in regno ſuo: ibiq. filius fruitur patris eſſentia ad æternam ſaturitatem. Cum ergo beata Virgo

Deus quare dicatur phares.

virgo æternum conuiuium cōtemplaretur, cuius reliquijs angeli paſcuntur: quia quidam eorum dixit: Ego cibo inuiſibili vtor. Præparabat ſui corporis alabaſtrum, quia guſtus diuinus non datur admittentibus alienum, id eſt, carnalem. Tandem tota ſe deuotione velut vnguento adimpleuit, ita vt & ſola nardus eius odorem inferret æterno conuiuio, non quemlibet ſed ſuauitatis; tandem quoniam aliquid afferebat, admiſſa eſt: *Et ſtetit retro ſecus pedes Domini*. Pedes filij Dei ſunt anima & corpus eius, & ſecus hos Maria ſtetit non ſolum per puritatem, ſed per maternitatem, quoniam in Maria filius Dei pedes hos accepit, quibus factus eſt viator, & venit vſque dum recubuit in cruce, & conuiuium fellis, & myrrhæ, & aceti ſuſciperet. De primo accubitu dicit Ioannes: In principio erat Verbum. De poſtremo dixit Iacob: Ad prædam aſcendiſti fili mi: requieſcens accubuiſti vt leo. Quemadmodum ergo beata Virgo aptauit alabaſtrum corporis ſui per virginitatem, & animam per vnguentum deuotionis æterno ac dulci conuiuio: ſic amaro crucis conuiuio aſtitit non ſecus pedes, ſed ſecus totum Chriſtum, & totam crucem, quod Ioannes conſiderans ait: Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius. Ibi tantum dilexit, quòd etiam nobis propter eam dimittuntur peccata multa, & præſtatur gratia, quam vt præſenti ſermoni aſſequamur, ei offeramus. Aue Maria.

Tob. 12. d — *Ioan. 1. a* — *Gen. 49. b* — *Ioā. 19. e*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

MAGNA eſt Magdalena in re, maior autem in typo: quia, vt Beda exponit, hæc eſt quæ totius gentilitatis figuram tenet, quæ dum phariſæus, id eſt, populus iudæorum filiorum Dei, per patriarchas & prophetas rogaret, & ad domum ſuam inuitaret, vt eorum bona opera acceptando comederet, tandem venit a cælo, & ingreſſus eſt domum phariſæi, id eſt Moyſi, qui antea leproſus erat. Nam lex Moyſi neminem ad perfectum integræ ſanitatis duxit, donec Chriſtus venit, & eius virtus ad ſanandum eos. Diſcubuit ergo, quia qui in ſublimitate ſuæ maieſtatis intelligi non poterat, formæ ſeruilis humanitatem, qua videri poſſit, aſſumpſit: ac diſcubuit, dum panem Scripturæ paruulis fregit. Cum illis manducat, quia legem & prophetas

Beda lib. 3. in c. 7. Luc. to. 5. — *Hebr. 7. c* — Euangelij cōpendioſa abſolutio.

phetas approbat & allegat. Dum ergo ſic eſſet apud phariſæum, id eſt, apud Moyſen Chriſtus: *Ecce mulier*, id eſt, gentilitas, *quæ erat in ciuitate* Ieruſalem *peccatrix*: ibi notus erat Deus, & ſciebant quòd omnes dij gentium dæmonia. Tamen gentilitas audiuit & cognouit famam Chriſti, ſicut regina Saba exiſtens in finibus terræ audiuit famam Salomonis. Hæc ergo attulit vnguentum boni odoris Chriſto, id eſt, famam bonam: vnde Paulus: Chriſti bonus odor ſumus. Venit ad domum phariſæi iuſtificandam, quamuis ille ſolum litteræ adhærens non fuerit iuſtificatus, donec ſpiritum gratiæ illa reciperet. Stat ſecus pedes Chriſti, id eſt, ſecus Apoſtolos, quibus omnia Chriſtus ſubiecit. Secus eos ſtat, vt eorum fidem ac doctrinam ſequatur. Quoniam de iſtis dicitur: Qui adhærent pedibus eius, accipient de doctrina illius. Lacrymis pedes rigat, dum ab ipſo domino & a ſuis infamiam aufert. Oſculatur eos, laudans opera Dei pijſsima erga eam. Capillis tergit, dum cognoſcit, quòd nos merebamur vulnera Redemptoris & ſuorum, qui vt nobis vitam vitæ prædicarent, mortui ſunt. Duo ergo debitores ſunt populi, ſcilicet iudaicus & gentilis, alter quingentos debet, quia quinque libros Moyſi accepit: alter quinquaginta, quia ſolummodo quinque ſenſus habet, quibus per indagationem Deum inueſtigare tenebantur. Donauit quidem Deus vtriſque de vita, quia vterque debitor erat: tamen vbi abundauit iniquitas, ſuperabundauit & gratia. Nam gentilitati plura dantur & condonatur, ideoq. ad moiorem amorem tenetur, qui etiam ſolicitior fuit, quia vt ait thema: *Cognouit*, ſcilicet per fidem, *quòd Ieſus accubuit* per charitatem: & venit ad eum per ſpem, & attulit ei omnia ſua pedibus ſuis ſubiecta per opera conſequentia, & etiam omnia, quæ habebant, afferebant pedibus Apoſtolorum. Sed quia præconia Magdalene vobis placent, de quintuplici cognitione, quam habuit, erit ſermo. Et poſtea exponam Euangelium præſentis Dominicæ.

Pſ. 95. a
3. Reg. 10 a
2. Cor. 2. d
Deu. 33. a
Debitores duo qui ſint.
Rom. 5. d
Act. 4. g
Diuiſio.

PRIMA PARS.

CVM, aſſerente Philoſopho, nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, ab exterioribus ſenſibus oritur

Ariſt. de ſenſu et ſenſili.

quintuplex modus cognoſcendi. oritur omnis acquiſita cognitio, cui cum additur infuſa, videtur quòd quinquaginta fiant quinquies centum. Iam ergo, quia hæc Apoſtolica femina ſuper ſenes intellexit, oportet moroſius de eius cognitione agere, vt cognoſcamus & nos. Multa didicit hæc mulier ſedens, vt humilis
Luc.10.g diſcipula ſecus pedes Domini, & audiens verbum illius. Immo & nunc ſtans retro ſecus pedes eius, dum eos oſculabatur, plura calluit, quoniam cum oſculo oris exhauriuit ſecretum cordis Domini Ieſu.

Cognitionis Dei primꝰ modus. Iam ergo primus modus cognoſcendi Deum eſt ſimpliciter per fidem: Si non credideritis, non intelligetis:
Iſa. 7. b nam accedentem ad Deum oportet credere: quoniam per
Heb.11.b fidem acceſſum habemus ad Deum. Iſte modus cognoſcendi eſt communis omnibus fidelibus: & iſte comparatur cognitioni, quæ eſt per auditum, quæ inter ceteras cognitiones parua eſt, quoniam teſtes ex auditu parum probant.
Ro. 10. c Fides ex auditu. Fides autem Magdalenæ, quando primo conuerſa eſt, maior fuit, quàm fides Pauli, qui tamquam lumini rebellis a Chriſto deijcitur, & cæcatur, donec ab
Act. 9.b.c Anania baptiſmate ſuſcepto, viſum recepit: quapropter
Dion. ibidem cæleſt. hier. c.11. in contẽplatione. Dionyſius vocat baptiſmum ſacramentum illuminationis. Dominus autem Ieſus dum vellet Magdalenam conuertere, noluit eam contriſtari, nec eius baptiſmum differre, aut alteri eum committere, nec aquam communem pro eius

Magdalenę fides & eius baptiſmus. baptiſmo quærere. Tanta enim fuit Magdalenæ fides, quòd ipſamet in vaſculis oculorum ſuorum aſportauit
Hier. ad Furiam de Viduitate ſeruanda to.1. aquam baptiſmi ſui: quoniam, vt teſtatur Hieronymus in prima parte epiſtolarum, epiſtola decima, in ſuis lacrymis baptizata fuit: contingit ei, vt eis quos in die Penthecoſtes mũdius baptizauit princeps Eccleſiæ Petrus.
Act.2. a.f Nam hi cum viderent ignem deſcendere ſuper cœnaculum Chriſti, arbitrati ſunt, quòd domus Dauid comburebatur, & attulerunt aquam: vt extinguerent ignem. Mirabile dictu, aqua enim illa deſeruiuit eorum baptiſmo: quia eadem baptizati ſunt. Nunc autem Magdalena digniori aqua baptizatur. Nec mirum quòd eſſet dignior, quia eam afferebat, vt Dominum lauaret: vnde ſtatim *lacrymis cœpit rigare pedes eius: & capillis capitis ſui tergebat*. Ecce quô modo Chriſtum abluere volebat, tamen ipſe non tantum pedes eius, ſed manus, & caput, & animam dealbauit

illis

illis lacrymis, quæ ex contactu Chriſti virtutem plurimam acceperunt. Martyres plurimi baptizati ſunt proprio ſanguine, & quia lacrymæ Magdalenæ procedunt ex nimio amore, & fere ex tanto quanto ſanguis martyrum: ideo in eis baptizatur. Nonne fuit fere martyrium intrare domum ſubſannatoris phariſæi, & ab eius etiam ſeruis ſperni, & tanta pati in aula eius, quòd ipſe Chriſtus miſericordia motus, ſumpſit eius patrocinium, probans quòd iam peccatrix non erat: in corde quidem ſuo Chriſtus dicebat: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Magdalenæ igitur fides fuit maior fide totius domus phariſæi: nam cum Dominus conuerſus omnino ad mulierem dixit ei: *Remittuntur tibi peccata tua: & cœperunt, qui ſimul accumbebant dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? quis eſt*, inquiunt, *hic?* Quæratis hoc a beata Magdalena, quæ cum iam cognouit per integram fidem: nam ſi nemo poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus, hic eſt Deus noſter in æternum, qui cognouit, quæ vos dicebatis interius: quia ei omne cor patet. Magdalena experta eſt, quæ illi dubitabant: nam dubitabant, an Chriſtus eſſet Deus, immo nullo modo credebant, nec quòd poſſet peccata dimittere; tamen Chriſtus Magdalenam in teſtem adduxit horum myſteriorum, dum dixit ei: *Vade in pace*. Pax conſcientiæ tuæ ſit teſtis remiſsionis tibi factæ. Hæc pax tanta fuit, vt Rupertus dicat: Poſt lacrymas illas, poſt capillorum ſolutionem, poſt illa oſcula Chriſti pedibus infixa, poſt vnguentum effuſum pedibus eius, iam nec oculos ad concupiſcendum aperit, nec vt amatoribus placeat capillum comit, nec os ſuum a freno pudicitiæ ſoluit, nec odoribus aromaticis fœtorem luxuriæ paſcit. Et Origenes dicit, quòd deinde nullum præter Chriſtum in faciem reſpexit. Aliqui putant, quòd fides Magdalenæ minuitur, propterea quòd Chriſtus noluit poſt reſurrectionem ab ea tangi, & vnguentum quod ei parauerat ſuſcipere: ſed hoc idcirco non admiſit Chriſtus, quia, vt ait Rupertus: Magdalena typum gerebat gentilitatis, cui non patuit acceſſus ad fidem, donec ad patrem Chriſtus aſcenderet. Immo iſte doctor inquirit cur hæc prima ſit per os Chriſti nuncia reſurrectionis ad ipſos Apoſtolos, & huius primatus dans rationem, ait:

Pulchre

Lacrymis ſuis baptizatur Magdalena.

Matt. 26. a

Rupertus in c. 10. Ioan. ibi: Erat Lazarus to. 3.

Rupertus in cap. 20. Ioã. ibi: Maria autẽ ſtabat. to. 3.

Pulchre ſiquidem hanc præ omnibus mulierem manus reſurgentis pio deſiderio ligatam ad ſepulchrum ſuum retinuit, vt ſecundæ reſurrectionis ipſa nuncia fieret, in qua primæ reſurrectionis opus notiſsimum, atque celeberrimum factum eſt. Prima namque reſurrectio, de qua hic
Apo.20. b idem Ioannes ait: Beatus qui habet partem in reſurrectione prima: illa eſt quam Dominus enunciat iudæis:
Ioan.5. e Amen amen, inquit, dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Hac reſurrectione mulier hæc prima omnium vel notiſsima reſpirauit, quia cum eſſet in ciuitate peccatrix, fœtentior malæ famæ putoribus quàm fuerat frater ſuus Lazarus corpore quatriduanus: audiuit in monumento malæ conſuetudinis vocem filij Dei, & quia audiuit, protinus exiuit. Pœnitendo quippe lauit maculas criminis lacrymis: & dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Secunda reſurrectio corporum eſt, in qua primogenitus mortuorum eſt Chriſtus filius Dei, cuius vita nunc lugentibus & flentibus erat nuncianda diſcipulis. Stabat igitur Maria principis vitæ & vtriuſque reſurrectionis nutu detenta, videlicet ſecundam reſurrectionem nunciatura, quam primæ reſurrectionis gratia tali nuncio dignam effecerat. Hæc Rupertus: Oſtendēs quo modo Magdalena tenet in primò reſurgentibus primatum, quam ideo ad monumentum ſuum Chriſtus detinuit, vt eam primo nunciam faceret ſuæ reſurrectionis, & nunc in domo phariſæi, vbi ipſa ſurrexit, aptauit eam tali nuncio, id eſt, dignam fecit, vt ſuam reſurrectionem prima prædicaret Apoſtolis. Ecce igitur quo modo fides Mariæ Magdalene magnificatur a Chriſto, vt ſic merito interpretetur magnificata.

(Margin: Magdalena eſt prima nuncia reſurrectiõis: quia prima ſurrexit a peccato.)

Secundus modus cognitionis eſt per obedientiam in
Pſ.118. n agendo: vnde Dauid ait: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Et per patientiam in ſuſtinendo:
Iſa.28. e Sola vexatio intellectum dabit auditui. Iſta cognitio comparatur illi, quæ eſt per tactum: per tactum enim cognoſcitur quàm leue, quàm graue, quàm aſperum, quam lene:
Matt.11. d Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me, &c. Iugum enim meũ ſuaue eſt, & onus meum leue. Per obedientiam quippe tangimus Dominum: per patientiam tangimur

(Margin: Cognitio per tactum.)

ab eo:

ab eo: Tetigi te, & conturbatus es. Quanta fuerit Mariæ Magdalene obedientia, quantaq. patientia vix dici poteſt, cum in omnibus virtutibus optimam partem elegerit ſibi Maria, quæ non fuit ablata ab ea in æternum. Obedientia Mariæ Magdalene eo melior eſt, quo ſecretius habuit mandatum, quoniam intus in anima eius loquebatur ei, qui eam traxit ad conuiuium ſuum. Et in conuiuio dum opera charitatis eius laudauit Chriſtus, ad maiora eam excitauit. Vt autem de operibus eius aliquid videamus: notandum eſt quòd de ipſa dicitur: Operata eſt conſilio manuum ſuarum. Tunc operaris conſilio manuum tuarum, cum ex bonis operibus, quæ proximo exhibes, conſilium accipis ad ea quæ intra te facturus es, vt ſic opera tua exteriora in ſinum tuum conuertantur. Quantæ autem ſanctitatis fuit, Chriſtus oſtendit, dum opera Mariæ Magdalene coram Simone magnificauit, cui dixit: *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, &c.* Cur bona opera iſtius tacet Chriſtus? vtpote, quia eum receperat in domum, & eum ad menſam ſuam rogatum adduxerat & quæſitum, & ei ſplendidum prandium parauerat, & ei honorem deferebat. Cur hæc tacet Chriſtus, niſi quia opera illius ab anima ſua non procedebant, niſi quia ſimilia intus non habuit? non eſt operatus intus in ſe conſilio manuum ſuarum, quia ſi Chriſtum ſuſcepit hoſpitio, ipſe a ſeipſo exul non intrat in cor ſuum: nam ſi intraret non mulierem peccatricem, ſed ſeipſum peccatorem iudicaret. Hoc enim faciunt qui ad ſeipſos intrant, dicente Iſaia: Confundamini, redite præuaricatores ad cor: recordamini prioris ſæculi. Vt confundantur viſis patribus prioris ſæculi, ſcilicet quę in iuuentute commiſerant, dicit quòd reuertantur ad cor ſuum. Diſcat ergo phariſæus ex opere ſuſceptionis exterioris, vel ſeipſum in proprium cor ſuſcipere, alioquin paruifaciet Chriſtus opera eius, & magnificabit opera obedientiæ Mariæ Magdalene, quæ intus in anima ſua operata eſt eadem, quæ Chriſto exterius exhibuit. Cur nãque Redemptor noſter æquus in præmio, tantum daret Magdalene, cuius factus eſt aduocatus, & tam parum phariſæo, niſi quia inæquales erant in merito? Si ſolum exterius computares, quæ in Magdalena exhibet,

Iob 4. a

Luc. 10. g

Prou. 31. b

Magdalena intus habet quę dat extra.

Iſa. 46. e

exhibet, & quæ phariſæus, plus quidem ille offert rogato
Prou. 26. a Domino: tamen quia ſpirituum, vt ait Scriptura, ponderator eſt Dominus: iſta ſpiritualiter intra ſe operata eſt, quæ foris oſtendit: at hypocrita ille phariſæus, vt paries dealbatus, quæ deforis ſunt, agebat. Maria ergo intrauit domum phariſæi, & ſimiliter intrauit in ſeipſam, & ſe phariſæam, id eſt, diuiſam a Deo iudicauit, ad cuius vnionem cum verecundia cucurrit: nam ideo ſtans retro ſecus pedes eius, cognouit ſe hactenus ante pedes Dei ſtetiſſe, tamquam impediens greſſus eius ad animam ſuam, ſed iam in melius mutato conſilio ſtat retro, ſequutura veſtigia Redemptoris. De lacrymis Magdalenæ quid vobis dicam, niſi quia plus intus quàm extra flebat? Ei
Thre. 2. f namque dicitur: In principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini. Cor eius liquefactum erat, antequã veniret ad Chriſtum, ipſe dicẽte:
Cant. 5. c Anima mea liquefacta eſt, dum dilectus meus locutus eſt, ſcilicet in ſermone conuerſionis meæ, tunc ſane fuit principium vigiliarũ eius, tunc ſtetit ante conſpectum Domini, deinde venit vt ſtaret retro ſecus pedes eius: ſic ergo cũcta opera quæ Maria Magdalene foris exhibuit, intus habuit: vnde opus interius & exterius ſunt velut tactus duplex, quo tetigit Deum, & tacta eſt ab eo: nam dum Iacob pa-
Gen. 27. c tri ſuo exhibuit conuiuium, audiuit ab eo: Accede huc fili vt tangã te, & probem an filius meus ſis. Probatio namque obedientiæ interioris, eſt exhibitio exterior. Poſtquam ergo filium tetigit, & comedit, benedixit eum, & oſculum præſtitit. Dominus Ieſus ore ſuo dedit oſculum matri ſuæ, dum infans erat: nunc autem pede ſuo dedit oſculum Mariæ Magdalene: rariſsimi admittuntur, vt oſculentur pedem ſummi Pontificis.

Cognitio per viſum. Tertius modus cognitionis eſt per ſpeculationem: Vide-
1. Cor. 13. d mus nũc per ſpeculũ, &c. Et: Nos vero reuelata facie. Gloſſa, id eſt expedita ratione ſpeculãtes. Gloſſa, id eſt per ſpeculum rationis vidẽtes gloriã Dei. Gloſſa, id eſt glorioſum
2. Cor. 3. d Dominum. In ſæculo autem, vt dicunt Gloſſæ, nõ niſi imago cernitur. Iſta cognitio ſimilis eſt illi, quam habemus per aſpectum corporalem, quia ſicut oculus exterior non
Rom. 1. c videt niſi corporalia, ita intellectus interior, cũ inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, cõſpicere nititur, non niſi ima-

gines

gines aut veſtigia Dei apprehendit. Et hoc ſolum de Deo intelligit, quid eſt, & quid non eſt, ſed quid eſt non aſſequitur vllo modo. Speculum tamen habet Maria Magdalene varium: primum eſt creaturarum viſibilium: ſecundum autem angelorum, quos lucidiſsima ſpecula Dionyſius vocat: hos habuit conſortes, dum tot annis vitam contemplatiuam elegit: tertium ſpeculum eſt mater Dei, vbi clarius videtur, quamuis paruus Dominus. Huic nimis familiaris Magdalena extitit, & ab ea multa didicit: nam omnes qui fuerunt Virgini familiares, ceteris doctiores dignoſcuntur. Habet quoque illud ſpeculum ſine macula filium Dei, vbi relucet pater æternus: nam in hoc ſæpe intuebatur ſeipſam, vt cuncta ſua geſta componeret: nam propterea dicitur: Speculum ſine macula, quia omnium maculas abſtergit. Dominus Ieſus ſicut ſpeculũ materiale omnes recipit, & neminem reſpuit, nulli tamen mentitur, nulli adulatur, nulli blanditur, de vnoquoque qualis ſit, teſtimonium perhibet. Vnde Dominus Ieſus dicitur teſtis in cælo fidelis: teſtis autem fidelis a veritate non recedit. Hoc patet hodie: nam Dominus Ieſus coram hypocritis oſtendit veritatem vitæ huius feminæ, quæ etſi peccatrix iudicabatur, verumtamẽ ceteris ſanctior in ſpeculo reperta eſt, vbi non corpora ſed corda relucent. Immo ipſa Maria Magdalene ſpeculum eſt omni peccatori, ad hoc vt inſpiciat qualiter debeat ad Deum conuerti. Quattuor facit magna: primo abluit lacrymis offenſos pedes: ſecundo terſit eos capillis ſuis: tertio eos labijs oſculatur: quarto vnxit vnguento: quia prius acquirenda eſt munditia cordis ad pedes ſacerdotis: ſecundo autem ſunt delenda veſtigia & occaſiones peccati: tertio fit pax integra inter Deum & animam: quarto acquiritur deuotio mentis. Apta negotium Abſalon, qui primo venit de Ieſſur, quaſi de peccato recedens ab eo: ſecundo moratur in Ieruſalem, vt bonis moribus adhæreat: tertio aulam regis intrat: quarto eum oſculatur: Sicut autem iſti tres ſenſus dicti a foris ſunt, nec reficiunt cor: ita iſti tres modi cognoſcendi Deum afficiunt animam, ſed non reficiunt. Vnde anima ipſa ſancta quærendo dilectum per vicos & plateas, id eſt, per creaturas viſibiles, & inuiſibiles percutitur & non reficitur, vulneratur & non

Magdalena varium ſpeculum habet.

Dionyſius de diu. nom. c. 4. multum a fine.

Sap. 7. d

Peccator quæ debet facere.

2. Reg. 14 f. g

Cant. 3. a & 5. b

& non ſanatur, ſed cum pertranſijt, inuenit, tenet, amplectitur, & reficitur dupliciter, ſcilicet ſapore humanitatis, & odore diuinitatis.

Cognitio per guſtũ. Quartus modus cognoſcendi eſt per guſtum, de quo dicitur: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. *Pſ. 33. b* Eſt igitur quartus modus cognitionis, qui ſurgit ex recordatione paupertatis, tranſgreſsionis, abſinthij, & fellis, & aliorum beneficiorum, quæ nobis contulit humanitas Saluatoris, quod eſt ſpiritualiter comedere corpus Chriſti. *1. Reg. 14 d* De hac ergo cognitione myſtice dicitur: Guſtauit Ionathas parum mellis, & illuminati ſunt oculi eius. Deuotio igitur, quæ eſt circa humanitatem Redemptoris guſtui *Ioan. 6. f* comparatur & comeſtioni, de qua dicitur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitã æternam. Quantum iſto modo Magdalena cognouerit, vix poſſumus intelligere, cum nemo ſit qui eam valeat a pedibus ſeparare, quos cum poſt reſurrectionem amplecti vel*Ioã. 20. d* let, vt ſolebat, maieſtas Domini eam detinuit, dicens: Noli me tangere, ſcilicet familiariter, vt ſolebas. Noli me tangere, ſicut tetigiſti pedes meos dum eram in cruce. O fratres mei, quid vobis dicam de hac re? nam Maria Magdalene dum ſtaret ſub cruce renouauit quæ fecerat in domo phariſæi, ſicut illic præ dolore ſui, ſic in cruce præ dolore *Ioã. 19. e* Chriſti & matris eius. Erat enim iuxta crucem Ieſu, referente Ioanne, ſicut & mater eius: nam eis in vita ſua ſeruierat, & eis in morte nõ defuit: quia Dominus ei præ*Ioã. 12. b* ceperat: In die, inquit, ſepulturæ meæ ſeruet illud. Ipſa vero dum meminit, quòd in domo phariſæi Dominus laudauerat opera ſua, ex quibus concluſit nimium eius amorem. Nunc ſimiliter videns Chriſtum in domo latronum accumbere, vult eadem obſequia repetere. Primo ſtat retro, vt locum det Matri Ieſu aſtanti iuxta crucem corã cruce. Stat, inquam, retro erecta poſt Chriſtum: quia optabat ex parte crucis altera pendere: quoniam ibi *Iob 7. c* dicit: Suſpendium elegit anima mea & mortem oſſa mea. Magdalena habet iuxta crucem plura. Suſpendium clauorum deſidero, & mortem pendentis infligi mihi expoſtulo. Sed quia ſtare nouimus eam ſecus pedes Domini, leuabat ne calcaneum ſuum contra eam? *Iſa. 63. a* Sane quidem quoniam ipſe dixit: Torcular calcaui ſolus & de gentibus non eſt vir mecum. Crux dicitur torcular

in quo

in quo Dominus torquebat pias feminas, inter quas teneriorem arbitror Magdalenam, quæ ideo ſtat ſecus pedes Domini, quia nimis de propinquo eam torquet. Dum racemus in torculari calcatur, emittit ſuccum ſubſtantiæ ſuæ: Magdalena vero per oculos ſuos emiſit lacrymas, quę ſanguinis dici poſſunt: vnde optime dixit Euangelium eam cœpiſſe in domo phariſæi rigare lacrymis pedes Domini, nunc autem idem proſequitur, vbi oculi ſui languerunt præ inopia Redemptoris. Vnde oculi eius ſicut columbæ iuxta fluenta lacrymarum pleniſsima, quæ ita fluebant, vt ei dicatur in Canticis: Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon, quod interpretatur numerus, ſcilicet plagarum Chriſti: nam oculi eius, etſi lacrymis pleni, tamen ita intenti erant, vt numerarent omnia oſſa, & vulnera Saluatoris. De capillis quid vultis audire, cum in Canticis dicantur ſicut purpura regis iuncta canalibus? Purpura Chriſti eſt eius caro, vbi erant canales vulnerum, quibus adhærebant piæ cogitationes Magdalene cupientis diſſolui, & eſſe cum Chriſto in cruce. Qualis erat purpura regis coronati ſpinis, quæ riuos ſanguinis emittebant, tales erant capilli, id eſt, cogitationes Magdalene, quibus tegebat etiam tunc vulnera Saluatoris, volens ea citius amouere a viro ſancto, & ſibi tamquam peccatrici totaliter infligi. Tunc ſane beata Magdalena vt vera nazarea ſacrificabat, & concremabat capillos ſuos in religionis ſuæ termino, in quibus erat tota fortitudo eius, quia creuerant nimis vt capilli Samſon; ideoq. ſicut elatæ palmarum vocantur in Canticis, quia palmas victoriæ optabat Magdalena reportare contra inimicos Chriſti. Tunc etiam habuit alabaſtrum cordis ſui vnguento plenum; ſed Ieſum non potuit vngere; nec datur locus: ideo *valde mane vna ſabbatorũ*, memor quòd ſibi incumbebat Chriſto ſaluare vnguentum, Magdalena inuitauit alias, & *emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum*, cui viſcera non clauſit Magdalena, dum deponeretur a ligno, adipem ſuum concluſit, ſed viſceribus condidit vnguentum: vt vngatur ſanctus ſanctorum. Tunc ſane angeli dicebant Magdalenæ: Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis: nam Dominum Ieſum inter vbera ſua, vt faciſculum mirrheum morari deſiderans, & ei

Pſ.87.b *Cant.5.d* *Cant.7.c* *Ibidem.c* *Phil.1.c*

Capilli Mariæ Magdalene quales.

Cant.5.c *Cant.1.a*

& ei vinum & oleum infundere mixtum, dicebat: Ego portabo illum, humerum ſupponam ei, quia hoc onus eius ſuaue, & iam ſiccum eſt leue. Si adhuc in horto, vbi ſepultus eſt Dominus, Maria dicebat: Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vt ego eum tollam: quanto verius hæc diceret, dum Chriſtus a cruce deponeretur? Vix quidem poterant ſancti viri amouere Ieſum ab ea: nam Maria mater eius, dum Ieſus dixit: Conſummatum eſt, mori cœpit. Væ nobis fratres mei: quia dum Magdalenæ deuotionem inſpicio, nobis dici poſſet: *Intraui in domum tuam*, o Chriſtiane, vt te cibarem carne mea, & meo ſanguine potarem, & *aquam* vel tepidam *pedibus*, id eſt, affectibus *meis* ardentibus *non dediſti*. *Hac autem* Magdalena *lacrymis rigauit pedes meos: & capillis ſuis* pretioſis *terſit*. *Oſculum* pacis *mihi non dediſti: hac autem ex quo intrauit non ceſſauit oſculari pedes meos*. Oleo deuotionis vel affectionis *caput meum non vnxiſti: hac autem vnguento vnxit pedes meos, &c.*

Ioã. 20. d · *Ioã. 19. f*

Cognitio per odoratum.

Quintus modus cognitionis eſt per odoratum; nam dilectio, quæ eſt in contemplatione diuinitatis & eorum quæ circa diuina ſunt, odoratui aſsimilatur: faucibus enim ſapores corporum, naribus vero odores diſcernimus: & hæc eſt duplex ratio animæ, ſiue portio. Sicut corpus ſine cibo & potu viuere non poteſt, & ſicut olfactus noſter non diſcernit niſi extremos odores, ſcilicet fœtidos, aut aromaticos: ita in hac vita affectus noſter & intellectus non apprehendit eorum quæ diuinitatis ſunt, niſi extrema quædam & modica valde, reſpectu eorum quæ intrinſecus latent. De odore iſto dixit Ioannes Euangeliſta: Tuus odor bene Ieſu excitauit in me concupiſcentias æternas. Et beata Agnes dixit: Cuius odore mortui reuiuiſcunt. Iſte odor diuinitatis difficiliter ſentitur: quoniam ſapientia Dei dixit: Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris. Odor vitis numquam aut vix ſentitur, niſi tranſeat in vinum: quoniam Deum in ſe vix poterimus ſentire, niſi per eius beneficia nobis collata. Aduertendum eſt tamen, quòd iſtis duobus modis credimus Magdalenam pleniſsime edoctam: nam de altero ait Chriſtus: Ego quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, id eſt, domum Magdalenæ, & eius animam

Olfactus ſicut non diſcernit niſi extremos odores, ſic intellectus non apprehendit niſi modica diuinitatis.

Eccli. 24. a · *Ibid. b*

animam vbi habitare & hoſpitari conſueui. Libanus inciſus dicitur humanitas Christi, & non inciſus eius illæſa diuinitas. Vapor Dei virtus, eiusq. fragrantia eſt. De altero modo dicitur: Ipſe princeps ſedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Abſit enim vt tantam credamus in Christo inurbanitatem, vt comederet buccellam ſuam ſolus, & non comederet de meliori cibo hoſpita ſua Magdalena cum eo, cum ipſe dicat: Si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo: & ipſe mecum. Et: Propoſui hanc adducere ad conuiuandum mecum. Sicut ergo per totam vitam ſuam Magdalena inuitauit Chriſtum & ſuos, & cum eo expendit per itinera omnia deſiderabilia eius, ſic Dominus de melioribus, & de abſconditis ſuis adimpleuit animam eius, non ſolum in die Penthecoſtes, vbi Spiritu ſancto repleuit illam, ſed peracto Apoſtolatus officio, duxit eam in montem excelſum ſeorſum, vbi per triginta annos odore diuinitatis paſcebatur. Quo modo namque curreret ſuper montes Marſiliæ, niſi in odorem diuinitatis Chriſti ſui? De hoc odore fratres elingues ſumus ad loquendum, ſatis eſt dicere thema: *Cognouit*, ſcilicet per odorem ſuauitatis, *quòd Ieſus* Chriſtus præ conſortibus ſuis vnctus, *recubuit* poſt aſcenſionem *in domo phariſæi*, id eſt, Patris æterni: vbi ſedens ad eius dexteram in potioribus bonis celebrat iuge conuiuium, ad quod expectat ſemper ſuos famelicos, qui nunc detinentur in valle lacrymarum ſtantes retro, quia non vident adhuc faciem Chriſti gratiarum plenam, donec in illa domo æternitatis cum Maria Magdalena ſuper caput diuinitatis ipſius recumbentis, fracto alabaſtro corporum per mortem euolent animæ iuſtorum: Sicut virgula fumi vniuerſi pulueris pigmentarij. Tunc repleta erit domus gloriæ odore diuinitatis, ſcilicet fruitione, quo nutriuntur animæ beatæ; non erunt tamen lacrymæ, nec ſingultus, ſed oſcula beatiſsima oris Ieſu eructantis odorem gloriæ.

Sap.7.d *Eze.44.a* *Apo.3.d* *Sap.8.b* *Cant.3.c*

SECVNDA PARS.

Figura Magdalenæ eſt in Euãgelio Dominicæ præſentis.

QVIA hodiernum Euangelium nimis facit ad rem, illud exponamus obiter, ait ergo: *Dixit Ieſus ad quoſdam*,

quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam iuſti, et cetera. Vult Dominus exemplo humilitatis confundere ſuperbiã, ideoq. ſuperbum hypocritam, et humilem peccatorem iuxta ſeſe poſitos in eadem domo oſtendit, dicens: *Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent. Alter* iſtorum erat ex illis, *qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur ceteros.* Erat denique Phariſæus iſte: de quo iam audiſtis, quòd ſpreuit Magdalenam; immo et Chriſtum, dicens: *Hic ſi propheta eſſet, ſciret vtique qua et qualis eſt mulier, qua tangit eum, quia peccatrix eſt.* Vnde ſequitur in Euangelio Dominicæ: *Vnus Phariſaus, et alter Publicanus.* Phariſæus erat Simon: Publicanus autem erat Magdalena. Bene phariſæus dicitur, qui ab omnibus diuiſit ſe, dicens: *Non ſum ſicut ceteri hominum.* Sed Simon phariſæus dicitur, quaſi ſegregatus a peccatoribus, et ſeruitio Dei mancipatus. Magdalena vero publica peccatrix eſt in ciuitate illa peccatrice Ieruſalem, quæ nec publica peccata iam mulctare volebat. Vel Magdalena non caſtigatur, quia illuſtris erat, quoniam tales impune etiam apud nos peccant, quoniam in libris Machabæorum dicitur: Multiplicata ſunt mala in terra, et exijt ex eis radix peccati Antyochus illuſtris. Antyochus interpretatur pro vehiculo vel curru, ſcilicet loco currus, quia illuſtres viri dum publicani fiunt, et peccant, alios ducunt, et portant ſecum ad inferos, ſicut baiulus ſiue geſtator publicus, qui onera aliorum portat; ſic iſti portant, vt hircus emiſſarius peccata populi nutriẽtes ea, donec iudex ponat hœdos ad ſiniſtram. Iam ergo iſti duo, ſcilicet Simon, et Magdalena decreuerunt, vt Deum orarent, in templum aſcendere. Templum eſt Chriſtus, vbi colitur eius deitas, ad hoc etiã Angeli aſcendunt: quia Chriſtus excelſior cælis eſt. Nonne Simon ad hoc templum aſcendere cupiebat, dũ Ieſum rogabat, vt manducaret cum illo? Nonne in hoc templo phariſæus lepræ ſanitatem obtinuerat? Hunc enim ſanarat Ieſus, quem nunc quaſi gratias agens inuitat: vnde ſequitur in Euangelio Dominicæ: *Phariſaus ſtans, hac apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi.* Quamuis Maria, et Simon dicantur ſtare, huius ſtationis magnum eſt diſcrimen; quia phariſæus habet oculos ſublimes, qui in ſe omne ſublime videt: peccatrix autem aſpicit terram, ſe terrenã, & pondere

Illuſtrium peccata impunita ſũt.

1. Mac. 1. b

Heb. 7. d

pōdere peccati grauatā cognoſcēs : quæ ideo deiectā, vt eſt terra, ſe fatetur. Ille tantum ſtabat, vt aliquid plus homine ſe eſſe crederet: vnde propterea ſubiunxit: *Non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* Super hoc ait Beda: Quattuor ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur, cum bonum aut a ſeipſis habere ſe æſtimant, aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant, aut certe cum iactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis ceteris ſingulariter videri appetunt habere, quod habent: Hęc Beda. Vbi aduerte quòd phariſæus propter ſuā dignitatem putabat ſe ſanctum, et peccatricem digito loquens oſtēdit: in qua tria deprehendit vitia; vitia, inquam, iuuentutis ſuæ: quia vt ait Vincentius duodecim annis fuit in voluptatibus. Iā ergo primo fuit raptrix, quia opes parentum ſuorum in malos vſus expendens rapere videbatur hereditatem a poſteris, qui ei ſuccedere iure ſolēt; & ab intentione bonorum parentum, qui non ad voluptatem ſed honeſtatem opes filijs relinquunt. Magdalena etiā ſpiritualiter fuit raptrix, quoniam vt ait Salomon: Pretiū ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autē viri pretioſam animam capit. Fuitq. adultera, ideoq. lapidatione digna. Fuit etiam iniuſta dum nec genus, nec dignitatem fratrum ſuorum aſpexit, vt ſequeretur digna ſe: nam cum eſſet ſoror Lazari, vixit velut ſi eſſet ſoror filij iunioris, qui conſumpſit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe. Et cum eſſet ſoror deuotiſsimæ Marthæ, ſe adiunxit Thamar in biuio ſedenti. Fuitq. iniuſta, quia nec Deo reddidit animam ſed diabolo, nec proximo clientelam ſed fallaciam, nec ſibi honeſtatem ſed turpitudinem. Fuit ergo raptrix in corpore pulchro, adultera in anima ſeparata a Deo, et iniuſta in vtroque. Contra iſta tria ſe laudat Simon in tribus, dū conſequenter ſubiunxit: *Ieiuno bis in ſabbato*, dum ſcilicet ſum anima et corpore continens. Ecce duo: de tertio autem ſequitur: *Decimas do omnium quæ poſsideo*, quaſi dicat, non ſum raptor ſed largitor, non ſum adulter, nec iniuſtus, quia ieiuno bis anima et corpore caſtus, & ſabbatizo a vitijs. Vidiſtis fratres Magdalenæ peccata, vidiſtis & iuſtitiam Simonis, qui ſublato humilitatis fundamento cecidit. Nunc non pigeat audire iuſtificationem

Arrogantium ſpecies quattuor.

Beda lib. 5. in c. 18. Luca 10. 5.

Peccata Magdalenę

Pro. 6. d

Luc. 15. e

Gen. 38. e

Pœnitentia Magdalenæ condigna.

Magdalenæ, de qua ſequitur: *Et publicanus a longe ſtans,* Ecce quo modo iuſtitia punitiua punit, quæ puniēda ſunt. Quæ per peccatū ſe a Deo ſubtraxerat, cognitionem habet, quod proſcribi meretur, ideoq. ſtat a longe, tamquam audire parata: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius: quibus vos coniūxiſtis in vita veſtra. Stat Magdalena ſecus pedes, quia cum audiſſet ſcripturam in Dei perſona dicentem: Vt lutum platearū delebo eos: ea talem ſe putans ſtatuit ſe ſecus pedes, vt peſſundetur. Ecce quo modo iam ſe iuſtificat, dum iuſtitiæ punitiuæ ſe offert. Si autem ſpirituale adulterium cōmiſerat, fatetur peccatum ſuum, quoniam non audet nec oculos ad cælum leuare, ſciens ſe fuiſſe vt ſuem in volutabro luti, & quòd nihil coinquinatum intrabit in illam requiem. Si autem raptrix fuit, ſequitur in Euāgelio: *Sed percutiebat pectus ſuum.* Prius ſtetit a lōge ſub pedibus, cognoſcens peccatum ſuum, et culpam, quæ animam in infimo deijcit; nunc autem cognoſcens, quòd poſt culpam meretur pœnam, quaſi ſeipſam puniēs percutit pectus, vbi eſt radix mali: quoniam a corde egrediuntur adulteria, & ſcurrilia, ceteraq. huiuſmodi. Deus non conſueuit idipſum bis punire, ideoq. Magdalena, omnia in quibus antea lætari cōſueuerat, crinium laceratione compleuit, et oculos lacrymis, & os luto pedum Chriſti, quem reſpicere non audet, quia vt indicem contemplatur illum, cui dicit: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Magna ſententia, fidelis petitio, vrgens dictum: nam propitius idem eſt, quod prope citius. Et dum manu ſua pectora tundit, a quibus ideo fletus exibat, voluit dicere: Veni Domine cito, et noli tardare, vt medearis radici omnium malorū, quę eſt in pectore meo. Sed contraria videtur operari: nam ſtat a longe ſubtus pedes, caput Chriſti relinquens phariſæo, & a longe ſtans, citius exoptat Deum fieri prope. Cur tam contrarie agitur? quia ſciebat id quo concluditur Euangeliū: *Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur* per Chriſtum dicentem Simoni, vt eum humiliaret, & Magdalenam exaltaret: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c.* duo debitores ſunt phariſæus, & publicanus: Simon, & Magdalena, prior debet quinquaginta: quia minus peccauit. Magdalena debet quingentos, quia plus peccarat: nō habēt vnde ſol-

Mat. 25. d
Pſal. 17. f
2. Pet. 2. d
Apo. 21. g
Mat. 15. b

* Propitius idem eſt quod prope citius.

Duo debitores ſunt Magdalena & Simon.

de ſoluāt, tamē miſericordia remiſit eis omnia. Simon de remiſſione ſua confidebat, et certā eā credebat, quia opera pietatis Chriſto exhibebat. Rationaliter quidē propter tantum ſignum peccata ſibi dimiſſa credebat. Sed ſi maiora ſigna in Magdalena cernebat, cur non credebat eā quoque iuſtificatā? quòd maiora ſint opera miſericordiæ in Magdalena patet: nā ideo dixit Chriſtus: *Intraui in domū tuam, aquam pedibus meis non dediſti &c.* Pondera vt Chriſtus quàm potiora fuerūt opera Magdalenæ. Ecce igitur, o Simon, quo modo quāuis nō eſſem prophetā, ſcio cognoſcere, quòd hæc eſt iuſtior, quia iuſtiora exhibet opera pietatis, quæ iuſtificāt impiū. Nō ergo deinceps dicas eā peccatricem: quoniam *dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*, vt patet in multa exhibitione bonorū operum eius. Cū ergo per opera pietas mihi accepta, eius peccata dimiſerim, multū diligit. Si autē multū diligit, multū iuſtificatur: ideo, *amen dico vobis: Deſcēdit hæc* pacifice in domum ſuā, ſcilicet conſcientiā *iuſtificata ab illo*, ſcilicet Simone, qui ſpreuerat eā, & occaſio fuit, vt intimius iuſtificaretur, & vt iuſta prædicaretur a Chriſto, qui in eius laudes oſtendit ſapientiam ſuam, dum corā Simone ventilaret cauſam eius. Hæc ergo fratres mei eſt Maria Magdalena.

Apoſtolis par in officio, quoniam ſi apoſtolus miſſus, ipſa miſſa eſt immediate a Chriſto, vt primum ſurrexit ad eum nunciandum. Magdalenæ præconia per alphabetum

Beatior inter mulieres nō ſolū quæ muliebria paſſæ ſunt, ſed ſecundū S. Thomā virginibus quibuſdā preferetur in cęlo. *S. Tho. 2. Sē. d 9. q. 1. ar. 8.*

Crucē Domini non relinquens, quia ſecundum Ioannem ſtābat iuxta crucē & ſepulchrū Ieſu, vtriuſq. fortunæ comes. *Ioā. 19. f*

Domum Eccleſiæ implens odore famæ ſuæ, quoniā Ioannes dixit: Et domus impleta eſt odore vnguenti. *Ioa. 12. a*

Eleuata ab Angelis adhuc viuens, vt intereſſet fruitioni cæleſti inſtar Pauli rapti. *2. Cor. 12. a*

Fornacem amoris habens in ore, ex quo pedes, ideſt affectus Chriſti, oſculata eſt per guſtum ſuauem.

Gratiam diffuſam in labijs habens, quia ei ſæpe dicebatur: Fauus diſtillans labia tua. *Cant. 4. c*

Humilior cunctis hominibus, quia dum iuxta mortem vellet viaticum accipere, ignoranti ſe, dixit ſe eſſe peccatricem illam, cuius Chriſtus miſertus eſt.

Ianua reſurrectionis Chriſti, ad quam, teſte Ioanne, prima ſurrexit, & prima eam prædicat. *Ioa. 20. a*

Lux pœnitentium, qua venient ad Chriſtum, et creſcēt vſque ad perfectam diem.

Io.11. a Martha et Lazarus, teſte Ioanne, ob eam diliguntur a Chriſto: nam Ioannes eius pœnitentiam commendauit.

Nutrix Eccleſię, quoniam Chriſtum et Apoſtolos cibat etiam per itinera, ne fame pereant.

Oliua miſericordiæ eſt Magdalena in domo Eccleſię, & lucerna ſuper montem Marſiliæ poſita, vbi coruſcat miraculis.

Paulum circumfulſit lux de cælo: Magdalena vero ſicut Saraph ſtat ſecus pedes Dei.

Can. 6. d Quę eſt ergo iſta quæ progreditur in principio, quaſi aurora conſurgens cum Chriſto, deinceps pulchra vt luna ante reſurrectionem Chriſti, electa vt ſol ab ipſo reſurgente, ſed poſt Chriſti Aſcenſionem cum Magdalena conuertit Marſiliam, eſt ibi terribilis, vt caſtrorum acies ordinata ad Chriſtum.

3.Reg.10 a Regina eſt Saba veniens a finibus terræ ad verum Saomonem.

Suſcitatur hęc melius quàm frater eius, quoniam ſeptem mortes habuit, ideſt dęmonia.

Pſ.138.b Tenebræ in quibus fuit, cooperantur in bonum: Quia ſicut tenebrę eius ita et lumen eius.

Victrix fuit dęmoniorum, et tyrannorum pluſquam Iudith.

Xp̄s qui iudex eſt viuorum, et mortuorū Mariæ Magdalene factus eſt ſæpe aduocatus, & vult vt concionatores enarrent geſta Marię Magdalene, dicens:

Mar. 14. a Quod hæc fecit narrabitur in memoriam eius, donec veniat gloria, quam mihi et vobis præſtet Ieſus.

Amen.

SERMO DOMINICÆ VNDECIMÆ POST PENTHECOSTEN.

De Aſſumptione Beatæ Mariæ: vbi exponitur Euangelium Dominicæ.

THEMA.

Tria mihi ſunt difficilia. *Prou.*30.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT aiunt communiter ſapientes, tria ſunt generalia bona, ſcilicet bonum honeſtum, bonum delectabile, bonū vtile, quæ omnia maxime in ſermone requiri nemo eſt qui ambigat. Nam niſi ſermo delectet, quis eum vellet audire? Suauis enim oportet quòd ſit ſapientia, vt audiens dicat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo. Hoc primitus quærunt auditores: ſed concionator prius inquirat ſermoni ſuo bonum vtilitatis, vt eo animas Chriſto lucrifaciat, qui tam cupidus eſt, vt colligat etiam vbi nō ſeminauit ſemen doctrinæ. Nam ſi per ſimplices idiotas, dum iuſti ſunt, lucratur Deus ſine prædicatione animas peccatorum: & vnicuique mandauit de proximo ſuo, quāto amplius prædicatores debent vtilitati attendere, quibus dicitur: Vt eatis, & fructum afferatis? Sed duo iſta bona, ſcilicet delectabile, et vtile, non inueniuntur in ſermone abſque tertio, quod eſt bonum honeſtum, ſcilicet gratiæ in Maria ſtabilitum atque theſaurizatum: quoniam de ipſa dicitur: Innumerabilis honeſtas per manus illius. Omnia fœda ſunt et turpia ſine gratia, in cuius abſentia ſe nudos conſpexerūt patres noſtri. Omniſq.

Tria bona ſermoni requiſita.

Pſ.118.n

Eccli.17. b

Ioā.15. c

Sap.7. b

Gen.3. b

ſermo & concio ſine ea ſcurrilitas eſt, atque adulatio prurientes auribus, niſi adſit gratia Dei honeſta. Vnde de his tribus bonis ſermoni requiſitis ait thema, ſcilicet: *Tria mihi ſunt difficilia*, ſed non Mariæ, vt ſupra diximus: per eius equidé manus datur innumerabilis honeſtas gratiæ, quæ innumera dicitur, non quia numerari non poſsit, ſed quia Virgo dat omnibus affluenter, nolens numerare nec vices nec dona ſua, vt ſine numero ad eam pergamus pro gratia, dicentes. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Pro. 30. c VIa colubri ſupra petram, & via nauis in medio maris, & via aquilæ in cælo ſunt illa tria, quæ Salomoni videbantur difficilia, cum & nos quotidie ſimilia ſine difficultate videamus: ſed ille non in rebus ipſis difficultaté inuenit, ſed in eo, quod veſtigia nulla relinquerent illa tria; vbi maximũ myſteriũ adinuenit, ſcilicet totã Mariæ vitam, cuius incompreheſibilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ eius. *Rom. 11. d* Nã ſi veſtigia derelinquere nullũ myſterium lateret in ea; eſſet ſimilis nobis paſsibilis, & paſsione humana variabilis: ſed non eſt ita, quoniã nec in principio ſuo ſignato in via colubri, nec in medio ſignato in naui, nec in extremo ſignato in aquila veſtigia vlla reliquit. In quo diſsimilis eſt operibus noſtris ſingulariſsima Virgo, de cuius principio, medio, & fine agam in tribus ſermonis partibus, iuxta tripartitum tropũ, colubri ſcilicet, nauis, & aquilæ. Nam volo agere de triplici aſſumptione Mariæ, ſcilicet quo modo aſſumpta eſt primo ſuper petrã ab vtero matris. Secundo ſuper vndas dum vixit. Tertio ſuper cælum dum abijt.

Maria claudit in ſe tria difficilia.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

VT ergo initium, et profectum, & conſummationẽ vitæ beatæ Mariæ tangamus, a myſterio colubri ſuper petram repentis incipiendum eſt. Vbi aduerte, quòd, vt ait Auguſtinus, bene poteſt eadem res figurã eſſe boni & mali. Exemplum eſt in leone, qui diaboli, & Chriſti Ieſu præ ſe fert typum, amborumq. agit figuram. Nam de Saluatore dicitnus: Vicit leo de tribu Iuda: quod minime inficit vt etiam dicamus: Fratres ſobrij eſtote, & vigilate: quoniã

Aug. lib. 3. de doct. Chriſti. cap. 25. tom. 3.

Apoc. 5. b

1. Pet. 5. b

aduer-

aduerſarius veſter diabolus tamquã leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Ecce igitur qualiter vna eademq. res contrariorum tenet figuram. Huius autem contrariæ relationis hæc eſt ratio: In leone atque in vnaquaque re malum eſt & bonum. Secundum malignitatem, malum poteſt repræſentare. Secundũ vero bonitatem, bonum. Malignitas leonis eſt in rapacitate, in carnium & ſanguinum deuoratione, atque ſimplicium animaliũ occiſione, & per hoc nobis obijcit dæmonem, quia huius talia ſunt opera contra nos. Habet quoque leo multum appetibile atque bonum, quoniã ad nullius pauet occurſum. Ecce animoſitas: & eſt animalium rex fortiſsimus beſtiarum. Ecce regia maieſtas: et etiã nouit parcere, benefactoremq. recognoſcere: vbi notatur benignitas. Per iſta, quæ optima ſunt, offert nobis Chriſtũ Domini, qui ſimilis eſt leoni in operibus iſtis. Ecce igitur quo modo eadẽ res cõtraria repræſentat: & ob id (ſi aduertis) ipſummet vocabulũ Hebraicũ cõtrarias habet aliquando interpretationes, vt eſt videre in iſto, ſcilicet *gomer*, quod interpretatur cõſummans, vel conſumens, quæ contrarie ſonãt. Iã ergo non inficit, nec incõuenit, vt beata Maria vocetur nunc in præſentiarũ coluber. Nã & in colubro eſt malũ & bonũ reperire, venenũ in eo eſt nequius: & ſecundũ hoc dæmonẽ præſefert. Sed etiam bonam prudentiã habet ſerpẽs; qui dũ habet audire verba incãtantis altera aure infixa terræ, cauda ſua claudit alteram, ne audiat ſibi nociua. Sic beata Virgo per humilitatẽ terræ appoſuit aurẽ ſuam, terrenã ſe cognoſcens in corpore, alterã vero aurem adimpleuit fine ſuo velut extremo caude: nã terrena fit, vt poſtea ſit cœleſtis. Huius Virginis viã de terra vſque ad ſummũ cæli nullus exactor valuit impedire, quia Mariæ ſenſus nullo modo fuerũt ab incantatore diabolo læſi. Nec mirũ ergo quòd Beata Maria vocetur ſerpens, cũ & eius filius in hoc reptili figuratus ſit: quando iuſsit Deus Moyſi ad populi ſanitatẽ facere ſerpentẽ æneum, ad cuius intuitum quiſque morſus illico ſanabatur, vt & nos diſcamus crucifixi Chriſtum intueri pro animæ ſanitate, quamuis a ſerpente venenoſo inferni ſimus fauciati: nam Chriſti liuore ſanati ſumus, eius ſanguis & mors eſt ad ſalutem gentium. Inſpice igitur ſerpentem æneum

Eadem res contraria repræſentat.

Pro. 30. A

Prudentia Mariæ.

Num. 21. C

1. Pet. 2. A

vita

vita carentem propter te in cruce: vt vitam æternam tibi præſtet in cælo. Vocabitur tandem beata Virgo ſerpens, quia ſic filius eius vocatus eſt ob reuerentiam matris, quæ ſic vocata fuerat.

Dubium. Sed quiſpiam dicet, quòd magnam irrogamus injuriam Virgini, dum eam ſerpentem vocitamus. Nam dum beata Maria Magdalene voluit carpere vxorem ducis Marſiliæ, vocauit eam ſerpentinam.

Reſponſio. Ad hoc eſt ad manum reſponſum ex eis quæ dicta ſunt: nam quia illa mulier erat ex parte ſerpentis infernalis, illius relatione ſic vocata eſt: attamen beata Virgo vocatur ſerpens relatione ad filium Dei prudentem, ac datorem vitæ ſicut ſerpentem. Immo & ipſum animal valde bonum dictum eſt: Quia vidit Deus cuncta fecerat, & erant valde bona. *Gen. 1. d* Iſidorus dicit quòd ſerpens ſeu coluber lac diligentiſsime bibit, & eius vapore vocatur & abducitur, ſic Maria lacte puritatis delectatur: Quia mel & lac ſub lingua eius etiam in matris vtero, *Can. 4. c* vbi cæleſtem dulcedinem deguſtabat: ideoq. dicitur eſſe ſub lingua velut occulta. Nam ſi Chriſtus infans butyrum & mel comedit, mel & lac inuenitur ſub lingua infantis Mariæ primogeniti Dei, quæ a menſura cœpit ætatis plenitudinis Chriſti. *Iſa. 7. c* Dicit etiam Plinius in libro de animalibus, quòd ſi quis ſecum habuerit fel colubri a cocodrillo non lędetur, contra ipſum bellua nil audete. O fratres mei, ſi vobiſcum eſſet fel Mariæ: nam cum Chriſto daretur vinum cum felle mixtum noluit bibere. *Pli. de animali. li. 30. cap. 4.* Maria vero ſpiritualiter bibit, immo & ipſum fel imbibit ſpiritum eius, & ſic ex vtroque facta eſt commixtio talis, vt tota Maria iuxta Chriſtũ fellea dici queat: immo & fel, quia ſcriptum eſt: Fel valet ad vngendos oculos, & Maria interpretatur illuminatrix. *Matt. 27. d* *Tob. 6. b* Reſeruate igitur iſtud fel vobiſcum, ſi vultis rationabiliter a cocodrillo inferni ſecuri permanere, qui contra Mariæ deuotos nil audet, maxime ſi meditẽtur die ac nocte, quo modo noſtra Noemi repleta eſt amaritudine crucis Chriſti. *Rut. 1. c* Tertio ſerpens ſeu coluber pugnat pro capite ſuo, ob cuius defenſionem totum ſe exponit periculo collectus: ſic de beata Virgine dicitur: Oculi ſapiẽtis in capite eius. *Eccls. 2. b* Sapiens Maria oculos infixos tenebat in Chriſto capite ſuo: maxime dum aſtabat cruci animo volendi ſe pro eo tradere, melius quàm Dauid pro filio, de

quo flens dicebat: Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi: quis mihi det vt pro te moriar? *2.Reg.18 g*

Valet etiam ſerpens contra lepram ſi comedatur aſſus. O ſi per deuotionem contingat vobis Mariam comedere: aſſata enim eſt, quia cor eius ſemper amore ardens erat: amore, inquam, non ſolum Dei ſed noſtrorum. Ipſa enim mater amat nos, quibus filium peperit, & pro quibus multum laborauit. Vnde ſi ſerpens numquam, vt ait Plinius, ceſſat mouere linguam: beata Virgo ſatagebat & ſolicita eſt adhuc pro nobis orare, & proloqui bona de nobis Deo. Vtinam ergo iſte ſerpens virgineus dormiat in ſinu meo, qui ſerpit frequenter per corda ſuorum, immo & per terram: Quia peccatores recipit, & manducat cum illis. *Luc.15.a* Si adhuc non vobis videtur bene ſerpentem vocari Mariam, aduertite quòd hoc eſt maximum nomen eius: antiquitus enim victor nomen victi vendicabat ſibi. Nam quidã dux, qui Scipio Romanus vocari ſolebat, poſtquam Africam debellauit, Scipio Africanus eſt vocitatus. Et alter quidam dux Romanus vocatus Malleo, miſſus eſt in francigenas, quibus præerat dux, qui propterea quòd torquem auream deferebat ad collum ſuper arma, Torquatus vocabatur. Duces hi ambo inter ſe iniere ſingulare certamen, & cum dux Romanus dictus Malleo alterum interimeret, accepto eius torque, atque ſibi impoſito, deinceps Malleo Torquatus ſemper eſt vocatus: ſic Maria victrix ſtrenue quidem fecit, accipiens ſibi nomen victi a ſe. Nam ſerpenti callidiori dictum eſt: Ipſa, ſcilicet Maria, conteret caput tuum: *Gen.3.c* quia igitur caput ſerpentis contriuit, eumq. totaliter ſuperauit, iure bellorum antiquorum vendicat ſibi nomen contrarij, ne iam nos eum tantum timeamus, poſtquã ab ea ſuperatus eſt. Merito igitur miratur Salomon de via huius colubri ſuper petram, quia eius veſtigia non inueniuntur in petra. Nunc videre eſt, quæ ſit iſta petra felix, ſuper quam fecit viam ſuam Maria: & ne nos in hac inquiſitione errare contingat, Paulus occurrit, dicens: *1.Cor.10.b* Petra autem erat Chriſtus. Super iſtam petram etiam Eccleſia fundatur & cælum, cuius columnæ etſi contremiſcũt intuentes Deum, coram cuius præſentia tremunt poteſtates, numquam tamen cadent, quia lapis angularis ſic angelos, & homines ſanctos conglutinat, atque fundat, vt mini-

Maria accipit nomen ſerpentis ſicut victor nomen victi.

Chriſtus eſt petra ſuper quam ignoratur via colubri.

minime cadant, nec poſsint cadere. Hæc petra alios fundat, alios conterit, ſupra ſe poſitos facit ſtabiles, ſub ſe cadentes in minutiſsimum puluerem redigit: nam propterea dixit Chriſtus de ſemetipſo loquẽs: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur. Super quem vero ceciderit, conteret eũ. Huius cõtritionis figura eſt in ſtatua Danielis, cuius caput aureum, pectus argenteũ, venter æneus, cetera ferrea erant. Peccator cũ imaginẽ habeat, quòd viuat, & mortuus ſit, ſtatua dici poteſt. Huic mundus dat caput aureũ, ſi eſt maxima ſtatua, ſi eſt de filijs glorioſis huius ſeculi: hic ergo habet caput aureũ, ideſt ſublime genus vel Gothorũ Hiſpaniæ, vel quòd ſit ex duodecim paribus Franciæ, vel Cæſarum Romanorum. Huic etiam dat pectus argenteum per eloquentiam, vt ſit ſapiens & prudens apud ſe, vt philoſophus quilibet. Dat etiam mundus ventrem æneũ, quando confert diuitias multas, quibus guloſi fiunt homines & luxurię dediti: vnde recte ſignantur in ventre libidini & gulæ deſeruiente. Dat etiam mundus ferrum, quando facit tyrannidem peccatoris omnibus aduerſari. Sed quando in morte venit petra Chriſtus de mõte gloriæ contra eum, omnia in puluerem rediguntur. Vbi eſt aurũ ſublime generis tui? Certe conculcatum eſt: et ad nihilum valet vltra, quoniã alta Sion nõ ædificatur in ſanguinibus, ſed infernus. Vbi potentes potenter tormenta ſubſtinebunt. Vbi eſt argentũ eloquentiæ tuæ? Sane quidẽ quòd te non poterit liberare: quia petra dura Chriſtus nõ parcit verbis peccatoris, etiam ſi ſint ad deprecandum cõpoſita. Vbi ſunt diuitiæ tuæ? Reuera quòd non dicetur de eis: Diuitię viri redemptio animæ ſuæ. Vbi eſt fortitudo tua? Væ tibi quia nec ab vno verme te poterit liberare.

Mat. 21. d

Dan. 2. e

Peccator ſtatua eſt morte cõtrita.

Matt 6. b

Sap. 6. a

Pro. 13. b

Cauete igitur fratres ne petra iſta comprehẽdat vos, ambulate in ea, & qui ſtat in ea, videat, nec cadat, ne confringatur in vita: caueat etiã ne ſuper eum per mortis ſententiã cadat petra Chriſtus, alioquin cõteretur. O beata Virgo quoniã tu ſola ſuper hãc petrã ſic ſuauiter ambulaſti, vt nec veſtigia in ea relinqueres. Omnes ſancti etſi ambulauerunt in Chriſto, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, veſtigium tamen peccati originalis reliquerunt: nam & ſi Ioannes, aut Ieremias, vel Samſon, ſiue etiam ſanctus Ioſeph, vt tenet Gerſon, in vtero matris ſanctificẽtur, tamen

1. Cor. 10 c

Act. 17. f

Chriſto, Mariaq. exceptis, ceteri originale cõtraxere.

luctuoſa

lutuoſi venerũt ad Chriſtum,quia peccatores fuere:Maria autem veſtigium peccati non dereliquit,ſed gratiæ: nam vt ait Auguſtinus,inter alia beneficiá charitatis, quæ ſecundũ Scotum eadẽ eſt cum gratia,hoc eſt pręcipuũ,quòd ſupra petrã Chriſtũ ſtatuit nos:Quoniã qui manet in charitate in Deo manet.Maria vero per gratiam Dei ſtabilita eſt primo ſupra petrã Chriſtum, ne veſtigium peccatoris faceret Chriſto,cui nos præbuimus laborẽ in iniquitatibus noſtris, pedibus nudis atque immundis ambulantes ſuper tam mundiſsimũ lapidẽ.Sed Maria non ſic:nã ei dicitur:Quã pulchri ſunt greſſus tui filia principis in calceamẽtis!nam calceata hyacintho cæleſtis coloris, veſtigium terreni hominis non dereliquit.Hoc quo ad primum eius aſcenſum,quo a ventre aſſumpta eſt ad gratiam.

1.Io.4. c

Iſa.43.c

Can.7.A

SECVNDA PARS.

NVnc videamus quo modo mater Dei nec in vita ſua veſtigium alterius peccati fecerit : nam veſtigiũ nauis huius nõ reperitur in vndis mundialibus.Vbi aduerte quòd quando filij Iſrael maxima ſeruitute oppreſsi erant in Aegypto,cautũ eſt ne vllus infans viueret:ſed infantes feminas tantũ rex impius voluit reſeruari : mater autem Moyſi videns elegantẽ filium ſuũ,tribus menſibus abſconditum tenuit, cũ autẽ a vicinis propalari timuiſſet partum ſuum,poſuit puerũ in fiſcella vigmine contexta, & eũ expoſuit flumini . Moyſes qui de tenebris Aegypti eduxit filios Iſrael,& eos direxit terræ promiſsionis,Chriſtus eſt, patres educens de tenebris limbi, & vmbra mortis inferni,& eos in via cæli dirigens.Hũc mater ſynagoga,prima eius mater,eum prius mente concepit, & opere peperit, tribus menſibus abſcõdit,ideſt tribus temporibus,ſcilicet patriarcharum,prophetarum,& ſacerdotum. Primo tempore abſcondebatur Chriſtus in figuris: altero in prophetijs enigmaticis:alio in cerimonijs ; ſed cũ venit plenitudo temporis, quando iã Chriſtus Dei abſcõdi nõ poterat: manibus Spiritus ſancti fit nauicula quædã,& fiſcella,ſcilicet Maria,in qua Dei filius nauigaret: nam virgo Maria facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans nobis panem ſuum cæleſtem, vt panem angelorum manducaret homo, expoſitum vndis & motibus maris huius mundi : ſed non immerito dicitur quòd fiſcella erat ſcirpea. Nam

Exo. 1. c & 2. a

Maria eſt nauis, quã Chriſtus venit.

Exo.14.g

Pro.31.b

Fiſcella quare fuerit ſcirpea.

Nam ſcirpus caret pondere, & nodis, et folijs: ſic beatã Maria caret primo originalis peccati pondere, quod animas in tantum aggrauat, vt eas ad limbum vſque deſcendere faciat. Hoc pondere omnes qui baptiſmi vnda non renaſcuntur, deprimuntur. Nodus eſt peccatum mortale, nodus, inquam, cæcus animas cæcans, & diabolo ligans. Folia ſunt peccata venialia fructum operum vetantia. Nã arbor, quę plurima folia oſtendit, non plurimos habet fructus: ſic venialia frequentans, non multum fructum affert.

Maria caret triplici peccato.

Maria vero caruit pondere originali, & nodo mortali, & folijs, ſcilicet venialibus: quapropter eius veſtigia non imprimuntur in mari mundi cum aſcendit de virtute in virtutem. Væ autem nobis qui malo exemplo ſic notum veſtigium facimus, vt poſt veſtigia noſtra abeant ceteri peccatores. Eccleſiaſtici etiã defuncti per veſtigia ſua dignoſcuntur, ſicut filij ſacerdotum idolatrantium agniti ſunt per veſtigia cineribus impreſſa. Nam etiam inter Eccleſia-

Exo. 20. d

ſticos pater ſuccedit filio, cum in Exodo cautũ ſit ne quis per gradus, ſcilicet conſanguinitatis, aſcendat ad altare

Veſtigia peccati habent mali.

Dei, ne reueletur ſua carnalis turpitudo. Milites etiam veſtigia veterum odiorum paruulis ſuis, & heredibus tradunt, ne vmquam pacem conſtituant cum aduerſario patrum ſuorum, vt ſic ad oculum oſtendatur execrabile malum, ſummaq. diſcordia quam patientur in profundo: vbi dicitur Deus infundere crudele bellum. Nonne & auari veſtigia peccatorum ſuorum dimiſerunt paruulis ſuis, ſi rapinis & vſuris eos ditauerunt? Nam hoc peccatum contagioſum eſt, ideoq. in eo ſolo filius portat iniquitatem patris, eo quòd in filio inique ditato eſt veſtigium patris peccatoris. Quid amplius dicam fratres, quoniam intus & foris, & in ſenſibus atque membris noſtris tot ſunt veſtigia peccatorum, quot in via regia veſtigia tranſeuntium quãdo puluis abundat. Immo & tranſeunt per cor meum latrones, cogitationes atque motus praui, & fecerunt ſibi viam per me. Sola beata Maria veſtigium mali non fecit

1 Cor. 11. g

in vndis: quoniam celeriter tranſiuit ex hoc mundo, nos autem tranſimus cum hoc mundo, vt cum hoc mundo dã-

Pſ. 68. a

nemur. Infixus enim ſum in limo profundi, ſed Maria vti & filius eius ambulans ſupra mare mundanum, volare potius videbatur: nam auis naſcitur ad volandum. Vnuſquiſque

quiſque ergo veluti Maria modicum quid accipiat mundanarum rerum ne ſubmergatur. Nam ideo beata Virgo velocius tranſiuit leuitate adiuta,& a curis leuigata, ſic vt nec folium otioſi verbi eam impediret, quin quotidie aſcenderet ad maiora. Hæc enim aſſumptio eius iamdudum celebratur ab ea.

TERTIA PARS.

TErtio mirabatur ſapiens de via aquilæ in cælo, non quidem materialis: nam aquilas plures viderat altiſsime volantes, de quibus nulla ſuborta fuerat admiratio, ſed illa de qua & propheta miratus dicit: Aquila grãdis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad libanum, & tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius auulſit,& tranſportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum poſuit illam. Ex hoc quòd propheta plenam varietate dicit aquilã iſtam, voluit innuere illam non eſſe de iſtis quæ ſunt apud nos. Interpretes autem exponunt eam prout volunt. Nam quidam aſſerunt hæc aquila fuiſſe Paulus, propterea quòd raptus in tertium cælum vidit arcana Dei, & vas nominis eius factus, intulit illud gentibus & Iudæis. Alij probant fuiſſe Ioannem Euangeliſtam: quoniam inter quattuor animalia figuratur in aquila, quæ & vſque ad principium, ubi erat Verbum volauit: ut medullam diuinitatis ad nos uſque deferret. Sed mihi uidetur nec alter, aut alter aquila iſta fuiſſe: pro cuius intellectu attende, quòd in primo ſententiarum quærit Scotus in quo ſit imago Dei in homine, & concludit quòd in anima, propterea quòd anima eſt una, atque Deus, ideoq. dicimus: *Credo in vnum Deum*. Pariter & eſt trina in potentijs, ſicut Deus in perſonis, vnitate ſeruata. Nam Pater eſt vnus Deus,& Filius eſt ille vnus Deus,& ille Spiritus ſanctus eſt illemet vnus Deus. Sic etiam memoria eſt anima, & intellectus eſt anima,& voluntas eſt eadem anima, vbi & eſt originis ordo ſicut in Deo. Nam ſi prior eſt Pater a quo quaſi ſecundario procedit Filius, ex quibus duobus tertio procedit Spiritus ſanctus. Sic prior eſt memoria in anima quàm intellectus: ex imaginibus enim memoriæ exiſtentibus procedit

Eze. 17. A

2. Cor. 12 A

Scot. 1. Sët. d. 3 q. 5.

Trinitas eſt arbor in anima.

cedit intellectus rei: & ex memoria & intellectu rei præcognitæ procedit amor. Si ergo propter iſta dicitur anima imago Dei, volo & ego probare quòd arbor ſit imago Dei. Nam ibi eſt vnitas, quia vna eſt arbor, & eſt trinitas cum vnitate, ſcilicet ſtirps, & truncus, & coma ramorum. Stirps eſt arbor, & truncus eſt eadem arbor, & coma ramorum eſt eadem arbor diſtinctè: ſic in Deo Pater eſt ſtirps, Filius velut truncus ab eò diſtinctè prodiés, & coma eſt Spiritus ſanctus, vbi & fructus ſpiritus, folia gratiarum, & flores donorum, & èſt originis ordo, quia radix a nullo procedit: truncus a radice ſicut filius a patre: coma a duobus, ſcilicet radice & trunco, ſicut Spiritus ſanctus a Patre & Filio. Cum ergo Deus ſit arbor cedrus libani, Maria vero ſit aquila grandis, & tam grandis, quòd quem cæli nequeunt capere, ſuo contulit gremio, cui dantur duæ alæ magnæ in die aſſumptionis, ſcilicet ſtola duplex: eo quòd antea ipſa velut duas alas habuerit virginitatem, & humilitatem, longumq. habuit membrorum ductum ab homine vſque Deum attingens, velut a fine vſque ad finem, quo ambos iungeret; vt ſimul in vnum eſſent diues & pauper. Plena etiam dicitur plumis, ſcilicet virtutum. Nam virtutes dicuntur plumæ, quia ſicut quando auis eſt ſedens in terra, ibi plumas ipſa ſubſtentat, & poſtea volans ſuſtinetur a plumis: ſic dum ſumus in terra, oportet labore ſuſtentare virtutes: vt poſtea, dum anima noſtra euolauerit per mortem ad cælum, virtutes eam teneant, ne cadat in profundum laci. Maria dicitur plena virtutibus, quia nihil eſt otioſum in ea, nil virtute carens. Eſt itidem plena varietate donorum & gratiarũ Spiritus ſancti, quibus virtutes ornantur velut plumæ coloribus. Hæc tam mirabilis aquila tunc venit ad libanum altiſsime volans, quando ſe profundiſsime humiliauit, quia ex humilitate ſequitur altitudo: Quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur. Quando ergo dixit: Ecce ancilla, tunc ore ſuo ictibus verborum euulſit medullam Dei filium eius, & ſummitatem frondium diuinæ arboris attulit. Frondes Dei attributa eius ſunt, alia alta, alia infima. Alta ſunt maieſtas, infinitudo, immortalitas, &c. Ille infinitus, tu finitus; ille magnus, tu paruus; ille immortalis, tu mortalis. Vides quo modo ſunt in eo rami alti? Sunt & infimi, quia ille

Trinitatis proceſſio & cõparatio.

Virtutes dicuntur plumæ.

Luc.14.c
Luc.1.d

ille ſanctus, tu ſanctus : ille bonus, tu bonus : ille ſapiens, tu ſapiens. Vides quo modo maximus Deus velut infimus aliquo modo nobiſcum conuenit, dicens : Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Maria ſummitatem frondium euulſit, quia fecit vt homo diceretur infinitus & incorruptibilis : & vt ei conuenirent maiora etiam attributa Dei. Terra Chanaam, & vrbs negotiatorum eſt vterus eius, vbi poſuit cedri medullam, & frondium ſummitatem, vt naſceretur ibi, vbi negotiantur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus opus incarnationis & omnium ſalutem : vbi lucrum inuenitur, ſicut in vtero Euæ perditio. Nec mireris quòd vterus Mariæ dicatur vrbs negotiatorum diuitum, quia pater ait : Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, &c. Hæc igitur aquila cum vltimo per aſſumptionem ſuam volaret ad aſtra, minime reliquit veſtigia hominum, quæ ſunt tria, ſcilicet dolor, metus, & triſtitia. Dolor intenſiſsimus, qui corporaliter & ſpiritualiter affligit intus & foris in ſeparatione corporis & animæ diuortij, quos Deus coniunxerat. Metus de peccatorum recordatione, & dæmonum accuſantium viſione, & iudicis executione. Triſtitia de rerum, & filiorum, ac vxoris, & amicorum amiſsione : Maria autem nihil horum habuit : nam ſi in partu non doluit, minus doluit in morte, quæ ex amore dulcis fuit ſibi, atque pretioſa. Metuendum nihil habuit : non dæmonem, cuius caput contriuerat: non peccata, quia ea minime perpetrarat: non iudicem, quia eius filius erat. De triſtitia autem quid oportet dicere, cum in hoc mundo nihil diuitiarum aut cariſsimarum rerum amiſerat? Quin totum in cælum tranmiſerat theſaurum : vbi & cor ſuum erat. Hodie ſerpens exuitur pelle mortalitatis, & induitur veſtimẽto gloriæ ſuæ, quia ornatam monilibus, & dotibus glorię Dominus concupiuit filiam Sion anima & corpore. Hodie multiplicantur aquæ multæ, id eſt, populi multi, vt eleuarent nauem Dei in ſublime a terra vſque ſuper montes Armeniæ ſuper choros angelorum. Hodie ſcilicet in die aſſumptionis, o Maria renouatur vt aquilæ iuuentus tua, vt altius voles, & nos de te dicamus Deo : Ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis tribus perſonis diuinis ponet nidum corporis ſui ; vbi anima requieuerat ſine

Leu.19.a

Iſa.26.a

Maria veſtigia mortis non habet.

Iſa.61.d

Apo.17.d

Gen.8.a

Iob 39.d

rebellione : & plus nunc requieſcit in requie opulenta gloriæ ſuæ.

Expoſitio Euangelij Dominicæ. Figura aſſumptionis Mariæ proponitur hodie in Euangelio præſentis Dominicæ: quod ſic incipit: *Exiens Ieſus de finibus Tyri, &c.* Tyrus interpretatur petra, eratq. amica Salomonis ciuitas illa opulentiſsima, ideoq. ſignificat illam permanentem ciuitatem, quæ, vt petra Chriſtus, permanebit firma in æternum, ad quam egreſſus Ieſus ſeceſsit in ſua aſcenſione; ſed ab illa ciuitate exiuit Ieſus, cum matrem vellet aſſumere. Et vt oſtendatur perſonaliter veniſſe, dicitur a finibus Tyri egreſſus. Fines Tyri ſunt vltimi chori angelorum, quorum nullus remanſit, quin obuius exiret Mariæ reginæ ſuæ. Nec ſolum iſti, *Sap.10.d* ſed omnes qui erant in purgatorio exierunt: & victricem manum ſuam laudauerunt pariter. Nam ſi pro coniun- *Eſth.2.d* ctione & nuptijs Eſter dedit rex Aſſuerus requiem omnibus prouincijs, quanto melius daret Chriſtus propter matrem ſuam requiem purgatorio? De hoc ergo ſequitur: *Et venit per Sydonem*: quæ interpretatur nauis iudicij. In naue iudicij Dei, quæ fluctibus tormentorum operitur, quæ nondum attigit portum gloriæ, ſunt animæ detentæ, donec iudicium Dei ſatisfaciant. Quemadmodum Dauid cum vellet offerre arcam fœderis in domum ſuam, congregauit populum ſuum: ſic Dominus Ieſus vniuerſos congregat, vt matrem ex exilio adducat, ad quod ipſe redijt: vnde ſequitur in Euangelio: *Venit ad mare Galileæ inter medios fines decapoleos.* Mare Galileæ eſt volubilitas mundi huius. Mundus a mutatione dicitur, quia vt mare mutatur. Frequentia ergo mutabilis populi eſt mundus, & quia Ieſus non venit niſi ad Eccleſiam ſuam, ſignanter dicitur ad mare Galileæ veniſſe, quoniam Galilæus erat, & Galilæa erat mater ſua, quæ etiam tranſmigrationem expectabat. Et quia huius myſterij ſolummodo ſancti viri participes fuere, ſequitur in Euangelio: *Inter medios fines decapoleos:* quæ eſt regio decem ciuitatum, & ſignificat Eccleſiam, vbi decem mandata Dei obſeruantur. Huius regionis fines ſunt Euangelica conſilia, quæ in Apoſtolis vigebant. Inter horum manus, referente Dionyſio, beata Maria obijt: ad horum conuentum acceſsit Ieſus, qui eos mirabiliter adduxerat pro matre ſua; & in eius domum

Mūdus vnde dicatur.

Mariæ funeri Apoſtoli aſtāt.

congre-

congregauerat, vt pariter aſsiſterent aſſumptioni matris, qui aſtiterunt aſcenſioni filij. Et quia verba Dei, & angelorum ad omnia vera ſe extendunt, forſitan angeli cum de Chriſti aſcenſione loquerentur,& pariter dicerent: Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem, forte inquam de iſto deſcenſu intellexerunt, ad quem congregati ſunt Apoſtoli, de quibus in Euangelio ſequitur: *Adduxerunt ei ſurdum, & mutum.* Dominus Ieſus pro anima matris venit: tamen Apoſtoli eiuſdem matris ſanctum cadauer ſurdum, & mutum ei efferunt: vt pariter ducat illud ſecum,quo digna non eſt terra,ac ſuſcitet illud. Verum eſt, quòd beata Maria obijt, ſed vt canit Eccleſia, nexibus mortis detineri non potuit, quæ totius vitæ peperit auctorem reformaturum corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Tamen filius Dei,quia corpus illud ſpecimen reſurrectionis ex matre ſuſcepit,voluit primo in matris corpore oſtendere reformationem illam, quam expectant omnes ſancti. Iam ergo cum Dominus Ieſus deferret ſecum animam virginis, pariter corpus afferri deſiderat, ad quod ſequitur in Euangelio: *Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Vt probat Scotus non poteſt anima beata ſe iterum reunire corpori,vbi fuerat, ideo neceſſe eſt, vt Chriſtus apponat manum ſuam, eoſq. coniungat,ne amplius ſeparentur: nam ſicut de formatione prima terreſtris paradiſi dicitur: Manus tuæ fecerunt me,& plaſmauerunt me: ſic vt paradiſum cæleſtem intremus, oportet vt per eaſdem manus Dei reficiamur. Manus ergo Domini cuncta conciliãt,venam vitæ habent, quoniam ipſe dixit in Canticis: Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſsima. Myrrha hæc vltimam incorruptionem deſignat, quæ datur per manus, & digitos Chriſti: vnde ſequitur in Euangelio: *Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Turba ceterorum corporum deſertorum,a quibus animæ ſegregantur in terra,manet ſepulta, ſed corpus Mariæ quemadmodum ſeparatim vixit, & ſuper omnia corpora dotatum fuerat in vita, ſic in morte a turba ceterorũ corporum ſeorſum debuit ſeparari: quia eſt peculium Dauid. Non ergo fecit taliter omni nationi Chriſtus ſicut matri ſuæ, cuius corpus in præuia reſurrectione

Act. 1. b

Phil. 3. d

Reſurrectio non fit viribus animæ, ſed Dei potentia.

Iob 10. b

Cant. 5. b

1.Cor. 15 g. ctione ſeparauit a turba vniuerſalis reſurrectionis, in qua omnes quidem reſurgemus: Maria tamen præuenta eſt, cuius corpus reduxit Chriſtus in animæ gloriam. Duo ſignanter dicit Chriſtus feciſſe in corpore matris, primo quia digitos miſit in aures eius, & ſputum in linguam: pro quibus aduerte, quòd verbum Dei, filius Mariæ videtur operari erga matrem dilectam ea quæ ad ſe pertinent. Verbum Dei caro factum eſt in corpore illo, & iterum vult in illudmet corpus reduci altiori modo gloriæ: nam verbum intrat per aures ad cor, & quia ex abundantia cordis os loquitur, exit per linguam. Duo ergo ſunt oſtia verbi, ſcilicet aures & lingua: hæc oſtia verbum Dei Chriſtus reparat in corpore matris, vt glorioſe ingredi & exire, atque reuerti valeat in illud. Sed videamus digitos, & ſputum verbi Dei. Subtiliora digitis operamur: & in linguæ ſputo eſt ſapor. Quidquid ergo ſubtilitatis eſt in verbo æterno, audiunt Mariæ aures: quoniam verbum Dei, verbum illius eſt, & in auribus matris loquitur, ſicut Salomon in auribus reginæ Saba, quæ beatificauit ſeruos Salomonis, qui, inquit, hic ſtant coram te, & audiunt ſapientiam tuam. Non fuit verbum quod abſcondit ei rex. Sed alteram operationem verbi æterni erga matrem ſuam videamus, de qua ſequitur: *Et expuens tetigit linguam eius.* Vt ait Beda, ſpiritum Domini ſaporem deſignat ſapientiæ. Dum ergo Ieſus expuit in linguam emortuam, voluit eam excitare ad vitam, vt guſtaret in gloria quàm ſuauis eſt Dominus. Felix lingua Mariæ, quæ ſaliuam, id eſt, fruitionem verbi participans, humefacta eſt. Hic videtur Chriſtus, ſicut alij optimi filij faciunt, oſculari matrem emortuam, ſcilicet cadauer maternum, quod per ſaliuam & digitorum immiſſionem præparat ad animæ infuſionem, qua glorioſe reuixit, ſed non faciliter: nam etſi quælibet reſurrectio eſt ſupra naturam difficilis, Mariæ difficilior eſt, quoniam ad maiorem gloriam excitabatur: vnde propter hanc difficultatem ſequitur in Euangelio: *Suſpiciens Ieſus in cælum, ingemuit.* In cælum ſuſpexit, quia non ad hanc vitam, vt Lazarum, eam ſuſcitare volebat, ſed vt tota volaret in cælum: vnde iſtud nomen *aſſumptio*, quod de ſola Maria dicitur, denotat totam aſſumi in cælum. Sed nec miremini, quòd Ieſus in tanto feſto ingemuit,

Chriſt' reduxit corp' Mariæ in animæ gloriam.

Verbi oſtia duo.

3.Reg. 10 b. & a

Beda lib. 2. in c. 8. Mar. infra med. to. 5.

Mariæ ſoli cõuenit aſſumptio.

muit, quia gemitus iſte non eſt, quia mater moritur: abſit namque a nobis fictio iudæorum dicentium angelos fleuiſſe in morte Moyſi. Non ingemuit Dominus ob matris mortem, ſed ob matris integram & omnimodam vitam. Bedam tamen prius audi de hoc gemitu ſic loquentem: Ingemit autem, non quia ipſi opus eſſet cum gemitu aliquid petere a patre, qui cuncta petentibus donat cum patre, ſed vt nobis gemendi daret exemplum, cum vel pro noſtris, vel pro neceſsitatibus proximorum ſupernæ pietatis præſidia inuocamus. Vltra hoc pro myſterio præſenti aduertendum eſt, quòd reſurrectio generalis ab omnibus ſanctis deſideratur: naturaliter enim animæ beatæ cupiunt ſuperueſtiri, ac reuniri: vnde Paulus de reſurrectione loquens, ait: Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Reuelatio filiorum Dei erit in fine ſæculi, ſed reuelatio matris Dei iam facta eſt per merita filij ſui, quæ notantur in gemitu: dum autem vult matrem ſuſcitare gemit, vt nos doceat, quòd pro ſola gloria Dei omnino habenda, & non pro alio gemere debemus. Qua eo amplius gaudebimus, quo magis eam optabimus. Sed in hoc, quòd Chriſtus in lingua matris poſuit ſaliuam, nos voluit conſolari, vt mater ipſa diceret: Dominus dedit mihi linguam eruditam: vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo. Pro nobis accepit ſaliuam mediatoris, vt cũ eo pro nobis intercedat, & etiam apud Deum, quoniam & aures ei aperuit, vt audiat preces noſtras, & linguam erudiuit, vt eas dulcius ei valeat præſentare: vnde cũ Chriſtus dixit: *Ephpheta, quod eſt adaperire, ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur recte.* Beata Virgo, quæ dum in terra manebat, pro nobis intercedebat, vt patet in nuptijs, iam ſimiliter recte loquitur in cælo, vt recta nobis obtineat bona gloriæ: vbi volens Chriſtus notam facere gloriam matris ſuæ, omnes fecit eius præcones: vnde ſequitur in Euangelio: *Et præcepit illis, ne cui dicerent.* Quanta promulgatio lateat in hoc præcepto, oſtendit Beda, dicens: Si ſciebat eos, ſicut ille qui notas habebat & præſentes, & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent, eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat: niſi quia pigris volebat oſtendere, quanto ſtudioſius,

Beda vbi ſupra paulo inferius.

Rom. 8. d

Gemit⁹ ſudendus pro gloria Dei.

Iſa. 50. b

Ioan. 2. a

Beda lib. 2. in c. 8. Mar. prope finem. to. 5.

quantoq. feruentius eum prædicare debeãt, quibus iubet, vt prædicent, quo modo illi qui prohibebantur tacere non poterant? Nos ergo fratres qui, vt Beda dixit, pigri ſumus, feruore ſumpto Virginem laudemus, quoniam propterea ſequitur in Euangelio: *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Antequam Virgo aſſumeretur fere ſurdi erant alij ſancti in cælo, non quòd ſint impotentes ad audiendas orationes noſtras, vt hæreticus putat: ſed quia omnes clamabant ad Chriſtum, qui poſtquam aſſumpſit conſortem interceſsionis matrem ſuam, ceteri ſancti vt familiares adhærent matri, vt cum ea orent Deum, & loquantur pro nobis: vnde ex nunc dicitur Chriſto: Aſtitit regina, ſcilicet mater tua, a dextris tuis, id eſt, in nobis potioribus tuis, quæ quidem reſurrectionem concernunt. Ideoq. eſt in veſtitu, ſcilicet corpore, deaurato, id eſt, ſuſcitato ad vitam. Eſtq. circumdata varietate ſanctorum varia petentium pro nobis, quorum votis Maria circumdatur, quoniam vndique præſtat pium auditum. Eſtq. nobis coluber, ſeu ſerpens ad ſalutem erectus in cælum, & eſt nauis reportans neceſſaria nobis, & eſt aquila rapax contra dæmones, & propter nimiam velocitaté ſuam vix derelinquit veſtigium, niſi veſtigia eius ſint dona gratiæ, & gloriæ, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Ibidem.

Pſ. 44. b

SERMO

SERMO DOMINICÆ DVODECIMÆ POST PENTHECOSTEN.

De amore Dei, & ſui, & proximi.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum. Luc. 10.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

QVEMADMODVM animæ noſtræ potentia duplex eſt, ſic pariter & lingua. Prima potentia dicitur volitiua, ſecunda autem intellectiua: huic ſecundæ carnea lingua deſeruit: quâ rationales rationis noſtræ conceptus explicamus: vndę quia lingua eſt immediatum rationis inſtrumentum de omni verbo otioſo rationem reddituri ſumus, non autem de omni greſſu, aut ſomno. Voluntas autem linguam habet peculiarem, non qua hominibus loquatur: nam voluntatis paſsiones inexplicabiles ſunt: nec affectio ipſa immediate ſentiri poteſt ab alio quàm ab eo qui illam experitur: habet tamen voluntas linguam ſuam, hominibus ignotam, Deo autem manifeſtam, & eſt eius deſiderium per quod ei patent arcana voluntatis noſtræ, iuxta id: Deſiderium pauperum exudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Sicut primam linguam, ſcilicet deſiderium, linguam voluntatis nemo ſcit, quia eſt actus quidam immanens, qui per ſe non valet hominibus oſtendi. Sic alteram linguam Deus non intelligit, ſcilicet carneam, quamuis angelorum eloquentia vtatur: vnde cum Moyſes in populo eſſet, vtebatur lingua fratris

Animę lingua duplex.

Matt. 12. e

Pſal. 9. g

Exod. 4. d

ſui, dum autem montis cacumen adibat, illo non indigebat, ſed peculiari fungebatur. Aaron intellectus eſt, carneam linguam habens per ſenſus carnis ratiocinans, Moyſes voluntas: qui dum inter homines verſatur accommodata vtitur lingua, ſcilicet intellectus: dum autem conuerſatur circa Deum ea non indiget, ſed abijcit, relinquitq. in conuallibus: nam tunc propria lingua vtitur, ſcilicet deſiderio, quod ipſe Deus quàm optime intelligit, non ſolum in monte contemplationis, ſed vbique: nam in prœlio contra Amalech tacebat Moyſes, quando dictum eſt ei: Quid clamas ad me? Lingua amoris deſiderium eſt, quod etſi ad alloquendum beatam Virginem etiam valet, oportet vt ſalutem gratiæ conſequamur, ore confiteri laudes eius, dicentes. Aue Maria.

Exo.14.d

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVID fratres de diuino amore audire cupitis, cum dicatur Apoſtolis in principio huius Euangelij: *Multi reges, & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt?* De amore locuturus erat Chriſtus quãdo hæc dixit, quem oculis mentis videre nemo poteſt niſi prius illum guſtauerit, quoniam ſcriptum eſt: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, id eſt, amabilis. Amabilem quidem Deum habemus, de quo præſertim quo ad hoc loqui præſumat nemo, quamuis propheta ſit & rex, niſi guſtauerit amorem eius, quem nemo ſcit, niſi qui accipit. Tamen quia legiſperitus de duplici amore tenetur oſtendere rationem ac reddere, velut etiam hic de quo in præſenti Euangelio fit mentio; qui requiſitus a Domino quid legiſſet: verba thematis reſpondit, cuius vltima pars a Domino clarius expoſita eſt ad confuſionem legiſperiti, qui deficiente amore, tantum putabat proximum eum, qui ſui generis erat: cum exteræ nationis Samaritanus cum Hebræo miſericordiam feciſſet. De his ergo duobus mandatis aliquid commonebo vos. Primo de amore Dei. Secundo de proximi dilectione.

Pſ.33.b

Apo.2.e

Diuiſio.

PRIMA

PRIMA PARS.

VT autem amorem Dei indagare valeamus, ex amore ſuo erga nos incipiamus. Quemadmodum holocauſta iuſſa ſunt accendi ex igne altaris Domini, qui de cælo deſcenderat: ſic nos in amorem Dei aſcendere oportet per amorem ſuum, qui quotidie deſcendit ad nos, qui ſumus viua holocauſta eius. Iam ergo amor Dei erga nos director eſt & doctor noſter: quoniam ſi debemus inuicem nos diligere, ſicut Chriſtus dilexit nos, a fortiori debemus Deum diligere, ſicut ipſe dilexit nos. Vt ergo facias ſicut exemplar diuini amoris, quod tibi monſtratur in Deo: aduerte quòd, vt ait ſeraphicus doctor, amor Dei potius eſt effectus quàm affectus. Hos ergo dicitur Deus minus diligere quàm illos, quia plura erga iſtos operatur quã erga illos. Pro quibus nihil operatus eſt, nullus amor erit. Si tamen aliquis inueniri poſſet, qui ſe abſcondat a calore amoris eius: quia ideo dicitur omnia dilexiſſe: quia pro omnibus aliquid fecit. Sic etiam amor noſter erga Deum effectus eſt, operatio eſt, conatio eſt, & operis exhibitio. Nemo igitur decipiat ſeipſum in verbis ignitis, aut affectibus ſenſitiuis confidens: Quoniam quemadmodum fides ſine operibus mortua eſt: ſic & amor ſine illis ambiguus eſt, ac dubius, quamuis in eo interior vigeat affectio: vnde Richardus ſuper Cantica ait: Affectuoſa dilectio (qua ſuperius dilectionem animæ ſignari diximus) interdum plus afficit minus diligentem, & minus perfectiorem. Non enim tantũ diligit quiſque quantum hanc ſentit, & quantum in illo ſtatu ſibi diligere videtur, ſed q̃uantum in virtutibus, & charitate fundatus fuit, & in ſeruãdis mandatis fidelis habetur, & infra: Sic affectuoſe interdum aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valde diligat, ſed quia dulcedinem gratiæ deguſtat, quæ quãtum durat, tantum iuuat: quamdiu durat dulcedo, durat & dilectio, ſed non agnoſcetur in bonis amicus. In die namque iſta Dominus quidem miſericordiam ſuã mandat, ſed in nocte tentationum, & laborũ in præceptis declarat, quantũ quis diligat eũ. Hæc ille. Vt denique perſpicacius videas qualiter amor Dei potius debet eſſe effectus quàm affectus,

Leuit. 6. b & 9. d — *Pſ. 18. b* — *Sap. 11. d* — *Iac. 2. d* — *Richar. 2. p. ſuper Cant. cap. 6. circa med.* — *Pſ. 41. b*

aduerte quòd aliquem diligere eſt vêlle ei bonum, cui volitioni ſi vera eſt, naturaliter ſequitur voliti boni applicatio, ideoq. parum meriti addit ad illam: nam ideo fit quæſtio, quis plus mereatur e duobus equaliter pauperi ſubuenire volentibus: alter nihil præſtat ei, quia non habet, alter vero ſic, propterea quòd facultas ſuppetit. Communiter denique dicitur, quòd actus exterior nil bonitatis addit ſuper bonum actum interiorem, quia volitio illa eſt tota bonitas actus, & totus amor: exceptis rebus quæ aliunde venantur bonitatem ſuam, vti ſunt indulgentiæ, aut actus præuilegiati, ad quos requiritur etiam operis executio ad extra. Iam ergo Deum amare eſt velle ei bonum, quæ volitio erit operatio, ſi facultas afforet, ſi autem aberit, ipſa ſola volitio pro amore iudicatur, & reputatur ad iuſtitiam. Sed amori non credas, ſi contempſerit in corpus exire opportunitate data: nam ideo, vt notat Bernardus, quotiens in ſacra pagina de amore aliquid perhibetur, ſtatim fit mentio de operibus: vnde Christus intulit Apoſtolis: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. & alibi: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. & iterum: Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Et de ſanctis animalibus amore ignitis dicitur, quòd vbi erat impetus ſpiritus, id eſt amor, illuc gradiebantur: quia non ſolum erat in eis impetus dilectionis vehementis, ſed greſſus operis: nam idem ſunt amor & opus amoris, aut ſi verus eſt immediate ſequitur opus. Poſtquam enim de amore precordiali dixit Deus: Ignis in altari meo ſemper ardebit, immediate de operibus ſubiunxit: Quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna, id eſt, opera conſimilia. Quemadmodum enim habitus nutriuntur actibus, ſic amor operibus, & ſicut per ceſſationem corrumpuntur habitus mentis, ſic timendum eſt de voluntatis dilectione: propterea enim quòd amor eſt operationis effectus, dixit Chriſtus ſe veniſſe ignem mittere in terram, & immediate addidit: Quid volo niſi vt ardeat? Nam impoſsibile eſt, quòd ignis amoris in ſinu cordis tui ſit, quin veſtimenta, id eſt, opera de genere bonorum ardeant in te: hoc enim vult Chriſtus, qui ſuadet tibi, vt emas ab eo aurum ignitum, id eſt, precioſum amorem: & probatum per opera iuxta genus ſuum exhibi-

Amor eſt velle alicui bonum.

Ioã.14.b
Matt.5.g
Ioã.13.d
Ezec.1.c

Amor & opus amoris idem.

Leu.6.b

Luc.12.f

Apo.3.c

exhibita. Ecce igitur quo modo Scriptura vbicumque amorem deſcribit,ei opera iungit, quia amor opus eſt, ac inſperabiliter adherent ei opera, niſi impoſsibilitas executionis affuerit. Quod clarius patet in Deo, cuius amor erga nos eſt velle nobis bonum: & quia eius voluntas omnipotens eſt, illa volitio exhibitio eſt. Nam Deus potentia executiua caret: propterea quòd omnipotens ſit volitio eius. Vnde attributum omnipotentiæ Dei nil arbitror eſſe aliquo modo ab ipſa voluntate diſtinctum, niſi voluntas diuina infinite potens. Vbi velle nobis bonum idem eſt cum actuali exhibitione illius boni voliti: quod Chriſtus elucidãs ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ecce quàm coniuncta eſt datio cum dilectione, ac dilectio cum datione, quod inuenire eſt in quacumque dilectione diuina, cui vnquam impoſsibilitas exhibitionis eſt, aut impedimentum inuenit. Si vero dilectio tua obſtaculum reperiat maximum, tunc ſola pro amore habetur. Sed dicet aliquis, cum amare Deum ſit velle ei bonum, ſemper circa eum volitio ab exhibitione diſtinguetur, quia impoſsibilitas obſtat, quod enim bonũ ei ego exhibere potero, cui ita omne bonum eſt, vt implicatio ſit contradictionis aliquid ei conferre, quod bonum ſit: nam Deus per fidem eſt omne bonum: ſi ego ei aliquod bonum defero, ergo iam non eſt omne bonum, quia deerat quod nouiter ei defertur. Hic animaduertendum eſt pro amore tui, de quo in Euangelio, & in themate fit mentio, quòd eſt duplex amor, ſcilicet complacentiæ, atque deſiderij: qui per exemplum amplius liquet. Si haberes fratrem, cui nimis bonum epiſcopatum exoptas, illud intrinſecum deſiderium viget in te: dumq. opportunitatem reperis, reuiuiſcit: dum eum aptiorem dignitati intueris, geſtit concupiſcentia illa, atque ſalire videtur in rem deſideratam per verba aut ſigna. Sed quando res effectu mancipatur, idem amor mutatur, ſi iam adepta dignitas fuerit amor deſiderij, fit amor complacentiæ, & quoties rem bene geſtam, ac bonum euentum conſideras, lætaris; quæ lætitia atque gaudium, amorq. eſt fundatus in re poſſeſſa, non parum feruidus, ſed ſatis delectabilior quamuis quietior. Iam ergo Deum diligere teneris amore complacentiæ in ſe, & amore deſiderij in te. Iſta autem

Ioan. 3. b.

Amor cõplacentiæ, & deſiderij.

Amor deſiderij quo modo mutetur in amorẽ complacentiæ.

compla-

complacentia, qua lætaris in bonis Dei non paruus amor eſt. Nam ſi germanus tuus, aut pater tuus, aut tuipſe haberes bona, quæ Deus habet, lætareris quidem; amplius autem lætari, & gaudere teneris, propterea quòd habet ea Deus. Contraria enim volitio fuit peccatum luciferi non lætantis ſed inuidentis bona Dei: immo aſſero tibi, quòd teneris in bonis diuinis, quòd ſi eis Deus careret, velles ei ea conferre ob amoris magnitudinem: qui cultores ſuos ſui iuris eſſe non ſinit ſed amati. Tanta eſt amoris maieſtas vt præſumat, & exoptet infinitatem tribuere Deo ſi ea per impoſsibile careret. Immo velles te anihilari, ſi ex hoc Deo tuo aliquod emolumentũ eueniret, cuius eſt omne quod poſsides. Hoc amore vrgebatur Doctor ille, qui dixit: Si qualiter ego ſum Auguſtinus, eſſem Deus: & tu Domine vniuerſæ creaturæ Auguſtinus eſſes: ego me verterem in Auguſtinum, vt tu eſſes Deus meus omnipotens. O inflammatam ſententiam in diuini amoris fornace conflatam. Nec tam altiſsima complacentia difficilis videtur amori: intuens patrem æternum ſuper Iordanem, & montem Thabor ſic in filio ſibi chariſsimo complacuiſſe, cui eſſentiam propriam contulit. Immo & inſtar huius diuinæ complacentiæ tanti amoris ipſamet natura humana ingeniauit: vt pater mortalis homo quamuis malus ſit, ita nouit bona dare filio ſuo; vt ſe rebus ſuis nudari ac dignitate vellet, vt amplius complaceat in filio proſperato. Hæc etiam complacentia diuina amoris ſecuriſsima tanta fuit in ſanctis Dei, vt cetera diſcrimina mundi non valerent inquietare quemuis illorum: ſicut nec habens centum auri talenta, inquietus eſſet propter alicuius minuti perditionem. Complacent enim ſancti ſibi, in eo quòd Deus glorificatur in conſilio ſanctorum cæli, in eo quòd voluntas beneplaciti eius ſemper impletur: in eo quòd ei eſt benedictio, & claritas, ſapientia, gratiarum actio, omnis honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Quæ quia nunquam deſunt, nec deficient ei, nimis complacent tam quietiſsima dilectione, vt Sapiens dicat: Non contriſtabit iuſtum quidquid acciderit ei. O ſi nos eſſemus in hoc ſummo complacentiæ amore, qui non patitur ſecum nec minimam triſtitiæ partem, ſicut nec ſol tenebras: quia ſumma lucerna Dei eſt. Et hic amor di-

Ioan. 1. c *Matt. 17. a* *Pſ. 88. b* *Apo. 7. c* *Prou. 12. c*

luit quaſcumque tenebras peccati, ſic vt neć mors ipſa contriſtet iuſtum, quæ potius eſt in deſiderio. Nec ſupra te eſt amor iſte anima mea, vt cauſeris, & dicas te eum habere non poſſe. Nam ad mundi complacentiam plurimum laborare oportet, donec habeas multa bona repoſita in annos plurimos, ſuper quibus læteris. Dei autem bona iamdiu parata ſunt, nec ea tueri oportet, quoniam ipſemet omnium defenſor eſt: quin nec defenſione ſua Deus indiget in cælo, vbi nec eſt qui exterreat, aut ſilentium pacis rumpere audeat; poſtquam reiecto deriſorie diabolo, ceſſauit iurgium, quod fecit ibi. Sed vt iuſtificemur adhuc amore deſiderij, Deum diligere oportet non in ſe, cui formaliter deeſt, ſed in nobis hoc amore interea diligamus eum, donec ad æternitatis domum deueniamus: vbi plurimum viget amor complacentiæ. Hic autem apud nos amor deſiderij eſſe oportet, quo animabus noſtris optemus ineſſe bona Dei, ac eius gratiam, & virtutes inſitas animo tuo. Quæ vt iuſtius ac feruentius optare valeas recogita eorum pretioſitatem, ſic: Statue ante oculos inueſtigationis tuæ omnia bona mundi, ac omnium regnorum; honeſta, vt dignitates, & honores; delectabilia, vt delicias, & voluptates; vtila, vt diuitias. Ex altera vero parte præfige tibi virtutes, ac animi bona, humilitatem, caſtitatem. Illa quæ mundi ſunt tam vilia ſunt in ſe, vt etiam omnia ſimul quilibet qualitercumque vitioſus ſuppeditare valeat, ac ſpernere ſi vellet. Alioquin contrarium dicens incideret in errorem dicentium, quòd homines neceſſario peccant. Sed firmiter crede illa priora tam paruæ bonitatis exiſtere, vt ſi bene inſpicere vellet quiſque peccator, nec paſsione ſe cæcaret, cito ea omnia vilipenderet, atque abijceret. Virtutum etiam, & gratiarum Dei tanta eſt innata bonitas, quòd ſi clare agnoſceretur, nullo modo ſperni poſſet. Nam eorum neceſſaria bonitas contingentiam noſtram vinceret. Quælibet enim virtus cum ſit emanatio quædam bonitatis Dei, quandam infinitatem annexam habet: propter quam infinita gloria conferenda eſt ſequacibus eius. Nec mirum quòd bonitas virtutum captiuet nos, ſi plene cognoſceretur, cum ſola humilitas dicatur captiuare Deum ipſum, qui humilitati, ac alteri cuicumque virtuti ſe indefeſſum præbet.

Dei amor diluit peccata.

Luc. 12. 8

Amare Deũ in ſe eſt amare ſe.

Hominem neceſſario peccare error eſt.

Virtus eſt emanatio bonitatis Dei.

Tantum

Tantum ergo amas Deum, & non amplius, quanto his virtutibus plenus fueris, quanto eis dederis te, quanto eas optaueris, & quæſieris toto animo tuo. Beatus igitur Dei dilector, qui impleuerit deſiderium ſuum ex ipſis: quoniam propterea dicitur: Deſiderium iuſti omne bonum eſt. Peccata vero mortalia propterea militant contra Dei amorem: quia directe ſunt in aliquod attributum eius, offendentes in eo pedem offenſionis ſuæ. Vidimus ergo amorem Dei, & amorem tui: nunc amorem proximi videamus.

Pſ. 126. a

Prou. 11. c

SECVNDA PARS.

NVNC de amore eiuſdem Dei apud proximum diligendum reſtat inquirere, qui modo maior eſt, aut eſſe oportet quàm in veteri lege, quæ contribulibus tantum ſuis impendebat amorem: nunc vero amplianda eſt charitas. Pro quo nota quòd in octauo Ethicorum Philoſophus quærit, vbi eſt maior dilectio naturalis in patre de filio, aut econtra in filio de patre: ſeu in beneficiato, vel benefaciente, ſeu econuerſo. Et nunc non quærimus de amore debito in iſtis: quia per diuinam legem magis tenetur filius patri quàm econtra. Sed quærimus de facto, aut de naturali amore. Cui quæſtioni dicitur, quòd eum plus diligimus, cui plura impendimus: & minus illum a quo recepimus. Ad quod ratio duplex eſt. Prima, quia in beneficiato intuemur aliquid noſtri, & ſua cuique placent, ſicut factura Domino. Secundo autem, quia nolumus poſſideri ſed poſſidere; & hoc nos egre ferimus, ſi quando videre contingit eum, qui propter immenſa beneficia nos obligatos habeat. Magis ergo amamus eum cui beneficia conferimus, quàm eũ a quo ea recepimus, ſolum propterea quòd ei bonum aliquod contulimus: vnde credo plus Mariam dilexiſſe Deum quàm antea, poſtea quàm ei ſe contulit in tam familiarem ancillam: ob id etiam credo Apoſtolos cœtum omnem præcelluiſſe aliorũ ſanctorum, quia ob ſeruitium Deo exhibitum amor creuit. Iam ergo vt de amore proximi generaliter loquamur, aduerte quòd poſt incarnationem vtrumque conuenit, quia & nos multum dedimus Deo, qui ſe tam minimum fecit, vt a quolibet benefi-

Ariſt. 8. Ethic. cap. 8.

Pater plus amat filiũ quàm ecõtra.

beneficia recipere poſſet, quæ ante dederat. Sed vt ad proximi amorem ſpecialiter faciam, attende quòd vnio illa, quæ facta eſt per illam copulam deitatis, & humanitatis poſt vnionem Trinitatis, maior eſt. Alia autem ſimilis huic eſt, qua Chriſtus ſibi vniuit Eccleſiam ſuam. Sicut enim in Chriſto homo dicitur Deus, & Deus nominatur homo. Sic eſt in Chriſto, & Eccleſia ſibi ad inuicem communicantes nomina: nam ideo Chriſtus exiſtens in cruce dixit: Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Longe a ſalute mea verba delictorum meorum. Sed dicamus cum Auguſtino: Numquid Domine delicta habes tu, in cuius ore non eſt inuentum mendacium, exiſtens ſine macula ante crucem Dei? Agnus immaculatus delicta non habuit, ſed tantum adhæſit generi noſtro, vt etiam nomen peccatoris vellet aſſumere, & eius querelam: quia cruciati propter peccata ſua ſunt illa verba. Inſuper & nomen Dei tranſtulit ad peccatores; quia eos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt. Immo & ſæpiſsime dicit de omnibus: Nolite tangere Chriſtos meos. Qui & Paulo dixerat: Cur me perſequeris. Quia ergo proximum tuum tantum dilexit Deus, cur tu ipſe non ſic eum diliges? Magis eum dilexit Chriſtus quàm proprium corpus: vnde & tertio loco eum collocauit. Primo dilexit Deum: ſecundo animam propriam: tertio proximum, & poſtea corpus ſuum, quod pro nobis dedit tamquam magis dilectis. Nec mirum, quia corpus per ſe mortuum erat. Eccleſia vero corpus myſticum viuum eſt. Vnde optime quærit Bernardus a Chriſto cur non expectauit in ſepulchro allata ſibi vnguenta: Expectaſti Domine, vt ſola Magdalena contritionis vnguento vngeret pedes tuos, miſericordiam & iuſtitiam implorando contra peccata ſua: illa ex ſe poſuit quantam potuit iuſtitiam, vt ipſe poneres quantam poſſes miſericordiam, quod & feciſti, dicens ei: Vade in pace. Nec deinceps ſcrupulum habeas. Inſuper accepiſti vnguentum deuotionis eius, quo caput tuum vnxit. Cur autem tam inurbane diluculo paſchæ ſurgens expectare noluiſti tam præparata vnguenta, non ſolum pro pedibus & capite, ſed pro toto corpore tuo, quod in ſepulchro amplius ſauciatum eis indigebat? Hic plures ſunt mulieres vigilantiores, & forte honorabiliores, nec tam pretioſa vnguen-

[Margin notes: Vnio Chriſti & Eccleſiæ ſuæ. — Pſ. 21. a — Auguſt. in pſal. 21. expoſit. 2. to. 8. — Ioã. 10. f — Pſ. 104. b — Act. 9. a — Bern ſer. 12. ſuper Cant. to. 1. — Luc. 7. g]

vnguenta obtulerunt reſurrectioni tuæ: nimis proderunt deuotioni earum. Nec miremini fratres, quòd meliora vnguenta relinquat Chriſtus, quæ non ſpreuit, alioquin deferentibus non apparuiſſet: attamen pro corpore viuo myſtico, ſcilicet Eccleſia ſua, vnguenta ſeruauit, & ſeruat vſque adhuc. Hanc plus amauit quàm corpus ſuum, & ideo vult nos ſimiliter agere in operibus miſericordiæ. Non ergo quemlibet pauperem videas niſi tamquã Chriſtum filium Dei: qui plus vult pauperi ſubueniri quàm corpori ſuo, quia plus eum dilexit, & illud pro eo dedit. Propriæ perſonæ reputat fieri, quod pauperibus: alioquin beato Martino audiente, angelis non diceret: Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte contexit, quaſi dicat angelis: Quem putatis hanc mihi veſtem contuliſſe niſi Martinus, dum tam mihi chariſsimo pauperi illam præſtitit? Aperite denique aures fratres mei, ne poſtea in iudicio dicatis Chriſto: Quando te vidimus eſurire, & non pauimus te? quando nudum, & non tegimus, &c. Quia nunc Chriſtomet facitis quod pauperi confertis. Ecce igitur qualiter Deo poteſt conuenire amoris diffinitio etiam in toto rigore, ſi velis bonum ei: nam in paupere omnium bonorum tuorum eget, & omnium membrorum tuorum; linguæ, vt eum conſoleris; oculisq. tuis eget, vt eum pie videas; corde, vt compaſsionem habeas; genibus, vt ores pro eo; pedibus, vt ad ſubuentionem curras. Non dicas ergo bonorum noſtrorum non eget: quoniam vt eum plus diligas beneficiatum, vult a te multa recipere: vt vbi theſaurus tuus, ſit & cor tuum.

Habetur in 4. lect. eius feſti in fine.

Matt. 25. d

Pſ. 15. a

Matt. 6. c

In præſenti autem Euangelio parabolam Dominus affert de homine deſcendente a Ieruſalem in Ierico, &c. in qua oſtendit refrigeratam charitatem noſtram erga proximum, cuius expoſitionẽ ex Hugone adducam. *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Ierico*, id eſt, a diuitijs in paupertatem, a proſperitate in aduerſitatem: opulentus enim habet pacem in ſubſtantijs ſuis, quibus ablatis incidit in defectum. Hoc igitur fit quotidie, quia rota fortunæ voluitur: immo & Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſubleuat. Vnde mutabilitas hæc vel prouenit a loco in quo ſumus, qui ab ea mundus vocatur, id eſt

Hugo lib. 4. Allegor. in Luca. c. 12. to. 1.

1. Reg. 2. b

Id eſt mutabilis, vel prouenit a Deo probante mutabiles homines, vt eos per flagella erudiat: vnde ſequitur: *Incidit in latrones*. Quilibet peccator vel iuſtus incidere ſolet in manus medicorum quo ad infirmitatem: & in manus diuitum quo ad paupertatem: & in manus aduocatorũ quo ad aduerſitaté: pauper equidem indiget auxilio diuitum: infirmus auxilio & conſilio medicorum: tertius eget auxilio aduocatorum contra aduerſarios ſuos. Sed proh dolor, quia & diuites mundi, & medici, & aduocati latrones ſunt: nam diuites ſpoliant pauperes, iuxta id: Venatio leonis onager in eremo: ſic paſcua diuitum ſunt pauperes. Similiter medici infirmos pecunia ſpoliãt, & vt plurimum occidunt: quia magna ſtipendia exigunt, & ſæpe aut nihil prodeunt, aut nocent, vt eſt videre in muliere ſanguiflua, & in rege Samariæ, qui medicorum arte confidentes deterius ſe habuerunt. Similiter & aduocati omnes quos poſſunt ſpoliant & pauperes, & diuites: de quibus conqueritur Dominus, dicens: Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt. Et hoc eſt quod in Euangelio ſequitur: *Qui etiam ſpoliauerunt eum*. Hæc ſpoliatio ſignatur in ea, quæ facta eſt regi Ioakim, de quo dicitur: Factus eſt ſeruus tribus annis, immiſitq. ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Siriæ, & latrunculos Moab. Chaldæi interpretantur quaſi dæmones; & ſunt mali aduocati, qui veluti dæmones, dum tibi fauere debent; ſibi proſunt, litigium protrahentes. Siria interpretatur decipiens, ex qua ſunt medici ignaui, qui ſe & infirmos decipiunt. Moab interpretatur de patre, & ſunt mali diuites, qui deberent eſſe pauperum patres, & fiunt deuoratores, ſpoliantq. eos quos induere tenentur, auferentes ab eis id quod videntur habere: vnde ſequitur in Euangelio: *Et plagis impoſitis*, id eſt, multiplici triſtitia cordis inflicta. Nam teſte Sapiéte: Omnis plaga triſtitia cordis eſt. *Abieruntq.* ſicut lupi ſatiati recedunt a cadauere: quia propheta dicit: Principes in medio eius quaſi lupi rapientes prædam: ad effundendum ſanguinẽ, & ad perdendas animas, & auare ſectando lucra. Miſer etiam homo ſeminiuus relictus dicitur: quia ſubſtantia rerum temporalium appellatur vita hominis, iuxta illud: Panis egentium, vita pauperis eſt: qui defraudat illum homo ſanguinis eſt.

Latrones triplices.

Eccli. 13. c

Matt. 5. c

2. Paral. 16. d.

Iſa. 3. b

4. Reg. 24 a

Chaldæi quid.

Siriæ interpretatio.

Eccli. 25. c

Eze. 22. f

Eccli. 34. d

Nec mirum, quia illud dicitur vita hominis ſine quo viuere non valet. Deſcripta igitur miſeria miſeri, de remedio ſequitur: *Accidit autem vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via:* quoniam aliquando pauper & infirmus fuit, & ideo magis debuit eſſe miſericors: quia vt vetus canit adagium: Vir indigens miſericors eſt. *Et viſo illo præterijt*, nulla facta miſericordia: cum tamen inungantur manus ſacerdotis, vt affluant miſericordia: vnde ei dici

Eccl. 19. d poteſt: Quæ habes in manu, ciba ceteros. *Similiter & Leuita cum eſſet ſecus locum*, ideſt nondum promotus, *& videret eum, pertranſiit* pauperem & infirmum. In quo notatur auaritia omnium clericorum & ſacerdotum, quia nec ſacerdos, nec leuita motus eſt miſericordia in paupe-

Auaritia clericorum in quo notetur.

Ier. 6. c rem & infirmum: vnde Ieremias dicit: Extendam manum meam ſuper habitantes terram dicit Dominus. A minore quippe &cet. Et a propheta vſque ad ſacerdotē cuncti faciunt dolum: quia ea quæ habent eccleſiaſtici pauperum ſunt, doloſeq. ea retinent: vnde Sapiens clerico dicit:

Eccl. 4. a Declina pauperi aurem ſine triſtitia, & redde debitum. Iſtis ergo non miſerentibus. *Samaritanus quidam*, ideſt laicus præcepta cuſtodiens: nam Samaritanus cuſtos dicitur, qui *iter faciens*, ideſt legem, quæ eſt via aut iter ve-

Pro. 14. a niendi ad Deum, iuxta Salomonem dicentem: Ambulans

Lex eſt via. recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via, ideſt cuſtodiens legem Dei deſpicitur ab

Eccl. 1. d impijs: Quia execratio peccatori cultura Dei. Hic ergo bonus Samaritanus venit ſecus eum, quando etiam corporaliter infirmum viſitat familiariter, ſciens quòd reli-

Iac. 1. d gio munda, & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Alio-

Iob. 2. d quin amicitia proximi non ſeruatur: nam Iob ſolus a ceteris relinquitur niſi a tribus, qui amici eius vocantur, iuxta eum ſedentes, ex quo audierant omne malum, quod acciderat ei. Hic ergo videns hominem *miſericordia motus eſt*, non ſacerdos, aut leuita. Nec eum deſerere voluit,

Pro. 3. a memor illius conſilij: Miſericordia, & iuſtitia non te deſerãt. Et fit quando tu infirmum deſeris. Ideo appropians mente & corpore alligauit vulnera eius, neceſſaria tribuēdo, infundens oleum compaſsionis, & vinum conſolationis lætificans cor hominis. Tria dicit, *appropiauit* per

ſubuen-

ſubuentionem operis, frangens eſurienti panem ſuum &c. *Et alligauit vulnera* per compaſsionem cordis, conformiter ad illud eiuſdem Prophetæ: Cum effuderis animam tuam eſurienti &c. Tertio *infundit oleum, & vinum* per conſolationé oris, aut mordacé correctionem. Vtrumque enim opus miſericordiæ eſt. De primo enim quærit Sapiens: Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quàm datum. De ſecundo autem Salomon ait: Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo. Iam ergo imponens illum in iumentum ſuum, ideſt portans toto conamine onera pauperis, etiam in corpore proprio ſi oportuerit. Felix qui apud pauperem vt iumentum ſit, iuuamen præſtans. De ſic nimium iuuantibus dici poteſt: Interroga iumenta & docebunt te. Exemplo ſcilicet melius quàm clerici verbo: quoniam nunc dicere eſt: Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam, ideſt clericorum, aſcédat ſurſum per elationem & ambitionem: & ſi ſpiritus iumentorum, ideſt laicorum, deſcendat deorſum per compaſsionem? quaſi dicat hoc nouit Dominus. *Duxit ergo eum in ſtabulum*, ideſt in domum ſuam, ſciens ſibi dictum: Egenos, vagosq. induc in domum tuam. Dicitur autem domus viri miſericordiæ ſtabulum a ſtabilitate, quam operatur miſericordia: Stabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſinas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. *Et curam illius egit*, ſicut Martha ſolicite curans Ieſum. Hoc eſt contra eos qui bene opus miſericordiæ incipiunt, non tamen perficiunt, neceſſaria negantes pauperi recepto. Vnde *altera die* etiam miſericordiam fecit bonus Samaritanus: qui ſemper cuſtodit miſericordiam, iuxta id: Oleum de capite tuo non deficiat, ideſt pietas de mente. *Protulit ergo duos denarios*, voluntatem ſcilicet, & facultatem, *quos dedit ſtabulario* Chriſto, qui eſt cuſtos ſtabuli, natus in ſtabulo, cui datur quidquid pauperibus datur, ipſo dicente: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & ait: *Curam illius habe*, hoc eſt: Orauit etiam pro paupere Chriſtum dicens: Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. *Et quodcumque ſupererogaueris*, ideſt ſuper me erogaueris. Sæpe enim homo incipit pauperes adiuuare, & Deus ſupplet quod homo non poteſt, ideſt dat ſanitatem, vel proſperitatem, quod vir miſeri-

In tribus ſtat miſericordia.
Iſa. 58. c
Eccl. 18. b
Pro. 31. a
Iob. 12. a
Eccle. 3. d
Iſa. 58. b
Eccl. 31. b
Miſericordiæ domus dicitur ſtabulum.
Miſericordia ſtabilé facit.
Eccl. 19. d
Mat. 25. d
Pſ. 9. b

cors ſibi factum reputat: vnde ſequitur: *Ego cum rediero*, ſcilicet ad facultatem & poſsibililatem tribuendi, vel ſubueniendi, id eſt cum locus, & tempus, & poſſe fuerit, *reddam tibi* in alijs pauperibus, vel gratias referendo; & ita vir miſericordiæ ſe obligat pro bonis aliorum Chriſto. Iam ergo, *quis horum trium*, ſacerdotis, & leuitæ, & ſamaritani, id eſt, prælatorum, clericorum, & laicorum *fuit proximus* incidenti in latrones prædictos, id eſt, in poteſtatem medicorum per infirmitatem, in poteſtatem aduocatorum per aduerſitatem, in poteſtatem diuitum per neceſsitatem. *At ille dixit: Qui fecit miſericordiam cũ illo.*

Hæc interrogatio & reſpõſio in iudicio ſane faciẽda eſt: vbi reddetur miſericordiæ præmium. Vade igitur, o Chriſtiane & fac ſimiliter: nec ſolum de miſericordia loquaris ſed operare, vt bonus iſte Samaritanus, faciẽs ſacculum eleemoſynæ, cuſtodiens theſaurum non deficientem in cælis per gloriam, quam mihi & vobis, &c.

Matt. 25. d.

SERMO

SERMO MYSTICVS DOMINICÆ XIII. POST PENTHECOSTEN,

Ex Euangelio.

THEMA.

Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Luc. 17.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

COMPERTVM habetis fratres quomodo triplex requiritur ad ſermonem gratia, prima ad loquendum, ſecunda autem ad audiendum, tertia vero ex parte finis, vt fructus ſermonis maneat in vtriſque. Hæc triplex gratia eſt a trino Deo petenda, quæ etiam tribus perſonis attribui poteſt diuerſimode. Nam Patris, cuius eſt in diuinis dicere verbum, eſt dare, vt dicamus. Filius autem cuius eſt audire: Quia quæcumque audiui a patre meo nota feci vobis, dabit vt recte audiatis. Spiritus ſanctus in quo deitas remanet, quia non eſt vltra proceſsio, dabit vt ſermonem retineatis. Tamen quia totius Trinitatis theſaurum habet Maria filia primogenita patris, mater dilectiſsima filij, ſponſa vnica Spiritus ſancti, cui datum eſt, & dicere, & audire, & cuſtodire, oportet vt mihi gratiam tribuat prædicandi, quæ linguas infantium facit diſertas, vobis autem audiendi, quia ipſa, teſte Iob, aperit aures virorum. Vtriſque vero gratiam cuſtodiendi præſtabit, quæ filium Dei cuſtodiuit in Ægypto. Vt hanc igitur triplicem gratiam nobis obtineat genibus flexis, manibus eleuatis, & ore pleno ſalutatione angelica eam inuocemus, dicentes. Aue Maria.

Ioã. 15. b

Gratia triplex a trino Deo Mariæ collata.

Iob [illegible]. b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VERBA thematis, fratres chariſsimi, ſunt quædam conquæſtio de ingratitudine nouem leproſorum nolentium reuerti ad Chriſtum, ſed myſtice accepta oſtendunt qualiter Dei filius in iudicio vniuerſali conqueretur de ingratitudine omnium malorum Chriſtianorum. Licet enim ibi querelam oſtendet omnimodam, ob id quòd omnem mundum ſignatum in decem leproſis ſufficienter mundauit ſua paſsione, maior tamen pars tranſgreſſorum periefit ſua culpa, quæ ſignatur in nouem, qui eſt numerus a denario deficiens: ſpiritualiter tamen conqueretur de Chriſtianis, qui non ſolum ſufficienter, ſed plurimi etiam efficienter ſunt mundati Chriſti ſanguine & ſacramentis, peribunt tamen: vbi aduerte quòd olim Conſtantino magno relatum eſt, quòd ſanguine puerorum eius lepra mundaretur, ſed falſo: attamen Chriſtus ſuo ſanguine nos mundauit, cuius virtus cum irrita eſſet, dixit: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem, ſcilicet conſcientiæ mundandam? quaſi dicat nulla vel parua: quia *nouem vbi ſunt?* Querela iſta in iudicio contra fictos chriſtianos repetenda eſt: nam cum infidelibus parua, vel nulla erit diſceptatio: Quia qui non credit, iam iudicatus eſt. Et quia intentum huius querelæ nobis hodie ſub typo leproſorum poſitum eſt, vt ſimus grati de noſtra iuſtificatione: ad gratitudinem vero requiritur, vt tribuatur datori quod ſuum eſt, ideo videre oportet quid Deus ponit in iuſtificatione peccatoris, vt ſciamus poſtquam mundati ſumus gratias agere, ne de nobis Chriſtus conqueratur: nec ſatis eſt ſcire nos eſſe inutiles ſeruos, quod in verbis præcedentibus hoc Euangelium Chriſtus docuit, exemplo ſerui redeuntis de agro, ſed vult nos eſſe ſeruos gratos. Multi enim ſunt mihi inutiles, qui nil mihi debent, ſed non eſt ita cum Deo, cui ſumus inutiles & multum debitores, ſed quia quantum ei debeamus in præſenti quidem oſtenditur Euangelio, eius expoſitioni operam demus in toto ſermone, cui duæ partes erunt. In prima de mundatione decem. In ſecunda de perditione nouem.

Nouem eſt numerus a denario deficiens.

Pſal. 29. c

Ioan. 3. c

Luc. 17. b

Diuiſio.

PRIMA PARS.

NOVERIMVS hos decem leproſos totum humanum genus lepra peccati infectum ſignare: quia ſicut leproſus leproſum generat, ſic ex infecta radice Adæ omnes leproſi naſcimur, & excreuit lepra hominis per actualia peccata & voluntaria, donec de humano genere dicatur: Omne caput languidum, & omne cor mœrens: a planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. In maſſa mundi planta eſt vltimus homo, & caput Adam. Omnes ergo tranſgreſſores decalogi ſignantur in decem leproſis, quia, vt notat B. Antonius de Padua, decé ſunt ſpecies lepræ ad decem peccata contra decem præcepta reducibiles: nam aut eſt lepra candida per hypocriſim: homo eſt vt ſepulchrum dealbatum. Aut lucida per ambitionem, de qua in Iob dicitur: Lux impij extinguetur. Aut obſcura per luxuriam: Oculus enim adulteri, vt ait Iob, obſeruat caliginem. Aut eſt lepra rufa per rapinam & vſuram, de qua dicitur: Si pecuniam mutuam dederis pauperi, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Aut eſt lepra pallida per inuidiam, quæ occidit paruulum, id eſt, hæc terrena amantem: nam amans gloriam, quæ vna eſt, & in ſingulis tota, non inuidet. Aut ſexto eſt lepra capitis per infidelitatem, cum quis non habet Chriſtũ caput, vt Origenes exponit. Huius caput & barba effeminata radi iubetur. Sed capilli Apoſtolorum omnes numerati ſunt, & chriſtianorum, quia ideo in nazaręis nutriuntur: nutritur & barba vbi eſt rigor virtutis. Poſt lepram barbæ ſequitur octauo lepra in cute per peccata publica & mala exempla. Nono in veſte per ſchiſmata & diſſenſiones, quando vnuſquiſque in opinionem ſuam declinat. Vbi decima ſpecieș lepræ eſt in domo, quando diſcordia in congregatione monachorum ſuboritur, & lapides ſanctuarij fiunt lapides platearum verſis orationibus in lites. Hæc domus difficile redit in ſtatum priſtinum, quia templum quod per ſex annos ædificatum eſt, poſt deſtructionem quadraginta ſex reædificatum eſt. Has decem ſpecies lepræ in Leuitico inuenies, vbi eſt leproſorum ritus multum ad nos pertinens, qui ſumus diſſutis

Leproſi ſignant humanum genus.

Iſa. 1. b

Lepræ decem ſpecies

Leu. 13. a

Iob 18. a

Iob 24. c

Exo. 22. d

Leu. 14. b

veſtibus virtutũ deficiẽte charitate, quæ eſt vinculum perfectionis, diſcooperto capite rationis ad omnẽ vẽtum perturbationis: & diſcooperto capite noſtro, quod fuit Adam a iuſtitiæ originalis tegumento. Habemusq. os veſte contectum quaſi indigni enarrare iuſtitias Dei, quas fecimus: quia ex peccato ſunt omnia bona mortificata, & caput eſt diſcoopertum quando quidquid per corporis ſenſus, qui ſunt in capite peccati, manifeſtas. Immundos ergo nos

Iſa.64. b clamemus cum Iſaia dicente: Facti ſumus velut immundi omnes nos: & iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. Et demum extra caſtra habitabamus, vt indigni angelorum

Gen.32.a conſortio, de quibus ait Iacob: Caſtra Dei ſunt hæc. Et quidem tantũ remoti eramus a Deo, vt niſi Deus ad nos venire dignaretur, numquam ei occurriſſemus. Si enim

Eſther 4.c non licebat indutum ſacco intrare Aſſueri palatium: immo nec indutus auro intrare ad Aſſuerum poterat non vocatus, quo modo nos lepra peccatorum veſtitos cælum intraturos crederes? Nam etiam in ſtatu innocentiæ, dum caro erat non dotata immortalitate cæleſti, non vidiſſet homo clare Deum. Tamen quemadmodum non poſuerat Aſſuerus ſibi legem, ne ipſe egrederetur ad male veſtitos, ſic non defecerũt miſerationes Domini, ſed Dei miſericordia voluit ad dicta opera obuium facere filiũ Dei, vt ſanaret nos, ne eius ordinatio peccato noſtro fruſtraretur, qui in æterna ordinatione ſua ibat in Ieruſalem

Ier.29. c propter nos: quãdo cogitabat cogitationes pacis, & nõ afflictionis, deſtinans ſaluare homines; vnde incipit Euangeliũ: *Et factum eſt, dum iret in Ieruſalem*, quæ interpretatur viſio pacis: vnde ad videndum pacem noſtram venit

Pro. 3. c filius Dei, quinimmo ad faciendum eam: Quia viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Sed quoniam hanc pacis viam ab initio, & ante ſæcula incœpit,

Abac.3.b quando eam decreuit, ideò dicitur: Turbati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. Turbantur dæmones, & hæretici de tam antiqua pace, quam peccatum hominis impedire non valuit ſed differre: nam ideo ſequitur in Euangelio præſenti: *Tranſibat per mediam Samariam, & Galilaeam*. Chriſtus per ignominiam Samaritanus di-

Ioan.8. f ctus eſt, maxime ibi: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es? Hoc ipſe negare noluit. Qui dum Pilato ſiſte-

ſiſteretur, cognito quòd Galileus eſſet, remiſit eum ad Herodem, vt eum eriperet, qui eum ſaturauit opprobrijs. Tūc forte ſpatioſe *tranſibat Ieſus per mediam Samariā, & Galilaam*, quia ei dicitur: In mari, ſcilicet paſsionis, via tua: & ſemitæ tuæ in aquis multis. Immo & nominum interpretatio idem ſignare videtur: nam Samaria interpretatur fæx eius, & Galilea volubilis dicitur: vnde vinum Chriſto datum crucifixo verſum erat in acetum, & cum felle mixtum eſt, quę fæx videtur animalium. Per has ergo vias difficiles tranſibat, quando cum illud guſtaſſet, noluit bibere. Tranſibat quidem ex hoc mūdo ad patrem: ſed prius euenit ei, quod ſequitur in Euangelio: *Et cum ingrederetur quoddam caſtellum*. Numquid, fratres chariſsimi, dicitis inter vos, quòd in paſsione ſua nullum caſtellum Dominus ſit ingreſſus? Nonne crux ipſa caſtellum eſt, quamuis diſſipatum? In monte Caluario poſitum eſt caſtellum crucis, ad quod Ieſus, etſi vulneratus, aſçendit, nulla accepturus medicamina, oleumve, aut ligaturas, quamuis prout ibi, de eo dici valeat: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domū ſuā. O Domine Ieſu, quia in hoc diſsipato caſtello tibi Martha non erat circa frequens miniſterium ſolicita. Sed Maria ſecus pedes tuos, iuxta crucem audiens illud verbū ſibi amarū: Ecce filius tuus. Quamuis & hæc Martha dici valeat erga plurima tormenta tua valde turbata, maxime dū ſcit vnum neceſſariū nobis, ſcilicet te mori, vt nos optimā haberemus partem æternæ vitæ non auferendam a nobis. Aduertite fratres, quòd in eadem cruce Martha erat & Maria, caro videlicet, & anima Chriſti. Martha nimis turbatur, quia ideo dixit Chriſtus: Spiritus quidem pròptus eſt, caro autem infirma. Hæc in domo fragilitatis ſuæ eum recepit in cruce cōqueſta, dicens: Vt quid dereliquiſti me? Ecce illud: Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolā miniſtrare? Caro & anima Chriſti bonæ ſorores ſunt, ſed paſsionis tēpore anima nullū iuuamen, aut conſolationem infudit in carnem: vt ſola miniſtrās Chriſto paſsiones, & tormenta propinaret. Tunc vt ſequitur in Euangelio: *Occurrerunt ei decem viri leproſi*. hoc eſt omnes peccatores ei noua cognatione, & ſimilitudine propinqui: ſed quamuis occurrerunt ſimilitudine naturæ & pœnæ

Pſ. 76. d

Samaria, & Galilæa q.

Caſtellum eſt crux.

Luc. 10. g

Ioa. 19. e

Mat. 26. d

Pſ. 21. a

Luc. 10. g

Iſa. 14.e næ: quia ecce vulneratus eſt ſicut & nos, ſimilis noſtri effectus eſt, *ſteterunt tamen a longe* diſſimilitudine vitæ. Nos enim veri leproſi eramus, ſed ipſe non vere leproſus fuit, ſed quaſi leproſus reputatus, vt Iſaias dicit. Fuit enim in reputatione iniquorum quaſi leproſus & peccator, & ideo *Leuit. 13.* non ſine myſterio poſita eſt in Leuitico ſpecies lepræ mũdiſsimæ, quam qui habet iudicandus eſt mundus: cum ſcilicet effloruerit diſcurrẽs lepra in cute, & operuerit omnem carnẽ a capite vſque ad pedes: in qua, vt aiunt Gloſſæ, ſignatur lepra diffamiæ a teſtibus iniquis cauſata, quæ diſcurrit in cutis ſuperficie, ſed carnẽ numquam violat: res namque diſcurrẽs numquam figitur, nec locum inuenit in quo ſtabiliatur. Talis lepra fuit in Chriſto, qui ſceleratorum vocibus diffamari potuit vt reus, ſed conſciẽtia eius peccatum neſciuit. Nec enim lepra figebatur, quia conuenientia teſtimonia non erant. Et licet a capite vſque ad pedes eum iſta lepra operuerit, quia omne quod fecit & dixit, ſunt calumniati: tota tamen vertitur in candorem & munditiam: attamen voluit condemnari in caſtello crucis pluſquam leproſus, factus opprobrium hominum & abiectio plebis. Leproſus quidem debuit habere veſtimenta diſſuta, ſed tu Domine vt me veſtibus gloriæ indueres, ex toto nudari voluiſti. Leproſus habere tenebatur nudatum caput, ſed caput tuum Domine ſpinatum eſt, vt mihi tribueres coronam regni cæleſtis. Leproſus habuit os veſte contectum, ſed non felle & aceto potatum, vt te Domine video propter me, cui dare decreuiſti fruitionem diuinam. Alter extra caſtra debuit habitare: tu Domine extra portam paſſus es in ſterquilinio, vt abiectio plebis, vbi improperium tuum portabas, vt me in paradiſi ianuas introduceres. Alter debuit immundum ſe clamare, cum vere immũdus eſſet: at tu Domine flos munditiæ a iudæis vt impius, & malefactor acclamatus es, & immunditias nequiſsimas omnium noſtrum poſuiſti ſuper te: ita vt vocem peccatorum ſumens, diceres cum clamore valido: Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Longe a ſalute mea verba delictorum meorum. Verba deliciorum ſeruientium tibi membrorum tuorum longe a ſalute tua erant: quia dum clamor deliciorum noſtrorum aſcendit ad aures paternæ iuſtitiæ te miſit, vt ſolueres

Margin notes: *Chriſti Lepra.* — *Pſal. 21.b* (beside "cis pluſquam leproſus") — *Leproſi nimus.* (beside "ex toto nudari") — *Pſ. 21.a* (beside "cum clamore valido")

ſolueres quod non rapuiſti. Parum ergo dixiſti, o Iſaia: Vidimus eum quaſi leproſum, immo pluſquam leproſum, quia numquam ſic viſus eſt vllus leproſus, ſed *quaſi* dixit, quia hæc omnia pertulit pro ſimilitudine abſque peccato. Lepra ergo Chriſti ſimilitudinaris, non vera fuit: noſtra autem ſic veriſsima extitit, vt cutem, & carnem, & medullas animæ calluerit infectas, pro qua ſananda illam pertulit, in crucis caſtellũ intrans. Vbi non ſolum cognatione, & ſimilitudine occurrimus ei, ſed in eius memoria eramus: ibi enim memor fuit noſtri, & benedixit, & benefecit nobis: immo in latrone illo leproſo de regno Chriſti memoriam faciente, omnes nos eramus. Sicut, vt aiunt doctores, huius Euangelij leproſus ad Chriſtum rediens, omnium fidelium denotat vnitatẽ. Sic ibi bonus ille latro ad Chriſtum conuerſus omnium conuerſorum figuram tenuit, qui ſe prauis ſacerdotibus ibi aſtantibus oſtendit fidelem, in quo a lepra per fidem mundatus eſt, & ad Chriſtum etiam corporaliter prout potuit conuerſus, eum magnificat dum regem cæli eum confitetur. Hic certe erat Samaritanus & cuſtos Domini ſui ab eo glorificandus, quem fides ſua ſaluum fecit, eo tempore quo non erat fides in terra.

Iſa. 53.b *Hebr. 4.d* *Pſ. 113.c* Latro bonus omniũ conuerſorũ figura.

Nos ita faciamus fratres, occuramus Chriſto vitæ ſimilitudine: nam parum proderit ei occurriſſe naturæ ſimilitudine, niſi ſpiritualis occurſus aduenīat & moralis: quid enim confert omnibus damnatis eſſe Chriſti cognatos & notos, cum caro & ſanguis regnum Dei non poſsideant? ideo voluit peccatores Chriſtus ſibi aſsimilare conuertendo eos: hanc autem ſimilitudinem per gratiam meruit intrans caſtellum crucis, & in vitæ ſuæ itinere. Hæc autem ſimilitudo conſiſtit primo in conuerſione ad Deum, ad quam excitat gratia præueniens, & notatur in illo occurſu a Ieſu proculdubio cauſato. Nam licet omnes peccatores ei occurrerint, præcipue tamen illi quos fidei & ſacramentorum ſuorum participes eſſe voluit. Hos enim plus dilexit, quos ad maiorem ſui participationem admiſit, & his ſe plus obuium obtulit, quibus & plures gratias præuenientes meruit. Quod enim ex ingreſſu Ieſu in caſtellum ſecutum eſt, vt occurrerent ei decem viri leproſi, mire ſignat, quòd ex merito Chriſti nos gratia præuenimur, & ita gratia illa, quæ reſpectu tui eſt præueniens, & aduenit:

occurſus noſter. *1.Cor.15.f*

tibi

tibi inſperate, reſpectu Chriſti meriti eſt ſubſequẽs. Sicut enim ad litterã iſte occurſus fuit ex parte leproſorũ inopinatus, ſed nõ ex parte Chriſti, ſic quoties Chriſtianos, qui Dei & ſui obliti ſunt, tangit Deus, occurrunt quidem Deo ſed inopinate: ſic occurrit Paulus in via qua veniebat in Ieruſalem. Ex hoc ergo occurſu primo ſequitur verecundia & timor. Quia ideo additur: *Steterunt a longe*. Nec mirum: nã in iuſtis ex propinquitate Dei timor ſequitur, verecundiaq. procedit, vt patet in Elia operiente vultum coram Domino tranſeunte, & in Paulo qui cecidit in terram, & in Moyſe nõ audente reſpicere contra Dominum: & Petrus dixit Chriſto: Recede a me, quia homo peccator ſum: & Rebecca deſcendit de camelo viſo Iſaac, & operuit ſe. Hinc eſt quòd illi, qui antea exultantes in rebus peſſimis, peccatũ ſuum ſicut Sodoma prædicabãt, ex quo Chriſtus eis occurrit, verecundantur in cõfeſsione: quia nimirũ iam deſpicit malum cognitũ, quod antea placebat incognitum. O quanta verecundia eſt, quòd cum voluerit Deus eſſe homo, nolim ego eſſe per eius participationem Deus!

Act. 9. a

Verecundia bona vnde proueniat.

3. Reg. 19 b

Luc. 5. b

Gen. 24. g

Prou. 2. c

Iſa. 3. b

Ex bona verecundia oritur ſpes, quia eſt confuſio adducens gloriam: vnde ſequitur in Euangelio: *Et leuauerunt vocem ſuam*. Deſperans mutiri nõ vult, qui parum ſperat ſubmiſſe loquitur & tepide, qui autẽ multum ſperat, confidenter eleuat vocem, quia non terrena, ſed alta petit: ideo dicit iſta vox: *Ieſu præceptor miſerere noſtri*. Ieſum vocãt & præceptorem, innuentes eum nihil niſi ſalubria præcipere, & ſe velle obedire ei, quem antea in trangreſsione præceptorum offenderant. De qua ſe reos cognouerunt, & per iuſtitiam lepra punitos, ſed nunc miſericordiam exorant: vnde ſubinfertur: *Quos vt vidit*, illo ſcilicet intuitu, quo reſpexit Matthæum, & Petrum, *dixit: Ite, & oſtendite vos ſacerdotibus*. O miſericordiam ampliorem quàm petebant. Sibi ſolis implorant miſerationem Domini, & pro omnibus accipiunt medicinam. O quàm ſecurus modus curandi lepram! quem ſemper Dominus in Euangelio tenuit: nuſquam quidem legimus leproſum ſanatum a Chriſto, quin mitteret eum ad ſacerdotes, ſiue ſanaretur antequam iret, ſiue in via: quoniam etſi tibi conſtet ex tactu diuinæ manus ſalus tua, nihilominus ad confeſsionem teneris, quæ ſecuriſsima via eſt ad animæ ſanitatem:

Spes eleuat vocem. e

Lepræ curatio eſt confeſsio.

tatem: quæ in quadruplici differentia recipitur: dum aliquis it, dum iam ſe oſtendit, & aliquis antequam iter arripiat, vel quarto iam poſt oſtenſionem. Vbi aduerte quòd euenire ſolet in ſola contritione mundare, nihil pro tunc de confeſsione cogitando: quia non tenemur niſi ſtatuto tempore. Secundo autem dum tepide confeſsio incipitur & ante finem datur vera contritio. Tertio vero etiam ſi tepide peragas confeſsionem, ſolummodo attrito datur venia ex vi ſacramenti, vt probat Scotus, nec in præſenti opinio Magiſtri placet, oppoſitum ex hoc miraculo aſſerentis. Quarto autem venia dari ſolet poſt confeſsionem fictam, veram tamen; exemplum eſt in ficte accedente ad baptiſmum, cui recedēte fictione datur gratia. Sic in propoſito euenit ſæpe, vt quis confiteatur proponens ſe nihilominus manſurum in peccatis ſuis. Dum autem communionem videt accedere, reſipiſcit, & tunc gratiam amplectitur, non iterans confeſsionem. Ite ergo fratres, ite ad confeſsionis ſacramentum in hoc miraculo ſignatum. Nam ſicut miſericordiæ fuit Chriſtū dicere Iudæ: Quod facis, fac cito, ne ſcilicet multum viuens, aut tardans, & perſeuerans in peccato, maiori pœna eſſet dignus in inferno. Sic miſericordiæ eſt hortari homines vt eant cito, a peccato recedentes per cōfeſsionem. Nec ſolū per confeſsionem eundum eſt, ſed per conſiderationem, dum vitam noſtram conferimus cum antiquis ſanctis, quibus dictum eſt: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium. In hac via non parua ſanitas eſt: ſed iſtud te in ſacerdotes retorqueri poteſt, quibus Deus oſtendit infectum pecus per mala eorum exempla: nam hodie venerunt cultores noſtri deſtruentes nos: ſic etiam dicere ſolemus nocenti nobis: Vide qualem paraſti me!

Quot modis aliquis mundetur a peccato.

4. ſent. diſt. 17.

Ioā. 13. c

1. Pet. 2. b

Sacerdotes confeſſores ſunt.

Sed ad confeſsionem redeo, cuius hæc præcipua figura eſt: vbi aduerte quòd diuinus ordo per medios reducit infimos ad ſuprema, id eſt, per ſacerdotes, quamuis deteriores ſint, ſed de hoc quid ad nos? Simus vt Ioſeph vir bonus & iuſtus, qui ab impio Pilato petijt corpus Ieſu, & accepit illud, ponens meliori loco quàm ille poſuerat. *Sed dum irent* (inquit Euangeliſta) *mundati ſunt*: quia ſicut eius miſericordia præuenit leproſos, vt ei occurrerent illa via, ita dum veniunt & obediunt, non vult ipſe expectare

Luc. 23. g

ſacra-

ſacramenta ſua, quibus non eſt alligatus: ſed etiam ante confeſsionem mundat contritos. O leproſorum obedientia, & fides melior quàm Naaman nolentis lauari ſepties in Iordane: hi autem quod deterius eſt, facere incipiunt, horribiles plagas oſtendere parati. Sed felix oſtenſio, facile medicamen, cui tam cito ſanitas obuiat: occurrerant prius leproſi Chriſto in contritione, nunc ipſe occurrit illis in confeſsione: *quia dum irent, mundati ſunt:* quis audiuit in lege veteri vmquam tale? Nunc autē propinquior eſt noſtra ſalus quàm tunc. Vidiſtis iam Dei beneficia noua & vetera, quibus refertū eſt hoc Euangelium. Vetus beneficium fuit decreuiſſe venire & in Ieruſalem, & tam difficilibus vijs, vt nobis eas redderet planas. Eſt & vetus beneficium & frequens apud nos, vt Deus ſe hilariter offerat nobis obuium, etiam dum nihil de eo cogitamus, cui obliti ſumus. Eſt & aliud beneficium ingreſſus caſtelli crucis, quo ingreſſu illud muniuit per ſeipſum, vt ſit refugium ad ſe confugientibus, & adorantibus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Eſt & nouum beneficium omne ſacramentum quod ex cruce, teſte Auguſtino, fluxit. Hoc ergo caſtellum apotheca ſacramentorum eſt.

4. Reg. 5. c

Rō. 13. d

Aug. tract. 15. in Ioan. to. 9

SECVNDA PARS.

VISO in prima parte quibus beneficijs populū chriſtianum ſibi deuinxit Deus, qui ſignatus eſt in mundatione decem: nam eſt decima drachma perdita, quā Dei filius inuenit nouem angelorum choris adiungendam: nunc videamus vbi ſunt nouem perditi, vbi ſunt mali chriſtiani, qui velut aues domeſticæ dum ſaturatæ fuerint, fugiunt Dominum ſuum, & vocatæ venire contemnunt ad manum, quæ ſaturauerat eas: Hic aduerte quòd quamuis ſolus vnus rediret ad Chriſtum, gratiſsime ſuſcepit illum, & ei de reditu gratias egit, eiq. tribuit miraculum, dicens: *Fides tua te ſaluum fecit.* In hoc cœtu fidelium deſignatur, qui eſt quaſi vir vnus ob vnitatem fidei: vnde vnus in piſcina ſanatur, & vnus accipit brauium, & vnica eſt Chriſti columba. Hunc laudat Chriſtus ſicut laudauerat Naaman Sirum, qui ſolus tēpore Eliſæi ſanatus eſt a lepra. Sed quantum diſtant nouem ab vno, tantum debet diſtare numerus

Vnitas fidelium deſignatur in mundato.

Luc. 4. e

numerus damnatorum a numero ſaluandorum, etiam in populo Chriſtiano: vbi multi ſunt vocati, pauci vero electi. Nouem ergo vbi ſunt, omnes qui a decalogo deficiũt, omnes qui malam faciunt mixtionem ex quinque ſenſibus & quattuor Euangelijs, vt notat Bernardus. Hi nouem vnitate carent, quæ decem eos faceret, ideo reſpōderē eſt, quòd non ſunt ſecummet: quoniam vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. Cum ergo tam diſperſus ſit cœtus malorum ad colligendum paleas, ſignum eſt quòd Chriſtus noluit eum inuenire, cum ſimul dixit: *Nouem vbi ſunt?* Nullum inueniet in iudicio niſi quos inuenit nunc in Eccleſia, ideo non dicit: Adam vbi es, loquens cum eis, ſed *vbi ſunt,* loquens quibus reſpondere non valent: quia frater non redimet. Sed hæc quæſtio Samaritano gratiſsimo dirigi videtur: nec mirum quia in iudicio lætabitur iuſtus cùm viderit malorum vindictam, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum: nouem ergo vbi ſunt, id eſt, qui condemnatione digni ſunt, quia rei ſunt iudicio. Gaudeat ergo chriſtianus quilibet, etſi Samaritanus, etſi proſelitus fuerit: quia & angelos mundi iudicabit cum Chriſto. Sed ſi nunc quæris Domine *nouem vbi ſunt?* Superbus eſt in amore propriæ excellentiæ: ambitioſus in dignitate aut villa ſua: iracundus vbi zelus & contentio, & inconſtantia eſt omne opus prauum: inuidus eſt in liuore, vbi ſedes eſt ſathanæ: piger eſt in tædio vitæ: auarus eſt in arca: quia vbi eſt theſaurus eius, ibi & cor ſuum erit. Sed o tu guloſe cum ſis iunior, ambulas vbi volebas de taberna in tabernam. Luxurioſus paſcit porcos: infidelis eſt in errore: ecce Domine nouem vbi ſunt. Sed quærimus a te vbi erunt? Vbi in ſempiternum deponētur? Erunt in faciſculos ad ignem inferni multiplicandum, niſi nunc veniant magnificare Deum, & pedes Chriſti oſculari, & fiant alienigenæ. Et ſunt qui alibi habitant, & alibi naſcuntur, & ſic eſt de omnibus qui carnaliter nati ſunt, & ad ſpiritum tranſeunt, iuxta id: Non qui filij carnis hi filij Dei ſunt: ſed qui filij ſunt promiſsionis computantur in ſemine. Simus ergo fratres alieni ab amore proprio, alieni a vitijs, alieni a mundo, alieni a carne, vt ad Chriſtum redeamus: hic per gratiam & in futuro per gloriam, quam mihi, & vobis concedat Deus, Amen.

Matt.22.b
Bern. ſerm. de ingratitudine circa finem.to.1.
Iſa.53.b
Gen.3.b
Pſ.57.b
Peccatores vbi ſint.
Iac.3.d
Matt.6.c
Rom.9.b

SERMO MORALIS DOMINICÆ XIIII. POST PENTHECOSTEN,

Ex Euangelio.

THEMA.

Hic erat Samaritanus. Luc. 17.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

ADEO ſublime eſt prædicationis officium, quòd non ſolum gratia gratis data requiritur ad eius decentem executionem, quam quilibet philoſophus habere potuit, ſed gratia gratum faciens: nam ideo peccatori ea carenti dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Indecens quippe eſt narratio iuſtitię iniuſto, & ori immundo munditiæ teſtamētum. Sed maiori gratia opus eſt auditioni: auditores quippe multi ſunt, concionator vnus; maiori adiutorio indigent plures quàm vnus. Nec enim præparatione parua ſermo Dei audiri debet, alioquin non diceret Sapiens: Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem. Et Chriſtus ait: Qui habet aures audiendi, audiat. Omnes ſane aures habetis, ſed qui a veritate auditum auertunt, aures non habent audiendi. Item tertio maxima requiritur gratia ad cuſtodiendum, exiguum enim prodeſſet deuote audire, niſi ex auditis aliquid cuſtodires. Ne ſitis fratres veluti recentia oua, quæ dum igni ſunt adhibita ſudant, ſeparata vero frigeſcunt ſicca. Sic muliercula cuius oculi lacrymantur in ſermone, vt plurimum, ſtatim poſt miſſam oblita eſt qualis fuerit, niſi verba, quibus compuncta fuerat, cuſtodierit.

Pſ. 49. c

Gratia auditoribus neceſſaria.

Eccli. 32. a

Matt. 11. b

dixerit: Hæc triplex gratia Mariæ collata eſt: prima dum ipſa dixit: Et Verbum caro factum eſt: ſecunda vero quando in auditu auris obediuit ei, dicens: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Dominus meus, et Deus meus: Tertia autem ex quo Verbum Dei nouem cuſtodiuit menſibus incarnatum: vnde Samaritana dici potuit, id eſt cuſtodia etiam gratiarum tam pro concionatore quàm pro auditoribus: quas vt aſſequi liceat, ei offeramus. Aue Maria. *Ioan. 1. b* *Pſ. 84. b*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVOD magis nobis importat, eſt, vt cuſtodire ſciamus, quamuis hoc difficile ſit: namque in loco mutabili ſumus, vbi omnia prætereunt, ſocij etiam ſumus furum, inter hoſteſq. conſtituti, vbi fodiunt, et furantur. Nec etiam cor hominis manet ſecurum, alioquin non diceret Iob: Venerunt latrones & fecerunt ſibi viam per me. *Iob. 19. b* Cum hac tamen difficultate cuſtodiendi, cuſtodia neceſſaria eſt. Oportet vt quilibet depoſitum cuſtodiat, et quæ donata ſunt ei: nam ſi pro ſenio cuſtodiendum eſt, quanto plus poſt ſenium, quando veniet nox mortis in qua nemo poterit laborare, nec inuenire cibum? Sunt enim anni ſteriles tunc: et etiam virginibus fatuis negabitur oleum miſericordiæ, poſtquam dormierint ſomnum ſuum. *Quàm neceſſariū ſit parta tueri.* *Matt. 25.* Adeo denique neceſſarium eſt cuſtodire, vt nullus vmquam adultus damnatus ſit, niſi qui cuſtodire neſciuit. Nulli ſiquidem Deus dare ceſſat, quod ſi cuſtodiretur, duceret ad ſalutem: nam vt cetera eius omittam dona, ſi ab infideli ſeruaretur ſolum lumen ſignatum ſuper eum, vt a Cornelio, eum duceret ad lumen verum Chriſtum. *Act. 10. a* Eſt etiam neceſſaria cuſtoditio: quoniam etſi affluenter dat, petit tamen de omnibus rationem, etiam de verbis ac tempore, de vita, & pecunia: quæ non abſcondendo, vt putant auari, ſeruatur, ſed ſpargendo. Nam ideo comparatur ſtercori, quod melius in agris egenis quàm in arca ſeruatur: ideo enim dicitur: Diſperſit dedit pauperibus: iuſtitia eius, ſcilicet ſeruata, manet in ſæculum ſæculi. *Pſ. 111. b* Quia igitur tam neceſſaria eſt nobis cuſtoditio, felix ille de quo dicetur: *Hic erat Samaritanus*, qui interpretatur cuſtos: nā quemlibet

Diuiſio. libet poſuit Deus cuſtodem ſui. Duo in ſermone faciam iuxta Euangelium: enarrabo dona Dei: & qualiter cuſtodienda ſint, monſtrabo.

PRIMA PARS.

IN hoc Euangelio plura Dei continentur dona a quibus non præterit nec vnus apex quin ſit Dei donum: vbi aduerte quòd quamuis Dei filius in mundum plurima ſufficientia ſemel venerit, non ideo ceſſat venire, alioquin non diceret: Vado & venio ad vos. Circa hoc frequens miniſterium & præſens, occupatur Chriſtus donec omnes occurramus ei in virum perfectum ſæculo conſummato: ideo incipit Euangelium: *Dum iret Ieſus in Ieruſalem.* *Dum iret*, inquit, continuationem denotans. O anima ſi ſcires donum Dei, & horam aduentus eius, qui tam frequenter venit ad te. Feſtinus venit, lentus recedit, abiectus per peccatum: ſed ſolicitior reuertitur per gratiam. Nemo dicere ſufficiet quàm ſcrutabundus & ſolicitus explorator Ieſus ad mundum quotidie redeat: dicit enim intra ſe, dũ venit: Videamus ſi flores parturiunt, ſi floruerunt mala punica. Attende ſi flores deſideriorum peruenerint ad fructus operum iam maturiores. Sed videamus quid ſibi velit Ieruſalem, interpretatur enim viſio pacis, vbi ficta pax denotatur. Nam teſte Iob, pax mundi auolat ſicut viſio nocturna, quæ non inuenitur. Et alius propheta dicit: Pax, pax, & non erat pax. Pax in ſignis, pax in verbis: ſed non eſt pax in corde eorum, qui machinantur cogitationes peſsimas. Nihil ergo prodeſt dupla pax ſignorum & verborum, niſi ſit & cordium: vt in pace factus ſit locus Dei, qui eſt cor hominis, ad quod venit Chriſtus, qui eſt pax noſtra: & vult facere vtraque vnum, ſcilicet exterius & interius, alioquin viſibile mendacium eſſet homo figmentum malum. Nam ſi mentiri eſt contra mentem ire, qui non habet in corde quod oſtendit extra, non ſolum mendax eſt & pater mendacij, ſed ipſum mendacium; & etiam dum tacet, mentitur, quoniam aliud extra patet. Sed videre oportet qua via venit Chriſtus, de quo ſequitur: *Tranſibat per mediam Samariam, & Galileam.* Tranſitus iſte, fratres, ſpiritualis eſt, ſimiliter & loca per quæ fit. Nam Samaria interpretatur cuſtodia, & eſt memoria hominis,

Margin notes: Chriſtus ſæpe venit in mundum. Ioan. 14. b — Luc. 19. d — Cant. 7. d — Ieruſalem quid ſit. — Iob. 20. a — Ier. 8. d — Epheſ. 2. c — Mentiri quid. — Pſal. 22. — Chriſti via inquiritur.

hominis, vbi rerum ſpecies & ſimulachra viſibilium cuſtodiuntur ſemper. Galilea vero interpretatur volubilis, & eſt noſter intellectus qui raciocinans ex vno voluitur equidem ad aliud. Tunc ergo per hos tranſit Deus, quando memoriam obliuioſam excitat, & noſtrum deuoluit intellectum vt præteritam vitam dijudicet, vt ille qui Deo dixit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et alibi dicitur: Deus vitam meam annunciaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Nec mireris quòd hæc nos Deus faciat cogitare: nam cuidam animæ dixit: Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc proſtrata ſis. Si in directione cordis vitam peractam ſcructaremur, nos videremus demerſos in profundum laci. Samaria etiam interpretatur fæx eius. Mirum quidem quòd Deus habeat fæcem, ſed in Pſalmo dicitur per Dauid: Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Vinum merum eſt in cælo, & ſemper nouum, quia gaudio fruitionis non miſcebitur extraneum, nec veteraſcet, quia procul erit ab eo faſtidium. In purgatorio autem mixtum eſt, vbi etſi Deum guſtant, non deeſt calidiſsima aqua eos in pœna decoquens, ſed in inferno fæx eius eſt, quæ numquam exinanita erit, etiam ſi bibant omnes peccatores terræ damnati, qui ſunt in fæcibus Dei, quoniam ideo de cadaueribus eorum aſcendet fœtor. Vt aiunt ſapientes, fæces mundi huius ad torquendos damnatos deſcendent, & omnia, quæ hic nobis infeſta ſunt, ibi erunt, immo & quæcumque tribuerunt peccatoribus gaudium, ibi tormentum ingerunt, vbi etiam carnem proximi ſui damnatus vorare dicitur, quia ea male vſus fuerat ad complexus illicitos & tactus impudicos, vt ſic torqueatur per ea in quibus peccauit. Sed quamuis hoc ita ſe habeat, ibi fœtidior fæx erit iuſtitia punitiua Dei, ad putrefactionem pœnæ reducens omnia quæ antea delectarant: vnde non ſolum mūdi gloria, ſed cæli conuertetur eis in fel draconum, niſi nunc etiam videant Ieſum per Galileam tranſire, quæ etiam interpretatur tranſmigratio, & ſignat beatorum gloriam. Vbi alienati a ſe ſui iuris non ſunt, ſed illius quem amant, in quem tranſlati ſunt in eandem imaginem, ad quam creati

Iſa. 38.
Pſal. 55. b
Iere. 3. a
Samaria quid.
Pſ. 74. b
Calix in manu Domini triplex.
Iſa. 34. a

 fuerant,

Digitized by Google

fuerant transformati. Dum ergo nos facit morari, fæces inferni & paradiſi gloriam cogitare, per mediam Samariam, & Galileam tranſit ad nos. Quemadmodum enim antea diſcipulos præmittere ſolebat in omnem ciuitatem

Luc.10.a & locum, quo erat ipſe venturus: ſic nunc præmittit reliquias cogitationis, diem feſtum agentes ſibi: cuius feſtum

Eccls.11.b eſt ad nos vſque venire. Sed caueat ſibi vnuſquiſque ne in fæcibus remaneat: nam vbi ceciderit ibi erit, ſi autem per timorem eas cogitare contingat, veniat amor, & hanc conſiderationem deuoluat in cęlicam transmigrationem, quia

Pſ.10.a ei dicitur: Tranſmigra in montem ſicut paſſer: vt ſcilicet monte cæli contempleris qualiter abſorpti extra ſe in ipſum Deum clare viſum tranſmigrauerint beati tranſla-

2.Cor,3.b ti in requiem. Cum autem, teſte Paulo, non ſimus ſufficientes, tamquam ex nobis, bonum aliquod cogitare, perſpicuum eſt has cogitationes dona Dei cuſtodienda eſſe. Sed non immerito dictum eſt, quòd per mediam Samariam tranſiret filius Dei, non ſolum circa ſed per medium.

Deus ſolus per mediũ animæ trãſit. Solus quidem Deus illabi potens animæ per medium eius tranſit, eiuſdem tangens medullam, & intimum: nos quidem aliuſve conſiliator per ſuperficiem & circum circa tranſimus. Vox noſtra ſolum aures non animam penetrabit, cui vel non attendis aut ſuperficialiter vel

Heb.4.c parum: At ſermo Dei penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, pertingens medullas mentis, animam & ſpiritum diuidens, ſeparatq. pretioſum a vili: vnde non poteſt otio-

Pſal.23.b ſe tranſire quin feriat Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prœlio: vnde ſequitur in Euangelio: *Et cum ingrederetur quoddam caſtellum*. Potenter ingreditur Dominus aliquando, ita vt nec munitum caſtellum ei valeat reſiſtere. Tripliciter ſe habet caſtellum, vel eſt in eo coniuratio & conſpiratio in dominum ſuum: et tunc eſt contra dominum ſemper vndique munitum, vel eſt diſſipatum munitionibus deſtructis & pauci in eo viri, aut

Caſtrum triplex.

Cant.4.b quia dominus eius regnat in eo pacifice cum propugna-

Matt.21.a culis, ceteriſq. bellicis adminiculis. Primum caſtellum eſt mundus de quo dicitur: Ite in caſtellum quod contra

Luc.10.c vos eſt, & per conſequens contra me: Quia qui vos ſpernit me ſpernit. Tertium eſt cælum, aut bona Eccleſia militans,

Luc.10.d de quo alibi dicitur: Intrauit Ieſus in quoddam caſtel-

lum,

lum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Caſtellum autem diſsipatum eſt peccator, maxime dum fragilitate peccat: et vtinam non rebellis ſit peccans per malitiam. Venit ergo potens Dominus nunc vel in caſtellum Eccleſiæ, aut peccatoris, vel mundi totius, aut in mundum maiorem & minorem ſiue microcoſmum: & quoniam ad profectum Eccleſiæ pertinet aduen tus Domini ſiue in mundum maiorem ſiue minorem, aduerte quòd omnes tenemur occurrere illi: nam ideo ſequitur in Euangelio: *Occurrerunt ei decem viri leproſi*.

Ridicula videretur proceſsio leproſorum Domino venienti facta, aut lamentabilis vel odioſa obuiatio, minime quidem delectabilis eſt ſed nociua viſio lepræ: vnde talis receptio grata non videtur: ſed attende quòd nulla receptio gratior eſt quàm iſta Deo nec proceſsio ramorum. Nam quid per lepram niſi peccatum intelligimus, & quid per leproſos niſi peccatores? Chriſtus quotidie venit vt deſtruatur peccatum, ne regnet in mortali corpore noſtro, venit etiam vt vertat impios, et non ſint iam peccatores, ſed in iuſtitia et ſanctitate coram ipſo: illud ergo pro quo venit offerunt ei leproſi, et quamuis minime conſentaneum videretur exire leproſos obuiam Imperatori veſtibus diſſutis, diſcoopertis capitibus, ore veſte contecto, et ſe immundos clamantes, hoc tamen iubet ſibi præſentari Deus: nam ideo in tabernaculi principio iuſſit poni labium æneum de ſpeculis mulierum, ad innuendum quòd prima oblatio ſit de fragilitatibus noſtris, vt videamus ſi muliebria ſunt in nobis. Vbi nota quòd cum vir Dei, immo uir Deus ingreditur ad nos, ſtatim rememorantur iniquitates noſtræ, vt dixit ſunamitis Eliſeo: quia ſtatim oſtenduntur animæ peccata ſua in aduentu lucis, et hoc munere Deus gaudet, ſi ei omnia præſentamus crimina, et vult videre ornatum leproſorum, ignominioſum nobis ſed gratum ſibi, qui iuſſerat illud in lege. Ex eo enim quòd valde abominatur Deus peccata, placet ſibi eorum præſentatio, multum ſiquidem diligit eos qui ſibi offerunt inimicos ſuos ligatos, vt de ipſis iuſtitia fiat: ideo enim ſignantur in multiplici lepra, quæ eſt infirmitas deteſtabilis. Si ſcires o peccator quantum Deus deteſtatur peccata tua, intelligeres

Obuiatio leproſorum gratior prõ ceſſione ramorum.

Exo. 38.A

3.Reg.17 c & 4. Reg.4. c

Deus quantum odit peccata.

quantum gaudet, dum vere te penitet, & petis eorum perditionem: vt ea deſtruat Deus in finem. Sed ſaltim hoc peccati odium, & quam Deus habet in illud deteſtationem, ex hoc vel inueſtigar e aliquantulum ſufficies. Nil ſiquidem odit Deus eorum, quæ fecit niſi peccatum, vel ob peccatum, propter quod aſpernatur olim amiciſsimos, & numquam ſine pœna ſinet peccantem: ſed multa flagella peccatoris. Item quia propter peccatum fecit Deus deſtructionem cæli & terræ, vt patet in angelis, & hominibus, & ob hoc etiam crearuras irrationales puniuit, dum ſolem & lunam minuit a decore ſuo. Pro vno etiam peccato maiorem petit ſolutionem, quam totus mundus dare poſsit, & prius permiſit filium ſuum mori quàm ex toto aliquem reconciliari: & breuiter quàm Deus diligit ſuum honorem, tam odit peccatum, & abominatur vt fœtidiſsimam lepram; & tantum placet ſibi leproſorum obuiatio, & ſubiectio, quæ vult, vt mactet vel occidat ſemel, aut ex toto deſtruat. Benignitas tamen Saluatoris ſatis putat gemitum obuiantium, & ſe punitioni offerentium: & non dicet ſatis eſt eius iuſtitia, dum eos, qui ab eo fugerint, in æternum ardere conſpexerit. Sed nunc videre eſt qualiter in denario numero, & quilibet peccator, & totus mundus deſignetur. Dum enim & quinque corporis ſenſus & pariter quinque animæ lepra peccati ſint infecti, iuſte in tali numero etiam peccator innuitur, qui non minus in anima quàm in corpore quinque habet ſenſus interiores, nec obſtat ſi in vno ſolo peccauerit, quia etiam dicitur omnium reus: nam dum maxima infirmitas ingruerit non venit ſola, etiam ſi vno vocetur nomine: & ſic qui in vno peccauerit mortaliter, & multa bona perdet, ac mala plurima acquiret. Qui decem tranſgreditur præcepta, nec mirum ſi deſignetur in decem leproſis. Sed de toto mundo maior eſt difficultas: vt autem videas quo modo etiam in his datur intelligi totus mundus, aduerte quòd decem ſunt mundi ſtatus, aut membra, qui lepra non carent ſecundum magis & minus. Primus mundi ſtatus eſt in regibus: ſecundus in conſiliarijs eorum: tertius in ducibus bella gerentibus: quartus in præfectis vrbium ac iuſtitiæ vicem gerentibus: quintus in clericis: ſextus in monachis: ſeptimus in negotiatoribus: octauus

Pſ. 51. a *Pſ. 31. c* Denarius numerus quid deſignet. *Iac. 2. b* Mundi ſtatus decem, & qui ſint.

octauus in artificibus : nonus in agricolis : decimus in mulieribus, nullus horum caret lepra: quia ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, ſeducti ſumus. Lepra ergo regum ſignatur in lepra Oziæ regis, qui hac percuſſus eſt plaga, propterea quòd ſe intromiſit in eis, quæ ſui officij non erant, volens vti ſacerdotis miniſterio, nec monitus deſtitit, ſed minabatur ſacerdotibus, donec orta eſt lepra in fronte eius. Peccatum autem quod eſt in regum conſiliarijs ſignatur in lepra, quam Dauid imprecatus eſt ſuper domum Ioab conſiliarij ſui, qui contra regis voluntatem, effectui mancipauit conſilium ſuum, interficiens Abner in dolo, cui rex conceſſerat pacem, abſente malo conſiliario ſuo. Reges enim, vt plurimum, deſiderant pacem regnorum ſuorum, tamen hæc vetant mali. Hic aduerte quòd Ioab interpretatur voluntarius, & eſt quilibet conſiliarius, qui non ſecundum Dei voluntatem præbet conſilium, ſed ad libitum ſuum, ſicut & ille qui vt vindicaret ſanguinem Aſahel fratris ſui, peſsimum conſilium dedit regi, ægre ferens ſtabilitam pacem inter Abner & regem. Peccatum ducum ſuperborum ſignatur in Naaman duce Syriæ, qui erat vir fortis & diues, ſed leproſus. Huius diuitias, quia ex præda erant, noluit propheta recipere, nec ſanauit eum donec in deſcenſu Iordanis humiliaretur, & facta eſt caro eius vt caro pueri: nam & ducibus dictum eſt: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum. Peccatum vero iudicum ſignatur in Moyſe, cuius manus leproſa erat. Si vis leproſam iudicis manum facere, imple illam muneribus: vt ſic eam mittat in ſinum. Et tunc ne timeas eius iram. Manus enim leproſa ferire non poterit: quia ſcriptum eſt: Munus abſconditum extinguit iram: & donum in ſinum indignationem maximam. Peccatum autem clericorum ſignatur in Giezi, qui ſimoniam incœpit, quam magiſter eius admittere noluit: & ſic quamuis Petrus magiſter clericorum dixerit ſimoni volenti emere gratiam: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, iſti ſemper dicunt: Affer, affer, putantes ſibi licitum etiam ex malo acquirere ſicut Giezi, qui a duce raptore argenti talenta non dubitauit accipere, ſed etiam nolens accepit leprã, quia cũ male acquiſito peccatũ

1. Ioã.1. d — *2 Para. 26. d* — *2.Reg.3.f* — Ioab quid. — *4. Reg. 5. a* — *Ibidem e* — *Matt.18. b* — *Exo. 4. b* — Munus manum facit leproſam. — *Prou. 21. b* — *4.Reg. 5. g* — *Act.8. d*

tranſit etiam in clericum, qui fit eius particeps. Fratrũ autem ſiue monachorum peccatum in Simone quidem leproſo inuenies, qui ſe nimis iuſtum arbitrans, ægre pertulit, quòd Dominus Magdalenam ad ſuos reciperet ſub menſa pedes, vbi Chriſtus iuſtiorem oſtendit mulierem quàm phariſeum leproſum, lepra infectum arrogantiæ. Peccatum vero mercatorum dicitur lepra volatilis: vnde merito de quolibet eorum dicitur: Dilexit mouere pedes ſuos, & Domino non placuit. Et alibi ſcriptum eſt: Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt: vnde mercatorum diſcurſus peccato non caret: ideo enim dixit Deus: Lepra volatilis et vaga debet igne comburi: dũ enim plus vagantur ad emptiones, & venditiones ſuas, amplior accenditur in eis auaritiæ ignis, qui numquam dicit: Sufficit. Peccatum artificum eſt mentiri ac iurare: quod tam frequens eſt apud quoſcumque artifices, quòd figurari poſſit in lepra quæ in lapidibus domus reſidebat: nam in quouis angulo mentiuntur. Apud ethnicos non eſt tam frequens hoc malum quantum apud iſtos: qui etiam dicunt opera non poſſe vendere quin mentiantur, & iurent. Peccatum agricolarum eſt diffidentia, figuratum in quattuor leproſis, qui ne fame perirent ſe inimicis dederunt. Deus autẽ vt eos confunderet, tantam præſtitit abundantiam, vt etiam pauperes ditarentur. Peccatum denique mulierum ſignatur in Maria ſorore Aaron, quæ adeo rixæ dedita erat, vt etiam contra fratrem ſuum latratibus non parceret, & propterea percuſſa eſt lepra, & a conſortio ſeparata. Quòd ſi mulierem linguoſam, ſtatim dum latrat, eijceretis vos de domibus veſtris, vel numquam domui adeſſet, vel taceret, quæ fremens cubat, fremens ſurgit, fremens prandet, ac cœnat. Hos maledicit, illos carpit, ceteros dæmonio ex animo libenter offert.

Luca 7. f · *Ier. 14. b* · *Thre. 1. c* · *Leu. 13. g* · *Leu. 14. e* · Iuramenti obiurgatio · *4. Reg. 7. a* · *Num. 12. d*

Viſa igitur totius mundi lepra, quid ſupereſt fratres, niſi quòd mundatori filio Dei occurramus, iuxta id quod ſequitur: *Steterunt a longe, & leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Stant qui peccandi de cetero non habent voluntatem: ſtant qui mala detinent propoſita: ſtant qui incœpta crimina non perficiunt: ſtant qui peccatorum occaſiones reſcindunt. Stat qui concepit dolorem, non tamen vult parere iniquitatem. Statio tamen iſta

Stare qui dicantur.

 longe

longe eſt a Chriſto, quia non ſufficit ad ſalutem peccandi ceſſatio, ſed opus eſt remiſsionem peccatorum iam factorum quærere, opus eſt vera contritione conteri, quæ in eleuata voce notatur. Contritio enim eſt vox turturis, et columbæ gementium, quæ etiam in cælo auditur. Turturis, inquam, quia dolet anima ſe Deum perdidiſſe: et columbæ etiam dum procurat iterum ei adhærere: ideo enim ſequitur: *Ieſu præceptor miſerere noſtri*. Merito inter Ieſum, & miſerere ponitur præceptor, quia qui ſalutem cupit & miſericordiam, præcepta quidem cuſtodire debet. Sed ſuper hæc omnia neceſſaria eſt confeſsio: nam ideo ait Chriſtus: *Ite oſtendite vos ſacerdotibus*: nam peccatores, quos Deus tangit, ſtatim ad confeſsionem inclinat ſaltim in propoſito. Si autem vere a Deo tactus fuerit, vt arbitror, quadrageſimam non expectabit. *Et factum eſt dum irent*, per ſatisfactionem, quæ eſt iter ad confeſsionem *mundati ſunt*: quia ſola contritio & ſatisfactio cum propoſito ſuo tempore confitendi a peccato mundat hominē, vt citius fiat Dei habitatio. Hucuſque Dei beneficia ponuntur, qui anteuenit ſacerdotes ſuos, vt mundet nos: qui ante angelum miniſtrum ſuum venit ad virginem, de quo miniſter miratus dixit: Dominus tecum, qui miſit me iam eſt tecum: angeli ſunt ſacerdotes ſalutis miniſtri, quos aliquando præuenit Deus, vt nos citius inhabitet.

Contritio, dicitur vox turturis, & columbæ.

Luca. 1. A

SECVNDA PARS.

IN ſecūda parte breuiter videre oportet qualiter gratias agendū eſt: quia ſequitur: *Vnus autem*, & cet. vſque *gratias agens*. Hūc Samaritanū nimia ſolicitudine Deus commendat, & Lucas, ad innuendum quàm rarus eſt qui gratus exiſtat: Non eſt qui faciat bonū hoc: non eſt vſque ad vnū. Videtur enim quòd vnicuique noſtrū accipienti donū dicitur: Tolle quod tuū eſt, & vade: oculo nequam dictum eſt hoc: ſed nobis nō impenditur donū Dei tamquā noſtrū ſed tamquā ſuum: ideo Samaritanus, ideſt cuſtos, laudatur, qui de eo redditurus eſt rationē, immo de donis quæ ignoramus, quæ ſecrete nobis contulit Deus: nā ideo dicitur: Cuſtos quid de nocte? Neceſſaria ergo eſt nobis ars cuſtodiendi, quæ in hoc Euangelio ponitur, et eſt ſola gratitudo: hæc

Gratiarum actio.

Pſ. 13. A.

Mat. 20. b

Iſ. 21. 6

Digitized by Google

Gratitudo eſt via proficiendi, & ingratitudo deficiendi.

hæc eſt breuis ars proficiendi in via Dei, ſicut ingratitudo eſt via deficiendi, & vitium peſsimum: nam, vt ait Bonauentura, omnium peccatorum capitalium initium eſt ingratitudo: & Bernardus dicit, quòd ſicut iræ Dei eſt miſerere impijs, vt non diſcant facere iuſtitiam, cum implentur eorum mala vota, ita miſericordiæ eſt non dare ingrato, ne cum ingratitudine creſcat reatus: maius eſſet gratitudinem etiam tibi infundere, ſed non vult ſaluare te ſine te. Hæc autem gratitudo in facto huius boni Samaritani & cuſtodis oſtenditur: *Vt enim vidit quia mundatus eſt, regreſſus cum magna voce Deum magnificat* in ſanitate recepta. In hoc reditu ad Deum ſicut flumen in mare, & in confeſsione & laude eius, in qua anima tota procidit coram Deo, conſiſtit hæc gratitudo. Ad hanc autem requiritur quòd homo ſit vnus & indiuiſus, nec aliter ad Deum ſciet reuerti, niſi habeat id vnum neceſſarium, omnem diuiſionem a ſe expellens. Eſto ergo vnus tecum, & vnus ſpiritus cum Deo, & vnus cum proximo. Eſto & alienigena vt des gloriam Deo, ſic vere humilis eris vt Paulus qui ſe dicit abortiuum, & indignum vocari apoſtolum, & minimum apoſtolorum. Hæc eſt ratio, vt dicit Bernardus, ob quam in nouitiatu proficimus, & poſtea parum, quia nos iam domeſticos reputamus: alienigena ergo eſt humilis qui ſe indignum reputat omni dono, gratuitum eſſe non dubitans, quòd quaſi alieno & ignoto datur, dum enim credimus nos iam propinquos, & de familiaritate Dei præſumimus, credentes quòd iam Deus nobis quaſi domeſticis multa debeat, ingrati erimus & ſuperbi, nec ſalutem cuſtodimus animæ, quam in conuerſionis initio humiles accepimus: ſolus ergo humilis gratus eſt qui proficit indies, data cuſtodiens, eiq. dicitur: Surge, ſcilicet ad altiora, & vade de virtute in virtutem: Quia fides tua te ſaluum fecit: ecce tribuitur ei fides: nam dum reddimus dona ſua Deo, ipſe iterum ea multiplicata reddit nobis, vt in ludo pilæ. In hoc enim ludo hic lucramur gratiam, & in futuro gloriam; quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Ber. ſer. 42. ſuper Cant. to. 1.

Aug. ſer. 15. de verbis Apoſt. to. 10.

1. Cor. 15. b

Luc. 18. g

SER-

SERMO DOMINICÆ XIIII.

Vbi agebatur capitulum fratrum trium votorum: vbi & exponitur Euangelium Dominicæ.

THEMA.

Tria ſunt mihi difficilia. Prou. 30.

Vbi tot ſunt difficilia pro gratia enodationis, dicamus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VIRTVS, fratres mei, circa difficile verſatur, alioquin præmiũ non haberet, nec violenti raperent, quod negatur deſidibus, & pigris, tamẽ conſuetudo inducit difficultatem rei contrariæ, & eam terribiliorẽ oſtẽdit. Vnde in tribus Salomon inuenit difficultatẽ, quæ ſunt, vt videbimus, tria vota noſtræ regulæ. Nec mirũ quòd ei difficilia viderentur: nam in alijs aſſuetus erat, vxores equidem habuit plures, & tercentum concubinas: ideo caſtitas amara viſa eſt ei. Nam inter innumeras adoleſcentulas, caſtitas periclitatur. Ille conſuetudinem habuit imperandi, & numquam imperio paruit, nec iuſſus fuit in aliquo, quapropter obedientia ei difficilis viſa eſt, ideoq. iſte diſceſsit a conſilijs Dauid patris ſui. Habuit & diuitias plurimas, inter quas periclitatur paupertas: vnde rationabiliter tria noſtra vota ei difficilia viſa ſunt: quæ voluit exprimere, *in via colubri ſupra petram, & in via nauis in medio maris, & in via aquilæ in cælo.* Coluber ſupra petram veſtigium nullum relinquit, nec nauis ſignũ inter vndas relinquit, nec etiam aquila dũ volat, viã exprimit inter aera. In his ergo tribus quæ vere difficilia ſunt, voluit Spiritus ſanctus per os Salomonis oſtendere tria

Vota tria præcipua.

3. Reg. 11 a

Diuiſio. tria religioſorum vota. In prima parte exponam thema. In ſecunda alia tria. In tertia Euangelium Dominicæ.

PRIMA PARS.

MIRVM eſt ſi cogitetur, & difficile ſi opere compleatur, quòd coluber ambulet ſupra petram, nullamq. relinquat viam: nam coluber ſub lapide ſolet abſcondi, & lapis, in quo ille nullum fecit veſtigium, mundus erat, & non vt ille de quo dicitur: Lapide luteo lapidabitur piger. *Eccli. 22. a* Nam pigro qui carnalis eſt, ſolet immittere dæmon nepharias cogitationes, quibus eum lapidat, vt ei adhæreat aliqua immunditia. Coluber igitur eſt luxuria, quæ ſerpit in humano corpore, reptareq. facit voluptatem per omnia corporis membra. Hic vmbram colit: quia, vt ait Chriſtus, luxuriæ deditus odit lucem. Cum ergo naturaliter hoc peccato concipiamur, res mira eſt quòd velut negans homo quod natura dedit, accipiat virgam rigidam, & a ſe proijcit colubrum, cum quo eſt conceptus & nutritus: nam, vt notat Bernardus, etiam nolentes nutrimus luxuriam cibo, et ſomno vitæ neceſſarijs, quibus et laſciuia viuit. Sed vt eam abiiciamus, accipere oportet virgam: vt ſic fugiat ſupra petram, quæ eſt vir conſtans, coluber qui ſub lapide eſſe conſueuerat, virga quam debetis accipere, illa eſt de qua dicitur: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Ieſſe interpretatur incendium, ſcilicet charitatis, a quo egredi oportet virgam punitionis, qua coluber expellatur a nobis. Nemo namque præſumat caſtitatem ſine caſtigatione poſſe acquiri, quæ caſtigat in nobis colubrum carnalitatis, vt fugiat tam citiſsime, quòd veſtigium non relinquat. Virga igitur caſtigationis, qua coluber fugatur, adducit nobis florem munditiæ, ideoq. dictum eſt: Et flos de radice aſcendet, ſcilicet mundus ac pulcher, velut liliũ inter ſpinas, cui comparatur amica Dei inter filias eius. Inter ſpinas poteſt caſtitas ſeruari. Quamuis enim dæmon, ſenſualitas, & mundus nitantur ſtimulis carnis impedire ac turbare munditiá noſtram, adhuc poteſt ibi inter aculeos ſeruari. Nam in rubum, qui eſt anima tua, deſcendet Deus, ſi eum non inuenit combuſtum aliquo conſenſu rationis, ſed adhuc eſt

Coluber eſt luxuria.

Ioan. 3. c

Bern. ſerm. 66. in Cant. 80. 1.

Iſa. 11. a

Ieſſe dicitur incendium.

Cant. 2 a

reparatio

reparatio & ſubuentio. Nam ſpinam educere ſolet ſpina durior: vt patet in acicula quæ alias educit ſpinas. Contemplare igitur ſpinas acriores et acutiores, quibus carnem tuam emundes, educaſq. ab ea ſtimulos ſuos, vt colubrum fugare valeas, vt ſtimulo pœnitentiæ punctus diſpareat. Labores ergo pœnitentiæ ſpinæ optimæ & acutiores ſunt, quas coluber carnalitatis non valet ſuſtinere. Spina eſt diſcalceatio, ſpina eſt nuditas, ſpina eſt malus lectus, ſpina eſt diſciplina, ſpina eſt malum prandium, ſpina eſt malus potus, ſpina eſt labor cœnobij, ſpina eſt vigilia, ſpina eſt matutina ſurrectio, ſpina eſt ieiunium, ſpina eſt faſtidium chori. Si has ſpinas infigis corpori tuo, duo facere poteris. Primum eijcere colubrum carnalitatis, ſubtrahens malitiam a carne tua: aliud eſt, quia per gyrum vallabis munditiam tuam: nam vt ait quidam ſapiens: Caſtitatis poſſeſsio deſtruitur, ſi vallo pœnitentiæ non munitur. Felix ergo monachus qui exemplo Chriſti ſe ſpinis circumdat: quia inter eas fulcitur, & creſcit munditia.

Fratrũ ſpina quæ ſit.

Eſt virga, qua coluber iſte percutitur, votum noſtrum, & promiſsio religioſa. Nam ideo ſcriptum eſt: Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Spiritus oris noſtri ſunt vota quæ in feruore ſpiritus vouenda ſunt: quilibet monachus dum cælibatum vouit, promittit a ſe proijcere colubrum carnalitatis impium, quod ſi facit, dicat Deo cum Dauid: Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea: reddam in opere, quæ promiſsi ore: exhibeam extra, quæ intus decreui. Promittis ergo nunc frater, quòd eijcies a te colubrum, & eius loco munditiam adduces, ſed caueas, ne coluber in corpore tuo veſtigiũ relinquat, quia ex veſtigio fit luxuriæ nidus, vbi iuueneſcit, & renaſcitur coluber. Non relinquat ergo veſtigium nec in corpore tuo, nec in perſona tua, nec in membris, nec in ore. Non ergo inueniantur in te blanditiæ, nec mollities, quibus coluber fouetur. Et attende quòd ſicut ſerpens iſte non debet in te ſui veſtigiũ relinquere, ſic ex oppoſito caſtitas aduenieńs totum te ſignare debet, vt eam in omnibus actibus, & membris, & ſenſibus tuis oſtẽdas, quia hæc virtus extendere debet ramos ſuos quaſi terebinthus. Videbitur hæc in oculis tuis, ſi eos habes recollectos, et in ore tuo ſi clauſum eſt, et in manibus ſi eas mundas cuſtodias ob omni contactu lubrico.

Votum eſt virga.
Iſa. 11. b
Pſ. 75. c
Eccli. 24. b

lubrico. Felix ergo monachus ſi Nazaræus vocetur caſtitate floridus, munditia nitens, odore boni exempli flagrãs, vt vere dicat: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, ſcilicet corporis noſtri. Vidiſti ergo primum votum difficile, circa quod verſatur virtus mundiſsima caſtimoniæ.

2. Cor. 2. d

Obedientia religioſi eſt nauis.

Si de obendientia vultis audire, comparatur naui non cuicũque, ſed in medio mari poſitæ, vbi periculo quidẽ maiori videtur expoſita. Sed aduerte quòd religio eſt mare, nã ſicut pelagus abyſsi, religio à ſe morticinia proijcit, nec diu cadauera ſuſtinet. Vnde beato Franciſco Deus promiſit, quòd in ordine ſuo non permaneat, qui ordinem ipſum odio haberet. Talis ergo in pœnam peccati proijcitur in tenebras exteriores, extra gremium charitatis: de mari ergo religionis poteſt dici illud Pſalmi: Diuiſit mare rubrũ in diuiſiones. Rubrum eſt hoc mare, & coccinea eſt hæc religio propter vulnera ſacra beato Franciſco exhibita, qui & charitate rufus erat. Hoc ergo mare in duodecim diuiſiones ſectum eſt, qui ſunt duodecim capitula regulæ noſtræ, non parum attinentia ad duodecim nomina filiorum Iſrael, quæ Ioannes in Apocalipſi vidit: ex quolibet duodecim millia ſignatorum diſcernens. Hæ diuiſiones directiſsime ducunt ad promiſsionis terram, & ad euangelicam perfectionem. In medio maris, ſcilicet religionis, eſt nauis obedientiæ, in quam debes aſcendere duplici conſideratione: nam eſt nauis armata, & mercibus plena. Eſt ergo nauis armata, & mercibus plena: eſt ergo nauis contra dæmones armatura terribilis: quia vincuntur in ea, quoniam ſcriptum eſt: Vir obediens loquetur victorias, ſcilicet contra dæmones rebelles, qui nolẽtes obedire ceciderunt de cælo: nec etiã libens dæmon paruus paret maiori: nam propterea dicit Iob: Vbi nullus eſt ordo. Ordinis autem prima pars eſt obedientia, qua dæmones carent: quia non eſt credendũ eos vltro lucifero obedire in inferno, qui Deo noluerunt obedire in cælo. Hæc ergo nauis etiam mercibus onuſta eſt, quia in ea etiam cum angelis poteris negotiari, qui quotidie parent Deo, & ad ſe inuicem obſequuntur, dum veniunt ad Eccleſiæ negotia peragenda: nam omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis, ſcilicet religionem. Videas ergo, quòd in hoc mari inſipido

Pſ. 135. b

Apo. 7. a

Pſ. 75. b

Prou. 21. d

Iob 10. d

Heb. 1. d

ſipido

ſtipido carnis eſt nauis obedientiæ,in quam debes te transferre: Hęc nauis ducitur ad portum per ventos, ſcilicet prælatos, inſufflantes in iſtam nauiculam cum aliquid iubent,ſi venti non venerint tam ordinati vt putabas, tamq. ad libitum, caueas quòd optimum iudicium tuum huius nauis gubernator ſuppleat defectum ventorum, vti fieri ſolet in mari, vbi ſcimus bonum gubernatorem omni vento nauigare,vela diſponens,vt expedit nauigationi ſuæ. Diſponat igitur monachus vela cordis ſui, & omnis ventus proderit ei, cumq. applicare poterit ad gloriæ portum: nam etiam ſi veniat contra te ille ventus, cui dicitur: In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis: poteris *Pſ. 47. a* tu eum ad bonum tuũ dirigere, ſicut beatiſsimi reges Magi vſi ſunt nauibus Tharſis, vt reſponſo accepto ſe reducerent in regionem ſuam. *Matt. 2. b* Nam per inobedientiam a paradiſo exulamus, & niſi per obedientiam ad Deum redire non poſſumus. Et ad hunc etiam prælatus furia plenus impellit, ſicut ventus vehemens nauem. In hac naui Sancti nauigarunt, in hac naui reuerſi ſunt in portum voluntatis eorũ,in hac nauigat mater Dei,dicens: Ecce ancilla Domi- *Luc. 1. d* ni,fiat mihi ſecundum verbũ tuum. Prius ſe Domini ancillam vocat, vt detur intelligi, quòd ſimiles & non alij obediunt: nam ſerui dæmonis conuerſi ſunt in arcum prauum. In hac naui etiam Chriſtus nauigat: quapropter ſcriptum *Phil. 2. a* eſt de eo: Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus *Pſal. 77. b* Chriſtus,factus obediens vſque ad mortem &c. antequam apoſtolus diceret,quòd Chriſtus eſſet factus obediens,præmiſit: Humiliauit ſemetipſum, vt nos intelligamus,quòd nemo in hoc nauigio nauigare poterit bene, ſi prius intra ſe non humiliauerit ſemetipſum,reprimens elationẽ ſuam. Nam & beata Maria hoc modo obediuit, præmittens: Ecce ancilla Domini;antequam promeret: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nam ſic ſecurior & quietior erit nauis, alioquin tabulæ, aliaq. inſtrumenta nutare & tabeſcere videbuntur, & murmurare,maxime ſi ſeuerior ventus currat. Nec aliquis fratrum putet hanc obedientiam in minutis rebus ſolum ſeruari, ſiue in his quæ indifferenter fiunt,ſed in altiſsimis Dei etiam ſeruet eam: quoniam nec Virgo voluit Dei filium ſine obedientia accipere, nec ipſe filius Dei nos voluit ſine ea redimere, de qua dixit:

Hoc

Ioan.14. d Hoc mandatum accepi a patre meo. Vnde in rebus ſublimioribus nimium ſplendet obedientia, quæ eſt velut nauis onerata auro, et lapidibus pretioſis. Solum reſtat videre, ne nauis iſta veſtigium relinquat, quod eſt obedientia implentis murmur, et negligentia implendi quæ iuſſa ſunt, aut contentio intrinſeca, quæ corde veſtro latere diu non poteſt, quin foras appareat. Si autem contenderis cũ prælato tuo, quaſi ſi nauis nitatur contra ventum ire, operietur fluctibus obediẽtia tua, et fiet ſimilis eis de quibus dicitur: *Exod.15. a* Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, in aquis vehementibus. Lapis offenſionis & petra ſcandali eſt contu- *1.Pet.2.b* macia rebellionis, et velut ſcopulus maris, & periculum grande quo nauis frangitur. Nam illi, qui deſcenderunt in profundum quaſi lapis, rebelles fuerunt prælato filiorum Iſrael, quem cum virga auctoritatis ſuæ Deus miſerat.

Paupertas eſt aquila. Religioſi paupertas aquilæ comparatur in cælo volanti. Aquila eſt auium ductrix, & paupertas eſt ductrix virtutum, et ideo cum Saluator loqueretur de virtutibus bea- *Mat.5. a* tis, præmiſit paupertatem, dicens: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Hanc virtutem dominam ſuam dicebat beatus Franciſcus, hanc ceteris plus nobis ingerit in regula, eam ſæpe repetens: hæc eum reducebat, regebatq. tamquam eius regina, & ſe Salomoni conformans, iuxta prætactam aquilæ comparationem, dixit quoque vt vir Dei, loquens de paupertate: Hæc ſit portio *Pſ.141. b* veſtra, quæ producit in terram viuentium, altiſsime volat, quæ in terram viuentium perducit, quam ſcimus eſſe cælum. Viam aquilæ facit in cælo reuera hæc virtutũ dux: quia pauperum eſt regnum cælorum, quibus dixit rex cæ- *Mat. 5. a* lorum: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei: vbi innuit quantum volat paupertas alis aquilæ ornata. Vbi aduerte quòd propterea in altum poſſunt alæ huius auis eam tantum ſubleuare, quia plumæ alarum nimis vacuæ ſunt, & illa vacuitas calami iuuat aſcenſum: quia nul- Vacuitas bona. lo alio quàm vacuitate, dum inanis fit, ſubleuat ſe. Felix monachus qui nihil intus habet velut calamus aquilæ. Felix qui quamuis aperiatur cor eius, nil inuenietur in eo, hoc ipſe pater Franciſcus nouerat prodeſſe nobis, quando iuſsit, ne aliquis fratrum pecuniam recipiat, nec ſibi aliquam rem appropriet, et vt cor eorum eſſet

vacuum

vacuum iuſsit, quòd nec alter pro eis poſsit pecuniam accipere. Hoc ergo nihil, & iſta vacuitas eſt portio noſtra fratres mei, quæ velut vacuitas alarum aquilam, adiuuat nos aſcendere in terram viuentium, quod & ipſe ſanctus expoſuit, dicens: Pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit: vacuitas hæc nos rebus pauperes fecit, tamen virtutibus euexit ſublimiter. Nec ſolum a terra vacuitas iſta eleuat, ſed etiam de profundis aquarum: nam ſi in profundiori maris loco poneres vrceum clauſum & vacuum, ſtatim eleuaret eum ſurſum vacuitas propria. Sola namque ſufficit lagenam clauſam & vacuam erigere ſuper fluctus maris. Si ergo tantum valet in aqua vacuitas erga vas etiam ligneum aut terreum, quid valere poteſt apud homines iuſtos paupertatis vacuitas? Multum per omnem modum quidem. Hæc ſola plus, & citius, & facilius poterit nos virtutibus ſublimare, non cuiuſcumque ſed Chriſti, qui inquantum homo habet principaliorem virtutem, paupertatem ſpiritus. Caret enim etiam propria perſonalitate, ideoq. fruitur Verbo quo ſubſiſtit.

Fratrũ portio eſt vacuitas & nihil.

Exẽplum.

Chriſti paupertas cunctis melior.

Mirandum eſt nobis de patre noſtro Franciſco, qui pauperes vocat eos, qui virtutibus ſublimantur, cum veraciter iſti ſint diuites, & etiam Euangeliſta dicit, quòd ſunt beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Neſcio qualiter pauperes vocari queant, qui tam ditiſsimum poſsident regnum. Sed in his verbis datur nobis intelligi, quòd non religioſa ſed ſæcularis, nõ ſpiritualis ſed corporalis, nõ bona ſed mala paupertas eſt, quę ſolũ conſiſtit in renunciatione temporalium. Nam ſi talis (non eſt virtutibus diues) inter pannoſos & mendicos ſæculares computetur, & inter eos qui nec laborare valent, vt eſurientem animam repleant. Aut inter eos qui calceos repetiare ſolent, vt ſic victum acquirant. Ex quo ſequitur quòd paupertas religioſa non debet conſiſtere in carentia rerum temporalium, ſed temporalia proijcere hoc fine, hac intentione, vt etiam viuens in terra, diuitias cæli poſsideat, quæ ſpirituales ſunt. Hic ſane ſicut aquila erit, quæ vacuis plumis iuxta cælum volare cernitur. Vbi aduerte quòd aquila, teſte Plinio, aſcendit in cælum, vt exinde melius venationi valeat intendere: quia ex alto cælo liberius venatur quàm ex terra: vnde vt plus habeat, cælum aſcendit,

Matt. 5. A

Paupertas religioſa in quo conſiſtat.

Digitized by Google

terram deſerens: vt nos ſimiliter facientes relinquamus terrena, vt capiamus cæleſtia. Quæ quidem Deus nobis dare cupit, dum ait: Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Ecce quo modo pura indigentia non eſt ſecundum cor Dei, niſi virtutibus repleatur. Vnde Chriſtiana, ſiue religioſa paupertas iure aquilæ comparatur, quæ, teſte Plinio, perquirit, & curat in ſuo nido habere lapides pretioſos. Mirabile dictu, quòd auis iſta perquirat ea quæ excedunt naturam ſuam, & quæ non reſeruat cibum reſiduum pro altera die, ſed ſtatim eum diſtribuit ſequacibus ſuis, reſeruat lapides pretioſos, vt ſic religioſa paupertas doceatur, quòd ex penuria ſuadet pauperibus, & non ſit ei cura de craſtino, niſi de obſeruantia virtutum, quæ ſunt lapides prætioſi, quibus anima ditatur, & nidum præparat Chriſto. Item, vt ait Dioſcorides, fel aquilæ nimis prodeſt oculis infirmis, eosq. lucidos reddit: paupertas felle non caret niſi in falſis pauperibus, qui hoc fruentes nomine, vt ſcilicet credatur & vocetur pauper euangelicus, non vult vt ei deſit aliquid, nec fert ſibi aduenire penuriam: iſte cupit eſſe aquilam ſine felle. Tamen vera aquila medicinale habet fel. Paupertas euangelica ſuum fel habet, abſinthio non caret: aliquod amarum debet ſentire pauper Chriſti, cum & ipſe Chriſtus felleam amaritudinem ſenſerit in cruce. Cum autem inueneris fel paupertatis Chriſti gaude: quia oculis animæ prodeſt amaricatio illa: quoniam Propheta dicit: Vexatio dat intellectum, præſertim in Chriſti pœnoſa vita, quam veri pauperes ſentiunt bene: maxime dum guſtare geſtiunt fel paupertatis eius. Quod autem in præſentiarum debes amplius attendere eſt, quòd non relinquat veſtigium paupertas tua, & ſic merito Salomon mirabitur: nam aquila veſtigium tranſitus ſui non relinquit. Veſtigium paupertatis eſt triſtitia, murmuratio, tœdium vitæ; quia non æquanimiter patitur penuriam ſuam: veſtigium etiam eius eſt importunitas, & adulatio: hæc & ſimilia vitia reliquit poſt ſe mundi paupertas, ſed ea quæ Chriſti eſt ſimilia proijcit & non triſtatur, nec adulatur, immo cuncta vertit in melius, ſcilicet triſtitiam in gaudium ſpiritus, murmurationem in laudem Dei, propterea quòd nos ei configurat: tœdium in bonam vertit gratitudinem, quia iam elegerit ſtatum,

Exo. 23. b

Obſeruantia eſt lapis pretioſus.

Dioſc. lib. 2. cap. 70.

Matt. 27. d

Iſa. 28. e

Veſtigia paupertatis

onus graue in gratiarum actionem vertit, propter illud quod nunc recepimus, quòd ſi non meremur minus ſoluendo ſumus omnia bona gloriæ quæ expectamus: vbi pro tribus votis tres beatitudinis partes dabit in ſinum meum Deus.

SECVNDA PARS.

LEx (vt ait Apoſtolus) per angelos ordinabatur, nec ſolum lex, ſed omnia quæ ad legem pertinebant, inter quæ tria præcipua ſunt, ſcilicet eductio populi ex Ægypto, & exhibitio mannæ in deſerto, & promiſsio paſtorum ad populum. De his ait angelus rector ſynagogæ: *Tria mihi ſunt difficilia*: nam difficilius perrexit populus ſub vndis quàm vadat nauis ſuper vndas: ac difficilius paſti ſunt in deſerto per manna, quàm volet aquila in aerea ad quærendam eſcam: ac difficilius inuenitur paſtor prudens ſicut ſerpens, quàm veſtigia ſerpentis: tamen illa tria effecit angelus pro bono communi ſynagogæ. Primo aperuit eis mare, flante vento vehementi & vrenti tota nocte, donec verteretur in ſiccum: diuiſaq. eſt aqua, & ingreſsi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris habentes aquam pro muro a dextris, & a ſiniſtris. Sed ne timeret Iſrael Ægyptios ſuperuenientes, tulit ſe angelus Domini, qui præcedebat Hebræos, & priora dimittens, ſtatuit ſe inter eos, & Ægyptios, ne poſſent Ægyptij accedere prope Iſraelitas. Dum autem Hebræi tranſitum peregiſſent, vertit angelus columnam, quæ erat inter Hebræos, & Ægyptios, quæ quidem erat ex altera parte ignea, & ex altera erat tenebroſa, velut nubes denſa. Dum autem filij Iſrael tranſibant, claritas columnæ erat verſus eos: poſtea vero angelus vertit eam, vt viderent ruinam Ægyptiorum: nam reuerſæ ſunt aquæ ad Ægyptios, & operuit eos mare, ita vt nullus ex eis remaneret. Hoc eſt primum opus difficile, quod angelus fecit pro Hebræis. Alterum vero non minoris ponderis eſt cibatio, quam eis contulit: nam cum defeciſſet farinula, quam ex Ægypto attulerant Hebræi, clamauerunt pro cibo, & pluit illis manna ad manducandum minutum in ſimilitudinem pruinæ. Cumq. illi mirarentur nec ſcirent quid eſſet, inſtruxit eos Moyſes,

Gal. 3. e
Act. 7. d & e
Hebręis tria benencia collata.
Exo. 14. e
Primū beneficium.
Secundum beneficiū.
Exo. 16. c & d

atque docuit, quòd non ſecundum eorum opinionem ros de cælo deſcenderet, ſed quòd erat manna miſſum a cælo pro eorum comeſtione. Et (vt inquit Ioſephus) ipſe Moyſes prius illud guſtauit & comedit, vt ceteri adhibentes fidem ſimiliter facerent. Hic denique cibus dicitur panis angelorum, quia eorum miniſterio factus eſt, & allatus omni multitudini, quæ erat ſexcenta millia peditum ad bellum apta præter pueros ac mulieres. Tertium beneficium exhibitum Hebræis fuit bonitas paſtorum. Nec enim facile inuenitur, qui ſciat regere populum Dei: nam & ipſe Deus dum bonos quærit, ſe comparat colligenti racemos poſt vindemiam, qui raros aut nullos inuenit. Et Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: tamen omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Deus autem inter omnes elegit Moyſen & Aaron, in quorum manu poſuit ſicut oues populum ſuum. Moyſes tam bonus erat, vt non inueniretur melior illo in terra, cui adiunxit fratrem ſuum Aaron, volens tam in corpore quàm in anima prouidere populo ſuo. Tam ſanctiſsimus erat Moyſes vt Deo diceret: Aut dele me de libro, aut dimitte populo hanc noxam. Tunc erat ebrius ſpiritu. Vnde ſicut dum captus vino facit aliqua, quæ ſane menti non conueniunt, ſic Sancti dum charitatis cellam intrant, quædam dicunt & faciunt, quæ minime nobis conſentanea ſunt, nec decet. Sunt enim miranda & non imitanda, promittebat ei Deus, quòd eum faceret maioris cateruæ ducem. At ille noluit, ne dicerent Ægyptij, quòd callide eos Deus eduxerat de Ægypto, vt eos in deſerto interficeret. Ecce ergo quo modo ebrius amore Dei, ac proximi erat vates, qui & populi damnationem, & iniuriam Dei auertere nitebatur. Ecce igitur tria difficilia beneficia exhibita populo Hebræo, & ſimilia quotidie exhibet fratribus minoribus in Hebræis figuratis. Nam interpretantur tranſeuntes, & diuiduntur ab eis, qui putant ſe habere hic manentem ciuitatem: nos autem ſemper in tranſitu eſſe oportet: quoniam ex vi regulæ tenemur eſſe tamquã peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo, & tota noſtra perfectio conſiſtit in hoc, vt ſimus tranſeuntes a temporalibus ad æterna, & a viſibilibus ad inuiſibilia, a naturalibus ad

Tertiũ beneficium.

Mich.7.a

Pſ.13.a

Exo.32.g

Exo.32.c

Nu.14.c

ſupernaturalia, a creaturis ad Deum, qui ait: Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me: ſic faciebat ille, qui dixit: Quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora me extendo. Non ſolum immemor erat Paulus eorum quæ ſecutus fuerat, ſed ea totaliter relinquens, anteriora quærebat, Deum ante ſe præ oculis habens. Pater Abraam prior vocatur Hebræus, eo tempore quo fratrem ſuum Loth a quinque regibus liberare volebat, & pater noſter Frãciſcus patriarcha pauperum maxime fuit Hebræus, quando ſpiritum ſuum a quinque ſenſibus eripuit, vt liberius Deo vacaret, & totaliter eſſet Hebræus, tranſiens non ſolum ex mundo ad Deum, ſed tranſiens a ſe in Chriſtũ: vt ei eſſet in cruce confixus, dicens: Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus: maximus tranſitus fit, quando totum tranſit in totũ: ceteri ſancti velut ex parte tranſierunt in Deum ſpiritualiter tantum, ſed Franciſcus etiam corporaliter cernitur tranſlatus in Chriſtum, vt ſuos amplius moneat relinquere ſemetipſos. Sed væ habentibus ſeipſos, væ nobis fratres, qui tria beneficia, quæ retuli, non contemplamur. Nos Deus eduxit ab Ægypto mundiali, in quo nos dæmon oppreſſerat operibus duris peccatorum, indurans cor noſtrum ne timeremus Deum, ſed lateribus duritiæ internæ ac luto luxuriæ, & paleis vanitatis inſeruientes, ceruicibus minabamur, laſsis non dabatur requies: dum poſt peccata apponebamus peccare. Deus impediměta ſubmouit, mare aperuit nobis per angelum ſuum, columna ignis relucěte. Nonne angelus fuit inſpiratio cæleſtis? Nonne mare fuit amaritudo vitæ ſæcularis, & tædium vitæ præteritæ? Ignis lucens nonne fuit lumen Dei nobis immiſſum? ad intellectum miſit lumen, ad voluntatem angelicam inſpirationem, ad cor amaritudinem vitæ præteritæ, qua & malos mores noſtros, & peccandi occaſiones velut Ægyptios ſuffocauit, vt in deſerto religionis eſſemus. Vbi ſecundum confert beneficium, alimenta præbens talia, quòd nec pater aut mater, nec induſtria vlla ſimilia pararent nobis. Nã & nobili proſapia natis ſæpe deeſt vinum aut caro, nos autem quotidie ad paratam menſam ſine labore & manna venimus, quam neque nos neque parentes noſtri parauimus: nec ſolum cibi ſubſtantia eſt melior ea quam in ſæculo haberemus, ſed mirabilior & ab angelis cauſata,

Eccli. 24. c
Phil. 3. c
Gen. 14. b
Gal. 2. d
Franciſci trãſitus incomparabilis.
Primũ beneficiũ liberatio a ſæculo.
Thre. 5. a
Secundum beneficium alimenta.

quorum ſuggeſtione datur eleemoſyna. Cum manna deſcendebat pariter & ros, & cum eleemoſyna pariter adminiſtratur nobis gratia Dei. Eleemoſyna eſt etiam panis quæ de cælo deſcendit, dum datur intuitu cæleſti: tamen aduertite quòd in menſura neceſſaria, & non amplius colligebatur manna, quia eleemoſyna pro neceſsitate quærenda eſt, & non pro nimia ſaturitate. Inſuper aduerte quòd manna ſi ſeruatur, ſcaturit, quia non licet, vt quis ditetur eleemoſynis, quia ex talibus diuitijs vermes conſcientiæ creantur, immo & infernales. Væ igitur plura habentibus quàm opus ſit. Nam ſi omnis auarus non habet hereditatem in regno Chriſti, quanto minus ille, qui auarus eſt erga eleemoſynas? Difficulter intrat diues in regnum Dei, & difficillime ille, qui cum pauper teneatur, etiam abundare nititur eleemoſynis, quæ tunc rapinæ dici poſſent, immo & ſimonia: quia nomen Dei vendimus vt abundemus eis, quibus alij pauperes carent, quos aliquo modo necamus dum abundamus. Tertium beneficium religioni exhibitum eſt bonitas prælatorum: nam etſi tu vigilas contra prælatum tuum, ipſe vigilat pro te, tamquam pater in filio vult complacere in te, orat pro te, optat bonitatem tuam, corpus & animam tuam fouet: & ſane quidem quòd plus te diligit, quàm tu illum. Salutem tuam tibi monet, ac verba Dei auribus tuis ingerit, victum, & veſtitum, & doctrinam tibi quærit. Ecce igitur tria beneficia exhibita tibi, quia ſpiritualiter accepta non minus difficilia ſunt, quàm corporalia exhibita populo Hebræo: tamen ſicut & illi nos eadem ſpernere non ceſſamus. Populus Hebræorum in Ægyptum volebat reuerti, & ſic pœnituit exiſſe, quòd niſi obſtaret mare, reuerteretur. O fratres mei quot religioſi reuerterentur in Ægyptum, niſi hoc interiectum vetaret mare, quod eſt confuſio, quam timemus? Mare rubrum eſt etiam verecundia, quæ ruborem inducit, & reditum vetat. Eſt etiam verecundia rubra, ſanguinea diſciplina, ob cuius metũ ſtamus. Mare igitur obſtat: alioquin deflerent nos redeuntes, qui laudauerunt nos exeuntes. Gratias ergo Deo dicenti: Sepiam viam tuam ſpinis, ne ſcilicet reuerti valeas. Pariter etiam ſecundum beneficium ſpernimus, ſcilicet alimoniam cæleſtem, hoſtiatim nomine Dei acquiſitam, quam

Eleemoſyna pro neceſſitate quærenda.

Eph. 5. b

Tertiũ beneficiũ boni prælati.

Confuſio quid faciat in fratre.

Oſee. 2. b

velut panem benedictum deberemus comedere: primo namque homini dicitur: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Nos autem pane eleemoſynæ veſcimur in ſudore vultus Chriſti; ſibi datur, quod per eleemoſynam acquiritur: nos autem panem Chriſti comedentes, ei gratias non referimus. Tertium etiam beneficium ſpernere non ceſſamus. Quis vmquam retulit gratias, quòd ei Deus prælatum dedit? immo quamuis dicat ſcriptura: Dijs non detrahas, id eſt prælatis. Nihilominus peius quàm Hebræi contra Moyſen, non ceſſamus linguam extendere: quia vt ait Bernardus: Conſolatio ſubditorum, murmuratio prælatorum. Sed tantum fere videtur peccare, qui prælato detrahit, quantum ſi Deo: nam propterea dixit: Dijs non detrahas, vbi in ſublimitate nominis profunditas peccati notatur. Ad quod videtur facere, quod cum Dauid in adulterio peccaret, ei propheta dixit: Feciſti blaſphemare nomen Domini: vbi blaſphemiam vocauit detractionem contra prælatum. Si autem tantum puniuit Deus Mariam ob leuem detractionem circa prælatum fratrem ſuum prolatam ſimpliciter, vt eam iam lepra deuoraſſet, niſi prælatus ille oraſſet pro ea, quanto durius putatis, quòd puniet Deus inueteratas ac liuore plenas detractiones noſtras? Si ergo tenemur cuiuſcumque proximi peccatum celare, quanto ſecretius deberemus tegere verecunda patris noſtri? Maledictus fuit Cham, propterea quòd dum pater vino captus erat, nunciauit fratribus ſuis foras: boni autem filij tunc ea non viderunt, ſed poſtea patri dixerunt, qualiter negotium actum eſſet. Vbi nos inſtruimur, quòd abſente ira tamquam patri debemus prælato nunciare defectus ſuos, eosq. tegere: nam propter nos fouendos ſæpe tranſgreditur, alioquin ſi ſolus eſſet, paucioribus indigeret: tamen cum vltra condignum ſolicitus ſit pro nobis, labitur in piacula, quæ ſæpe non committeret, ſi nos bene patientes cognoſceret. Memores igitur eſtote fratres ea, quæ diximus cauere, nec ſit vobis difficile tribus quæ diximus, gratias habere, vt poſtea gloriam capiatis ęternam, quam mihi & vobis prętet Ieſus, dum ab hoc mundo egredientes, panem fruitionis edentes, ſub manu prælati omnipotentis viuamus in æternum. Amen.

Gen. 3. d *Exo. 22. d* *Exo. 16. a* *Exo. 22. d* *2. Reg. 12 d* Murmuratio in prælatos eſt mala. *Nu. 12. b d* *Gen. 9. d* Prælati defectus, ipſis ſunt cũ charitate manifeſtandi.

TERTIA PARS

Vbi habetur expoſitio Euangelij Dominicæ.

THEMA.

Nemo poteſt duobus ſeruire. Matth. 6.

SED quia vobis promiſi expoſitionem Euangelij Dominicæ: aduertite quòd Euágelium præſentis Dominicæ plus confert ſtatui religioſorum quàm detrahat om̄ni hæreticorum cateruæ. Exierunt quidem ex nobis, qui non erant ex nobis, ſed ex mundo, quem religioni adduxerant, & ſecundum ritum mundi apud nos viuentes, promoueri cupiebant & abundare, donec proiecti ſunt a cœtu noſtro, qui non patitur ſimiles peſtes: vnde incipit Euangelium: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*. Alter dominus, cui vir bonus non poteſt licite ſeruire, eſt mammona, & interpretatur cupiditas. Hæc dominatur in mundo: vbi, teſte Ioanne, regnat concupiſcentia carnis, & & concupiſcentia oculorum, & ſuperba vitæ. Nemo poteſt bene Chriſto ſeruire, quoniam Chriſto his oppoſita conſulit, eſtq. cupidini contrarius per conſilium caſtitatis contra concupiſcentiam carnis, & per conſilium paupertatis contra concupiſcentiam oculorum, & per conſilium humilitatis contra ſuperbiam vitæ. Cum ergo ſuper his tribus bona fundetur religio, nemo ei ex cupiditate poterit deſeruire. Quia ſi amat cupiditatem odio habet religionem vt lutherus: ſi autem religionem bonam ſuſtinere voluerit, contemnet cupiditatem: in contentu enim cupiditatis eſt tota religionis vis: vnde ſequitur in Euangelio: *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ:* quia ſcilicet contraria iubent. Vt autem Deo & votis eius iam dictis, ſcilicet paupertati, & caſtitati, & humilitati Chriſti ſeruiamus, immediate ſequitur: *Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini*. De alimentis & teguḿetis loquitur hic Dominus, quibus iubet, ne ſoliciti ſimus. Væ autem eis qui argentum theſaurizant,

1. Io. 2. c

Religio eſt oppoſita mundo.

1. Io. 2. c

Frater contēnere debet cupiditatem.

gant, & eis qui abſcondunt frumenta, & eis qui mollibus veſtiuntur, quia non ſolum ſoliciti ſunt, ſed vt plurimum raptores. Proprie igitur conuenit religioſis omnem ſolicitudinem ſuam in eum proijcere, qui ad religionem vocauit eos, vbi talis ſeruatur modus, quòd ſciens pater noſter prælatus, quòd his omnibus indigemus, procurat ea nobis, vt nos ipſi quietius poſsimus Domino reddere famulatum. Nec inconuenit, quòd aliquod deſtituet ad eleemoſynam acquirendam: quoniam aues cæli, quamuis non ſerunt, neque metunt, diſcurrunt tamen volantes, vt poſsint viuere. Sed quoniam qui maiora dedit, minora conſequenter & annexa donabit, ſequitur in Euangelio: *Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?* Anima, id eſt, vita noſtra, permanere non poteſt ſine eſca, nec ipſum corpus ſine indumento, Deus qui nobis animam, id eſt, voluntatem veniendi ad religionem contulit, qui & corpus aptum præſtitit, conſequenter porriget omnia eis neceſſaria. Vt autem Chriſtus defendat nos ab hæreticis, qui velut otio torpentes carpunt nos, optime ſubiunxit, dicens: *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter paſcit illa.* Optime licet, etiam cum merito, vt agricolæ Chriſtiani ſeminent, metant, & congregent, Chriſtus tamẽ volens pro nobis ſatisfacere noſtris ęmulis: improperant enim nobis, quòd non laboramus manibus noſtris, & verum eſt, quia ſequimur conſilium dicentis: *Reſpicite volatilia cæli, &c.* Et quia Chriſtus Dominus æſtimat æquo pondere omnia, ſubiunxit: *Nonne vos magis pluris eſtis illis?* id eſt maioris pretij. Sicut ergo Ioſeph diſpoſuit fratres iuxta primogenita ſua & ætatem ſuam: ſic Dominus ponderator ſpirituum, id eſt, meritorũ, ſingulis, prout decet, ſatisfacit: Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & de omnibus cura eſt illi, qui etiam ſecrete maiora præſtat: nam ideo addidit: *Quis autẽ veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Ecce quo modo nobis præſtat incrementũ Deus, ideoq. iuxta incrementum præſtabit alimentum. Status mundi quotidie decreſcunt, regna minuuntur, & genus nobilium minoratur; tamen religio quotidie creſcit, quamuis nouos quotidie patiatur ſubuerſores, quos aliquãdo habet intra ſe, tamen Deus

Prælatus parat alijs vt pater.

Deus ſicut dedit corpus ita præſtat alia neceſſaria.

Fratres quare non laborent.

Sap. 6. b

Deus adijcit plures cubitus ad ſtaturam ſuam, id eſt ſanctitatem conferentes, & honorem. Nolo nunc recenſere ſubuerſores religionum, nec eos quos ei Deus addidit cubitus, id eſt ſanctos ac doctos viros.

Caſtitas religioſi qua ſit.

Vidimus ergo quo modo eſt nobis paupertas: de caſtitate autem ſequitur: *Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis?* Veſtes effeminatorum ſunt blanditiæ, ſicut veſtis luxurioſi eſt lutum, cui totus immergitur, vt ſus inuoluta volutabro luti. Vt autem non mollitie veſtiamur, ſed caſtitate, ſequitur: *Conſiderate lilia agri, quo modo creſcunt.* Munditia liliorum vult nos abūdare Dominus Ieſus, velut illa amica ſua, de qua in Canticis dixit: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. O ergo viri religioſi cōſiderate lilia agri, quo modo creſcunt inter ſpinas: quia inter ſpinas & aſperitates proficit caſtitas. Vt autem Dominus oſtenderet quo modo quietius viuitur in cælibatu quàm in matrimonio, addidit: *Non laborant, neque nent.* Vt notat Chryſoſtomus, non laborant dixit propter viros, neque nent propter mulieres. Eſtne paucus labor inſiſtere quo modo placeat vxori? nam hunc laborem conſiderantes diſcipuli, dixerunt Chriſto: Si ita eſt cauſa hominis cū vxore, non expedit nubere. Chriſtus autem confirmans eorum ſententiam ſubiunxit: Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, quaſi dicat hoc eſt minor labor. Vt ergo Chriſtus gloriam cælibatus oſtenderet in præſenti Euangelio, addidit: *Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnū ex iſtis.* Gloria Salomonis præcipue vigebat in vxoribus, quibus ita circumamictus erat, vt iam ſub eis non videretur Salomon ſed fatuus, quoniam ab eis dementatus eſt.

2. Pet. 2. d — *Cant. 2. a* — *Chryſoſt. in opere impſ. Mat. cap. 6. hom. 16. infra mediū. to. 2.* — *1 Cor. 7. f* — *Matt. 19. b*

De obedientia poteſt quoque intelligi quod in Euangelio ſequitur: *Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?* In ſacra pagina ſæculi potentia vocatur fœnum, quoniam Sapiens dixit: Apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Virent libertates mundi parum temporis ſicut fœnum: quoniam alibi dicitur: Omnis potentatus vita breuis: tamen adueniente morte non ſolum fœnū agri, id eſt conuiuis libertas mundi, ſed etiam fœnum de mōtibus, id eſt libertas nobilium, colligetur

Prou. 27. d — *Eccli. 10. b*

colligetur: quia, vt inquit Euangelium, *hodie eſt*, id eſt in ſæculo iſto, *cras autem*, id eſt in alio ſæculo, *mittetur in clibanum* ſubiectionis. Si ergo fœnum agri, id eſt libertas mundi ſic viget, Deus q. fauet ei, quanto amplius fauebit libertati ſpiritus? Veſtit, id eſt protegit Deus libertatem nobilium virorum, vt poſsit diſcurrere etiam manu armata per mundum: libertas autẽ ſpiritus magis a Chriſto protegitur, quæ non in diſcurrendo, nec litigando conſiſtit, ſed in omni abdicatione poſsibili corporalium rerũ, quæ animam impediunt, & a cæleſtibus ſubducunt, & ineptum reddunt. Spiritualis ergo libertas eſt in ſequẽtibus Euangelij præſentis verbis, vbi Chriſtus ait: *Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*. Manducatio tuetur auaritiã, quia prætextu eius omnes congregant, etiam aliquando non ſua: vnde propterea Sapiens dixit: Quòd omnis labor hominis eſt in ore eius. Nam laborat, & totum lucrum ori ſuo applicat. Qui autem de eleemoſynis viuit non eſt ſibi ſolicitus, vt orationibus vacet, ac Dei laudi. Nec ſecundo ſoliciti ſitis, dicentes: *Quid bibemus*: vbi nota quòd Sapiens licitam voluptatem vocat aquam, dicens: Bibe aquã de ciſterna tua, &c. id eſt, ſecundum Chryſoſtomum, ſume voluptatem de vxore tua: quamuis aquæ furtiuæ, id eſt adulterinæ voluptates, dulciores ſint. De his aquis, fratres mei, nihil ſoliciti ſitis, vt ille qui ſolicitus eſt quo modo placeat vxori, quoniam cælibatum agens liber eſt ab his ſolicitudinibus. De tertia quoque dixit, non dicatis: *Quo operiemur?* honor cõparatur veſtibus: quia eis honeſtiores apparemus. Renunciet ergo frater minor omnem auaritiam, & omnem voluptatem, & omnem honorem ſæculi: quoniam cauſa ſequitur in Euangelio: *Hæc enim omnia gentes inquirunt*. O quanta ſolicitudine torquentur diuites, o quanta diſtractione opprimuntur coniuges, o quanto prœlio ſuccumbunt viri honorati. Sola horum libertas, & horum ſilentium eſt præmium accidẽtale bonorum religioſorum, qui relictis omnibus Dominum ſequuntur, nec habent tueri pecuniã, aut inſeruire vxori, nec defendere honorem. Sed forte dicetis vos mihi thema meum, ſcilicet: *Tria ſunt mihi difficilia*, quæ dixiſti: nam cũ dæmon rebus ipſis hominem non impugnat, earum imaginibus,

Libertas ſpiritus in quo conſiſtat.

Eccls.6.e

Aqua voluptas eſt.

Prou.5.c

Prou.8.d

1.Cor.7.f

Franciſci vxor quæ fuerit. nibus, & metu eum turbat: quoniam & etiam de B. Franciſco dicitur, quòd aliquando ſubijt animum eius, vt vxorem duceret, & ipſe vxorem, filios, & filias ex niue condidjt, & ibi cum vxore ſua nudus iacuit. Fateor equidẽ impoſsibile quin his tribus tangamur, quia nobis naturalia ſunt: tamen hæc humana tentatio prouentum habet, præmium, & victoriam ingerit bonis religioſis occaſionaliter, quoniam propterea ſubiungitur in Euangelio præſenti: *Scit enim pater veſter, quòd his omnibus indigetis*, ſcilicet ad meritum augendum. Sicut aurum indiget probatione, & Roma indiguit Carthaginenſibus, & Ieruſalem Amorrhæis, quos dimiſit Dominus, vt in his erudiret Iſrael: ſic religio indiget ad ſuam probationem motibus prauis, vt probetur & coronetur. Sed nouus miles dicet: Quis poterit tot annis præualere contra innatos appetitus? nam cito relinquuntur omnia, ſed non cito traduntur obliuioni, non cito euelluntur a corde. Audi frater: nam ſi eo citius interius vitia vinceres, quo ea foris derelinquis, grande quidem ſuperbiæ damnum veniret tibi, plus obeſſet quàm prodeſſet religio illa: quod timebat ille, qui cum ſuos gloriantes videret, ex eo quòd etiam dæmonia ſubijcerentur eis, illico ſuccurrens peſti, dixit: Videbam ſathanam tamquam fulgur de cælo, ſcilicet ſanctitatis, cadentem: quia ſcilicet ſuperbiuit, elatus propria virtute. De ſuccurſu autem non dubites: quoniã propterea Chriſtus concluſit: *Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, id eſt ſubijciẽtur. Quilibet ergo qui in religione ſua ſtatuerit apud ſe non aliud primitus quærere quàm regnum Dei, propter quod omnia terrena dimittens, adnititur quærere iuſtitiã eius, quæ repente non acquiritur, quoniam propterea ſunt beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, ita vt omnem ſolicitudinem, quam adhiberes, ſi diues eſſes, & vxoratus, & potens, totum illum conatum in acquirendam iuſtitiam regni conuertas, quoniam propheta dixit: Conuertimini qui in profundum receſſeratis. Et Paulus ait: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire &c. Dum hæc feceris *omnia adijcientur*, id eſt ſubijcientur tibi: nunc per gratiam, & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Tẽtationis vtilitas.

Luc. 10. c

Matt. 5. a

Iſa. 31. d

Rom. 6. d

SERMO

SERMO DOMINICÆ XV. POST PENTHECOSTEN:

Vbi & accidit funus.

THEMA:

Ecce defunctus efferebatur. *Luce 7.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

SEDVLAE mulieris officium eſt pietatem præſtare defunctis, funera cõponere, ſudaria ligare, & præparare vnguenta, ſi vngendum eſt cadauer: vnde hoc ſanctis mulieribus aſcribitur in Euangelio, vbi de Dominico funere fit mẽtio in ſepelitione Chriſti. Et quo amplius mulier affinis & coniuncta eſt defuncto, tanto plus hoc ei conuenire videtur: vnde quærendum eſt a Maria matre Ieſu, cur poſtquã depoſitum erat corpus filij, non exercuit erga eum funerale beneficium? Sed fortaſſe poterit reſpondere, quòd quemadmodum ei defuit aqua filio ſitienti, ſic defuit vel ſimplex funus: & ideo Ioſeph nobilis, mercatus eſt ſindonem qua Chriſtum inuoluit, hoc permittente Maria, quãuis ſuum eſſet officiũ. Sed quid tunc illa beata anima Virginis cogitabat? quid Maria diceret niſi iſtud? Quando ego fili Dei te cõcepi, ſindonem & funus mortalitatis feci tibi, ex tela cordis mei te indui, filis meorũ viſcerum confecta: te vnxi deuotionis meæ vnguento, tunc femina circumdedit virũ, qui funere mortalitatis amictus eſt. Veluti Lazarus de monumento, exijt Chriſtus de vtero matris: ſed in morte iudæis dicitur: Soluite templũ hoc, quemadmodum dictum eſt Apoſtolis de Lazaro: Soluite eum, & ſinite abire. Quia igitur mors noſtra dicitur ab Apoſtolo depoſitio

Mar. 16. a *Luc. 24. a*

Maria cur nõ parauit Chriſto funerale beneficium.

Ier. 31. d

Ioan. 2. d *Ioã. 11. f* *2. Pet. 1. e*

depoſitio tabernaculi, iuſte mors Chriſti depoſitio funeris dici valet: vbi exuitur ſindone mortalitatis abiturus ad patrem, vt nos gratia ſua veſtiret: quæ quia meritis illius, quæ illum induit, obtinetur, ſcilicet Mariæ, ei genibus flexis offeramus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Quid ſignent tres mortui per Chriſtum ſuſcitati.

PERSPICVVM eſt vobis, fratres, quòd tres Dominus noſter mortuos ſuſcitauit, filiam principis ſynagogæ in domo coram patre & matre eius, iuuenem ad portam ciuitatis eductum, & Lazarum ex monumento fœtidum. Hos tria nouimus ſignare peccata, quæ ſunt præcipua in mundo, videlicet ſuperbiam per nobilem Lazarum, luxuriam per iuuenem in feretro reſidentem, auaritiam per puellam cui tibicinæ canebant. Alij dicunt quòd in puella ſignatur peccatum cordis, quòd eſt intus in domo noſtra: in iuuene peccatum oris, quod eſt in portis noſtris: in Lazaro peccatū operis, quod eſt in ſepulchro extra nos ſepultum in re ad extra. Et iuxta hoc ait Bonauentura in quodam hymno:

Auguſt. de verbis Dom. ſer. 44. to. 10

Pater Franciſce viſita domum, portam, & tumulum, &c.

Alij dicunt quòd in his tribus mortuis ſignantur tres Eccleſiæ ſtatus, videlicet religioſorum in puella, clericorum in Lazaro, ſæcularium in iuuene: quos Dominus ſolus ad vitam gratiæ poterit ſuſcitare. Sed nunc in ſermone hoc, de quolibet noſtrum videndum eſt, qualiter mortuus eſt, & ſuſcitari poterit per miſericordiam Dei.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

MEDICVS multum peritus quando ſolus ſcit aliquam infirmitatē grauiſsimam ſanare in plurimum habetur, & quæritur vndecumque, etiam mercede promiſſa: Dominus autem cum ſolus ſciat a morte peccati liberare, ſeipſum offert cum mercede alacer, iuxta illud: Dignos ſeipſa circuit quærens, & in vijs ſuis oſtendit ſe illis hilariter: & in omni prouidentia occurrit illis. O fratres, qui propter mortuum eſtis triſtes, ſuper vos ipſos flete: ſi aliquo peccato mortui eſtis, ne deſperetis, quia de

Gratia præueniens.

Sap. 6. c

de Chriſto ſuſcitante incipit Euangelium hodiernum: *Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim*. Qui prior dilexit nos, non vocatus ibat: immo obuiat nobis quaſi mater honorificata in omni prouidentia. Nemo igitur fratres deſit gratiæ Dei, ſed eam videat quotidie venientem ad ſe nec ſolam, quia ideo ſequitur: *Et ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa*. Qui diſcipulos defert, docere nos vult vt crucem noſtram accipiamus, infirmitatem, pœnitentiam, vel tribulationem illatam gratanter acceptantes, vt poſsimus ſui eſſe diſcipuli. Turba copioſa eius charitas eſt: Quia fortis eſt vt mors dilectio Chriſti, qui ex amore mortuus eſt pro nobis, vt nos viuamus. Diſcipuli, id eſt angeli, & turba copioſa, & bene ordinata charitas eius eum impellunt, vt veniat ad ciuitatem ſuam Naim, id eſt animam peccatoris: nam interpretatur fluctuans, & peccatum animam facit fluctuantem & inſtabilem: vnde dicitur: Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Hæc ciuitas animæ, quæ de Ieruſalem propter peccatum facta eſt Naim a quattuor angulis fluctuat, vt tota corruat. Primo fluctuat peccator in propoſito: Quia vult & non vult piger: ſimilis arundini quolibet vento agitatæ: vnde Iſaias ait: Commotum eſt cor populi huius, ſicut mouentur ligna a facie venti. Similis etiã fluctui maris: Quia cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere nõ poteſt. Fluctuat ſecundo in opere: quia, teſte Salomone: Impius facit opus inſtabile, quia telas araneæ texuerunt: vnde ait Dominus: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Tertio fluctuat in ſtatu, quia modo triſtis, modo lætus: & numquam in eodem ſtatu permanet: quoniam ſtultus vt luna mutatur. Exemplum eſt in Aman, quem cum regina Eſther vocaſſet ad conuiuium, lætus rediens ad domum ſuam, ſtatim fit triſtis, quia non aſſurrexit ei Mardochæus. Quarto etiam in loco fluctuat, quia ſæpe tranſit de loco ad locum: vnde ait Propheta: Populus iſte dilexit mouere pedes ſuos: & Domino non placuit. Immo deterius ſe habet, ſicut infirmus mutans latum. Et de peccatrice dicitur, quòd eſt garrula, vaga quietis, impatiens, non valens in domo cõſiſtere pedibus ſuis: nunc intus, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Scit circumcurſare domos alienas.

Heb.12.d *Cant.8.b* *1.Theſſ.5.b* Naim qd. *Thre.1.c* Animæ fluctuatio quadruplex. *Pro.13.a* *Iſa.7.a* *Iſa.57.d* *Pro.11.c* *Luc.14.f* *Eccli.27.b* *Eſth.5.c* *Ier.14.b* *Prou.7.g*

alienas. Ad animam ſic fluctuantem, motus charitate ve-
nit Chriſtus cum ſuis, vt ei infirmitatem præbeat, quia
Heb.13.b vt ait Paulus: Optimum eſt gratia ſtabilire cor. Et iſtas
confert ei firmitates: primo in propoſito, quando confir-
Pſ.32.b mat habitas cogitationes varias: quia congregans ſicut in
Gen.1.a vtre aquas maris, ait: Congregentur aquæ quæ ſub cælo
ſunt in locum vnum, & appareat arida, id eſt cogitationes
Luc.10.g fluxibiles ad vnum confluant propoſitum: Quia vnum eſt
neceſſarium: & appareat anima ſolida. Secundo firmat in
1.Cor.15 opere, dicés illud Pauli: Itaque fratres mei ſtabiles eſto-
g te, & immobiles in omni opere Domini, ſemper ſcientes
quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Tertio fir-
1.Reg.1.c mat in ſtatu: quia de Anna viſitata dicitur, quòd poſt ora-
tionem, vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati,
& vir iuſtus in ſapientia permanet vt ſol. Quarto firmat
Eccli.11. in loco, dicens: Confide, & mane in loco tuo. Et: Si ſpi-
c ritus poteſtatem habentis, ſcilicet Dei, aſcenderit ſu-
Eccls.10. per te, locum tuum ne dimiſeris.

a Vidimus qualis venit Chriſtus, quia miſericors in
oblatione ſui: & ad quem venit, quia ad fluctuantem pec-
catorem, qui a quattuor fluctibus velut a quattuor porti-
toribus agitatur, quos Ieſus ſedare poteſt. Nunc videa-
mus qualis eſt peccator, de quo ſequitur: *Et cum appro-
pinquaret porta ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius
vnicus matris ſuæ.* Nunc de ſpirituali morte aduerte,
quòd ſicut ligna nutriunt ignem, ſic bona opera nutriunt
Gen.30.a Chriſtũ in anima: vnde ait Rachel ad maritum: Da mihi
liberos alioquin moriar. Quia gratia ſine filijs, id eſt bo-
nis operibus, moritur, quæ ſaluatur per filiorum genera-
tionem. Moritur in homine Chriſtus per peccatum, quia
Peccatum gratia eius recedente moritur homo Deo: peccatum ſi-
mors eſt. quidem mors eſt, etiam ſi per ſingula perſcruteris: nam
Iob 18.c de ſuperbia dicitur: Conſumat brachia eius primogeni-
Iob 5.a ta mors: quòd mors ſit inuidia, patet: Quia paruulum
1.Ioã.3.c occidit inuidia: quòd odium, patet: Quia qui non diligit
Eccli.38. manet in morte: quòd mors ſit accidia, patet, quia di-
b citur: A triſtitia feſtinat mors: quòd auaritia, patet, quia
Deut.4.c ſcriptum eſt: Ecce morior in hac humo. Moritur quidem
1.Tim.5. in humo, qui ſepultus eſt in amore diuitiarum: quod gula
a & luxuria ſint animæ mors, patet: Quia vidua in delicijs

viuens

viuens mortua eſt. In delicijs, ſcilicet gulæ & luxuriæ. O peccator ſi ſcires quo modo imaginem habes quòd viuas, & mortuus es. Tamen ſicut mors corporalis paulatim procedit, ſic ſpiritualis: primo quidem infirmatur peccator in ſuggeſtione immiſſa: vnde Dauid: Infirmatus ſum, & non fuit qui adiuuaret. Et alibi: Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Sicut infirmitas debilem facit virtutem corporis: ſic ſuggeſtio vim animæ. Vnde erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Secundo languet in delectatione, ſicut languens Lazarus in Bethania, quando aliqualiter obedit peccato: quia Bethania dicitur domus obedientiæ. Tertio moritur in conſenſu: Quia peccatum cum conſummatum fuerit, & decretum generat mortem. Et: Anima quæ peccauerit ipſa morietur, quamuis ſit immortalis. Quarto extra domum effertur per operis executionem: vnde ait Propheta: Portæ fluuiorum, id eſt ſenſuum, apertæ ſunt, & templum, ſcilicet animæ, ad ſolum dirútum, & miles, ſcilicet ſpiritus noſter, captiuus adductus eſt. Quinto ſepelietur per conſuetudinem: vnde Ieremias ait: In ſepultura aſini ſepelietur, ſcilicet in conſuetudine laſciuiæ, ſicut equus, & mulus effrenis. Sexto lapis ſuperponitur in obſtinatione, iuxta id: Lapſa eſt in lacu vita mea: poſuerunt lapidem ſuper me. Et Ioannes ait: Erat ibi ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus. Spelunca eſt cæcitas peccatoris: Quia turbatus eſt a furore oculus eius. Et lapis duritia in excuſatione peccati. Septimo putreſit per infamiam: vnde Sapiens ait: Memoria iuſti cum laudibus: vita autem impiorum putreſcet. Octauo fœtet dum ſuo malo exemplo alios prouocat: Quia putruerunt iumenta in ſtercore ſuo, vbi duplex fœtor notatur, ſcilicet in ſe, quia putruerunt, in ſtercore, etiam quo ad alios. Veni Domine Ieſu occurre iam in omni prouidentia tanto malo, appropinqua portæ ciuitatis, obuia principio mali operis, obſiſte portæ etiam rationis noſtræ: cum in pueritia incipit puer reprobare malum, & eligere bonum, quia tunc mundum intrat, vel nunc quando peccare incipit cohibe: refrena peccatorem, vt dicere valeat: Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos. De te Domine ſcriptum eſt: Concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua

Apo. 3. a — *Pſ. 106. b* — *Pſ. 30. c* — Proceſſus peccati. — *Ioan. 4. f* — *Ioã. 11. a* — *Iac. 1. d* — *Eze. 18. a* — *Naum 2. b* — *Ier. 22. c* — *Thre. 3. f* — *Ioã. 11. e* — *Pſal. 6. b* — *Pro. 10. b* — *Ioel 1. d* — Ieſu occurſus. — *Pſ. 118. b* — *Iob 38. a*

procedens, id eſt ab ipſo conſenſu interiori: vbi Chriſtus ſtimulare non ceſſat peccatorem. Præſens autem peccator notatur primo a cõſenſu interiori, cum dicitur *defunctus*: ſecundo ab opere exteriori, dum *efferebatur*: tertio a complacentia peccati, quia *filius vnicus matris ſua*, inter quos maximus eſt amor, ſicut inter peccatorē & peccatum: immo & maior, ideo ſequitur: *Et hac vidua erat*. Talis amplius amat vnicum quàm vxorata. Sed aduerte quòd peccator mulier efficitur: ex homine fit mulier & vidua: vnde vt ait Auguſtinus in libro de Trinitate exponens illud Apoſtoli: Caput mulieris vir: Mulier eſt inferior pars rationis, vir ſuperior, quæ inferiorem debet cohibere & regere: & quando hoc non facit, moritur vir, & peccator efficitur mulier vidua, de qua dicitur: Quo modo facta eſt vidua domina gentium, id eſt pars inferior rationis, quæ debet motibus dominari: & princeps prouinciarum, id eſt ratio ſuperior, facta eſt ſub tributo, & ſeruitute peccati?

Eph.5.e

Thre.1.a

Nunc de remedio huius ſpiritualis mortis, veniendum eſt ad vitam gratiæ, de qua ſequitur: *Acceſſit Ieſus, & tetigit loculum: & hi, qui portabant, ſteterunt*. Nec ceſſamus a malis, nec aggredimur bona niſi per gratiam Dei, ideo vt hic detineatur, tangit Chriſtus feretrum, & vt piſcina moueatur ad ſanitatē deſcendit angelus ſuper eam, ſignans deſcenſum Dei ad animam, vt promoueatur ad bonum. Nunc autem tria facit Chriſtus: primum eſt excitatio voluntatis per gratiam præuenientem, quia *acceſſit*. Secundum eſt incuſſio timoris, quia *tetigit loculum*. Tertium eſt ceſſatio ab actu & operatione peccati: quoniam *hi, qui portabant, ſteterunt*. De primo ait Dauid: Miſericordia eius, ſcilicet excitans voluntatem, præueniet me: quia ipſe dixit: Reuertar ad Ieruſalem in miſericordijs. De ſecundo, aduerte quòd loculus peccati eſt cõſcientia peccatoris, in qua portat peccatum ſuum, qui ſtratus alibi dicitur lacrymis rigandus. Hunc primo tangit Deus per incuſſionem timoris, iuxta illud: Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen. Et hoc eſt quando immittit timorem ex conſideratione defectus. Tot habes foramina quot peccata. Et venter meus, id eſt conſcientia, intremuit ad tactum eius. Secundo illum tangit per

Chriſtus tria facit in excitatione adoleſcentis.

Pſ.58.b

Zach.1.d

Pſal.6.b

Cant.5.b

per compunctionis infuſionem. Tange montes, id eſt induratas mentes, & fumigabunt. Tertio per immiſsionem tribulationis in perſona & rebus, iuxta illud: Tange cuncta quæ poſsidet, os eius & carnem, &c. Nam multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt. Dum ergo tangit Deus conſcientiam, ſtant portitores, qui ſunt occaſiones peccati, videlicet locus ſuſpectus, incautus aſpectus, ſolitudo, & ſimulata honeſtas. Hæc quattuor notantur in Daniele, vbi dicitur de presbyteris induratis, quòd frequentabant domum Ioakim, vbi notatur locus ſuſpectus, quia ibi erat mulier pulchra nimis: de qua Sapiens ait: Viæ inferni domus eius, penetrantes ad interiora mortis: fili acquieſce verbis meis, longe fac vias tuas ab ea. Et in Geneſi dicitur: Ne ſtes in omni circa regioné. De ſecundo portitore dicitur ibidem: Et obſeruabant quotidie ſolicitius videre eam, in quo taxatur incautus aſpectus, cum econtra dicatur: Auerte oculos a muliere compta; virginem ne reſpicias in decore ſuo. Non es fortior Dauid, qui videns mulierem ex aduerſo lauantem ſe, adulterauit. De tertio portitore peccati, qui eſt ſolitudo, ſequitur ibidem: Statuerunt tempus in quo eam poſſent inuenire ſolam. Et exinde dixerunt: Ecce oſtia pomerij clauſa ſunt, nemo videt nos. Simile eſt in Geneſi, vbi nec domina ſua Ioſeph aggrederetur, niſi eum ſolum inueniſſet, nec diceret ei: Dormi mecum. Hinc eſt quòd dicitur in communi prouerbio, quòd opportunitas facit furem: & camera vacua ſtultam dominam. De vltimo, qui eſt ſimulata honeſtas, additur illic, quòd erant presbyteri, & iudices, & veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia: tamen egreſſa eſt iniquitas ab eis, qui videbantur regere populum. Iſtic ergo ſtant occaſiones, quando ceſſant, reſecantur, & abijciuntur ob Dei timorem aliamve prædictarum cauſarum.

Pſ.144.b *Iob 1. c* *Pſ.15. a* Portitores ſunt occaſiones peccati. *Dan.13.a* *Prou.7. d* *Gen.19.d* *Dan.13.b* *Eccli.9. b* *2.Reg.11 a* *Dan.13.b* *Ibid. c* *Gen.39.b* *Dan. 13. a*

Quàm facile ſit, impedimentis ſemotis & occaſionibus, a peccato ſurgere, oſtendit Chriſtus, dum ait: *Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et ſurrexit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Adoleſcens proprie dicitur a decimoquarto anno vſque ad vigeſimumoctauum, quo tempore ad bonum flexibilis eſt homo, vt ramus tener, qui facile poteſt flecti. De hoc dicitur: Tunde latera eius, dum infans eſt. Tunc homo

Eccli.30. b

1. Reg. 3. a ad obediendũ eſt promptus vti Samuel, qui ait: Ecce ego quia vocaſti me. Et poſtea dixit: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Hic talis citius verecũdia perfunditur, Ier. 31. d iuxta illud Ieremiæ: Poſtquam oſtendiſti mihi, confuſus ſum, & erubui: quia ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. Non de facili ſurrexit Lazarus, ſed prius flet Chriſtus, & fremit, & clamat: vbi notatur multo labore ſudare oportere in ſuſcitatione ſpirituali ſeniorũ: vnde ait pro- Ier. 13. d pheta: Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, ita & vos poteritis benefacere, ſcilicet inueterati malorum. Eſt ta- Iſa. 65. d men maledictus puer centum annorum, ita peccatis aſſuetus, ac ſi ſenex eſſet in eis. Non ſitis vos de talibus fratres, ſed ſicut hic, qui audita voce Chriſti *reſedit*, vel ſicut ille, Luc. 15. d qui nullo exterius prædicante ad ſe reuerſus, ait: Quanti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus, ſurgam famelicus, & ibo ad patrem meum, &c. Quamuis iuuenis facile ſurgat, pronior manet ad peccandum: ideo de hoc dicitur, quòd *reſedit* in feretro. Qui ſedit partem habet inclinatam, & partem eleuatam, in quo notatur quòd nullus iuuenis omnino ſurgere poteſt, ita quòd immunis ſit Mat. 26. d ab omni culpa & tentatione, quia ſi ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma. Tamen remedium pronitatis eſt ite- Eccli. 17. d rata confeſsio: ideo ſequitur: *Et cœpit loqui*. A mortuo quaſi nil perit confeſsio: ſed prius oportet quòd a peccatis reſurgat. Et ſicut iſte in loquela compẽſauit quod deerat ex ſumma reſurrectione, ad quam ambulare debuiſſet: ſic defectus & pronitas noſtra ſuppletur in iterata confeſſione peccati. Canis equidem ſæpe lingua vulnera lambit, ſic faciat peccator in vulneribus peccatorum ſuorũ: Pro. 18. d Quia mors & vita in manibus linguæ. Iterata igitur confeſsio notatur, cum dicitur quòd *cœpit loqui*. Nec ſola cõfeſsio ſit tibi, ſed curam habe non cadendi, quia ideo ſequitur: *Dedit illum matri ſuæ*. Huic matri miſericordia motus dixerat Chriſtus: *Noli flere*. Et eſt recta voluntas, quæ flenda non vult iam committere. Huic matri bonorum operum committendus eſt homo, etiam cum lã- 4. Reg. 4. c guet per immiſſam ſuggeſtionem, quia pater filiũ, cui dolebat caput, remiſit ad matrem ſuam. Et ille qui in latro- Luc. 10. e nes inciderat ſtabulario cõmittitur, ſcilicet propoſito firmo, cum promiſsione mercedis ſupererogationi additæ.

Confeſſio remedium eſt.

Cura non cadendi.

Vnde

Vnde ſi vis nõ cadere aliquid ſupererogare oportet: nam qui ſolum vult facere quod tenetur, & non amplius, quo modo putat Deum ſui eſſe ſolicitum? Volumus equidem, vt nos cuſtodiat Deus vt pupillam oculi, & quòd maxima cura ſit illi de nobis: ille autem matri viduæ, id eſt voluntati tuæ, te committit, quæ nunc in bonum vidua dicitur conſolata: vt totam curam impendat tibi ne iterum cadas.

Ea, quæ valent ad non recidiuandum, ponuntur in hoc Euangelio cum ſubditur: *Accepit autem omnes timor*, ſcilicet reuerentia diuinæ maieſtatis, de quo dicitur: Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam nihil deeſt timentibus eum. Nihil, id eſt peccatum, quod tu putas eſſe aliquid cum nihil ſit: ideo ipſe te ſeducis. Secundo magnifica diuinam bonitatem, quia magnificabát Deum, iuxta illud: Magnificate eum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude: Quia magnificauit facere nobiſcum. Tertio regratiare illi, quia Deus viſitauit plebem ſuam, ex qua viſitatione omne bonum habemus: præſertim quattuor. Primum eſt animæ illuminatio: quia viſitauit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent. Secundum eſt correctio proprij delicti: vnde ait: Viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum. Tertium infuſio pacis & conſolationis ſecundum illud quod ait Deus: Ponam viſitationem meam pacem. Quartum liberatio a pœnis & miſerijs per adeptionẽ æternæ hereditatis: vnde ait Dominus: Viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducã eas in terram ſuam, ſcilicet viuentium: & paſcam eas in montibus Iſrael, & in riuis, & cunctis ſedibus terræ, ſcilicet viuorum. In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum. Ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus: & accubare eas faciam, ſcilicet ſecure. Gaudeamus ergo fratres nos qui ſumus oues paſcuæ eius, & præparemur ad vltimam viſitationem, quando viſitabit ſuper orbis mala, quando non mouebitur miſericordia ſed ſtricto iudicio, vbi nil proderit mater, nec blande loquetur Deus, ſed rigide

Pſ. 33.b *Eccli. 43. d* *Pſ. 125. a* *Luc. 1. g* *Ibidem.* *Pſ. 88. c* *Iſa. 60. d* *Eze. 34. c*

Matt.25. d maxime damnatis, quando dicet: Ite maledicti: electorum autem cœtui dicitur: Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. *Eph.5.d* Tunc corpora beatorum quæ iacuerant ſedebunt glorioſa: tunc ore proprio quilibet loqui incipiet: tunc dabitur cæleſti Ieruſalem eius ciuilitate donatus, de qua dicitur: Quæ ſurſum eſt Ieruſalem mater noſtra libera eſt. *Gal.4.d* Hæc mater beatiſsima etiam nunc flere dicitur, quia Sancti, immo & Chriſtus noſter aduocatus, orant pro nobis.

Pœna & gloria.

De duabus prædictis, ſcilicet pœna & gloria, loquamur fratres, vt quilibet noſtrũ ſit propheta magnus procul ſans, non de mundialibus, non de terrenis, ſed de cæleſtibus gloriæ paradiſi, ad quam ſi aſcendere cupimus, oportet vt hic prius per gratiam ſurgamus: nemo quidem aſcendit quin ſurgat, qui autem ſurgit terram pedibus terit, cælum oculis cernit, manibus nititur, corpus extendit.

Reſurrectio per gloriam.

Ex primo largitas in conculcatione temporalium, quod enim pedibus conculcatur parum contingitur, quia omnia temporalia pedibus effectuum conculcanda ſunt, & pro ſola neceſsitate ſunt tenenda, vt patet in Matthæo, qui etſi a Teloneo ſurrexit, poſtea in domo ſua fecit conuiuium Chriſto. *Matt.9.b* Ex ſecunda ſurgentis diſpoſitione habetur prudentia, dum cernit cælum per cæleſtium conſiderationem, vt Saulus, qui ſurgens de terra apertis oculis nihil videbat, pro nihilo reputãs omne terrenum. *Act.9.b* Ex tertia diſpoſitione ſurgentis qua manibus nititur, caſtitas inuenitur, quæ fortitudine exercetur, dum manũ mittit ad fortia, vt ei dicatur: Surge propera amica mea, ſcilicet quæ per caſtas affectiones mihi vniris: columba mea quæ pro caſtitate ſeruanda inter æſtus temperationum gemis. *Cant.2.c* Aut amica mihi deuota, vt pie viuas, columba proximis innoxia (felle enim cares) nec enim habet amaritudinem conuerſatio illius, vt ſic iuſte viuat. Formoſa vt tibi ſobrie viuas in hoc ſæculo, vt ille, de quo dicitur: Surrexit Nathan propheta, ſicut adeps ſeparatus a carne, ſcilicet oblatus Deo, cuius eſt iure perpetuo. *Eccli.47. a* In quarta ſurgentis conditione, quæ in altum protenditur, humilitas deſignatur, quia quanto plus ſe aliquis humiliat, eo amplius ſubleuatur: vnde merito de quodam iuſto dicitur: Surrexit Elias quaſi ignis, qui etſi inferius paſcitur, *Eccli.48. a*

ſcitur,ſurſum eleuatur: vere enim humilis in humilitatis operibus delectatur, & per vitæ meritum ſurſum fertur. Hæ quattuor virtutes totidem vitijs, quæ præcipue regnant in iuuenibus, opponuntur, ſcilicet cupiditati, ineptiæ, luxuriæ, atque ſuperbiæ. Propter primum quidam *Luc.18.d* iuuenis prædiues noluit obedire conſilio Chriſti. Propter ſecundum lapidantes Stephanum poſuerunt ſeruanda ve- *Act.7.g* ſtimenta ſecus pedes adoleſcentis qui vocabatur Saulus, qui veniam conſecutus eſt, quia ignorans fecit. Propter *1.Tim.1.c* tertium alius iuuenis conſumpſit ſubſtantiam ſuam viuẽ- *Luc.15.c* do luxurioſe. Propter quartum adoleſcentes Roboam ſu- *3.Reg.12* perbum dedere conſilium. Vos autem fratres non ſic, ſed *c* ad maiora ſpiritualis ætatis incrementa peruenientes, ſurgite hic per gratiam virtutum, & in futuro per gloriam, quam mihi, &c. Amen.

SERMO MYSTICVS
DOMINICÆ XVI.
POST PENTHECOSTEN.
THEMA.

Apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit. Luca 14.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

PLVRIMVM iuuat medicum, ille qui applicat bene ac diligenter medicinas, quas ipſe dictarat infirmis: quæ adaptatio etſi generaliter feminis conueniat, eo quòd vbi non eſt mulier ingemiſcit infirmus, inter omnes tamen præſertim habet gratiam virgo Maria, de qua dicitur Deo medico vniuerſali: Dediſti ſalutem in manu feminæ, vt ſcilicet eam diſtribuat prout vult. Nam propterea quòd eius *Iudit.16.a*

manus ſanatiuæ ſunt, nitebatur, teſte Auguſtino, dum ſtaret iuxta crucem, vulnera filij ſui tangere manibus erectis: ſi quidem arbitrata eſt Chriſti minuere dolorem, quod ſi ita eſt, quòd tactus Mariæ dolores ſedari poſſunt, quis infirmorum aut quamcumque patientum neceſsitatem non optet ab ea tangi, vel eam tangere? Nam de ipſa ſcriptum eſt: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Hæc arbor vitam noſtram pro fructibus habet: ideo namque dicitur: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* Nam ſi hoſpita Eliſei apprehendens pedes eius, filio ſuo obtinuit vitam, quanto ſecurius animæ ſalutem acquiret, qui Mariam per deuotionem apprehenderit? Huius enim arboris etiam folia ſunt ad ſanitatem gentium. Hæc reparat damna ligni vetiti, ex quo nobis prouenit mors. Idcirco haud inconſulto Deus ipſe iuſsit primo, vt homo veſceretur ex arbore vitæ: nam prima deuotio, quæ viro chriſtiano conuenit, vt viuat vita gratiæ, eſt deuotio Mariæ. Nam *lignum vitæ eſt his, qui* totis *eam* præcordijs *apprehenderint*, huic negotio mundis manibus addendo fortitudinem: nam & ipſa, ſicut & regnum cælorum vim patitur lætanter, gaudet enim apprehenſione noſtra, maxime ſi conſtanter ac perſeueranter perſiſtamus: vnde recte ſequitur: *Et qui tenuerit eam beatus:* ex quo innuitur, quòd non ſolum vitam gratiæ, ſed vitam gloriæ eius meritis obtinebimus, quas vt mereamur, ei offeramus. Aue Maria.

Prou.3. c

Maria eſt arbor vitæ.

Matt.11. b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

OBIICIT oculis mentalibus hodie præſens Euangelium quendam prudentem virum, qui etſi grauem corporis pateretur infirmitatem, quæſiuit tamen non quemuis medicum, ſed eum qui totum hominem priſtinæ redderet ſaluti, animam pariter & corpus ſanans: vnde cum ſciret, quòd Ieſus accumberet in domo cuiuſdam principis phariſæorum inuitatus ab eo, voluit etiam infirmus iſte inuitare ſeipſum ad ſalutis menſam, vbi ipſe comeſturus erat Ieſum, qui interpretatur ſalus. Iſte autem infirmus nil aliud niſi ſalutem cupiebat, de quo ſequitur:

Et ecce

Et ecce homo quidam hydropitus erat ante illum, ſcilicet Ieſum. Ante ſalutem ſe infirmus ſtatuit, vt ſaltim velut ſol in ſpeculum reſplendeat in eum. Quemadmodum ergo frigidus ponit ſe ante ignem, ſic languidus iſte ante Ieſum ſalutarem. Tantaq. fide perſiſtebat, vt crederet quòd ſola illa ſtatio directa in Ieſum ſibi poſſet dare ſalutem. O prudentem virum omni ſapientia præditum, vbi nam rethoricam didiciſti? Rethorica namque non ſolum docet loqui, ſed pro tempore ſuo tacere: vnde hic aiebat intra ſe: Nunc tempus eſt tacendi, quid enim oportet loqui illi, cui omne cor patet, omnis voluntas loquitur, quem nullum latet ſecretum, ad quem & omnis noſtra clamat neceſsitas? Qui & tam promptus eſt ad ſubueniendum vt ipſemet non interpellatus ſe ingerat, dicens: Salus populi ego ſum dicit Dominus. Ob iſta igitur tacebat infirmus, ſed ſalus non tacuit ab eo: quem & cupiens a phariſæis defendere & ſanare, pro eo patrocinatus eſt, dicens eis: *Si licet ſabbato curare?* Optima & infirmo gratiſsima interrogatio: nā, vt aiunt, iſte nō audebat ſalutem petere die ſabbati vetitus a phariſæis. Quæſtio igitur quam debuit facere infirmus, propoſuit medicus, cuius volitio præbendæ ſalutis non pertulit moram trahere: ideo nolens expectare reſponſum, addidit: *Cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadens, non continuo extrahit illum die ſabbati?* Horum animalium exemplum attulit, quæ non ſine magno labore poſſunt abduci: vbi voluit innuere, quantum laborare paratus erat pro ſuorum ſalute etiam die ſabbati, hoc eſt tempore quietis, quominus homines laborare ſolent. Concluſio igitur tam punctualiter, tamq. citiſsime quòd licita erat cura, extendit manum ſuam ſalus noſtra Ieſus Chriſtus, *& apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit*. Extendit manum, qua extenderat cælos, extendit manum, qua docuerat angelos, extendit manum qua cum Sanctis fecerat amicitiam. Extendit, inquam potentiam, & ſapientiam, & bonitatem ſuam Deus ad hominem iſtum, qui totum mundum repræſentat, & quemlibet peccatorem, & quemlibet chriſtianum, & totum genus humanum, & primum Adam, quem cum Deus creauit, humiliauit iuxta ſe ſanum equidem ac liberum. Fugiens

Oſtēſio infirmis ſufficit ad ſalutem.

Habetur in orat. poſt Miſſam de Spiritu ſancto.

Habetur in Miſſa pro quacumque neceſsitate.

Fugiens autem ab eo incidit in grauem infirmitatem, & in captiuitatem ductus eſt. Huic Deus ſubuenire voluit nimium laborans: Quoniam languor prolixus grauat medicum: ideo per manum potentiæ ſuæ apprehendit eum in incarnatione Pater æternus. Et per manũ ſapientiæ ſuæ ſanauit eum Filius in paſsione. Ac per manum bonitatis amor ipſe Deus dimiſit eum liberũ in Spiritus ſancti miſſione. Notatur igitur in apprehenſione potentia Patris, de qua in prima parte ſermonis. In ſanatione vero notatur ſapientia Filij, de qua in ſecunda parte. In libera dimiſsione notatur Spiritus ſancti bonitas, de qua in tertia parte agendum eſt.

Eccli. 10. b

Diuiſio.

PRIMA PARS.

De apprehenſione nunc agendum eſt, vbi maior potentia Dei oſtenditur. Nam omnino repugnare videtur Deum poſſe aliquid recipere propter eius plenitudinem, quæ bonorum noſtrorum non eget. Nec in eo vacuum aliquid eſt, vbi reponi valeat quod recipitur. Qui eleuant intellectum in omnem plenitudinem Dei, nullum poſſunt inuenire receptionis locum: quia vndique plenus eſt. Manus dicuntur iacinthis plenæ, & quidem longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Aures ſunt ſeraphim vocibus plenæ, os redundat gratia, oculi nitentes gloria: vnde ait Eſther: Valde mirabilis es Domine: & facies tua plena eſt gratiarum. Quid ergo recipere poteſt, qui omnibus retribuit vniuerſa, diuidens ſingulis prout vult? Cũ ergo nihil deſit ei, nec ſit qui ei aliquid poſsit tribuere, ſatis videtur nil poſſe recipere. Dum enim Deus aliquid tribuit in ſeipſo ſeruat illud, ſicut in originali ſeruatur ſcientia librorum, vbi verior eſſe ſolet: ex quo ſequitur, quòd nil ſub cælo nouum, nec quiſquam valet Deo dicere: Ecce hoc recens eſt. Immo ſic Deo improprium eſt, vt aliquid recipiat, quòd oppoſitum eius ei neceſſario conueniat. Nam Deus neceſſario confert, ſic vt impoſsibile ſit ei non dare: vnde in eo duplex datio inuenitur, ſcilicet naturalis ab æterno, & libera contingens ex tempore: vbi aduerte quòd, vt ait Dionyſius, Pater eſt principale lumen, fons deitatis, cui repugnat

Plenitudo Dei.

Eſth. 15. d

1. Cor. 12 b

Eccls. 1. b

Dei datio duplex. *Dion. lib. de diuin. nom. cap. 2.*

gnat accipere, & naturale eſt dare. Cum autem dedit, non dedit partem ſui, quoniam impartibilis eſt, ſed totum ſe eſſentialiter dedit. Qui autem totam patris eſſentiam recepit, non potuit eſſe niſi Deus. Et cum repugnet eſſe plures deos, non potuit diſtingui eſſentialiter niſi perſonaliter. Et quamuis antiqui Theologi faciant cum Auguſtino differentiam inter productionem Filij, & Spiritus ſancti, dicentes quòd filius eſt quo modo natus, & Spiritus ſanctus quo modo datus: tamen optime etiam dici poteſt, filius quò modo datus, quia volens genuit eum pater, quamuis non voluntate, cum & ipſe Chriſtus dicat: Quod dedit mihi pater, maius omnibus eſt, ſcilicet ipſa deitas, quæ maioritate perfectionis etiam imaginalia excedit. Si autem ad contingentia dona veniamus, aduertendum eſt, quòd quemadmodum homo non habet niſi duas manus, ſic Deus intus in ſe non habet niſi duos modos dandi, ſcilicet per viam intellectus, & per viam voluntatis, ſed extra ſe innumeris vijs dare poteſt ex ſe non tamquam ex materia, ſed tamquam exemplari, velut ex originali transferens, & ſuam exprimens ſimilitudinem in donum ex ſe eductum, ſicut puellæ educere ſolent labores ab exemplari, quod maxime fecit in homine, qui non ſolum ad imaginem, ſed ad ſimilitudinem Dei dicitur factus. Ipſe ergo homo eſt donum Dei non ſolum propterea quòd nil habet quod non accepit, ſed propterea quòd dum eum creauit, eum donauit libertate, relinquens eum in manu cõſilij ſui, vt ait Sapiens. Tam liberum ergo eum Deus ſibiipſi dedit, ac tam libere eum in rerum natura conſtituit, vt nemo eius voluntatem poſſet cogere. Eiq. contulit liberum arbitrium ad regimen ſui. Vbi ſecundum Richardum aduerte, quòd homo dicitur ad imaginẽ Dei factus, quia liber eſt: & ad ſimilitudinem, quia rationalis etiam eſt: nam bruta quædam & aues liberę ſunt, non tamen rationales ſunt. Hic igitur homo vſus eſt libertate ſua ad malum ſui, contra Deum vertit dona Dei, a ratione ſuæ formæ alienus. Nam cum ante peccatum fere angelis æquaretur, ad quorum conſortium in ſopore admittitur, quem immiſit ei Deus: poſt peccatum autem comparatus eſt etiam iumentis non quibuſcumque, ſed inſipientibus, ſed recalcitrantibus, ſed immundis, immo & ſimilis

Aug. lib.5. de Trinita. c.14.to.3.
Theol.4.ſen ten.diſt.18.
Ioã.10.f
Gen.1.d
Eccli.15.c
Peccatum hominis.
Pſ.48.c

ſimilis factus eſt illis, qui ſimilis Deo eſſe ſolebat. Vnde homo ante peccatum habuit omnia poſſe, quia omnia ſubiecta ſunt ſub pedibus eius. Sed poſt peccatum in contra-
Deut. 32. d rium verſa eſt hæc ſententia, quia dicitur: Deuorabunt eos aues morſu amariſsimo: quin & ipſe videtur om-
Sap. 5. c nium pedibus ſubiectus, dum in vltionem ſuam armauit Deus creaturam omnem etiam muſcam. Sic ergo receſsit a Deo Creatore ſuo, ſicut & vos quando peccare non veremini. Qui ergo recedit a vita, in quod ruet niſi in mortem? Qui recedit a veritate, ad quem ibit niſi ad mendacium? Qui recedit a patre luminum, nonne habebit obuium inimicum? Qui recedit a potentia ſua libera, in quod præcipitiũ ibit, niſi in maximam difficultatem? Aſinus quippe & bos in puteum impoſsibilitatis recedit, ſcilicet & anima hominis, & corpus ſe præcipitio dedit, de quo non poterit ſurgere, ſicut nec animalia iſta de puteo exire. Concluſum equidem habent Theologi, quòd nullus peccator ſolus per ſe valet ſurgere a peccato. Solum velle adiecit ei ſi tamen reſipiſcat. Qui & clamare poteſt,
Pſ. 143. b dicens Domino iumentorum: Emitte manum tuam de alto: eripe me de aquis multis, & de manu filiorum alienorũ. Puteus impoſsibilitatis aquas habet impietatis, quibus ſatiatur peccator. Timeat tamen ne vrgeat ſuper eum puteus iſte os ſuum, illudq. claudat moriens: quia tunc nulla erit impio ſpes. Nam ſuffocatus erit peccator, ſicut
Matt. 8. d porci quos Dominus in mare præcipitari permiſit. Antea clama, & dic: Emitte manum tuam de alto cælo, de alto ſinu tuo: nec ſolum me ab aquis libera, ſed ſunt etiam in puteo beſtiæ: vnde etiam me liberare oportet de manu fi-
Iona 2. d liorum alienorum, ſicut Ionam de ventre ceti. Illa ergo ſunt verba primi hominis & cuiuſlibet peccatoris, qui præter amiſsionem potentiæ liberandi ſe, habet etiam filios alienos, ſcilicet dæmones in puteo peccati eum ſubmergentes, aliaſq. tentationes & occaſiones plurimas. Sed maxima eſt nobis ſpes, dum Chriſtum Dei filium in præſenti Euangelio aduocatum habemus liberationis no-
Luc. 11. b ſtræ. Si ergo vos o phariſęi cum ſitis mali, noſtis bona dare filijs veſtris, & iumenta eripere die ſabbati, nonne ipſe Deus eripiet peccatorem, qui ex filio Dei factus eſt iumentũ inſipiens? Adducamus & nos aliam legem Dei

Deo

Deo ad ſubſidium liberationis noſtræ. Dixiſti Domine in lege tua: Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere non pertranſibis, ſed ſubleuabis eum. Homo Domine Deus animal tuum eſt, magis quàm bos, quia factus ad ſimilitudinem tuam. Et eſt illius inimici ſub cuius poteſtate ſe redigit. Occurrere tu ſimilitudini tuæ, quæ eſt in boue, hoc eſt in anima, & quia non ſe poteſt ad proprium & naturalem dominum reducere, tuipſe reduc peccatorem ad te, etiam illum qui eſt ſub onere peccati, & ſubleua eum, vt poſsit ſurgere ad Dominum Deum ſuū. Legibus & rationibus ſuis tenetur Deus, quia miſericors eſt, & rationibus ac præceptis miſericordiæ pater. Ideoq. voluit peccatorem eripere, pro quo deſcendit vſque ad nouiſsimum locum: quia homo deſcendit vltra omnem creaturam omnibus inferior factus. Oportet ergo Domine te noſſe nouiſsimum virorum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem quam nos incurrimus; vt ſic melius reducas ad te. Gaudete fratres, quia Deus noſter reſarcire voluit ac reparare opus ſuum quod fecerat, ordine quo factum fuerat. Nam die ſexto factus eſt homo, cui iam in paradiſo ſtatuto Deus omnia creauerat, adduxit vt libito ſuo eis nomina imponeret, atque velut ſibi creata recognoſcat. Ibi omne quod vocauit Adam ipſum eſt nomen eius. Sexta igitur mundi ætate reparatur homo ad primam originem reductus velut ad ſigillum ſuum. Vniturq. hypoſtatice Deo ſuo intimius quàm dici poteſt, extractus homo etiam a ſemetipſo, & a propria perſonalitate vt fruatur perſona Verbi: vnde quemadmodum in Adam anima & corpus vnus eſt homo, ita Deus & homo in filio Dei vnus eſt Chriſtus. Et ſicut Adam in paradiſo perdidit nos, ſtatimq. nos fecit peccatores: ſic ſecundus Adam in ventre matris nos fecit Chriſtianos in ſe, dum ibi decreuit eſſe caput noſtrum. Cui licuit ſabbato curare nos, ſicut alter ſabbato perdidit nos, ac in puteum proiecit. Sabbatum ſabbatorum habuit Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, beatus cui licuit curare nos tunc, quod non licet alijs Beatis exiſtentibus in ſabbato gloriæ, quia ibi mereri non poſſunt. Chriſtus tamen comprehenſor meruit quia etiam viator erat. Sciuit ad curationem noſtram

Exo. 23. A

Bos in homine ſignificat animam.

Iſa. 53. A

Reparatio hominis.

Gen. 2. d

Habetur in ſymbolo Athanaſij.

Chriſtus meruit vt comprehēſor, & vt viator.

noſtram iungere mel gloriæ cum abſinthio pœnitentiæ. Sed nunc ſuperſedeo, nam poſtea de curatione hominis agam: nunc autem de eius apprehenſione, ſiue eius aſſumptione prouinciam ſuſcepi. Chriſtus apprehendit nos in vtero Virginis, quæ verus eſt paradiſus, vbi ſecundus Adam ad ſimilitudinem primi poſitus eſt, non ab angelis ſed a beata Trinitate, ex eius terra virginea formatus, cui recenter concepto omnia ſunt oſtenſa in Verbi originali, vt videret quid gratiæ dandum erat cuilibet. Vnde omnes prædeſtinatos ſtatim vidit, & gradus gloriæ eorum. Inſuper dictum eſt Chriſto, quòd futurus erat eorum Redemptor. Nam ex tunc factus eorum caput, & ex tunc ſolicitus fuit de nobis, ſicut Adam de rerum nominibus. Immo & amplius, quia ille nomina dedit rebus: Chriſtus autem & rationes nominum contulit, & merita dignitatum, & factus eſt pater orphanorum, currus Iſrael & auriga eius, dicens: Conglutinaui mihi omnem domum Iſrael, id eſt congregationem domeſticam eorum, qui viſuri ſunt Deum. Si enim, vt ait Sapiens: Primo homini dedit Deus virtutem continendi omnia, cur hanc virtutem eminentius non habuit Chriſtus? Nam cuilibet noſtrum dicit Pater æternus: Semen Abraam amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ, & a longinquis eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te: quia ſuſcepit te dextera iuſti mei. Semen Abraæ Chriſtus eſt, de quo Apoſtolus ad Hebræos ait: Nuſquã angelos apprehẽdit ſed ſemen Abraæ. In quo & nos etiam ſumus apprehenſi ab extremis terræ, id eſt, quamuis ſint electi in extremis mundi naſcituri. Nam pater tunc gratificauit nos in dilecto filio ſuo, cuius dextera nos apprehendit ab vtero Virginis tam fortiter, vt nemo nos poſſet rapere de manu ſua.

Ier. 13. b — *Sap. 10. a* — *Iſa. 41. b* — *Hebr. 2. d*

Oſtendimus omnem chriſtianum apprehenſum eſſe a Chriſto, cuius membrum eſt. Poterit tamen iraſci peccator hæc audiens, ſi membra Chriſti fecerit membra meretricis. Nam quo modo credet ſe membrum Chriſti ſi pronum ac procliuem ſe videt in omne malum, ſi aliam legem Chriſto repugnantem conſpicit in membris ſuis? Habet enim manus extentas ad rapacitatem; pedes leues ad currendum in malum; mobiles oculos ad videndum vanitatem;

vanitatem; os plenum verbis mendacibus. Quid plura? An talia poſsũt eſſe Chriſti membra? Aduerte quòd quadruplex membrum inuenitur Chriſti: tu tamẽ vide quale ſis. Nam primum eſt ſanum omni ſeruitio aptum: talis eſt bonus chriſtianus. Alterum vero a iunctura deuians ſiue debile: talis eſt qui venialiter peccat. Tertium eſt putridum: talis eſt qui mortali peccato ſubiacet. Quartum eſt præciſum: talis eſt homo excommunicatus. Vnuſquiſque attendat ſibi cuius ſit qualitatis, & ad meliorem frugem ſe reducat. Videat ne inhonoret in ſe Chriſtum Dei. Apprehenſus eſt ergo a Chriſto omnis chriſtianus, quamuis vt tetigi multum differenter. Membrum Chriſti multiplex.

SECVNDA PARS.

NVNC de cura agendum eſt. Quòd autem Chriſtus ſit medicus, patet per illud: Vt mederer contritis *Iſa.61.a* corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, ſcilicet miſſionem Spiritus ſancti Apoſtolis: & clauſis, ſcilicet in limbo, apertionem, ſcilicet cæli, miſit me. Hoc totum ad homines dirigitur, quia ſanabiles fecit nationes orbis terrarum. Quæramus tamen prius a noſtro medico, cur dæmones non curat, cum ſit omni ſapientia præditus, atque omnia poſsit? Huic eſt prima reſponſio, quòd ſicut noluit angelos apprehendere etiam bonos, ſic non vult curare angelos malos: vnde ſit pro ratione voluntas. Sunt & aliæ quinque rationes. Nam ſi hoc a Frãciſco de Mayr. quærimus, dicet quòd nolunt ipſi curari ad honorem medici, niſi ad proprium commodum. Hic nota quòd econtra quàm cum ceteris debes cum hoc medico curari plus propter honorem ſuum, quàm propter commodum tuum. Nam quemadmodum Aſſuerus proiecit reginam vaſti, *Eſth. 1. d* quia noluit ad gloriam regis exire, ſic Dominus Ieſus animam, quæ honorem eius non intendit, proijcit a ſe. Vnde mane canimus: Regi ſæculorum inuiſibili, ſoli Deo honor *1.Tim.1.* & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hoc debet ſup- *b* poni in initio cuiuſlibet operis. Si prætactam quæſtionem a Scoto quæris, reſpondet quòd iam præterijt ver curationis eorum: nam Doctor iſte ponit quaſdam morulas, in quibus ſi reſipiſceret dæmon, ſanari poterat. Iam autem eſt in

Dæmones cur non ſanantur.

Franc. de Mayr.2.ſent. diſt.4. q.1.

Scot.2.ſent. diſt.4. q.1.

eſt in termino. Nam ſi quando ſecundum peccatum commiſit, reſipiſceret a primo, forte curaretur: ſed addidit præuaricationem donec proiectus eſt. Si hoc idem quærimus a beato Bonauentura, reſpondet quòd non habent virtutem adiuuantem: nam in pœnitentiam peccati ſui habent quendam habitum infuſum neceſsitātem illos ad omne malum: ſicut ergo palmes, niſi aliquam habeat viriditatem, non poteſt ſuſcipere inſertionis virtutem: ſic nec dæmones ex toto ſicci virtutem Dei. Si hoc etiam quærimus a Pico Mirandulano, dicet quòd quemadmodū mortui curari non valent, ſic nec dæmones, quia ſunt in morte peccati ſui ſemper: nam quotidie peccāt, addentes præuaricationem, & apponentes Deo peccare adhuc. Sexta ratio poteſt eſſe: quoniam ipſi curari nolunt, nec ad medicum veniunt, ſed fugiunt ab eo. Septima quia ſe valentes putant, ac ſi bona egiſſent, & plurimam ſuæ præuaricationis haberent rationem: homo autem dicit: Infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde, ſcilicet in contritione plurium peccatorum. Si autem hoc a beato Bernardo interroges, dicet quòd dæmones deſcenderunt vſque in Ierico, id eſt in plenum defectum, ad quem homo non deuenit, quoniam inter Ieruſalem & Ierico incidit in latrones, qui ex Ierico venerant obuiā ſpoliando. Ad hominem autem hydropicum redeundo aduerte, quòd in hydropico præſenti ſecundum Alexandrum de Ales ſuper Lucam, octo ſunt, quæ reperiuntur in maximo peccatore. In hoc denique vno omnium vitia reperies figurata. Primum malum hydropici eſt inflatio, quæ ſuperbiam deſignat, quam arguens Iob dicit: Cur tumet contra Deum ſpiritus tuus? quamuis contra minimum pauperem tumeas, diceris elatus in Deum, qui aſſumit cauſam pauperis. Ne igitur tumens ſis, quoniam ictus febrilis veniet aut mors perforans animam tuam, vt effluat inanis. Væ autem hominibus qui nolunt cohibere ſpiritum ſuum, ſed eſt in eis vulnus, liuor, & plaga tumens non circumligata, nec fota oleo. Circumligatur ſuperbia, quando nititur homo reprimere impetum eius, oleoq. fouetur, quando ei additur patientia, & humilitas. Hoc ergo ſuperbiæ tumore turgidi erant Magi Pharaonis, ex eo

S. Bonau. 2. ſent. diſt. 7. art. 1. q. 1.

Pſal. 6. a

Bern. ſer. de S. Martino. to. 1.

Octo vitia hydropici.

Iob 15. b

Iſa. 1. b

Exo. 9. b

ex eo quòd cinerem, ſcilicet propriæ voluntatis, in altum proiecerant, per iactantiam ſui extollentes ſe. Quid plus habet hydropicus? Ardorem omnia conſumentem: in quo notatur auaritia, quæ numquam dicit: Sufficit, ſed apte diuitias deuorat omnes. In hoc tamen auarus eſt deterior hydropico, quoniam alter aquam, alter autem ignem deuorat, ſiue fomentum eius. Nam ſicut ignem ligna ipſa nutriunt, ſic opes aut nummi nutriunt auaritiam, quoniam, vt ait Satyricus: Auaritia ſitit.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. *Iuuenalis.*

Nemo igitur putet diuitiarũ copia ſibi ſatisfacere poſſe, quin potius nocet, quia plus exardeſcit contra eum ſitis diuitiarum, quoniam opes ſemper dicunt: Affer, affer, ſicut ignis numquam dicit: Sufficit, quapropter: Auarus non implebitur pecunia. *Eccle.5.b* Igitur ſi vis fieri diues prudentiæ tuæ pone modum, quia, vt ait Seneca, non eſt diues qui plura habet, ſed qui minus cupit. Quid plus habet hydropicus? Humorem ſiue ſaniem defluentem, vbi notatur luxuria, quæ hominem facit effluere, ſicut ille cui dicitur: Effuſus es ſicut aqua: non creſcas, quoniam aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius. *Gen.49.a* Luxuria effluit. Hoc dici poteſt cuilibet luxuriæ dedito; cubile Dei eſt anima, concubinæ ſtratum eſt corpus, peccato tuo vtrumque maculas in te, & in muliercula tua. Ideo in hoc luxuria cetera excedit peccata. Peccas in te, peccas in alio, peccas in Deo, maculans ſtratum eius. In alijs ergo peccatis quilibet onus ſuum portabit, ſed in hoc portabit etiam onus alterius in corpore etiam & in anima plectendum. Hic cõſumit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe, ſic conſumitur luxurioſus, ſicut hydropicus conſumitur per effluentiam humoris. Hi dicuntur ſimiles dæmonibus. Nam porcus dicit: Vxorem duxi, ideo non poſſum venire: *Luc.15.c* atque dæmon affirmat ſe non poſſe peccata relinquere. Dicitur etiam luxurioſus in volutabro luti. *2.Pet.2.d* Væ igitur illis qui viam porcorum, atque dæmoniorum abierunt. Quid plus mali habet hydropicus noſter? Compreſsionem ſpirituũ, in quo notatur inuidia, quæ aliorum bona comprimit, ne publicentur: vnde Sapiens ait: Putredo oſſium inuidia. *Pro.14.d* Oſſa animæ, virtutes eius ſunt, quas circa alios inuidi putridas oſtendunt, arbitrãtes in hoc ſe ſanitatem reperire. Inuidia inficit.

Hi ſunt, vt Heli qui non poterat videre lucernam Domini, donec extingueretur, quoniam aliorum bona nolunt aſpicere inuidi, niſi ea prius extinguant, arbitrati ſe ſolos lucere mundo. Hoc peccatum tantum eſt deterius, quantum in meliori materia collocatur: nam vtitur bonis ad malum. Quid plus habet noſter hydropicus? Oris

Pſal. 5. c fœtorem, vbi notatur gula: nam ſepulchrum patens eſt

Gula fœtet. guttur eorum, qui hoc peccato delectantur, linguis expumantes, ſtomachum doloſe agebant. Poſt gulam ſiquidem vaniloquium, & cetera linguæ abundant vitia maxime detractio, qua mortuos ſi opus eſt exhumare non veremur, ex quo & nos peccato mortui manemus, quoniam

Iſa. 34. a ſcriptum eſt: A cadaueribus eorum aſcendit fœtor. Guloſus dicitur cadauer: quoniam ſpernit animam ſuam, nec cibat eam pane vitæ, aut Euchariſtiæ ſacramento: ex quo patet eſſe mortua. Cadauer etiam dicitur guloſus fœtidum, quia eius halitus exalat memphitim.

Ira aſcēdit. *Ariſt. 1. anima contex. 16.* Quid mali plus habet hydropicus noſter? Pallorem vultus, in quo notatur ira, quæ eſt, ſecundum Philoſophum, aſcenſus ſanguinis ad cor: & ideo ſanguine deſerente extremas corporis partes, manet homo pallidus:

Eccli. 30. d de hac dicitur: Zelus & iracundia minuunt dies: zelus per ſe bonus eſt, dum vero iungitur iræ, fit malus: tamen irati ſolent vocare iram ſuam zelum, dicentes & adducentes illud Pſalmi: Iraſcimini, & nolite peccare: vbi

Pſal. 4. a commendatur ira ſancta. Et eſt illa, quæ in furore ſuo arguit propria vitia. Ille ergo perfectus eſt, qui ſeparat iram a zelo, & zelum ab ira in tranquillitate iudicans. Ira dicitur minuere dies, quoniam multum nocet ſaluti etiam

Pro. 17. d corporis proprij: Quia ſpiritus exiccat oſſa. Vnde optime

Apo. 5. b ſuper equum pallidum, hoc eſt ſuper hominem iratum, dicit Ioannes ſedere mortem. Quid amplius mali habet noſter hydropicus? Ponderationem & grauedinem corporis, in qua notatur pigritia & ad omnem bonum tarditas,

Pigritia cadit. quapropter non immerito piger figuratur in aue illa obliuioſa, quæ dicitur ſtructio. Habet quidem alas, tamen ob

Structio ſignat peccatorem. corporis pondus non vtitur eis ad volandum ſurſum, hoc tamen optat: & ſic deſideria occidunt pigrum, quoniam

Cupiditas non ſatiatur. cæleſtia cupit, tamen ad ea non volat alis fidei & ſpei. Quid mali plus habet noſter hydropicus? Sitim inſatiabilem,

lem, quæ ſe contra eum armauit: & ſic inuenies in peccatore, qui bibit quaſi aquam iniquitatem, quoniam eum alia ſitis inuadit: nam aqua vitiorum non ſatiat, nec ſedat cupidinem, immo irritat eam, & excitat appetitum ad peiora; quoniam in talibus eſt auiditas quædam delectandi ſe, plus & plus in peccando; & ob id pœnitet eos non poſſe plus bibere; & ſic de ſingulis prauitatibus. Si ergo languor prolixus grauat medicum, quàm grauatum putatis filium Dei tam intenſis ac prolixis malis noſtris? certe tantum vt in lectum crucis caderet, vbi dignatus eſt ægritudinem humanam mederi, ferens in corpore ſuo peccata noſtra ſuper lignum ſalutare. Iam ergo peccator eleua cor tuum ad locum medelæ pro ſuperbia noſtra in capite Chriſti ſpinoſo & inclinato. Sanaberis quidem, ſi medelam hanc applices ſuperbiæ tuæ. Nonne etiam ſatis curata eſt auaritia manuum Chriſti extenſione ac perforatione? Nonne curata eſt bene luxuria caſtigatione crucis? Nonne curata eſt ira, quando patiens orabat pro inimicis? Nonne curata eſt gula felle & aceto? Nonne curata eſt inuidia, dum latus Chriſti aperitur, & cor patet inimicis? Nonne curata accidia clauis pedum Saluatoris? Octauo autem loco illam peſſimam ſitim curat, de qua ſuperius locuti ſumus. Nam vt eam curaret dixit: Sitio, id eſt cupio plura pro te, o peccator pati: quia tu contra me cupieras amplius delectari. Ecce igitur quo modo ſicut primus Adam ligno interemit nos, ſic ſecundus ligno ſanat nos: vt ſit vita tua quaſi pẽdens ante te. Nec longius quidem te oportet ire ad venandum ſalutẽ animæ, nec miretur quiſpiam, quòd in cruce ſit omniũ medicina. Nam ſi medici floribus, & eorum ſuccis curare norunt, cur floridus Ieſus Nazarenus lilium inter ſpinas crucis, non poterit ibi curare nos ſuccis ſanguinis ſui & lacrymarum? Vidimus ergo qualiter Chriſtus apprehenſum hominem ſanauit.

Eccli. 10. b Curatio crucis. *1. Pet. 2. d* *Ioã. 19. e* *Deut. 28. g*

TERTIA PARS.

NVNC explorare oportet, qualiter eum liberum dimiſit Chriſtus: nam quemadmodum vt notat Bonauentura non petiuit Chriſtus ab hydropico ſalutis

Digitized by Google

collatæ pretium, nec ob eam ſibi ſeruiri, ſed expeditum eum dimiſit: ſic videtur feciſſe populo Chriſtiano, a quo non petit pretium redemptionis, ſicut petierat ab hebræis. Populus ergo Chriſtianus liberior eſt quàm populus hebræorum in multis, immo & in omnibus, etiam ſi velis eius libertatem ſingillatim ſcrutari, & alterius captiuitaté, ſeu obligationem, quam Deus exquirebat: nam propterea quòd in Ægypto ad eorum fauorem mactari iuſſerat Deus primogenita Ægyptiorum, petit ab eis, vt vnuſquiſque offerat Deo primogenitū ſuum & primogenitum animalium ſuorum. Propterea quòd eis dederat in Ægypto aurum & argentum vicinorum ſuorum, petijt, vt ei facerent ditiſsimum ſanctuarium in deſerto. Et propterea quòd eis dederat regiones gentium, & laborem populorum in terra promiſsionis, iuſsit ei domum ædificari, in qua omnes illæ diuitiæ conſumptæ ſunt. Et pro alijs beneficijs expoſuit, vt ter in anno veniant celebrare paſcha in Ieruſalem. Tamen a nobis quibus maiora dedit, nil popoſcit amplius. Dedit nobis ſalutarem Ieſum primogenitum & vnigenitum ſuum Pater: & cum eo omnia nobis donauit, quæ amiſſa fuerunt in Adam, & plura repromiſit in gloria: tamen ſuper omnia hæc dicit, quòd bonorum noſtrorum non eget: quæ maior libertas? quæ maior condonatio? quæ maior munificentia? Non fecit taliter omni nationi, & cum maiora ſint nobis collata, nulla ſunt exacta nec petita, niſi ea quæ in lege etiam naturæ bene inſtitutæ debita fuiſſent. Nonne, o chriſtiane comtemplaris hanc Dei tui largitatem? Nonne tantam perpendis clementiam? Redemit te ſine te Deus tuus: nec vult a te inuitam ſeruitutem, vt rex ille qui ſtatuerat habere ſanctum Dauid in ſeruum ſempiternum, ob exiguum ei fauorem impenſum.

Libertas populi chriſtiani. *Exo. 11. b 12. d. & 13. a* *Exo. 12. f* *Pſ. 104. d* *Exo. 34. c* *Pſ. 15. a* *Pſ. 147. b* *1. Reg. 27 d*

Attamen forte cogitas hanc libertatem in emolumentum vitiorū vergere? Putas ne te liberum eſſe, vt ad quodcumque vitium declines? Putas liberam tuam voluntatem, vt quæ ſibi ſunt noxia cupiat? Arbitraris liberum arbitrium tuum, vt valeat impune etiam noxia reuoluere? Coniectas liberos oculos tuos, vt eos ducas per res varias fornicantes? Sentis liberas aures tuas ad audiendum vocem incantantium, & ſirenas mortiferas? Eſt ne

Libertas mala.

liberum

liberum os tuum & lingua tua vt concinnare poſsit dolos? Eſt ne liberum palatum, vt quomodocumque carnes ad veſcendum præbeas ei? Sunt ne liberæ manus tuæ ad rapiendum aliena, & percutiendum pugno impio inſontem proximum? Sunt ne liberi pedes tui ad currendum in malum? Sunt ne libera fœmora tua ad quaſcumque mulieres, vt non ſit pratum tibi vetitum, ſed per omne transeat luxuria tua? Cauete fratres ab hac libertate, abſit a vobis; quoniam hæc brutorum eſt, ac dæmonum, & hominibus plurimum nocet. Non eſt hæc libertas filiorum ſed mancipiorum: non eſt libertas, qua Chriſtus nos liberauit. Abuſiue ac improprie, immo & peſsime hæc libertas nominatur. Diceretur ne libertas, ſi a cœnobio educeres virginem Dei? Anima chriſtiani vna eſt de prudentibus quinque virginibus, ſi eam educis ab obſeruatione chriſtianitatis, & a religione chriſtiana, non liberas eam, ſed carcere vitiorum includis. Libertas lutheri non eſt niſi agilitas pergendi ad inferos, & ea libertas, quam vocat Euangelicam, nil aliud eſt quàm velocitas errandi, & facultas peſsima. Væ illis, qui effrenes ſunt ad vitia, & ſe liberos prædicant. Nonne liberiores ſunt filij quàm mancipia? Dices quòd ſic: vltra quæro a te: Quibuſnam plura permittimus filijs an mancipijs? Nonne caſtigamus leuem defectum incuriæ ſi eſt in filio, & eum diſsimulamus in mancipio aut in cane? Dicamus ergo quòd vbi ſpiritus, ibi libertas boni: nam qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt, & per conſequēs veraciter liberi: denique in Spiritus ſancti miſsione dimiſit Chriſtus hominem liberum, qui quotidie inuiſibiliter mittitur per amorē in animas ſanctas. O amor qui liberas hominem ab anguſtijs ſuis, & ei tribuis amplitudinem grandem: nam quo plenius eſt cor amore, plus capit Deum; amplificat ergo amor. Liberas ab illa maledictione: Ite maledicti: & confers illam benedictionem: Venite benedicti. Liberas a conditione ſerui, dans eſſe filium. Liberas a dæmone animas, eas reſtituens Deo. Liberas ab exilio, & reddis patriæ. Liberas a fame deliciarum, ſatiās animum ſanctitate. Liberas a gemitu peccati, dans lætitiam remiſsionis. Liberas ab hoſtium inſidijs, dans fauorem angelorum. Liberas ab inclinationibus malis, dans

Sap.2.b *Gal.4.d* *2.Cor.3 d* *Rom.8.e* Amoris beneficia. *Mat.25.d*

eluriem & ſitim mœſtitiæ. Liberas a lacrymis amaris, dans flere præ gaudio. Liberas a morte perpetua, dans vitam æternam. Liberas a nihilo noſtræ fragilitatis, dans omnia poſſe in eo qui me confortat. Liberas ab onere laborum, dans nihil eſſe difficile amanti. Liberas a peccato, dans impeccabiles Apoſtolos eſſe. Liberas a querela carnis, dans quietem mentis. Liberas a rapina mundi, dans regnum Dei. Liberas a ſapientia huius ſæculi quæ inflat, dans charitatem quæ ædificat. Liberas a tyrannide vitiorum & timore pœnarum, dans fluenta gratiarum etiam in carnem, quæ, te mediante, exultat in Deum viuum. Liberas ab vmbra mortis & ignorantia, dans claram viſionem in gloria. Tu martyribus dediſti fortitudinem: Confeſſoribus pœnitentiam: Virginibus munditiam: Apoſtolis ſcientiam diuinorum: Patriarchis ſpem: Prophetis reuelationem arcanorum: Euangeliſtis totam vitam Chriſti. Tu denique deſtruis ciuitatem Babyloniæ: atque Dei ciuitatem ædificas in gloria, quam mihi, & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Phil. 4. c

SERMO DOMINICÆ XVII. POST PENTHECOSTEN.

De beato Matthæo: vbi exponitur Euangelium Dominicæ.

THEMA.

Fecit ei conuiuium magnum in domo ſua. Luca 5.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT quædam Sapiens mulier dixit Dauid regi: Optima virtus eſt in proſperis, & aduerſis immutabilẽ permanſiſſe: nam cor aduerſa deprimunt, proſpera erigunt: ita vt mutabili cõparetur lunæ, ſtultusq. dicatur, vt luna mutari: iuſtus autem quia ſtabilis perſeuerat, vt ſol dicitur, immo Deo ſimilis eſt: apud quem non eſt transſmutatio, qui ait: Ego Deus & nõ mutor. Ex quo venit, quòd propinquiora Deo minus mutantur: nam Dei filius ſic immutabilis erat, quòd eſſe in præſepio Bethleemitico nullum impedimentum præſtitit, quin eſſentiam diuinam reciperet a paternali pectore: pannis infantiæ inuolui, quin cælos extenderet ſicut pellem: miniſtrare hominibus, eisq. ſubdi, numquam impedimentum præſtare potuit, quin dominationibus dominaretur: incrementum experimentalis ſapientiæ humanæ non demit ab eo cathedram infinitæ ſapientiæ diuinæ, qua cherubim ſcientiam ingerit: & denique eſſe inter latrones nõ obfuit, quin eſſet medius inter diuinas perſonas: nec menſa publicanorum obſtitit, quin paſceret angelos. Huius virtutis quæ poſt Chriſtum plus habuit, fuit Maria, quæ adhærens filio præ ceteris

2.Reg.14 d

Eccli.27. b

Iac.1.c

Mal.3.b

Immutabilitas Chriſti & Mariæ.

nomen hereditauit; nam etſi vocatur angelorum regina, etiam regina miſericordiæ dicitur, quæ miſeriam ſonat: nam miſeris miſericordia eſt. Si eſt mater Dei non dedignatur medicina eſſe peccatorum, ſi cuncta ſibi ſubijcit, miſeris ſuccurrere haud negligit: & quamuis etiam ad menſam maieſtatis ſedeat, non dedignatur ad menſam pauperis peccatoris eſſe, vt eam ornet: immo & non

Ioan.2.a inuitata venit miſericorditer, vt patet in nuptijs, ſed cum Maria bonorum noſtrorum nō egeat, facit vt magnus dominus munificus cum in cœnobio manducat pauperum: vbi adducit expenſas non ſolum pro tunc, ſed tales quòd ex reliquo maneat per octauam: igitur inuitemus Mariam, vt ex reſiduo gratiæ ſuæ abundemus & nos: inuitatio eſt angelica ſalutatio, quam offerentes ei, dicamus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

Iob 38.d QVI nouit ordinem cæli, Dionyſius, rationem quidem eius poſuit in terra dicēs, quòd ibi noſter Deus media per ſuprema ducit ad ſe, & infima per media, taliter quòd qui maior eſt in regno cælorum ducit ad minorem. In regno autem mundi præpoſterus ordo eſt, & merito commutatus: nam ex quo Deus factus eſt homo & minimus hominum, nos immediate illuminaturus venit, ſic infima exaltauit, vt per ea reducātur ad Deū: altiora nouimus quidem, quòd infirma mūdi elegit Deus, vt fortia quæq; confundat, e media plebe homines elegit indoctos, vt ſapientes conuerteret ad ſe, ac philoſophos, reuelans ſecreta ſua paruulis, vt ſic prædicatio Euangelij magis aſcriberetur ſapientiæ diuinæ quàm humanæ. Nec mirum ergo quòd minores homines maiores illuminent, cum Eccleſia etiam dicatur angelos illuſtraſſe:

Eccleſia diuerſo ordine regitur quàm cęlū.

Eph.3.b quibus, teſte Paulo, per Apoſtolos innotuit myſterium incarnationis, aliudq; multiplex: nec ſolum ergo per debiles conuertit Chriſtus mundi potentes, per ignobiles ad ſe nobiles traxit, per ignaros lucratus eſt ſapientes, ſed per publicanos & peccatores acquiſiuit iuſtos phariſæos, ad maiorem iuſtitiam eos vocans per iſtos: vnde

Mat.21.c Chriſtus quidem dixit eis: Amen dico vobis, quia publi-

cani,& meretrices præcedent vos in regno Dei: inter publicanos credentes Chriſto maior extitit Matthæus: inter meretrices Maria,quæ erat in ciuitate peccatrix,qui præcedunt in Eccleſia triumphante & militāte, quibus Deus tam beneuolus fuit,vt nō ſolum cum eis manducaret, eoſquemet comederet,ſed per eos complures ad fidem adduxerit: vnde ait thema: *Fecit ei conuiuium magnum in domo ſua.* Duæ erunt ſermoni partes. In prima oſtēdit Chriſtus magiſter quo modo ipſe vocat nos. In ſecunda quo modo nos eum vocare debemus ad repenſum conuiuium. *Luc.7.f* Diuiſio.

PRIMA PARS.

NON immerito cum ſponſa de communicatione eius ad ſponſum ageret, concluſit: Dilectus meus mihi, & ego illi. Aduentum eius præmiſit, dum dixit: Dilectus meus mihi, & hoc eſt cauſa vt adderet: Et ego illi. Niſi veniat ille, nos ire non valemus, immo & ſi potentes eſſemus ad eundum,& quo,& quando,& quo modo ſciremus oporteret, vt nos pigros Deus noſter inbenedictionibus dulcedinis præueniret, quemadmodum & Matthæum, in quo nobis oſtendit Chriſtus, quantæ miſericordiæ ſit eius præuentio, & quantæ incuriæ ſit negligentia peccatoris,qui ſemper ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, & immemor Dei adhæret terræ & pauimento, donec præueniens gratia eum eleuet, atque euellat, vt Matthæum de quo incipit Euangelium: *Cum tranſiret Ieſus vidit hominem ſedentem in teloneo Matthæum nomine.* Noluit Ieſus detinere in teloneo, nec in domo negotiationis qui in via peccatorum non ſtetit, nec in cathedra peſtilentiæ ſedit,ſed tranſibat, vt etiam inde Matthæus tranſiret. Teloneū dicitur præſtatio de mercibus marinis circa littus acceptis,cuius exactioni beatus Matthæus præfectus fuit,vt dicit Gabriel in quarto ſententiarum: & hoc erat in Capharnaum ciuitate Chriſti. Cum enim pes Ieſu non inueniſſet in teloneo vbi requieſceret,tranſibat,ſed ex tranſitu detulit ſecum, vt columba Noe,ramum oliuæ, id eſt Matthæum,cum adhuc oleaſter eſſet,in Chriſtum tamen inſerendus, vt oleum Euangelij præſtaret vngendis populis chriſtianis; nam chriſtianus vnctus interpretatur. Totus *Cant.2.d* Deus ſuos præuenit. *Matt.9.b* *Pſal.1.a* Chriſti tranſit⁹ ad peccatores. *Gabr. Biel. 4.ſent.d.25. q.5.*

Chriſti cumulus meritorum tranſitus quidam erat, ad nos vſque decurrens: nam in ſe detineri non potuit, quia
Matt.16. d non indiguit, nec dedit Deo commutationẽ pro anima ſua: vnde meritum eius copioſe tranſiuit ad nos, ad quod vocatur Matthæus, vt plantatus ſit ſecus decurſus aquarum. Quid vectigalia colligis o Matthæe, tranſi ad me, & a generationibus meis adimplere, accipe iam collecta. Nam cum per me dolores ac triſtitiæ afflictorum, & omnes paſsionum fluctus tranſeant, vectigalia meritorum reponunt atque theſaurizant; veni & accipe aquam vitæ gratis. Nonne meliora ſunt vectigalia Dei quàm Cæſaris? Ex hoc tranſitu meritorum Chriſti ad nos exponunt
Matt.26. d etiam aliqui illud: Tranſeat a me calix iſte: vbi Chriſtus etiam orare viſus eſt, vt meritum ſuæ paſsionis communicaretur ingratis. Tunc etiam dicitur Ieſus tranſire & velut in tranſitu peccatorem videre, quando eum per internam vocat inſpirationem, nec tamen ſtatim in eo manſionem facit, donec inſpiratio appareat in opere, quia tunc detinetur qui operibus credit. Væ illis quibus tranſit Ieſus, & vita, & tempus, & ſenectus inaniter ſperantes, quòd vti latroni continget illis, quem expe-
Pſ.39.a ctans expectauit Dominus, & exaudiuit illum. Ne ſitis huius ſpei fratres, ſed Euangeliſtæ noſtri non pigri imitatores: quamuis enim ei Ieſus tranſiret, ille poſt illum ſtatim tranſiens ei parauit conuiuium, vbi ad plenum eum detinuit. Tranſit ergo Ieſus, quia etſi comprehenſor, tamen viator fuerat, vt nos ad tranſitum huius mundi ad patrem inuitaret. Tranſit vt medicus ad medendũ contritis corde; & vt zelotipus ſponſus ad videndum ſponſam animam; & vt paſtor ad pecus viſitandum; & vt magiſter ad vocandum diſcipulum. Medicus eſt peccatoribus: paſtor incipientibus: ſponſus ad proficientes: magiſter ad perfectos veluti Matthæum, qui vnum habet magiſtrũ in cælis, qui cum tranſiret intus, dixit ei: Matthæe numiſmata inſignita imagine Cæſaris in fiſcum Cæſaris congregabas hactenus, nunc veni vt homines imagine Dei inſignitos loces, ac ducas in fiſcum patris mei regis æterni. Sed quoniam vobis dixi fratres Matthæum peccatoris figuram tenere, aduerte quòd dicitur: *Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio: vidit hominem* non virum:

Chriſtus trãſit vt medicus, ſpõſus, paſtor, & magiſter.

Matthæus peccatoris figuram tenet.

vnde

vnde ab humo dicitur homo: nam, teſte Hieronymo ſuper Ionam, ſicut humus claudit in ſe infernum, ſic auaritia, quæ notatur in teloneo. Quidam ſedent cum Thamar, luxuriantes in biuio immunditiæ animæ & corporis. Superbi ſedent cum lucifero in lateribus aquilonis ſi ſunt ſæculares. Nam prælati & monachi ſuperbi ſedere dicuntur in monte teſtamenti Chriſti, qui eſt prælatio vel religio. Qui autem auari ſunt dicuntu ſedere cum Matthæo ad teloneum, cuius vel quorum ſeſsio figuratur in viſione, qua vidit Zacharias mulierem ſedentem in amphora, in cuius ore maſſa plumbi erat. Amphora tamen delata eſt in aera per alias duas mulieres habentes alas milui. Amphora terrea eſt auaritia, quæ etiam fundo caret: quoniam auarus non implebitur pecunia. Super hanc, dum eam implere cupit, ſedet auarus. In maſſa plumbi ſignatur graue peccatum periurij & mendacij, quæ numquam in ore auari defuerunt. Sed mulieres habent alas milui, quæ ſemper ſtudet pullorum rapinæ, & puſillorum fraudi aut extorſioni. Nec eſt prætermittendum tres fuiſſe iam dictas mulieres, quoniam triplex eſt auari præcipua impietas. Primo quidem impius eſt contra Deum, quem acceptis impugnat beneficijs, dum per diuitias peccat, pro quibus gratias tenetur exhibere. Secundo eſt impius contra ſe, defraudans animam ſuam bonis, quandoquidem nec nocte mente quieſcit. Tertio impius eſt contra proximum, quem aut decipit, aut non præſtat miſericordiam, quam ſibi velit fieri. Iuſte igitur tam pie ſedenti dicitur: *Surge, ſequere me*. Fruſtra videtur dici: *Surge*. Nemo quidem alterum ſequi poterit dum ſedet niſi ſurgat, ſed ad Chriſti ſequelam amplius ſurgendum eſt, quia altior nobis eſt, ideo quidem oportet, vt homo eleuet ſe ſuper ſe, quia iubetur: Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis. Ad minus homine deſcendimus, ad maius homine aſcendamus, ad mulierem, ad miluum: immo & ad infernum inferiorem, ideo ſurge vt conuerſatio tua in cælis ſit. Quod fiet ſi hoc impleas: *Sequere me*. Surgamus ergo fratres ad Chriſtum ſequendum ſurſum: locus namque non eſt hic ſeſsioni, ſed in cælo cum Matthæo ſedenti in vna ſedium duodecim. Infernus eſt ad iacẽdum ob impoſsibilitatem liberi arbitrij deiecti,

In c.2.ve.3.
Seſſio triplex.
Gen.38.c
Iſa.14.d
Zach.5.c
Amphora eſt auaritia
Eccls.5.b
Auari impietas triplex.
Iſa.31.d

Iſa. 14. c deiecti, iuxta id Iſaiæ : Subter te ſternetur tinea : & operimentum tuum erunt vermes. In purgatorio ſunt genibus flexis ad adorandum pro ſe & pro nobis. Nos autem ſtemus per intentionē erecti, quibus quotidie dicitur: *Surſum corda.* Sed cum homo ad laborem naſcatur, aliquando *Iob 5. b* feſſus ſedere poterit cum Ieſu in puteo Iacob qui luctator operoſus fuit in actiua vita. Contemplatiui autem ſedeant cum Maria ad pedes Chriſti. Sequere ergo me lucem mundi, ſi ceſpitare non vis: ſequere me ducem, ſi vis eſſe victorem: ſequere me viam indeuiantem, ſi non vis errare: ſequere me veritatem indubiam, ne opinionibus agiteris: ſequere me vitam, ſi melius viuere cupis. Eia fratres ſurgite cum Matthæo poſt Chriſtum, alioquin eum ſequi non valebitis: quia Chriſto dicit propheta: Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Laborioſa videtur ſequela Chriſti: Quoniā arcta eſt via quæ ducit ad vitam, ſi tamen aliquantulum perſeueres, lata videtur tibi, quia ſcriptum eſt: Latum mandatum tuum nimis, Viam autem latam & amplum mandatum plures ingredi poterunt etiam debiles & claudi. Si ergo firmus fueris in via Dei, fictionem iudicabis laborem præteritum, ac ſi Deus fingeret laborem in præcepto. Vt autem ſcias a quanto labore nos liberant præcepta Dei, aduerte quòd ſecundum Scotum quidquid poſſumus Deo impendere obſequij & honoris, totum debitum eſt ratione creationis, gubernationis, & redemptionis etiam ab innocente: ſed vt Deus locum daret operibus ſupererogationis, & ſatisfactionis quæ eſt redditio voluntaria æquiualentis alias indebitis, nos ad ſola obligauit præcepta: vnde patet quòd præceptorum impoſitio a toto poſſe noſtro nos liberauit, qui ſine præceptis teneremur ad omnem laborem poſsibilem: ideo merito dixit Chriſtus, onus ſuum leue, quia maiorem leuat & tollit a nobis laborem quàm imponat, ideo dictum eſt: *Fingis laborem in præcepto: Sequere* ergo *me* non difficilia iubentem. Dum Chriſtus tranſibat ſequebatur Matthæum: & nunc vice verſa iubet vt ille ſequatur eum. Ego ſecutus ſum te perditum & deiectum vſque dum me perderem pro te, quia factus ſum tamquam vas perditum: tu nunc etſi laborare oporteat, ſequere me.

[Margin notes: Chriſti ſequela. — *Pſ. 93. d* — *Matt. 7. b* — *Pſ. 118. m* — Præceptorum impoſitio eſt leue onus. — *Matt. 11. d* — *Pſ. 30. c*]

Et ſurgens ſecutus eſt eum: non ſurdus auditor, ſed factor operis dicere poterat: Surrexi, & adhuc tecum ſum. Reuertere, reuertere Matthæe, redde rationem vectigalium Cæſari, ne diſsipes bona illius. Nolo reuerti, quia poſt iudicem mundi vado, cui etiam ipſe Cæſar reddet rationem vſque ad nouiſsimum quadrantem. Veni reuertere vt Eliſeus ad oſculandum patrem & matrem. Renuo, quia ecce mater mea & pater meus. In pietate mater, in ſolicitudine theſaurizandi pater eſt. Veni diſpone domui tuæ. Domus mea Eccleſia eſt. Opere dixit Matthæus: Ecce nos relinquimus omnia, opes, & parentes, & filios, & ſecuti ſumus te. Nos verba Chriſti ſequimur præcepta, conſiliave: Matthæus autem ipſum Chriſtum amplius facientem quàm docentem. Ne miretur ergo Porphyrius, vel Iulianus Dei citiſsima ſequela huius Sancti, de quo dici valet: Tunc vocabis, & dicet: Ecce adſum: quoniam venti & mare obediebant voci Chriſti. Immo & inimici Chriſti allecti doctrina ſequelæ ſuæ dicebant Chriſto: Vſquequo animas noſtras tollis? In verbo Verbi Dei maxima virtus erat, compellens etiam voluntates, quanto magis huius Sancti, cuius cor & viſcera penetrauit vox Chriſti? ita vt in auditu auris obediret quidem ei, fere non audierat quando iam ſequebatur; ex viſu enim Chriſti ſe vocari intellexit, & ex tranſitu inopinato. Sequamur & nos fratres Chriſtum, ita vt in omni re, aut via, vel negotio eius quæramus honorem.

Matt. 19. d

Iſa. 58. e

Ioã. 10. e

Pſ. 17. g

SECVNDA PARS.

NVNC videre eſt qualiter Matthæus vocauit Chriſtum, vt cum peccatoribus manducaret in domo ſua, vbi magnum dicit Lucas præparaſſe conuiuium, ſolicitudine non pigra ad vocandum multos: ſic denique magnum fuit conuiuiũ, quod phariſæis non latuit, immo irruentes dixerunt inuidia moti: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter?* Hæc verba, vt ait Ambroſius, ſerpẽtina ſunt: quia ſerpens dixit: Cur præcepit vobis Deus, &c. Synagoga ieiunat, & famem patitur vt canis, quia omnem eſcam, id eſt Chriſtum, abominata

Cõuiuium Matthæi.

Amb. lib. 5. in c. 5. Lucæ to. 3.

Gen. 3. a

abominata eſt, cuius vmbra eam pauit in deſerto, quando pluit illis manna ad manducandum: vtinam ergo ad
Pſ.58.d hoc nunc venirent. Sed væ illis, quia ſi non fuerint ſaturati Chriſto, tunc murmurabunt. Illa ergo quæſtio ad aures Ieſu ſedentis ad menſam peruenit, cui duo reſpondit. Primum quidem ad acceſſores ſuos, adaperiens eis qua intentione venerat, dum dixit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus:* quaſi dicat, ecce paratus ſum vobis ſpiritualiter ægrotis præſtare medicinam ſpiritus: vltro me offero, quia neceſſarius ſum vobis, quibus miſericorditer ſubuenio: ideo nunc ite ad phariſæos ad ianuam inſidiantes, & quærite ab eis qualiter intelli-
Oſe.6.c gunt illud prophetæ: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium:* & ſciant quòd magis vult Deus hanc vobis impenſam miſericordiam, quàm omnia eorum ſacrificia, quamuis impleant templum. Tempus quidem erit, & nunc eſt,
Eze.18.g quando cupit Deus hoſtiam viuentem, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Hoſtias autem mortuas reſpuet, poſtquam venit verum ſacrificium,
Ioan.1.d ſcilicet Agnus Dei, qui tollit miſericorditer peccata mũdi: non vult Deus veteris legis ſacrificia, ſicut dum ſolum ſeruit imago in abſentia rei: dum autem res vera venit, imago ſiue pictura proijcitur, quia iam non ſeruit, & addidit Chriſtus: *Non veni vt vocarem* eos, qui ſe *iuſtos* exiſtimant, *ſed peccatores ad pœnitentiam*, vt nunc ſumus realiter. Hic videtur Chriſtus conuiuium præſens menſam vocaſſe pœnitentiæ, vbi contritio publicanorum erat
Ioan.4.e ei cibus: nam dixerat: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei: & eſt vt venientem non eijciam foras. In hoc tamen conuiuio multa ſignantur conuiuia. Pri-
Cõuiuium multiplex. mo illud, quod Adam telonearius fecit filio Dei in domo Virginis, vt carnem aſſumeret, & in hoc dæmones murmurabant. Secundo figuratur illud conuiuium quod gentilitas fecit Chriſto in domo ſua Roma, relinquendo idola, & ſibi dedicando etiam templa: hi ergo ſedent cum Chriſto in altari, quamuis ſuſurret ſinagoga. Tertio illud quod Deus facturus eſt Sanctis in cælo, vbi iux-
Matt.21.c ta quod dicitur in Euangelio: Multi publicani præcedent phariſæos, in hoc damnati eſurientes detrahent: quia eis
Apo.22.c dicitur: Foras canes, & venefici. Sed notatur vltimo in hoc

hoc cõuiuio aliud ſpirituale, quod Matthæus fecit in cor-
de ſuo filio Dei, quod & nos facere oportet. In hoc ani-
mæ conuiuio ad Chriſtum, peccata vt publicani adducen-
da ſunt in confeſsione, eius digna ſtomacho, qui ait:
Cinerem tamquam panem manducabam. Cinis ſunt pec- *Pſ.101.b*
cata, quæ lacrymis debent confici, & velut in maſſam
redigi: & fiet ſi circumſtantias peccati ſimul adducas in
contritione & confeſsione. Hic ſenſualitas murmurat.
Sed aduerte quòd domus conuiuij eſt conſcientia, iuxta
id: Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio *Pſ.100.a*
domus meæ. De hac dicit Dominus: Ego ſto ad oſtium *Apo.3.d*
& pulſo: ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœ-
nabo cum illo, & ipſe mecum. Dum tranſiret Chriſtus
per teloneum ad oſtium conſcientiæ huius ſancti pulſabat
in ictu oculorum ſuorum, quando vidit eum. Ille autem
aperuit os ad fidei confeſsionem, cor ad contritionem,
voluntatem ad amorem, aures ad Chriſti conſilia, ocu-
los ad lacrymas, viſcera ad proximum: nam ideo etiam
aperuit manum, & palmas extendit in materiali conui-
uio vt reſtitueret etiam peccatoribus Deum, & Deo ani-
mas eorum. Sed quæramus ab eo: nam cum dicat To-
bias, quòd timentes Deum adducantur ad iuſti conui- *Tob.2.a*
uium: cur ille publicanos adduxit, vt, inquit, fierent ti-
morati: in Chriſto namque eſt quid timendum, & quid
amandum. Item Chriſtus iubet vt pauperes ac debiles *Luc.14.c*
vocentur, cur vocas auaros & potentes ad miſcendam
ebrietatem? Voco, inquit, diuites huius ſæculi, vt fiant
pauperes ſpiritu coram Chriſto, & in eius præſentia ca-
dant ſicut idola Ægypti. Memor fuit Matthæus illius di-
cti: Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus perie- *Luc.15.g*
rat, & inuentus eſt. Se nunc videt inuentum a Chriſto, &
vult inuentionis eius diem celebrare conuiuio, quamuis
frater ſenior, qui eſt cętus phariſæorum, doleat, extraq.
permaneat. Menſa ergo ſpiritualis conuiuij eſt propoſitũ
ad proſpera & aduerſa, ne vlla nos a Chriſto ſeparent:
vnde dicamus: Paratum cor meum Deus, paratum cor *Pſ.107.a*
meum, ſcilicet ad proſpera & aduerſa, vel actiuam &
contemplatiuam: & menſa eſt cor ſtabile, de quo ait
Apoſtolus: Optimum eſt gratia ſtabilire cor. In hac mẽ- *Heb.13.b*
ſa ſunt tria caniſtria magiſtri piſtoris, ſcilicet memoria, *Gen.40.c*
intelli-

intelligentia, & voluntas, quas volucres lacerant, dum male vtimur eis, ambulantes in mirabilibus ſuper nos.

Panis conuiuij triplex. In memoria huius ſancti fuit panis ſubcineritius, quæ eſt humilitas ex peccatorum recordatione, & ſatisfactione publica coram publicanis & peccatoribus inuitatis, vt & ipſi faciant ſimiliter, & conuertantur & ſanet eos medicus, qui ait: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus*. In huius etiam intelligentia fides fuit, qua credidit ſibi ſalutem præſtari ac vitã in omni verbo, quod de ore ipſius Chriſti procedebat. In eius voluntate fuit panis propoſitionis, dum maxima obedientia ſe obtulit Chriſto in templo Eccleſiæ ſuæ in æternum permanſurus.

Iſa. 6. d

Matt. 4. a

Vinum cõuiuij triplex. Fuit etiam triplex vinũ, ſcilicet album, rufum, & nigrum. Non ſolum album ſed peralbum ex maxima munditia: munda quidem caſtitas vinum albiſsimum eſt maxime huius ſancti, cuius vinum, teſte propheta, fuit germinans virgines: ipſe enim fuit primus qui virgines Chriſto conſecrauit, incipiens ab Epygenia filia regis Ethyopiæ, pro cuius virginitate protegenda, ne fœdaretur, obijt. Pater quidem primus virginum fuit, cui virgines & caſti nimis tenentur, quoniam exemplum dedit præclarum pro ſeruanda caſtitate moriendi. Subrufum vinum fuit Euangelij ardens prædicatio, eius enim verba ſicut facula ardebant, & cor audientis lætificabat vinum doctrinæ ſuæ. Vinum quidem nigrum aut tinctum ex toto, martyrium fuit, & ſanguinis effuſio pro Chriſto, conſilium eius ſeruando, ac pro eius protegenda ſponſa: Maiorem quidem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ceterarum virtutum cibos quis valeat enarrare? Dominus virtutum Chriſtus virtutes manducat: ideo enim virtus altiſsimi dictus eſt ab angelo, vt virtuti virtutes tribuamus, quia ſimile ſimili gaudet. Præter eas quas dixi virtutes in pane & vino ſignatas, alia fuit facilitas ad bonum qua incunctanter ſecutus eſt Chriſtum; & alia fuit humilitas qua ſe dixit ad teloneum ſedere, & nomine proprio tunc a pluribus cognito, deſignauit ſe in Euangelio ſuo, paruipendens ſe digito publicanum oſtendere: immo in hoc nixus eſt glorificare Chriſtum, qui tam potenter ex publicano cupido & notorio fecit doctiſsimum ac ſanctiſsimum Euangeliſtam.

Zach. 9. d

Ioã. 15. b

Luc. 1. d

Alius

Alius cibus virtutis fuit citiſsima prædicatio: nam ex teloneo prædicauit, illud ſtatim ex toto relinquens, & ex tunc publicanos duxit ad fidem. Fuit & alia virtus munificentia qua vocauit multos ad magnum conuiuium, non iam in teloneo ſed in domo ſua. Fuit etiã extunc in eo alia virtus patientiæ, qua æquanimiter pertulit a phariſæis vocari publicanum & peccatorem, immo & Chriſtus in prandio vocauit eum male habentem & peccatorem vocatum ad pœnitentiam. Sed quoniam hoc virtutum conuiuium per totam vitam ſuam fecit Matthæus Chriſto, ideo illud ex integro narrare non valeo, adducam tamen illam eius figuram, vbi dicitur in libro Regum: Tranſibat Eliſæus per Sunam ciuitatem, erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum vt comederet panem. Cumq. frequenter inde tranſiret, diuertebat ad eam vt comederet panem, quæ dixit ad virum ſuum: Animaduerto quòd vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequẽter, faciamus ergo ei cœnaculum paruulum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos maneat ibi. Facta eſt igitur dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi. Eliſeus interpretatur ſaluans, & eſt Chriſtus diuinus medicus animarum. Hic cum Matthæum vocaret, tranſibat per Sunam, quæ interpretatur vana dormitatio, & eſt negligentia propriæ ſalutis, quam habuit Matthæus ad teloneum ſedens, vbi erat magna quædam mulier, id eſt anima eius ad magna prædeſtinata dona: ad hanc tranſibat & diuertebat Chriſtus, ei gratiam præuenientem infundens, vt comederet panem azimum contritionis ſuæ, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit. Quæ tacta intus per hanc, quam prædiximus gratiam, dixit ad virum ſuum, id eſt ad ſpiritum ſuum: nec enim ſufficit vt anima mea ſola magnificet Dominum, niſi & ſpiritus meus exultet in Deo ſalutari meo. Deliberato igitur conſenſu portionis ſuperioris, fit Chriſto cœnaculum paruum per humilitatem totum cor huius ſancti, vbi lectulus Salomonis erat pax conſcientiæ: vbi Chriſtus dormit & requieſcit. Menſa eſt refectio deuotionis qua ſe coctam lacrymis ponit anima coram Deo, eumq. ſuauem guſtat. Nam & hoſpita cũ hoſpite ornante menſam ſuam manducare ſolet. Sella

Matt. 9. c.

4. Reg. 4. b

Figura huius Sancti.

Eliſei hoſpita eſt anima.

Luca. 1. e

Eccli. 29. d

tanti hoſpitis eſt cathedra magiſtralis qua docet animam. Dum ergo auditum interiorem, attentionemq. mentis Chriſto applicas, vt Matthæus, ſellam paras Chriſto, vbi animam docet, loquens ad cor Ieruſalem. Candelabrum autem eſt proximorum illuminatio, vel huius deſiderium in quo ipſe Chriſtus ponitur lucerna, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Hoc deſiderium plus habuit Matthæus, qui citius prædicare publicanis cœpit, & Euangelium ſcribere, quod alij prædicarent. Quid igitur reſtat fratres, niſi vt Chriſtus requieſcat in domo interiori huius ſancti? O felix Euangeliſta neſcio quid de te referam, niſi quòd quemadmodum in ſæculo exactor, ac vectigalium collector fuiſti, ſic in Eccleſia Dei, & in Chriſto virtutum aggregator, & gratiarum collector extitiſti & meritorum: vbi poſtea ceteros ſupergreſſus, nimis abundares in gloria, quam mihi & vobis pſæſtet Ieſus. Amen.

Mat. 5. b

TERTIA PARS.

Vbi exponitur Euangelium Dominicæ.

NON ſolum Chriſto in terris agenti ſed etiam in cælo regnanti exhibere voluit conuiuium Matthæus: nam Euangelium eius quid aliud eſt quàm ſplendidum conuiuium? In priori conuiuio viuos inuitauit, ſed in conuiuio Euangelij etiam mortuos: in priori quidem inuitauit peccatores, in poſteriori etiam ſanctos. Multos adduxit Chriſto in priori, ſed in poſteriori plures. Conuiuium ergo Euangelicæ doctrinæ, quod fecit, voluit incipere ab ipſius Chriſti ſententia, quæ in præſenti Dominica ponitur: nam cnm legiſdoctor Chriſto vnam propoſuiſſet quæſtionem, & ſolutionem eius non funditus caperet, propoſuit iudæis Chriſtus alteram quæſtionem, vt priorem melius ac fidelius intelligerent, quia ſicut lectio lectionem aperit, ſic etiam quæſtio aperit quæſtionem. Erat ergo apud iudæos ambiguitas quædam, ideoq. inter ſe diſputabāt, quid cui prę ſtare, quidve melius eſſet an ſacrificium templi, an aliud opus charitatis. Vt ergo Chriſtus iſtud ſolueret dubium, dixit ei quidam doctor, volens extorquere opinionem eius: *Magiſter quod eſt mandatum magnum*, idest maius, *in lege*? Cum Chriſtus ſufficienter reſpondiſſet, & non

& non ſecundum fidem Chriſti ſed ſecundum legem Moyſi, ideſt abintus, intelligeret reſponſionem, Chriſtus iuxta fidé catholicam ad ſe voluit vtrumque reducere, ſcilicet legis ſacrificia & opera charitatis: nam quia Deus erat Chriſtus, debebant ei ſacrificium, & quia homo Deus erat, ei debebant opera omnimodæ charitatis: nam ipſe eſt Deus & eſt proximus noſter, & eſt proximus hebræorum, quod volens eos intelligere, propoſuit alteram quæſtionem, dicens: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid.* Hæc reſponſio quaſi decretum ac determinatio erat apud iudæos, tamen poſt aſcenſionem, cum apoſtoli aſſererent Chriſtum non fuiſſe filium Ioſeph: vt illi putabant, occaſionem acceperunt, vt pertinacius negarent eum tamquam ab eorum genere alienum, ac ſi eſſet alienigena & non e medio fratrum ſuorum, vt lex promiſerat. Beatus autem Matthæus propugnator acceſsit, & condidit conuiuium Euangelij, ſumens initium ab illo, quod iudæi negabant: vnde ſic incœpit: Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid: Et conſequenter inuitauit omnes patres iudæorum; dicens: Filij Dauid, filij Abraham &c. Et erat mater Ieſu ibi in iſto conuiuio, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Sed quia iudæi adhuc ſenſibiliter & carnaliter in generatione Saluatoris inenarrabili ſentiebant, ſcripſit Matthæus quaſi addens cibum grandium conuiuio ſuo, hanc quæſtionem, ſcilicet: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quo modo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominũ dicens: Dixit Dominus &c.* In ſpiritu, inquit, vbi res cognoſcũtur non modo humano, ſed modo veriſsimo a parte rei: vbi nota primo quòd in ſacris litteris dum de ſpiritu Dei fit mentio, ſtatim additur aliquid de veritate, quia ille non loquitur niſi rei veritatem: vnde cum ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, illico dixit Deus: Fiat lux, quæ ad veritaté, & veram cognitionem rerum pertinet. Atque cum ipſe Dauid diceret: Spiritu principali confirma me: ſtatim addidit: Docebo iniquos vias tuas. Et Chriſtus de adoratione ſancta loqués, dixit: Quòd in ſpiritu & veritate oportet Deũ adorare. Iam ergo quod in ſpiritu dicitur non ſecundum metaphoram, nec ſecundum hominum morem dicitur, ſed ſecundum exiſtentiam rei. Eſt & alia ratio

Mat. 1. a *Pſal. 109. a* Spiritus habet adiunctam veritatem. *Gen. 1. a* *Pſal. 50. b* *Ioan. 4. d*

incluſa in verbis Domini: nam eo ipſo quòd pater eius erat Dauid: conſequenter, ſi Chriſtus non haberet alium patrem diuinum, erat maior eo, quia in capite ſecundæ tabulæ ponitur de honorandis parentibus præceptũ, quod maxime obſeruabant Iudæi patribus ſuis nimium deferentes, & plurimum deferentes, & plurimum eos venerantes: nam ſi Iacob dicitur: Eſto dominus fratrum tuorum: melius fuit dominus filiorum ſuorum. Sed ne Iudæi adhuc dicerent, quòd Chriſtus ſecundum dignitatem & gratiam futurus erat maior patre ſuo Dauid, ob id in ſpiritu dicit eum locutum, qui propterea non ſubijcit patrem filio: nam Salomon maior fuit omnino quàm Dauid in proſperitate ſpiritus ſui, & templi ædificatione, *& cet.* de quo ipſe Dauid multa prophetarat: ita quòd Deus ei de Salomone diceret: Primogenitum ponam illum: & excelſum præ regibus terræ. Tamen non propterea in ſpiritu vocauit eum Dominum, ſed tamquam filio ſubiecto loquebatur ei. Iam ergo aliquid in Chriſto latet, propter quod eſt Dominus non tantum fratrum ſuorum, ſed patrum ſuorum patriarcharum, & Dominus etiam angelorum; propter quod etiam de ipſo datum eſt illud maximum & primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *& cet.* Iſtud propter quod tantum Chriſtus magnificatur, innuit Chriſtus ipſe dum talem paſſum adduxit: *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.* Si Dauid Chriſto loquens diceret ei: Domine ſede a dextris meis: vt creditur Salomoni recenter in regem vncto dixiſſe, parum quidem, & nimis parum eſſet, tunc enim ſolum dominationi propriæ videretur æquare dominationem Chriſti, aut eam ſuper ſe ponere, qui ſolum dominabitur tribubus Iſrael. Tamen dum in ſpiritu patrẽ æternum cum filio loquentem audiuit vtriuſque dominationem omnino æquauit, dicens: *Dixit Dominus Domino, & cet.* Si dixiſſet: *Dixit Dominus Domino*, Chriſto meo, bene quidem, tamen parum eſt hoc, quia tunc non adæquaretur potentia Chriſti cum patre, vt æquatur ibi: *Dixit Dominus Domino meo.* Sed forte dicet aliquis, quòd dum abſolute patrem ſine reſtrictione vlla vocauit Dominum, et filium, quaſi reſtringens, vocauit Dominum ſuum, minorauit

Marginalia: *Gen.27.d* (beside "rantes: nam ſi Iacob"); *Pſ. 88. d* (beside "Salomone diceret"); *Deut.6.a* (beside "primum mandatum"); *Mat.22.a* (beside "toto corde tuo"); *Pſ.109.a* (beside "adduxit"); Dubitatũ 6. (beside "minus Domino meo").

noravit eius aliquantulum dominationem. Pro reiectione huius dicti, aduerte quòd Dominus reſpectu ſui, nec aliqua perſona diuina reſpectu alterius dicitur dominari, quia dominatio denotat magnam ſuperioritatem, quæ non eſt in Deo reſpectu Dei, ſed reſpectu creaturæ: reſpectu autem creaturæ nobilioris maior dominatio Dei fuit in populo Iſrael, quia eis dominabatur vt pater. Iam ergo nihil minuit ſanctus Dauid gloriam dominationis Chriſti, dum eum determinauit Dominum ſuum & non patrem æternum. Sicut nec minuit gloriam Saluatoris, dicens: Benedicat nos Deus, Deus noſter: benedicat nos Deus. Mediam perſonam Trinitatis vocat noſtram. Iam ergo vt profunditatem illorum verborũ ſcrutemur, aduerte quòd in illis vtramq. filiationem Chriſti intellexit: et ſecundum vtramque vocauit eum Dominum. Prior Chriſti generatio eſt, ibi: *Dixit Dominus*. poſterior autem eſt, ibi: *Domino meo*. Et ſecundum vtramque generationem de duobus mandatis maximi amoris fit mentio in præſenti Euangelio. Iam ergo de altera generatione Chriſti ait: *Dixit Dominus*. Secundum quidem Theologorum doctrinam apud patrem generare Verbum idem eſt quod dicere verbum: vnde ſecundum ſanctum Thomam hoc dicere Patris ad filium, nihil aliud eſt quàm Patrẽ Filium in æqualitate dicendo producere: et ſic non ſolum Dominus loquitur Domino æquali, ſed Dominus loquitur Dominum, id eſt producit, & generat æqualem: vnde propterea canimus: Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Mirum quidem fratres mei, quòd in Domino magno deſcribatur æterna generatio, vt confundatur humana, qua homo ſubitur, et paſſio dominatur rationi, ſed in Deo ratio quidem altius viget apud æternam generationem, quæ eſt proles rationis diuinæ: homo autem ſolum carne generat, quia carnaliter operatur: Deus autem Deum, quia operatur ſecundum diuinam rationem prædominantem. Sed illud quod ſequitur: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*, vtrique generationi conuenit. Quapropter aduerte, quòd in Deo nihil eſt ſiniſtrum, vtraque enim manus eius dextera eſt. Sed forte dices: Nonne Deus vnam ſolam manum habet, quæ eſt potentia eius qua omnia condidit? Duas quidem

Solutio.

Pſ. 66.

Chriſti duplex eſt generatio.

Habetur in Sym. Atha.

Dei duplex dextera.

dem habet manus ſecretiores, quibus operatur intra ſe, quæ & ſunt priores quàm potentia: nam vt probat Scotus contra Henricum, nihil eſt poſsibile, niſi quia aliquo modo volitum a Deo: vndè a voluntate Dei omnia poſsibilia dependent. Sed prout ad præſens attinet, ſatis eſt nobis, quòd opera ad intra ſunt etiam infinite priora, quàm opera ad dextra. Habet ergo Deus duas manus dextras intra ſe, quibus numquam otioſus fuit. Altera manus eſt intellectus eius, ſcientia quintuplici refertur velut digitis, quorum primus eſt notitia eſſentialis ad intra, qua primo cognoſcit eſſentiam ſuam. Secundus digitus eſt notitia, qua per reflexionem ad ſeipſum generatur filius, quia gignitur per actum intellectus. Tertius digitus Dei eſt notitia omnium contingentium, ſiue rerum ad extra, quarum prima eſt mundi creatio. Quartus digitus eſt notitia iudicatiua, ſiue approbatiua electorum, & beatitudinis eorum. Quintus digitus eſt notitia iudicatiua ſiue reprobatiua malorũ propter eorum peccata. Iam ergo in hac manu, id eſt in intellectu paterno, recipitur productus filius, quo & ab æterno ſedit tamquam in cathedra diuinæ ſapientiæ, vt angelos doceat omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditos. Altera manus Dei etiam dextera, eſt eius voluntas, quæ pariter quinque habet digitos, id eſt modos amandi, ſiue amores. Primus eſt Spiritus ſancti actiua & concors productio. Secundus omnium electorum prædeſtinatio. Tertius eſt eorum ad gloriam vocatio. Quartus eſt eorum iuſtificatio. Quintus autem eorum glorificatio. Voluntas ergo patris communicatur filio, ideoq. ſedit in ea: nam etſi non voluntate, tamen volens generat eum pater, & in eadem generatione confert ei omnem infinitam voluntatem ſuam, in qua ſedet ſimul cum patre infinitum producens amorem, ſcilicet Spiritum ſanctum. Sed forte quæris, cur in priori dextera nullam infinitatem produxit, & in altera ſic. Ad hoc reſpondemus, quòd non minus potens eſt filius Dei in altera dextera quàm in altera; verumtamen in priori iam inuenit terminum adæquatum, & potentiam producendi exhauſtam & expletam: ideo non aliam ſapientiam produxit, tamen in dextera voluntatis cum non ſit amor productus ante productionem filij, & filius productus ſit etiam productor infiniti

Scot. 2. lib. Sent.

Digiti Dei plures.

Coll. 2.

niti amoris : hinc eſt, quòd ibi ſedens infinitum, eructat amorem cum patre:vbi non minus docet mirabiliter amorem, quàm in altera ſapientiam : quoniam propterea dicitur : In dextera eius ignea lex, dilexit populos. Ecce igitur quo modo in vtraque patris dextera doctor Filius Dei ſedet, cui & pater inimicos ſubiecit, ſcilicet prauos angelos per Michaelem. Sed quia dicitur, quòd inimici ſcabellum pedum Chriſti eſſe deberent, habet ne Filius Dei pedes? Niſi pedes eius ſint fortitudo, & potentia ad conculcandum eos : ſicut ſcabellum ſuppeditare ſolemus. Hæc autem ſubiectio per patrem fieri dicitur, quoniam ante beatitudinem angelorum Trinitas vix erat eis nota. Pedes etiam Filij Dei ſunt anima & corpus, in quibus viator factus, ad nos vſque venire debuit miſſus a patre, tamen ſedit a dextris eius, donec mali angeli ſubijcerentur ei, qui noluerunt incarnationi ſibi reuelatæ deſeruire, ſed inuidere, ac illudere : tamen ei ſubijciuntur velint, nolint, quia in verbo carne induto omne flectetur genu etiam infernorum. Cum igitur tam profunda ſint myſteria, nec mirum quòd hæc phariſæi non intelligant, cũ nec Dauid niſi in ſpiritu loqueretur poſſet ea intelligere. Sed adhuc multa dicenda superſunt, quia hucuſque de Chriſto Deo locuti ſumus, deinceps autẽ aliquid de Chriſto homine tangamus, ſicut et tetigit Dauid eum Dominum ſuum vocans : *Dixit* inquit, *Dominus Domino*. Vix auſus eſt patrem æternum vocare Dominum ſuum, quoniam ſolum filium incarnandum cognouit, eiq. promiſſum, ideoq. peculiariter eum vocat Dominũ ſuum, quia magis familiariter nobis appropinquat filius quàm pater, ideoq. ſignãter dictus eſt Deus noſter. Sed quia ea quæ Pater dixit Filio etiam incarnato conueniunt ei, conueniunt inquam Chriſto homini, aduerte quòd ea quæ primo volumus, et præ ceteris intendimus, magis cognoſcimus & plus amamus, & velut in dexteris noſtris collocamus. Deus præ omnibus rebus ad extra voluit humanitatem Chriſti : nam omnis ordinate volens prius vult finem, deinde media quæ ſunt ad finem. Finis operum Dei ad extra fuit Verbi incarnatio, per quam omnia reduxit ad ſe. Inſuper aduerte quòd habet Deus duo bona extra ſe, ſcilicet ſpirituale & corporale, & cum omnia deſeruiant fini, cui ordinantur: hinc eſt quòd Chri-

Deut. 33. a

Pedes Chriſti.

Phil. 2. b

Primatus Chriſti.

ſtus dicitur ſedere in dextris patris, id eſt in potioribus tam ſpiritualium quàm corporalium: de ſpiritualibus loquitur Apoſtolus, dicens: Sedet ad dextram maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. De corporalibus autem conſequenter vocatur Dominus Dauid: quia ipſum dedit pater caput ſuper omnem Eccleſiam: ergo de vtriſque bonis, ſcilicet ſpiritualibus puris, & corporalibus quibuſcumque dicat ei pater: Sede fili a dextris meis, vt cetera, ſi tibi conferantur, ſiniſtra iudicari valeant. Si autem hoc fieri non poſsit citra inuidiam aliorum, quieſce tu: *Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*. Vbi aduerte quòd in ſcriptura *donec* pro æterno ſæpe ponitur: & ſic Dominus dixit: Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit a lege. Certum eſt quòd cælum, & terra numquam tranſibunt: nam Salomon dixit: Terra autem in eternum ſtat. Quòd autem a patre ſubijciantur filio inimici, non infirmitatem filij, ſed vnitatem naturæ, vt notat Beda, qua in altero alter operatur, ſignificat. Nam & filius ſubijcit inimicos patri: quia patrem clarificat ſuper terram. Iam ergo inimici Chriſti hominis ſunt domeſtici eius Iudæi, qui, cum tantum hominem credunt, ſcilicet filium Dauid, & non filium Dei. Et quia non eum erant cognoſcituri vſque dum aſcenderet in cælum, ſederetq. ad dexteram Dei, pater dixit ei: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*. Nunc videnda ſunt duo, primum, quos pedes habet Chriſtus, nec enim de eis, quos clauis perforatos detulit, intelligitur, quoniam litteraliter non remanſerunt in terra: quia totus Chriſtus aſcendit. Secundo videre eſt, quo loco, quaue conditione ponat inimicos, dum eos pater fecerit ſcabellum pedum Chriſti. De primo aduerte quòd pedes Chriſti ſunt Apoſtoli, quibus Chriſtus totum fere peragrauit mundum. De his pedibus dicitur: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, quia erant principes terræ, et etiam ad litteram omnia noui Chriſtiani ſubijciebant pedibus Apoſtolorum tamquam pedibus Chriſti. Inimicos ergo Chriſti pater ſubiecit Apoſtolis, quando, referente Luca, turba ſacerdotum obediebat fidei, tūc ſane pedibus Apoſtolorū ſubditi erant ſicut & ceteri

Hebr. 1. a

Donec eſt æternum.

Mat. 5. b

Eccleſ. 1. a

Mich. 7. b

Scabellum pedū Chriſti.

Pſ. 8. b

Act. 6. b

teri fideles, qui appropinquantes pedibus eius, id eſt Apoſtolis Chriſti, accipiebant de doctrina illius. Ex tunc & ipſi amicĩ facti dicuntur ſcabellum Chriſti, quod eſt inferius pedibus, et eis deſeruit. Sed quid eſt hoc fratres, nonne videtis magnam dignitatem adeptos inimicos Chriſti, quos paulominus ab Apoſtolis minuit? Sane quidem, quia hæc eſt nimium amantis vindicta, vt pœnitentiam inferens, tribuat dignitatem. Nam & hic legiſdoctor tentans eum acceſsit ad Chriſtum: cui poſtea, referente Marco, dixit Chriſtus: Non longe es a regno Dei. Nam quærentem amoris quæſtionem per eundem amorem conuertit, et ſcabellum pedum ſuorum fecit, et per conſequens ſanctum, vt ſciret totum amorem in Chriſtum referre, de quo audiuit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Hoc debemus Chriſto Deo in prima eius generatione diuina: quia eſt maximum & primum mandatum. Sed quia Chriſtus etiam eſt homo, et filius David, ſubiungitur: *Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ:* quorũ omnium finis eſt Chriſtus, ad quem tamquam ad finem ordinabantur. Sed aduerte, quòd Ieſus non dixit: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius erit,* quamuis eum Iudæi venturum expectarent, quia in rei veritate venturus non erat, ideo dixit: *Cuius filius eſt:* de præſenti ipſo loquens. Quo modo autem ipſe illam et adimpleuerit, non eſt modo dicendum. Si tamẽ ad longum vis omnia cernere, lege noſtrum Librum, qui dicitur lex amoris, vbi ſuperabundanter quàm petere poteris ſunt omnia. Si autem concionari volueris ſuper hoc: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua,* poteris oſtendere dignitatem huius præcepti in hoc, quòd Deus primo illud impleuit dupliciter, ſcilicet erga ſeipſum, & erga animas iuſtorum, quaſi erga deos ſuos: nam eos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt. Item nos debemus illud mandatum implere, primo erga Deum, ſecundo erga Chriſtum eius, qui ex toto corde anima & mente dilexit nos hic per gratiam, & in cælo per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

Deut. 33. a

Mar. 12. e

Præceptum amoris datur ob Chriſtum.

Ioan. 10. f

SERMO DOMINICÆ XVIII. POST PENTHECOSTEN.

Pro patre beato Franciſco, de meditatione paſſionis quam habuit: vbi & exponitur Euangelium præſentis Dominicæ.

THEMA.

Mihi mundus crucifixus eſt. Gal. 6. Et valet etiam pro ſacris ſtigmatibus eiuſdem.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

1.Cor.2.d VT ait Paulus: Spiritualis omnia iudicat, & a nemine iudicatur. Vbi excludit a iudicando aliena crimina eos
Luce 4. d qui ſimilia agunt, ne dicatur eis: Medice cura te ipſum. Cum ergo beata Maria iudex mundi, ex quo in eam Spiritus ſanctus ſuperuenit, tota ſpiritualis remanſerit, optime in opprobrium dicere valet: *Mihi mundus crucifixus eſt:* quaſi dicat crucifixum mundum video obligationibus vitioſi, patibuloq. inferni damnatum. Nec mirum quòd Maria nobis improperet iſtud: quoniam & Bernardus ait: Totùs
Phil. 3. d mundus contra Chriſtum videtur coniuraſſe. Sed cũ Paulus dicat inimicos crucis Chriſti eos, quorum Deus venter eſt, luce clara deprehendimus non cruce Chriſti, ſed cruce latronis maligni crucifixum eſſe mundũ: qui in ma-
1. Ioan. 5 d ligno poſitus eſt. De hac dici ſolet: Abi in malam crucem. Sed, o beata mater per illum paſſum ſtrictiſsimum te rogamus, quo erat anima tua quando filium depoſuiſti ex
Ioan. 19. a illa cruce, de qua Ioannes eloquium ait: Erat iuxta crucem Ieſu mater eius, vt ſcilicet commodius natum deponeret,

neret, vbi meruit errantes ad boná crucem deducere, quod & citius fecit, quando ſepulto filio ad crucis adorationem prima reuerſa eſt cum ſuis. Sed quoniam verbis Dei cruci eius affigendi ſumus, iuxta illud: Verba ſapientium ſicut claui in altum defixi: quæ conflari non valent abſque gratia Spiritus ſancti. Et de Maria dicitur: Sedebit conflans, & emundans argentum, ſcilicet eloquentiæ: nam ideo in eius Purificatione canitur illud: vt nos doceamur pro gratia purificante ad eam recurrere, quam vt aſſequi valeamus, ei deferamus. Aue Maria.

Eccls.12. d

Mal.3. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

SICVT ſe habet ægrotus ad ſibi appoſita fercula, ſic beatus Franciſcus ſe habuit ad mundi negotia: nec mirum, quia & ipſe amore, inquit, langueo. Dum recenter ægrotat, inſipide veſcitur, dum creſcit languor, guſtus euaneſcit, comedere renuit: ſi autem diuturne languet, contingit in tantum odiſſe carnes, vt ſi eas ſibi apponas nauſeam prouocent: infirmitate non ad mortem ſed ad vitam, quia virtus in infirmitate perficitur, tactus erat ſanctus iſte, quando affluentibus diuitijs, quæ ſunt eſca diaboli, noluit cor apponere, quia ſibi nimis inſipidæ viſæ ſunt, & tunc etiam manens inter eas propoſuit omni petenti ſe tribuere, maxime ſi diuinum allegaret amorem. Sed creſcente hac ſana infirmitate, qua & ſi caro claudicat, ſpiritũ bene dicitur omnes renuere opes, eaſq. in Eccleſiarum ædificatione diſtrahere. Dum autem pater eum vrget ad ſæcularia negotia remeare, ſciens vir Dei quòd nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, ait infeſto ac moleſto patri: *Mihi mundus crucifixus eſt*. Ne me deferas in crucem mundialem & immundam, quia Auguſtinus ait: O munde immunde, teneri vis periens; quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Si Franciſcus dixiſſet mihi, Chriſtus crucifixus eſt optime: ſed quia de inimico Chriſti loquitur: nam mundus eum non cognouit, ideo oppoſito modo intelligenda veniunt verba, & quadam execratione dicta, vt ſit ſenſus: *Mihi*, id eſt contra me nequam, *Mundus*, cruce peruerſa, *Crucifixus eſt*, inimicus meus eſt.

Franciſcus mundana deteſtatur.

1.Cor.12 c

2.Tim.2. a

Aug. lib. 4. de Symb. ad Catechum c. 1. in fi. to. 9.

Ioan. 1. b

Duæ

Diuiſio. Duæ ſermoni partes erunt de duplici mundo crucifixo patri noſtro Franciſco, ſcilicet maiori, & minori.

PRIMA PARS.

QVAMVIS nunc de mundana cruce cruciante ſeruos Dei loqui non incongrue potuiſſem, oſtendens quo modo eſt peruerſa, & contraria cruci Saluatoris, malo totum in bonam partem accipere, ita vt totus iſte maior mundus ſancto huic dicatur crucifixus, ad animi eius deuotionem excitandam. Omnis maior mundus ei erat imago crucifixi dilecti ſui, alioquin minime replicaſſet: *Deus meus, & omnia: Deus meus, & omnia.* Ac ſi omnia ei Deum crucifixum oſtenderent. O ergo, *Deus meus, & omnia*, quia in omnibus mihi Deus crucifixus eſt: & omnia ob eum mihi crucifixa videntur. Deum mihi omnia proclamant. Etiam malus mundus huic ſancto in bonam partem crucifixus erat: vbi aduerte quòd ſecundum *Richar. 1. p ſuper Apoc. cap. 8.* Richardum triplex eſt mundus etiam maior: et omnis beato Franciſco deſeruit. Diuerſimode capitur cum dicitur Deus Creator mundi: Saluator mundi, & diabolus princeps mundi. Eſt mundus cuius Deus Creator eſt, ſcilicet *Ioan. 1. a* vniuerſalis fabrica, de qua dicitur: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Et eſt cuius Deus ſaluator eſt, ſci-*Ioan. 3. b* licet vniuerſalis Eccleſia Dei, de qua dicitur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Mundus diaboli eſt cuncta ſæculi concupiſcentia, de quo dicitur: *1. Ioan, 2 b* Nolite diligere mundum: neque ea quæ in eo ſunt. Primus ergo ſemper eſt Dei, numquam diaboli: tertius autem quantum ad prauam actionem ſemper eſt diaboli, quantum ad prauæ actionis diſpoſitionem ſemper eſt Dei: Deus quippe quamuis mali non ſit auctor, eius tamen eſt diſpoſitor: quia licet ab ipſo non accipiat ortum, minime tamen illud ſub ſe relinquit inordinatũ: & fit miro modo, vt quod ab ipſo non habet originem, ab ipſo tamen & ſecundũ ipſum ordinationem ſumat. Hæc Richardus: vt vterque prę-*2. Tim. 2. c* dictus mũdus ſeruiat mũdo Eccleſiæ: Quia nouit Dominus qui ſunt eius, & his qui ſecundũ propoſitum, id eſt prædeſti-*Rom. 8. f* nationem, vocati ſunt ſancti, omnia cooperantur in bonũ. Ex hoc igitur fundamento perſpicuũ habetis fratres qualiter

liter beato Franciſco mundus vtiliter crucifixus eſt, quicumque ſit ille: quia omnia inſeruiunt ſeruienti Deo. Vndecumque tempeſtas inſurgat, vndecumque perſecutio ingruerit, ſecurus dicat Franciſcus ad vtilitatem meam: *Mundus crucifixus eſt*. Bene mihi ſunt omnia, Deus & omnia venerunt mihi: omnia vehiculum Dei ſunt. Hæc beatus Franciſcus ſæpe ingeminat. Triplex ergo mundus, ſcilicet Eccleſia ſibi crucifixa eſt, quoniam ab eo in tribulatione, quam tunc patiebatur, ſubſtentata, ex quo ſibi accreuit honor, fabrica tota in peſte & fame ab eo ſedata, etiam ſuo honori crucifixa fuit, et peccatorum congregatio quam conciliauit. Omnis ergo aliorum cruciatus quibus ſubuenit ad ſui honorem ſuccedebant. Sed quoniam tota ſolicitudo huius vtilitatis videtur ex parte Dei prouenire, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt ad noſtrum profectum: ideo in retributionem horum quæ Deus retribuit beato viro, voluit ipſe aliter ſibi mundum crucifigere & magis meritorie, dum totum mundum conſpexit, quaſi Chriſti crucifixi repreſentatiuum ſibi: vt in omnibus videret Chriſtum crucifixum. Vbi aduerte quòd ſtat exercitium iſtud in hoc, vt omnia quæ videbat, ſigna faceret per meditationem crucifixi: in omnibus crucifixum ſtilo intellectus depingebat. Omnia viſibilia ſibi materia & ſigna erant in quibus paſsionem renouare ſatagebat, ac ſi omnia eſſent tincta ſanguine Chriſti. Nouerat quidem ſanctus iſte, quòd quamuis Chriſtus ſemel mortuus fuerit, multum expedit mortem eius renouare, donec veniat, vt ſic ſemper nouum videatur beneficium, nouumq. teſtamentum. Sic enim & ſancti in cordibus ſuis cantare dicuntur quaſi canticum nouum, vt recens ſit eis exhibitum beneficium, ne conqueratur Deus, quòd obliuioni datus ſit tamquam mortuus a corde. Dicebat Chriſtus ſancto Franciſco: Deſcripſi te, ideo non obliuiſcar tui. Et ille adiungit: In operibus meis, & in toto mundo depinxi te: quia mihi in memoriam tui totus mundus crucifixus eſt, in omnibus amabilem renouo memoriam tui.

Mundus qualiter crucifixus. *Rom. 4. b*

Pſ. 30. d *Eccli. 46. c*

Plurimos legi ardua renouaſſe: nam in laudem Samuelis dicitur, quòd renouauit imperium & vnxit principes gentis ſuæ. Et filius Sirach renouaſſe dicitur ſapientiam cordis ſui. Et Ionathas amicitias Romanorum renouat: & in

Eccli. 50. d *1. Mach. 12. a*

in Eccleſijs quotidie aqua baptiſmi renouatur. Beatus autem Franciſcus huic exercitio deditus maiora renouat: nam ſi Samuel regni terreni renouat imperium: hic autem ſanctus in corde ſuo renouat imperium regni Chriſti, quod eſt eius ſacra paſsio, principatus ſuper humerum eius, per quam ſuper omne nomen exaltatus eſt: & ſic noua vnxit ſanctus iſte deuotione principes gentis ſuæ, qui ſunt tres præcipue vires animæ inter alias potentias. Alter cordis ſapientiam renouat: huic alia ſapientia non eſt niſi Ieſus Chriſtus, et hic crucifixus, quem in ſpiritu mentis noſtræ renouare oportet: ex quo ſequitur quòd non cum Romanis, ſed cum angelis amicitias renouauit beatus Franciſcus, qui in ſanguine agni nobis amici facti ſunt. Alioquin Apoſtolus non diceret, quòd per ſan-

Coll. 1. c guinem ſuum Chriſtus pacificat quæ in cælis ſunt, & quæ in terris ſunt. Ex hoc Franciſco euenit ſic ab angelis frequentari, vt cum ægrotaret, vt leuius ſe haberet, coram eo muſicalia inſtrumenta perſonarent. De renouatione aquæ baptiſmalis accipe, quòd & ſi ſacramentum baptiſmi non eſt iterabile in ſe, hoc ideo fecit Deus, quia in ſua principali origine ſæpius ceteris iterari poteſt, non minore merito ſi debite fiat quàm in ſeipſo. Origo eius paſ-

Iud. 12. b ſio Chriſti eſt, vbi velut altera Iudith frequentiſsime anima huius ſancti baptizabat ſe in fonte lateris Chriſti, vt merita cumularet ſibi. Non ſolũ ergo mundus, ſed quælibet res mundi ſibi crucifixa erat, in ea crucifixũ oculis mẽtis, & cogitatibus renouans. Vt autem e multis vel vnum dicam, aduerte quòd pauper Frãciſcus non niſi vnũ librum pro omnibus fratribus ſuis initio ſuæ religionis habuit, tũc enim multo emebantur pretio: nam ideo tunc arbitrans ſemper pauperes futuros fratres ſuos, qui nunc ſolo nomine pauperes ſunt, poſuit in regula ſua, vt ſecundum Romanam Eccleſiam diuinum facerent officium, ex quo habere poſſent breuiaria: antea enim non tenentur niſi a tempore quo habuerint ea. Habens ergo ſimplicem librum, in eo Chriſtum crucifixum contemplans, dicebat fratribus

Christus dicitur liber fratrũ. ſuis: Corpus Domini mei Ieſu Chriſti liber eſt non ſolum calamo ſcriptus, ſed ferreo ſtilo, qui magis eradicans quàm ſcribens, litteras ſculpebat, ſcilicet clauus, flagellũ, & lancea, quæ corde eius nos omnes ſcripſit. Nec mirum

quòd

quòd hoc dixerim, quoniam propheta litteras vocat pla-
gas Chriſti, qui eſt liber ſcriptus intus, ſcilicet in cor-
de, & foris in corpore. Hic liber ex virginea membra- *Iſa. 49. ſ*
na confectus eſt tam pura vt radi non indigeret. In hoc *Apoc. 5. b*
libro deifico diuina ſapientia deſcribitur: quæ, vt ait
Sapiens, non habitat in corpore ſubdito peccatis, & vt *Sap. 7. d*
in Chriſti corpore ſcriberetur, dolus in eo non inueni-
tur. Nec mirum quòd in corpore Chriſti diuinam ſapien-
tiam dicam, cum Verbum caro factum ſit. Vbi aduerte *Ioan. 1. b*
quòd Verbum patris in eo mentale fuit, in prophetis vo-
cale, & in carne Chriſti fuit verbum ſcriptum opere Spi-
ritus ſancti. De primo ait Pater: Eructauit cor meum
verbum bonum. Sed dum hoc verbum poſuit Deus in ore *Pſ. 44. a*
prophetarum fit vocale: at cum venit plenitudo tempo- *Gal. 4. a*
ris, quo videret omnis caro quòd os Domini ſemel locu-
tum eſt, dicitur Spiritui ſancto: Accipe tibi librum gran-
dem, & ſcribe in eo ſtilo hominis. Grandis liber dicitur *Iſa. 8. a*
caro Chriſti, quoniam in ſe continet maximum verbum
Dei, de quo Auguſtinus: Quod eſt hoc Verbũ, quod dictu-
rus antea non ſilebat, quo dicto nõ ſiluit qui dicebat. Quod *Aug. ſer. 3. de Sanctis, qui eſt 1. de Nat. Dom. to. 10.*
eſt Verbũ ſine tempore per quod facta ſunt tempora? Ver-
bum quod labia nullius aperuit cœptum, clauſitve finitũ.
Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, &
aperuit ora mutorum. Verbum quod linguis hominum di-
ſertis non fit, & linguas infantium facit diſertas. Quæ nam
eſt illa generatio, cui pater moriendo non cedit, quia non
eum viuendo præcedit? Hæc ille: vbi attende quòd hoc ver-
bum Dei ſtilo hominis iubetur ſcribi: vt inuiſibile ver-
bum fiat homo viſibilis. In carne Chriſti & nos, & Verbum
Dei ſcriptum eſt. Nos inſtrumentis ferreis, ſed Verbum
Dei lingua Mariæ, quæ ait: Lingua mea calamus ſcribe, *Pſ. 44. a*
velociter ſcribentis, ſcilicet Spiritus ſancti velocis: quo-
niam in inſtanti operatus eſt incarnationem verbi, ſtatim
quo mota eſt lingua Mariæ ad conſenſum. In camera vte-
ri virginalis ſecretiſsima coram ſolo Gabriele huius my-
ſterij miniſtro ſcriptum eſt verbum, qui ſcrinium parare
venerat & calamum actibus hierarchicis. De huius libri
pulchritudine ſtatim poſt prædictum verſum ſequitur:
Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia
in labijs tuis. Viuus quidem liber eſt. Nec mirum ſi tam
pulcher

pulcher ſit ex tali materia et a tali compactus artifice, taliq. ornamento decorus gratia ſeptiformi ſeptem ſigillorum, quam Dei agnus aperuit in cruce, dum ſeptem verba loquitur, referta myſterijs et gratiſsima. Sed quamuis ad interiora eius, vt beatus Franciſcus, non intremus profunda & in ſilentio ſcrutanda myſteria, vel quod foris eſt legite fratres: nam a planta pedis vſque ad verticem capitis nec iota vnum vacat a myſterio. In capite legamus humilitatem, abiectionem, & ſpinis coronatum. Sed cum ſcriptum ſit: Oculi ſapientis, id eſt Franciſci, in capite eius; ſcilicet Chriſto: aduerte quòd leuans oculos & cor ad crucem quærebat a Chriſto: Cur Domine caput habes inclinatum? In ſignum acceptæ humiliationis, & vt iugum obedientiæ me ferre oſtendam vſque ad mortem: et ad quid vltra? vt te ad plagam lateralem hoc ſigno aduocem: nam lingua mea iam loqui nō valet. Cur Domine verſus dexteram partem? vt te doceam ſemper ad meliora intentionem habere: & vt fugerem titulum regni huius mundi, quia regnum meum non eſt hinc: mundi gloriam renuo vanam, qui veram Dei teneo. Cur Domine Ieſu cum clamore valido & lacrymis emiſiſti ſpiritum? vt in hoc legant qui exultant in rebus peſsimis, qualiter illis flendum eſſet, antequam in viam dubiam aut peruerſam ſpiritum deſtinare contingat: cum ego qui certus eum in patris manus commendo ſic defleo. Cur Domine cum ſcires tibi acetum propinandum in cruce, ſitio, dixiſti? vt legant in eo effrenes qualiter eorum ingluuies, & ebrietas, aut verba otioſa punienda ſint. Cur Domine ſic extenderis in cruce hac? vt auari perlegant & diſcant palmas extendere ad pauperem: ita vt ſi caſus acciderit ſanguinem præbeant pro anima fratris. Cur Domine Ieſu latus habes latum nimis, & apertum? vt inuidi legant non ſeruare rancorem aut ſaniem præteritæ offenſæ, & mei dilectores aduenient: quia mihi & illis ſatis erit hic locus abbreuiatus, quem paraui eis. Cur Domine Ieſu tam caſtigatum habes in cruce corpus, quod non ſolum in matutinis ſed tota die pœnas luit? vt luxurioſi diſcant quòd caſtitas ſine caſtigatione non fit; maxime in eis qui ſanctiores Paulo nōn ſunt. Cur Domine ſic habes cruci tam affixos pedes? vt legant inconſtantes perſeuerare, & ſtatuere ſupra petram pedes ſuos, itatiq. diſcant

Iſa. 1. b

Eccls. 2. b

Lectio libri in crucis arcanis.

Ioan. 19. g

Hebr. 5. c

diſcant cruci patientiæ adhærere, nec ad vindictam currere. Cur Domine mi etiam viſcera tenſa in cruce habere decreuiſti, vbi maximum tuliſti dolorem? vt ad inimicos etiam tu charitatem extendas, quamuis durum tibi videatur, & ad maiora te extendas opera. O liber (ait Franciſcus) omnium ſcientiarum, nihil aliud me iudicaui ſcire inter vos & inter angelos, & cuncta creata niſi Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum. O liber flagellis velut punctis diſtinctus, plagis maioribus illuminatus, torturis alijs pauſatus, in tabulis crucis compactus: corrigiæ fuerunt funes quibus ligatus es, niſi velimus dicere quòd claui eum per membra diſtinctum tenent in pulpito crucis, vt etiam neſciens litteras legat, & ſciat quòd regiſtra coccinea ſunt comæ Chriſti, quas quaſi Nazarenus nutrierat. Spinæ deſeruiunt ad litteras quaſque ſignandas. Titulus libri eſt ſuper caput eius tribus linguis ſculptus litteris, Hebraicis, Græcis, & Latinis: vbi tres mundi partes in eo legant tria, ſcilicet ſanctitatem Hebræorum, quæ iam in hoc ſolo eſt libro. Sapientiam Græcorum, quæ ad hunc librum deuenit. Poteſtatem Latinorum, quæ in eo continetur. Hic liber nulla indiget correctione, quamuis Pilatus ignarus dixerit: Corripiam eum, & dimittam. Si ſciret ipſe per librum iſtum ſe corrigendum fore eum non dimitteret: nec omnium originale corrigere præſumeret, per quod omnia vitia ſunt corrigenda.

1. Cor. 2. a *Luc. 23. c*

Qui plus in hoc legerunt libro ſancti angeli fuerunt, & Maria, & Ioannes, & beatus Franciſcus qui non ſolum in libro ſuo librum vitæ contemplatus eſt omnibus communem & cruci ligatum: ſed in qualibet re mundi, vt ſic ſibi mundus crucifixus eſſet, quod liquide conſtat ex pluribus dictis & factis eius: nam dum in via conſtitutus inter capras, quandam videret ouem, dixit ſocio: Sic erat Dominus Ieſus inter phariſæos, diſsimilis vita, doctrina, habitu & natura extraneus fratribus ſuis. Dum etiam videret turtures ad venditionem duci, prohibuit. Sic fideliſsimus Dei filius ductus eſt ad crucem mitis & humilis corde, propter quem petijt ſibi aues dari, quas liberas dimiſit, vt in campos euolarent. Et ferenti eas prophetauit, quòd optimus frater minor futurus

Franciſci deuotio ad Crucifixū.

Animalia per Franciſcũ libertati reddita.

turus eſſet. Dum etiam ſibi lepus allatus eſſet, dicit: Ne affligamus animal iſtud, quia Dominus noſter afflictus eſt vt ab omnibus afflictionem fugaret: & ideo illud libertati ſuæ reddidit, ſed lepus ad ſanctum virũ rediens fugere nolebat, ſed in gremio eius occubans quieſcebat, quod vir ſanctus cernens, ait: Melius poterat Dominus abire: ſed noluit, vt liberaret nos. Lepus ergo per duos fratres tranſmiſit in eremum, vbi ſecurus eſſe valeret. Item dum quendam agnum iuxta quandam ſuem conſpexit, & poſtea cum ſus deuoraſſet, flere cœpit ſanctus vir, & ait: Maledicta ſit ſus illa agnum deuorans: ſicut ſinagoga deuorauit Dominum meum Ieſum agnum Dei. Nullus homo nec beſtia comedat ex ea, ſed putredini & fętori relinquatur. Mira res: nam, teſte Bonauentura, ſic maledictio beati viri comprehendit ſuem, vt ſtatim mortua ſterquilinio relinqueretur, quam nec famelicus canis comedere voluit. Dum denique leproſum quendam videret vlcere nimio plenum, in oſcula vulnerum ruens, dicere cœpit: O vulnera beata Domini mei Ieſu Chriſti: Cuius liuore ſanati ſumus. Mirabile dictu per oſcula quidem ſic ſanauit plagas eius, vt nec ſignum remaneret veſtigij: quid plura? per plateas flere non verebatur, quia quidquid videbat crucifixum erat.

1. Pet. 2. d

SECVNDA PARS.

Mũdus minor eſt Frãciſco crucifixus, id eſt ipſe ſibi.

De mundo minore nunc agendum propoſui, qui etiã crucifixus eſt beato Franciſco. Mundus minor ipſe frater minor Franciſcus, minorem ſe voluit vocari. Sed videamus nunc de re ipſa: quamuis enim minor vocetur, non inficit quin maior ſit. Homo quilibet microcoſmus, id eſt minor mundus, appellatur, & cum talis vir iſte reperiatur, & crucifixus optime de ſeipſo dicere valet: *Mihi mundus crucifixus eſt*, & eſt ſenſus: Ad meam non paruam vtilitatem meus mundus minor crucifixus eſt per Chriſtum. Me cruce ditatum cerno, ex quo ingens lætitia mihi ſuborta eſt. Si lætabatur quidam dicens: Sortitus ſum animam bonam, veni ad corpus incoinquinatum: quanto amplius me gaudere oportet cum mihi per Chriſtum Dei filium mundus meus crucifixus eſt? O beatę pater, quid

Sap. 8. d

gloriaris

glorıaris in te, cum dixerit Paulus : Mihi autem abſit glo- *Gal. 6. c*
riari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti ? Inde amplius lætabundus reddor, quia video in mẽbris meis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & crucẽ : non glorior in me : Quia viuo ego, iã non ego: viuit vero in me Chriſtus. *Gal. 2. d*

Quid, o beate pater ſperabas poſt tale ac tantum aſsiduеq. vſitatum exercitium, niſi quòd ad roſtra egrederetur tua, quod tanta vi corde tuo infixum erat, quod quotidie intus in anima verſabatur ? Bonus homo de bono *Matt. 12. c*
theſauro cordis ſui profert bona: & os loquitur de cordis abundãtia, quales peregrinationes, talia oportet ſigna deferre. Quid ergo mirum quòd paſsio Chriſti renouetur in te, cum ipſe eam in omnibus renouaſti? Immo & in teipſo : vbi aduertite fratres, quòd ſanctus iſte non ſolũ in rebus extra ſe, ſed in ſuo corpore circumferebat Chriſti paſsionem. Dum ſanus erat, dolens ſuaq. membra conſpiciens optabat infirmari : vt vel ſic aut parum ſentiret dolorem Chriſti Ieſu. Dum tandem ægrotabat nil patiebatur, vbi non eam depingeret, infirmitas ad votum videbatur ei aduenire, quam ſignum faciebat crucifixi Ieſu. Vt antequam plagas a Chriſto reciperet, dicere valeret : Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. *Gal. 6. g*
Dum caput dolebat, ictus memorabat, quos Chriſtus paſſus erat in corpore ſuo : Dum infirmos habuit oculos, memor erat lacrymarum Ieſu, propter quem, teſte Bonauentura, quamuis in oppoſitum conſilium haberet a medicis, à lacrymis noluit abſtinere. Dum dentium dolor ingruebat, alapæ memor erat Chriſti, qua eius dentes concuſsi ſunt. Dum vrget famis inedia, Chriſti adducebat ieiunia. Dum pectora dolent, adeſt labor pectoris Ieſu, vbi & lictores genua poſuerant in horto, vt ſecurius eum ligarent. Sic denique nil aduerſum ſibi accidit, quod proſperũ non reddat deuota paſsionis meditatio, vel potius æmulatio. Vnde non ſolum mundus maior ſed minor ſibi per hoc exercitium crucifixus erat. Sed quæſumus pater, dic nobis cur tam vehementer hoc eras conferens in corde tuo ?

Cum vulnera renouantur in eo, qui ea paſſus eſt, nouus ac peior efficitur dolor in patiente, ſed cum ea renouas in memoria tua ad gratias agendas ei qui pro te paſſus eſt, tunc etiamſi doleret, ab eo dolorem demeres : *Ratio potiſſima meditãdi paſſionem.*

 & ſic

& ſic dum peccas vulnera Chriſto addis renouata, & ei iterum paſsionem inferens, crucifigis eum, de quo ipſe
Pſ.68.f ait: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, ſcilicet peccata ſua. Sed cum deuote paſsionem recoles, non eſt niſi curam Chriſti agere, alligare vulnera, mederi languores, eosq. vnguento deuotionis perungere in ſtabulo conſcientiæ tuæ, quod Chriſtus, etſi mori nō poſsit, optat, & accidentaliter gloriatur, videns quòd ictu compaſsionis frangis alabaſtrum cordis tui: quod ipſe ſuper ſe effuſum vult videre, quamuis ad cæleſtem ſedeat menſam, & ſic hoc offert opus in cælo, atque laudat coram angelis Dei, taliter quòd implet totam cæleſtem domum ex odore bono vnguenti deuotionis tuæ. Multum dixiſti pater ad nos excitandos, & plus ad honorem tuum: quia domum totius Eccleſiæ, & cæli, & terræ impletam video fa-
2.Cor.2.d ma deuotionis tuæ. Chriſti bonus odor es in omni loco, qui vicem æquam rependere tibi non dubitat, vt tuis conſilijs ſatureris: & quia tu magnificaſti facere cum eo, ille magnificauit facere tecum: tu eum in mundo maiori cōtemplatus es crucifixum, & ſic vult vt ipſe ſis, in quo eum contemplari poſsimus eodem modo. Vnde merito de præ-
Pſ.41.b ſenti negotio eſt dicere: Abyſſus abyſſum inuocat in voce catharactarū tuarum. Exercitium hoc ſanctificatū Fran-
Eccli. 24. d ciſci patris noſtri abyſſus profunda eſt, iuxta id: A mari ſcilicet paſsionis, abundabit cogitatio eius, & conſilium illius in abyſſo magna. Nos qui paruuli ſumus hanc abyſſum veluti ſanctus iſte intueri nō valemus: ſcimus tamen quòd qui eam amplius intrauerit, narrabit mirabilia Dei in profundo. Et quòd hæc abyſſus inuocauit abintus aliam abyſſum ad extra, quæ eſt conſignatio huius ſancti in voce catharactatum Chriſti, quæ ſunt plagæ eius tam altæ ad Deum præmiatorē clamantes pro Franciſco, vt eas etiam in corpore habere mereretur. Vox ſanguinis Chriſti clamat pro nobis, plus etiam poſtulat pro deuotioribus ſuis, maxime pro Franciſco patre noſtro ei deditiſsimus, vſque dum obtinuit demonſtrationē eius in exterioribus Chri-

Vulnera Frāciſcum liberant.

Exo.12.b ſti vulneribus, carne eius tam patenter expreſsis. Si ſanguis agni typici poſtibus domorum impoſitus a morte liberat Hebræos, mactans paruulos Ægyptiorum, cur non deinceps etiam a peccato veniali non liberetur ſanctus

iſte

iſte acceptis vulneribus Saluatoris, extinctis in eo primis motibus rationis? Si templi ſeruitores per quoddam ſignum, quod in ſe deferebant, a vectigaliũ ſolutione liberi erant, quanto amplius beatus pater ſignis Dei apparentibus in carne ſua liberatus eſt a præteritarum culparum pœna? & non ſolum ſibi ſed ſuis non paruam ſecuritatem obtinent vulnera illa Chriſtifera. Nam ſi Raab meretrix & omnia eius intacta ſalua remanent propter ſignum coccineum, quod in eius feneſtra pendebat, quanto amplius Franciſci ordo a dæmonum infeſtatione liber erit a perſequentium incurſu per vulnus coccineum Chriſti a corde Franciſci pendens? Parum diximus hucuſque fratres de tanto patre, qui nõ mundus minor ſolum ſed maior mundus eſt. Primo, quia cum propter hominem factus ſit mundus viſibilis, & ſemper quod eſt minus ordinatur ad id quod eſt maius, optime liquet hominem mundum fore maiorem, & præſertim beatum Franciſcum qui ob id inter homines primatum tenet, quòd non ſolum in anima ſed in corpore habet imaginem filij Dei: vnde merito dicitur de eo: Neſcierunt, ſcilicet indeuoti, ſacramenta Dei (myſteria paſsionis) ideo neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ (quam habet Franciſcus) nec indicauerunt honorem animarum ſanctarum, qui (vt ait Gloſſa) eſt crux Chriſti in Franciſco renouata: vnde ſequitur: Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilẽ, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inæſtimabilis eſt homo iſte, quem intantum habuit Chriſtus, quòd in eo ſe expreſsit. Et ſecundo mundus maior, quia plus valet. Item tertio, quia illum pro nihilo habuit, vt Chriſtum lucrifaceret. Nec ſolum beatus Franciſcus, ſed quicumque homo, vt late probat Richardus, maior eſt mundus, quia toto mundo cor hominis etiã peccatoris impleri non poterit: quoniam ſcriptum eſt: Auarus non implebitur pecunia. Totum ergo mundum Franciſcus reliquit tamquam paruum ſibi, vt ad maiora valeret aſcendere, & maior mundus fieret. Non reliquit mundum vt ſe maiorem, ſed vt ſe minorem, qui ſolo Deo impleri potuit, & ſic mundus maior eſt etiam intelligibilis, cuius terra ſoliditas humilitatis, cuius mare latitudo charitatis, cuius cælum altitudo contemplationis, cuius ſplendor innocentia, cuius luna decor

Ioſ. 2. d

Franciſcus mundus maior eſt.

Sap. 2. d

Eccles. 5. a

munditiæ, cuius lucifer ſanctitas, cuius arcturus gratia ſeptiformis, cuius ſidera ceterarum ornamenta virtutum. Si etiam altius aſcendas, & eſt empyreũ breue, vbi Chriſtus demoratur: & alta etiam Apoſtolorum dona, quorum normam ſecutus eſt: ibi eſt martyrum ſanguis, quem pluries euertere procurauit, & confeſſorum aureola, quos æmulatur, & puritas virginum, quia virgo prædicatur, in eo etiam eſt ardor ſeraphim maxime poſt accepta ab vno vulnera Chriſti, in hoc eſt ſcientia cherubim a Deo ſibi infuſa, & thronorum firmitas, dominationumq. ditio, qua ſe rationi ſubiecit, principatus in fratres ſuos, poteſtas in dæmones, virtus in omnes creaturas quas immutat, archangelus eſt mundo miſſus, angelus ordini ſuo, ex quo regnat in gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen.

SECVNDA PARS
Expoſitionem Euangelij Dominicæ continet.

VT Euangelium Dominicæ breuiter exponamus, aduerte quòd filius Dei noſtris profectibus aptauit ſe: nam bonus rex ſe accommodat bono reipublicæ ſuæ, & caput membris dignatur deſeruire. Tamen quia infima erant ſeruitia, quibus non egebamus, in propria perſona non decuit apparere, ſed velut nauta ignotus voluit venire in mundum fabricator mundi: vnde incipit Euangelium: *Aſcendens Ieſus in nauiculam transfretauit*. Humilitas nec erga Deum potuit perdere ſuam proprietatem, ſcilicet illam: Qui ſe humiliat, exaltabitur: nam de filio Dei dicitur: De torrente, ſcilicet amoris amaro, bibit: propterea exaltauit caput. Plurimum aquæ amaræ intrauit in Dei nauiculam, quæ eſt eius humanitas, ad quam exinaniuit ſe: tamen conſequenter dicitur aſcendiſſe: quoniam aſcendens Ieſus filius Dei in nauiculam nouam, ex Mariæ viſceribus ſumptam: quia propterea ſequitur: *Transfretauit*, videlicet ex ſinu patris in vterum matris, & venit in ciuitatem ſuam ſinagogam; egebat enim præſentia eius, & ſæpiſsime orauerant eum, vt veniret. Venit tandem & manſit ibi diebus multis: quoniam ſapientia Dei dixit: In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieuit.

[Margin: Humilitas exaltat etiã Deum. — *Matt. 9. a.* — *Luc. 14. c* — *Pſ. 109. b* — *Eccli. 24. b*]

requieuit. Dum ibi demoraretur, otioſus non manſit, ſed viros ſanctos applicauit ſibi coadiutores Dei, ſcilicet apoſtolos & alios orthodoxos, qui nec otioſi fuere: vnde ſequitur de ipſis: *Offerebat ei paralyticum iacentem in lecto.* Iſte, vt ait Marcus, a quattuor viris portabatur, qui iuxta expoſitionem Bedæ ſunt quattuor Euangeliſtæ, quorum fidem Chriſtus dicitur vidiſſe, & infirmum hortatus eſt ad eam, dum dixit: *Confide fili*, id eſt cum portitoribus tuis fidem habe, crede ſicut ipſi credunt. Iam ergo quamuis paralyticus iſte, ſecundum Auguſtinum, quemlibet ſignificet peccatorem, eum præſertim præ ſe fert, qui nouiter ad fidem conuertitur, in quo primo requiritur fides, primòq. doctrina fidei eſt ei tradenda. Tamen Dominus Ieſus vt contra hæreticos oſtenderet, quòd fides tenentium infantem, fides Eccleſiæ prodeſt ei, & ſufficit ei dum infans eſt ad ſalutem baptiſmi: vnde dum in præſentiarum hunc ſanauit fides portantium, eum aſpexit. Et quia ipſe adultus erat, fidem requiſiuit ab eo, dicens: *Confide fili*. Summa ergo iſtius requiſitæ fidei oſtenditur maxime in præſenti Euangelio: vbi aduertite quòd inſufficienter credentes intrabant in hoſpitium Chriſti per oſtia ſua: cum auté portitores venirent, impediti ſunt a turba: &, vt ait Marcus, aſcenderunt ſuper tectum: & ſemotis tegulis, ſubmiſerunt eum ante Ieſum. Certe credebat iſte, qui tantum ſe eleuari & ſubmitti permiſit. Iam ergo increduli ad Chriſtum ingrediuntur per oſtia ſuorum ſenſuum ſicut turba iudæorum, quæ ſanitatem impedit iuſtificandi per fidem: & plano modo ſicut ad ceteros ſanctos ac prophetas cupiebat ad Chriſtum intrare, ac ſi eſſet purus homo: Euangeliſtæ autem quibus dictum eſt: Quod in aure, ſcilicet fidei, auditis, prædicate ſuper tecta: volunt altius aſcendere ad Chriſti deitatem, dirigentes confeſsionem fidei: nam qui de cælo venit ſuper omnes eſt. Cui dicunt: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Iſte per tectum intrat. Et alius dixit: Vidimus gloriam eius &c. iſte per tectum intrat. Vnde propterea ſequitur in Euangelio: *Videns autem Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Vtinam videat in nobis Dominus fidem Phariſæorum, fidem apoſtolorum & Euangeliſtarum. Vtinam nos confidamus ſicut & illi,

Euãgeliſtæ ſunt portitores fideles.

Aug. in Ps. 36. conc. 3. to. 8. & de Paſtor. c. 6. to. 9.

Mar. 2. a

Matt. 10. c

Ioan. 3. d

Matt. 16. b

Ioan. 1. b

quia per talem fidem peccata remitterentur, & ſanitas gratiæ daretur a Chriſto, qui eam in ſua nobis attulit nauicula. Dum autem ſcribæ, qui figuram tenent hæreticorum aſtantes, audirent peccatorum remiſsionem ad quam deberent currere, eam iudicant blaſphemiã. Chriſtus autem volens etiam incredulis, quorum viderat cogitationes, oſtendere opus, quod fecerat in anima infirmi, quæſiuit ab eis quid facilius diceretur: *An remittuntur tibi peccata, an ſurge, & ambula?* Proculdubio æque faciliter dicitur alterum ſicut alterũ: tamen Chriſtus dicere pro facere protulit, quia ei eſt idem dicere & facere, quod luce clarius oſtendit, dum ait paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Apud homines maius eſt ſurgere ab infirmitate quàm a peccato, qui iſtud clarius vident, & forte magis optant, verumtamen apud Deum plus eſt, vt per eum ſurgas a peccato, quia ſecundum poteſt Deus operari in te ſine te, & non primum: quoniam ait Auguſtinus: Qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Vnde ab iſto, vt eum ſanaret a peccato, fidem requiſiuit, dicens & blandiens ei: *Confide fili.* Vt autem eum ſanaret a ſua infirmitate, nihil quæſiuit ab eo, ſed abſolute iubens, ait: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Super hoc ait Beda: Quàm miranda diuinæ potentiæ virtus: vbi nulla temporis interueniente morula, iuſſu Saluatoris ſalus feſtina comitatur. Iam ergo aduerte quòd Chriſtus vt ſanitatem animæ oſtenderet, illa tria fieri iuſsit, quæ quidem facta fuerant in anima paralytici, & in anima noſtra fieri debent, vt a peccatis curetur. Primo igitur, o peccator ſurge per contritionem: tolle grabatum per confeſsionem: vade in domum iuſtitiæ per ſatisfactionem. Vide in Ioanne de Abbatis villa ſecundum ſermonem Euangelij huius Dominicæ, quia optime procedit. Si autem fratres mei propter fidem portantium paralyticũ bene actum eſt ei, qualiter eueniet nobis propter merita beati Franciſci? Hic ſane non grabatum ſuum, ſed grabatum Chriſti ſui tulit ſuper ſe, in quo ſuper alios ſurrexit in ſimilitudinem ipſius Crucifixi. Et quia bene ambulabat, dederunt ei vti Simoni Cyrenæo crucem portare poſt Ieſum: dum immiſsiones Dei ſuggerebant ei: *Surge, tolle grabatum*

Plus eſt a peccato quam ab infirmitate ſurgere.

Aug. de verbu Apoſtol. ſer. 15. to. 10

grabatum tuum, & ambula. Surrexit ad conſilia Euangelica, tulit crucis grabatum in corpore ſuo per ſupradicta exercitia, & ambulauit per opera heroica vt gigas: vnde fratres ſui & totus mundus *glorificauerunt Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus.* Amen.

SERMO MYSTICVS DOMINICÆ XIX. POST PENTHECOSTEN.

THEMA.

Ecce prandium meum paraui. Matth. 22.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

SVFFICIENS prandium & conuiuium permagnificum erat credentibus olim præſentia Saluatoris & cõuictus illius: nam vultu, verbis, & exemplo feruidam reddebat fidem adhærentium ſibi, figuratus in ſacerdote illo, de quo dicitur: Ignis in altari meo ſemper ardebit, & nutriet eum ſacerdos, ſubijciens ligna mane. Nox veteris legis præceſsit, quando Chriſtus natus eſt, qui in altari cordis humani ligna viua ſanctæ doctrinæ iniecit, quando dies ſui aduentus aſpirauit. Sed cum nos in ſero ſimus iam conſtituti, & nouiſsima hora eſt, quid erit nobis? famelici ſumus, ignis fidei tepeſcit: ſed pro remedio Chriſtus abſentibus, & omnibus futuris reliquit Euangeliũ ſuum, de quo ait thema: *Ecce prandium meum paraui*, ſcilicet in Euangelio pro me vobis dimiſſo: nam loco præſentiæ epiſtola mitti ſolet. Propter Euangelium ergo Chriſti dicit

Leu. 6. b

Euangelij prãdio Maria deſeruit

dicit Gloſſa ſuper adductam figuram: Mane iudicatus eſt Chriſtus, veſpere crucifixus: ignis ergo mane & veſpere ſubijcitur: quia charitas Dei in nobis nutritur, dum Chriſtum mane iudicatum, & veſpere crucifixum recolimus ex Euangelio. Ecce igitur qualiter Chriſtus adhuc in ſcripturis ſanctis etiam parauit nobis prandium. Sed hoc intereſt, quia cum obſcure prædicaret, auditores ad eum venientes parabolarum expoſitionem exactam quærebant ab eo, vt ſic ferculum concinnaret: & per membra ſcinderet ipſe, frangens paruulis panem ſuum, quem ſæpe integrum, & inexpoſitum dabat. Nos autem non ſic eum habentes ad manum, pro parabolæ præſentis ampliori declaratione ad matrem eius Mariam ire neceſſe eſt, quæ doctrix diſciplinæ Dei conſeruabat omnia Euangelij verba, cõferens in corde ſuo, vt parata eſſet de omnibus reddere rationem. Et cum ſit in labijs ſuis gratia diffuſa ſit, hanc nobis præſtabit ad exponendum vtilem, quam vt aſſequamur, ei dicatur, Aue Maria.

Luc. 2. g

ARGVMENTVM DICENDORVM.

PRo introductione narra Euangelium litteraliter, pro cuius intelligentia notabis, quòd regnum cælorum præſens Eccleſia eſt, iuſtorum videlicet congregatio. Rex homo Deus pater eſt, qui omnia regens, homines morigerat optimi hominis modo. Nuptiæ filij ſui incarnatio Verbi, ad quam inuitati ſunt iudæi etiam a patriarcha illo cui dicitur: In ſemine tuo, id eſt Chriſto, benedicentur omnes gentes, quæ ad eundem Chriſtum inuitantur. Inuitatores prophetæ & apoſtoli fuere. Tauri occiſi, ſunt patres bellatores veteris teſtamenti, qui cornibus ſibi conceſſæ poteſtatis hoſtes fugabant de finibus ſuis. Altilia ſunt noui teſtamenti præcones ſpiritualis gratiæ plenitudine pingues, pennis contemplationis ſuperna gaudia petentes. Hæc dicuntur occiſa, quoniam, teſte Chryſoſtomo, in ſalutem populi occiduntur Sancti, iuxta hoc dictum Pauli: Superimpendar pro animabus veſtris. Vel dicitur occiſi ab eo, quòd fuerant, vel poſt mortem carnis in requie repoſita: tauri prius, altitia poſtmodum, quia & prius prophetæ, & poſt apoſtoli ab infidelibus paſsi ſunt ad ſuſtentandum

Gen. 23. d

Epilogatio allegoriæ huius Euangelij.

Chryſo. hom. 41. in opere impf. Matt. circa med. to. 2.

2. Cor. 12 e

ſtentandum imbecillitatem noſtram, qui nobis modo ſunt in exemplum, quid nobis credendum & operandum ſit. Illi autem qui ad nuptias venire contempſerunt eos ſignificant, qui ex iudæis in Chriſtum credere noluerunt: ſed conuerſi ſunt in arcum prauum, quorum alij in villam abierunt, dum operationi terrenæ intendunt: alij in negotiationem ſuam, dum ſtudent auaritiæ. Illi vero, qui ſeruos regis occiderunt, illos ex iudæis figurant, qui prophetas, & apoſtolos, & alios prædicatores ſunt perſecuti. Rex autem viſa occiſione ſuorum iratus eſt, & miſsis executoribus ſuis Romanis, ſcilicet Tito, & Veſpaſiano, perdidit homicidas illos, id eſt iudæos & ciuitatem eorum, ſcilicet Ieruſalem ſuccendit, ex quo ait ſuis: *Ite ad exitus viarum*, ſcilicet errores gentium deuiantium, qui ſunt extra viam, fidem, ſpem, & charitatem, quæ ſunt viæ ad portum ducentes. *Et quoſcumque*, id eſt cuiuſcumque conditionis, vocate per prædicationem *ad nuptias*, id eſt incarnationis fidem. Egreſsi ergo Apoſtoli de iudæa in vias, id eſt gentium ſectas, congregant in vnitatem credulitatis malos, id eſt falſos chriſtianos, & bonos, id eſt electos. Impletæ ſunt nuptiæ, quando omnes prædeſtinati ſunt ad fidem vocati, ſed rex intrat nuptias ad videndum, quando in præſenti conſcientiam eorum, qui chriſtiano cenſentur nomine, illuſtrat, inter quos eſt non decenter veſtitus. Hypocritam, quem miniſtri non valuerunt deprehendere, cognouit rex, quia non ſuæ vocationis veſtem portat, quia non mutarat mores, ideo ligatis pedibus, id eſt affectibus, quibus non recte ambularat, & manibus non conſentanea operantibus, proijcitur per ſententiam latam in tenebras exteriores inferni extra gremium charitatis. Ibi erit fletus pœnarum, concupiſcentiæ oculorum, & ſtridor dentium, quia manducauerunt vuam acerbam, nolentes quæ retro ſunt obliuiſci: & quoniam non ex toto quadrat parabola ei negotio, quod in iudicio fiet, ſubiunxit Chriſtus: *Multi autem ſunt vocati* ad fidem: *pauci vero electi* ad cæli menſam, quaſi dicat, quod nunc contra vnum factum eſt, fiet contra multos. Duabus ſermonis in partibus agam de nuptijs Chriſti, & ſuorum. Diuiſio.

PRI-

PRIMA PARS.

PRANDIVM & conuiuium idem ſunt apud Deum, qui ſciens nobis in faſtidium verti omnia etiam manna, vt nos ſatiaret, ita vt nec amplius petere valeamus eſcam animabus noſtris, ex ſeipſo voluit conuiuium exhibere eis, quos inuenit dignos ſe. Qui dat eſcam omni carni, etiam omni ſpiritui ſe tribuere voluit in cibum: nam Deus dixerat: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: Dilata os tuum, & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam, &c.* Magni ponderis eſt iſta ſententia, *dilata os tuum, & implebo illud.* Ante quam præmittitur: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus.* Et poſt quam ſequitur: *Non audiuit populus* & reliqua. Ratio dilatationis eſt in præmiſsis, cum dicitur: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* Si enim Ægyptus tenebræ interpretatur, quid aliud eſt de Ægypto educi, quàm diſcuſsis ignorantiæ tenebris in lumine veritatis oculos intelligentiæ figere? Totiens de Ægypto educimur, quotiens rerum temporalium obliti, contemplationis radios in Deo ipſo figimus. De famelica terra Ægypti eductos ſepoſita cæcitatis caligine in lumen fidei iam ſubortos, iubet Deus (ſi clauſum eſt) os aperire, quia & dicitur: *Aperi os tuum:* ſi autem apertum eſt, præcipitur dilatari: os animæ omnes Ægypti deliciæ implere non poſſunt, quia omnes diuitiæ mundi carnale deſiderium ſatis facere nequeunt. Si ergo nos eduxit de mundiali Ægypto Deus, ſiliquas eius porcis relinquamus, ventrem non valentes adimplere, & animæ os dilatemus, eo amplius quo minus de mundo habemus. Mirum autem videtur, cur Deus non dixit de quo adimpleturus erat os noſtrum, & pari forma cum dixit beatos, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, minime patefecit, de quo eſuries erat formanda: nam iuſtitia communis eſt virtus. Hoc igitur ideo fuit, quia cibus animæ ineffabilis eſt nobis & minime intelligibilis pro ſtatu iſto: vnde ideo arbitror dixiſſe prophetam: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. niſi ipſe mittat criſtallum ſuam ſicut bucellas, vt ait Richardus. Hunc cibum paruuli concupiſcunt propter

[Margin notes: Eductio ex Aegypto. *Pſ. 80. c* — *Matt. 5. a* — Cibus animæ Deus eſt. *Thre. 4. a* — *Pſ. 147. b*]

propter chriſtallinam pulchritudinem, ſed quid mirum ſi eum magni frangere nequeant propter duritiam criſtallinam? idcirco quando Dominus vult reficere quoſlibet pane vitæ, & intellectus, prius diuidit panem ſuum per buccellas, & ſic tandem quando & quibus vult, miniſtrantibus angelis, mittit criſtallum ſicut bucellas. Sed putas ne vel tunc ſufficiant paruulis ad eſum panis criſtallini, vt pote in bucellas diuiſi? nequaquam credo, ſed idem ipſe qui mittit criſtallum ſuam ſicut bucellas: emittet verbum ſum, & liquefaciet ea: & veniens ipſe Chriſtus ad implendam promiſsionem ſuam, tranſiens miniſtrabit illis, & ne potus videatur deeſſe, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Vides quo modo Chriſtus in cibo, Spiritus ſanctus miniſtratur in potu propinando? O qualis refectio vbi dapifer eſt Chriſtus, pincerna eſt Spiritus ſanctus. Hæc ex Richardo: vbi aduerte quòd prima creatura, quæ ſub cælo de prandio diuinitatis guſtauit, anima Chriſti fuit, quæ poſtea diuiſit ſingulis prout voluit huius conuiuij reliquias. In hoc prādio beatæ filij Dei humanitati exhibito pater vltra viſionem poſuit immenſum amorem. Nam primo nurui amoris demonſtratio per ſoceros fieri ſolet, nec enim ad tantam gloriæ participationem admitti potuit creatura tam infima niſi charitas patris abundaret: quia in nobis, qui eiuſdem ſumus ſpeciei, multa iniquitas abundauerat. Vere paterna charitas tunc operuit multitudinem peccatorum noſtrorum, ex quibus natura illa & humanitas deſcendit: nam caro noſtra & frater noſter eſt homo, qui aſcendit ad cor altum. De patre ergo dicere valeo: Lampades eius lampades ignis atque flāmarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Peccatorum noſtrorum diluuium paternum amorem ad animam Chriſti non extinxit, cui datæ ſunt lampades incenſi amoris, quibus prudentes virgines ſponſum valeant recipere. Ex quo patet quòd ad iſtam omnium aliarum direxit amorem tamquam ad primogenitam ante omnem creaturam, cui dicit: Sicut purpura regis iuncta canalibus, quàm pulchra es & quàm decora chariſsima in delicijs! Canalibus diuini amoris Chriſti humanitas adiuncta fuit, in ſe abſque pondere fluentibus & ſine menſura: vt ſic chariſsima eſſe mereretur in eis delicijs, de quibus ſcriptum

Amor exhibitus animæ Chriſti.

Cant.8.b

Cant.7.b

Prou.8.d ſcriptum eſt: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. In hac autem anima pater æternus fuit ſicut in filia dilectiſſima ſibi, quamuis pauperrima, ideoq. figurata in rubo *Exo.3.a* illo ardenti, ex quo Deus locutus eſt, qui & ibi immenſum poſuit amoris ignem, fauentem populo captiuo, a quo hæc perfecta charitas foras miſit timorem. Nam propterea nos ipſum patrem amare conamur, quia tantum huic animæ impendit amorem. Filius autem videns quòd pater ſuus ſic iſtam adamabat creaturam, decreuit circa Vnio incarnationis. eam maximum amoris opus exercere, & propterea eam ſibi adhærere fecit, vt diuina perſonalitate, ſuppoſitationeq. conſtaret. Hanc ergo humanitatem in ſe inſeruit, antequam in ſe ſubſiſteret perſonaliter, ſuppoſito diuino recipitur, ita vt non ſolum fruatur perſona verbi, ſed vere ſuam eſſe dicat, cum qua & in qua non ſolum nata ſed concepta eſt humanitas illa inſerta filio Dei, cui per *Pſ.64.a* prophetam dicitur: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate: Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe. Super prima verba dicit Augu- *Aug.in Pſ. 64.cir.med. to. 8.* ſtinus: Beatus enim homo, quem tu elegiſti, id eſt quo indutus es in tempore, qui eras in principio verbum, & aſſumpſiſti in vnitatem perſonæ, ipſius hominis tibi naturam vniendo non perſonam: qui talis habitat in tuo conſenſu: & per eum replebimur in bonis gratiarum, vel futuræ Ieruſalem ineffabilibus. Animam Chriſti beatiſsimam pater elegit per amorem peculiarem & immen- *Cant.6.c* ſum: quia ideo dicitur electa vt ſol, filius eam aſſumpſit ſibi in ſponſam, ita familiarem, vt habitet in atrijs ſuis diuinis. Atria verbi attributa eius ſunt, in quibus demoratur noſtra humanitas. Hæc tam ampla ſunt atria, vt in Chriſto omnipotens dicatur homo, omniumq. plaſmator, atque infinita ſciens, omnium præmiator: quæ quoniam in noſtrum cedunt profectum, ideo congratulans, ſubiunxit propheta: *Replebimur in bonis domus tuæ.* Et vt paucis multa perſtringeret, addidit: *Sanctum eſt templum tuum, & mirabile in æquitate.* Domus Dei & templum Dei humanitas eius eſt, quod in æquitate mirum dicitur: quia Deum æquat homini. Quemadmodum enim

enim humanitas in verbi attributis hereditatur, ſic & ipſum vice verſa exinaniuit ſemetipſũ ad hominis quæque paruiſsima, dempto peccato, vt ea cõſecraret, deificaretq. ratione perſonæ ſuæ. Hæc igitur eſt permutatio dexteræ excelſi, quæ eſt filius Dei. Has ergo nuptias, quas rex æternus fecit filio ſuo & conuiuiũ, figuratas reperies in Eſther de qua dicitur: Non quæſiuit muliebrem cultũ, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde & incredibili pulchritudine, omniumq. oculis gratioſa & amabilis videbatur. Ducta eſt itaque ad cubiculũ regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius. Et adamauit eam rex pluſquam omnes mulieres, habuitq. gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius. Et iuſsit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & ſeruis pro coniunctione & nuptijs Eſther, quæ interpretatur abſcondita: optime enim ſponſæ mos eſt, vt ſe abſcõdat omnibus, ſoli ſpõſo placitura. Solus qui ſcit vniuerſa, nouit eã ſponſam, de qua loquimur. Ceteris autem obumbrata eſt in abſcondito theſaurorum Dei, melius quàm Iudith inter Holofernis theſauros. Dei ergo ſponſam eunuchus virginum cuſtos occultam omnibus & notam ſibi habuit Egeus, qui interpretatur meditatio, & eſt pater æternus egreſſus ad meditandum in agro ſapientiæ ſuæ, vbi hanc exquiſiuit puellam, cuius de vltimis finibus pretium eſt. Pater & cuſtos virginum Deus, eunuchus virginitatis effector hanc præelegit, quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſcilicet meritorum, quibus amaretur: quoniam antequam eſſet, amata eſt. Sed cũ ſibi ipſa ornatum exquirere parũ inueniret: noſter muniſicentiſsimus Deus ampliora ei contulit ornamenta gratiarum, tanta vt ſub merito non poſsint cadere. Paternus amor ad nouam nuptam ſponſam agni non ſterilis fuit, ſed refertiſsimus, ita vt metiri nequeat: ideoq. incredibili pulchritudine talis anima ornata perhibetur. Hæc ducta eſt ad cubiculum regis Aſſueri, qui interpretatur princeps vel caput. Et eſt diuina proles, qui princeps Dei eſt apud Deum, & apud nos eſt etiam caput ſuper omnem Eccleſiam. Cubiculum huius inſertio illa vel vnio eſt, de qua parum ſupra dixi.

Eſth. 2. f

Ibid. d

Eſther q d.

Gen. 24. g

Pro. 31. b

Aſſuerus quid.

Nunc autem de tempore menſis & anni dicit Gloſſa: Annus benignitatis fuit iſte ſeptiformi gratia Spiritus ſancti refertus. Et alia Gloſſa dicit: Thebeth, Ianuarius eſt apud Latinos, in quo Dominus incarnatus, octaua die circumciſus, a Magis adoratus, & myſticis muneribus eſt honoratus, in quo etiam a Ioanne baptizatus eſſe prædicatur. Diadema regni conſortium maieſtatis ſignificat: nam ſponſus iſte rex magnus eſt, & ſponſam vnitam ſibi habet reginam: quandoquidem ſcriptum eſt: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me: quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Coronam regni ſui contulit humanitati ſuæ filius Dei, vt ſic regni moderamina poſſideret. Conuiuium pro coniunctione & nuptijs Eſther ipſa verbi fruitio eſt, de qua & nos accepturi ſumus.

Ianuarius myſterijs plenus.

Iſa. 61. d

Huic nuptiali conuiuio ſymbolum ſuum & non deteriorem partem Spiritus ſanctus attulit, ſcilicet perpetuitatem, illud enim ſtabiliuit, vt eſſet iuge conuiuium & connubium inſolubile: nam etſi, teſte Paulo, alia cõnubia diſſoluuntur in morte, conſummatum eſt non conſumptum. Spiritus ergo Dei, qui nexus eſt Patris & Filij, ſic incarnationis connubium innodauit, vt potius aliunde quàm per nexum & nodum primæ vnionis diſſolueretur. Quod ergo, teſte Damaſceno, per opus Spiritus ſancti Dei filius aſſumpſit, numqnam dimiſit: etſi illud diſiunctum in triduo habuerit. Quos ergo Deus Spiritus ſanctus coniunxit homo, nec mors valuit ſeparare. Ego, inquit, Deus & non mutor, nec enim apud Spiritum ſanctum in hoc opere eſt tranſmutatio, ex quo in obumbrata Virgine illud operatus eſt. Eliſabeth hoc ſtabilimentum Dei prudenter intellexit, quando Mariæ dixit: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi a Domino, ſcilicet per angelum aſſerentem: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. ſequitur: Regnabit in domo Iacob in æternum: & ſic regni eius non erit finis. Ecce igitur tria, quæ beata Trinitas ad nuptias incarnationis attulit, vt dicere nobis valeat: *Prandium meum paraui.*

Conſtantia Chriſti.

Rom. 7. a

Mal. 3. b

Luc. 1. e

Ibidem.

SECVN-

SECVNDA PARS.

NVNC in ſecunda parte videre eſt qualiter Chriſtus ipſe nobis conuiuis verba thematis dicat inquantum homo. Nam conuiua hic non ſolum vſque ad ſeptem ſed vſque ad ſeptuagies ſepties inuitare alios poteſt: vnde aduerte, quòd nouerat Chriſtus illud quod ei per Sapientem dicitur: Quando ſederis, vt comedas cum principe, attende diligenter: attende quæ poſita ſunt ante faciem tuã, vt ſcilicet ſimilia præpares tuipſe alijs. Ad menſam gloriæ ſedit Chriſtus ex quo in ventre matris conceptus eſt, ſciens reprobare malum, & eligere bonum. Ex tunc illa tria nobis propinare curauit: illic amorem recepit, ſuppoſitationem, & horum perpetuitatem: & ſic deſtinauit ac decreuit nos amare, ſupportare, & nullatenus ſeperari a nobis. Quæ tria per totam vitam ſuam demonſtrauit, mundoq. diligenter exhibuit gratis, quod gratis ipſe recepit. Sic cœpit facere & docere. Ipſe in amore præuentus eſt prius dilectus quàm dilector Dei, & ſic amorem non expectat, vt amet, quoniam præoccupat qui ſe concupiſcunt, & hylariter oſtendit ſe illis prior in via amoris: immo & odientibus amore obuiat: vt patet in Paulo, quem de perſecutore fecit amatorem, qui merito ait: Charitas Chriſti vrget nos. Dum ait: Ignem ſcilicet amoris veni mittere in terram, quid volo niſi vt ardeat? In altari tantummodo antea ignis erat, hoc eſt in viris ſpiritualibus, ſed nunc etiam terrenos homines vult per amorem feruidum accendere Chriſtus, qui alibi per prophetam dicit: In igne zeli mei deuorabitur omnis terra. Nil igitur terrenũ remaneat in nobis fratres, tam cæleſtem amatorem habentibus, quæ ſurſum ſunt quęrite, non quæ ſuper terram. Nec minus nos amat in cælis, quàm nos dilexit in terris: ideo enim amor eius igni comparatur, quia ſurſum ducit etiam terram ponderoſam corporis, animam aggrauantis ac deprimentis. Ideo ergo dixi quòd charitas Chriſti vrget nos amoris ſtimulo, ſicut aquila, quæ roſtro impellens, prouocat filios ſuos ad volandum, Chriſtus autem & ore doctrinæ, & adiutorio exempli.

Prou. 23. a

Chriſtus omnib' exhibet tria quæ accepit.

Amor Chriſti nos præueniẽs.

2. Cor. 5. c

Luc. 12. f

Soph. 1. d

Colloſſ. 3. a

Secundo quòd ipſe ſuppoſitatur in Verbo, ſupportare

Galat. 6. a decreuit omnium anguſtias & onera. Iuſtis dicitur: Alter alterius onera portate. Sed Chriſtus etiam totius mundi peccata pertulit, graue onus. Nam Saul quando ſemel peccauerat dixit Samueli ſanctiſsimo: Peccaui: ſed nunc honora me coram ſenioribus. Huic deprecationi acquieſcere noluit propheta, quia non potuit, ſed ſupra dorſum Chriſti fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam ab initio vſque ad finem mundi, quando ei quilibet beatus dicet: Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea: quoniam ſuper lignum crucis ea pertulit in corpore ſuo, cruce ipſa grauiora. Moyſes cura populi moleſtatus Domino dixit: Cur afflixiſti ſeruum tuum, quare non inuenio gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuos ſicut portare ſolet nutrix infantulũ, & defer in terram pro qua iuraſti patribus eorum? Ecce pluſquam Moyſes Dominus Ieſus cupiens vt ad ſe veniant omnes, qui laborant & onerati ſunt: vt eos reficiat, dicit: Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & neſcierunt quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Ephraim interpretatur creſcens, & ideo ſignificatur, quòd nullum incrementum nobis prouenit niſi per Chriſtum, ſicut nec infanti niſi per nutricem ſuam. Portat nos ingratos in brachijs ſuis quos extentos habet in cruce, vt omnes valeat amplexari. Ibi alligat omnia vulnera peccatorum noſtrorum, ſicut & Adæ qui ſignatus eſt in vulnerato illo, qui deſcendens a Ieruſalem in Hierico vulneratus eſt. Recepit tamen miſericordiam a Chriſto qui alligauit vulnera eius, & poſuit eum ſuper iumentum ſuum, ideſt corpus ſuum, vt ſic ſanies adhæreret Chriſto nimis onerato, qui ait: Torcular calcaui ſolus, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. In cruce igitur totum pondus prœlij verſum eſt in Saul Chriſtum: vbi voluit de omnibus patri rationem reddere, noſq. exonerare, quando dixit: Pater ignoſce illis. Propterea dixit propheta Deo. Reſpice in faciem Chriſti tui, quaſi dicat eum conuenias non me: non intres in iudicio cum ſeruo tuo. Sed reſpice faciem Chriſti tui lacrymantem,

Margin notes: Miſericordia Chriſti apud peccatores. — 1. Reg. 15. f — Iſa. 38. d — Nu. 11. b — Oſee 11. a — Luc. 10. e — Iſa. 63. a — Luc. 23. e — Pſ. 83. b

tem, non deſpicias faciem eius tam humiliter deprecantem: immo & patri de Chriſto iam in cælis regnante dicere oportet: *Reſpice in faciem Chriſti tui*. Nam aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, cuius facies ad nos verſa eſt, vt ſic paternum cor ad nos fle-ctere valeat, cuius reſpectus in electos Chriſti eſt.

Tertium quod præparat Chriſtus nobis in conuiuio ſuo eſt duratio: nam eius charitas numquam excidit, nec flumina peccatorum noſtrorum obruent illam. Infitum nobis eſſe poterat, qui quotidie peccamus, addentes præuaricationem, peccata peccatis innodantes. An canibus tot reuerſis ad vomitum obliuiſcatur miſereri Deus. An ſaturatus opprobrijs illatis iam renuat parcere nobis. Si forte defecerunt miſerationes eius? aut continebit in ira ſuà miſericordias ſuas? Quemadmodum Chriſto numquam defuit vnio illa hypoſtatica: ſic nec eius miſericordia erga nos deerit. Nec ſi ſeptuagies ſepties peccauerit in ſe frater ſuus remittere deſinet etiam per totam præſentem vitam, quæ per ſeptem dies voluitur. In cuius figura legitûr quòd in lecytho viduæ ſareptanæ oleum tempore famis non defuit. Lecythus Eccleſiæ Chriſtus eſt oleo letitiæ vnctus, in quo numquam deficiet pro tempore neceſsitatis noſtræ oleum miſericordiæ ſuæ, quoniam ſcriptum eſt: Factus eſt eis Saluator. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos. In dilectione ſua & in indulgentia ſua ipſe redemit eos; & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi. Cum (vt ait Paulus) quando peccas ſpiritum Chriſti ſanctum contriſtas: hoc quod dicit: *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus*, ad indeficientem miſericordiam referendum eſt: nam cum ſæpiſsime, & opportune, & importune ad quemuis amicum quotidie recurſum habemus, vel dicit: Vade, cras dabo tibi, vel: Non poſſum ſurgere, & dare tibi, vel dicit: Clauſa eſt ianua, ſero venis. Nil horũ dicit Chriſtus egenti dum vita manet: & ideo *in omni tribulatione noſtra non eſt tribulatus*, etiam ſi ſepties in die cadat iuſtus, & reſurgens veniam exoret: ideoq. angelus faciei vocatur Chriſtus, qui & ſi pluries peccamus, non relinquit nos, dum viuimus curam agens ſalutis noſtræ. Ecce igitur totum impendit

Perſeuerantia miſericordiæ Chriſti.

Tren. 3. c
Pſ. 76. b
3. Reg. 17 c
Iſa. 63. b
Epheſ. 4. g
Prou. 24. b

pendit nobis Chriſtus, quod non a nobis ſed a Deo ſuſcepit. Amorem accepit in rubo, quem pro confugientibus ad ſe non deſtitit ſeruare. Nam rubo reptilia quæque & volatilia conueniunt, vt peccatores & iuſti ad Ieſum Chriſtum. Eſther autem, quæ humanitatis figuram tenuit, ad regnum venit, vt tempore oppreſsionis populum ſupportaret, ne periret. De tertio autem quod eſt perſeuerantia ipſe Spiritus ſanctus, qui nexum indiſſolubilem fecit, etiam nunc poſtulat pro nobis, donec ad gloriam nos perducat, quam mihi & vobis &c. Amen.

SERMO MORALIS. I.
DOMINICÆ XX.
POST PENTHECOSTEN.

THEMA.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 4.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT ait Ariſtoteles in economica, bene ordinatæ domui conuenit vt vir ab extra ducat neceſſaria: vxor autem intus ea, prout videret expedire, diſtribuat & ſeruet: namquemadmodum laudatur mulier quæ ſcit obſeruare ſemitas domus ſuæ, nec eſt ambulatrix: ſic vituperatur vir trans rogum, reſidens velut titius. Iam ergo domus Dei Eccleſia eſt, de qua cum Iacob
Gen. 28. d videret caſtra, ei dixit ad ſe reuerſus: Vere non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Ad hanc Deus mi-
Act. 2. a ſit filium ſuũ in mundũ, quin & Spiritum ſanctũ qui repleuit totam domum vbi erant ſedentes apoſtoli donis & gratijs. Cum ergo vir Deus fecerit quod ſuum eſt, ſcilicet ad-

ducere domui neceſſaria: Maria, quæ eſt huius mulier, domi remanet, vt ea congrue diſtribuat: quod ita optime fecit, vt Bernardus dicat: Virgo beata copioſiſsima charitate ſapientibus & inſipientibus debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de eius plenitúdine accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationẽ, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiã, tota denique Trinitas gloriã. Hæc ille: vbi nota quòd inter alia debet mulier infirmorũ curam gerere: quia vbi non eſt mulier, ingemiſcit infirmus. Maria autẽ ſic ſtrenue curam illius agit, ita vt vix gemere contingat, quin adſit: nam, teſte Bernardo, cur inuocata non veniet, quæ non inuocata adeſt? In ea autem non particularis ſed omnimoda eſt medicina, quæ etiã omnibus ſimul prodeſt, iuxta id: Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. Nebula caro Chriſti eſt ſumpta ex Mariæ viſceribus, quæ poſita eſt inter ſolem iuſtitiæ & nos, vt eum nobis temperaret ad ſalutem. Sed dices forte quòd Dauid non ad mulierem domus ſed ad virum conuertebatur, dicens: Quoniam infirmus ſum, ſana me Domine. Bene quidem ſed tunc Dominus domus non habuit mulierem, nec ſic ad manum erat ſalus, ſicut nunc poſt incarnationem, quando mulierem accepit ſecundum cor ſuum, & indigentiam noſtram, qui auribus & lingua infirmamur, medicina gratiæ caremus, quam vt aſſequi valeamus, ei genibus inclinatis offeramus. Aue Maria.

Bernar. in Aſſumpt. B. Maria ſer. 7. non longe a princ. 1.

In 1. Dom. poſt Epiph. ſer. 2. habetur aliquid ſimile.

Eccli. 43. c

Pſal. 6. A

ARGVMENTVM DICENDORVM.

FILIO cuiuſdam viri nobilis in extremis agente, Ieſu autem de Iudea in Galilæam aduenante, abijt Regulus pater ad eũ dicens, quòd cito deſcenderet ad ſanandũ eum, cui ait Ieſus, dicens: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Cur Domine carpis eum, qui ſi non crederet, non veniret? nec tentat te vt ſcribæ & phariſei ſæpe ſolebãt, ſed a te iuuari deſiderat: Et aduerte quòd Regulus iſte putauit Chriſtum oportere deſcedere ſicut Eliſæum de monte ad filium Sunamitis, circa filium ſuum vel ſimile acturus. Sed Chriſtus qui in Centurionis domum deſcendit, nunc renuit, vt Regulum ab hoc liberet errore, qui

Expoſitio Euangelij.

4. Reg. 4. f

putat neceſſariam fore corporis Chriſti præſentiam, ac ſi verbo etiam abſens non ſanaret, ideo ait: *Vade filius tuus viuit*, & Pater ſeruos occurrentes, vitam filij nunciantes, interrogat horam ſalutis, & dicunt fuiſſe ſeptimam. Quæ reperit heſterno die audiſſe a Ieſu, filius tuus viuit, propter quod ipſe cum domo ſua credidit Chriſtũ verum meſsiam Deum & hominem. In duabus ſermonis portionibus agam de infirmo, & eius curatione.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

SCITIS fratres chariſsimi, quòd homo iſte infirmus de quo locuturi ſumus quilibet peccator eſt, & vnuſquiſque noſtrum, quoniam ſecundum aliquam ſimilitudinem febricitare dicitur dum eſt in peccato: infirmus enim & vires perdidit, non ſe defendere nec a minori potens, & necubi, quamuis diuerſis transferatur lectis eburneis quieſcere poteſt aucta infirmitate, ac perditur edendi cupido, ita vt prandendi hora deterior ei videatur quàm morbus ipſe: hæc ſpiritualiter intellecta peccator habet, qui propterea infirmus eſt, dum enim gratiæ ſalutem quilibet habet fidelis, potens eſt etiam contra aereas poteſtates, & contra dæmonem, quamuis non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui ſi a iuſtis minime vinceretur propheta non diceret: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Iam ergo poſtquam peccaueris mortaliter, de te homo quærunt doctores, an valeas diabolum vincere, omneq. vitare peccatum, cui quæſtioni dicitur ſecundum Scotum conformiter ad Bonauenturam, quòd non omnia, alioquin fruſtra videretur fieri petitio: Ne nos inducat in tentationem Deus. Nam ſi Luciæ dicitur: Quid a me petis quod ipſa poteris præſtare continuo matri tuæ. Poſſumus ergo ſingula vitare peccata, nõ tamẽ omnia: exemplum ponitur de aqua exiſtenti in vaſe perforato vndique, vel de cribro, vbi etſi poſsis manu tua quodlibet ſingulorũ foraminum obſtruere non tamen omnia: dum enim aliam partem obſtruis, alia relinquitur patens: nam dæmon vndecumque peccatorem expugnat, iuxta id Suſannæ: Anguſtiæ ſunt mihi vndique. Dæmon doctus ad præliũ, callidus, & aſtutus gladiator peccatorem deludit, qui & ſi iſtam partem

Peccator eſt infirmus.

Iob 41. d

Pſal. 103. d

Matt. 6. a

An omnia peccata poſſit peccator vitare.

Dan. 13. e

tem impugnare ſe fingit, aliam vincere cupit,ac intendit: peccator autem inſcius iſtam munit, illam inermem derelinquit: quoſdam enim tẽtat aut minatur de luxuria,qui ieiunio & diſciplina ſe munientes, aliam partem, ſcilicet ſuperbiæ, non protegunt, cui acrius inſtat dæmon vt de habita victoria glorientur indocti ad bellum. Contigit vt de auaritia tentare præſumat, ſi autem munis te eleemoſyna,quæ eſt ſuper ſcutum potentis & contra inimicum tuũ pugnabit, ille redit ad iudicium temerarium in quod te incidere vult, ſi attendas quòd non alius tibi ſimila facit. Ecce igitur quo modo hinc & inde impugnatur quidem peccator,non potens omnibus ſatisfacere: Quia infirmata eſt inquit in paupertate, ſcilicet gratiæ, virtus mea:Dedit me Dominus in manus de quibus non potero ſurgere, quamuis antea in ſtatu gratiæ vim poteram etiam regno cælorum inferre, quod violenti rapiunt. *Pſ.30.c* *Tren.1.d* *Matt.11.b*

Tam languidus eſt quòd ſurgere non valet a peccati lecto,quoniam & ſi,vt ait beatus Thomas, a peccando ceſſare valeat, non tamen ſe ad priſtinum ſtatum reducere, quod mire figuratur in propheta, cui dicitur: Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum: & hoc ille non faciens, dixit: Ingreſſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſupra pedes meos. Ratio tantæ defectionis eſt, quoniam aliunde nobis ad bonum vires adminiſtrantur, ſi operemur bona, quibus deficientibus nil meriti operari valemus niſi tracti a Deo, aut compulſi intrare in regnum Dei: vbi per comparationem attende, quòd nos nil aliud ſumus quàm Echo vocis Dei. Echo duo habet, primum quia non fit niſi in concauitatibus, data prius alia voce: vnde Echo eſt concluſio vocis prioris,aut ex ea reſultans. Secundo quia non integre primam vocem exprimit, ſed multum diminute. Iam ergo prima vox Dei eſt inſpiratio ſua in nobis, de qua dicit Iob: Factum eſt ad me verbum abſconditum: nam ſecrete loquitur vox Dei, & eſt Echo eius quidquid apparet ad extra in opere, nec quidquam boni faceres, niſi te Dei motio preueniret. Secundo autem aduerte, quòd nemo ex integro ei correſpondet: minus enim ſumus cunctis miſerationibus eius: nec occurimus cum mille venienti cum decem millibus. Quid ergo & tu gloriaris homo *Eze.2.a* *Iob 4.b*

Iſa. 10.d cum ſcriptũ ſit: Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum a quo trahitur? Quamuis multum paratum ſit inſtrumentum hoc, & ſuper trabem ponatur, non eam ſecabit, niſi a motoris manu vim accipiat, quæ qualis fuerit tale faciet opus: vnde tota laus motori debetur, ex quo liquide concluditur, quòd quilibet iuſtus dicere quidem valebit: Pater in *Ioan. 14. b* me manens ipſe facit opera. Cum igitur hoc motore careat peccator febricitans, nec mirum quòd ſe mouere non poſsit.

Inquietudo peccatoris.

Et iam quòd a paſsionibus ſuis moueatur, omnia ei vertuntur in tædium, deterius ſe habens: humana enim ſolatia eius vertuntur in triſtitiam, cum nemo ſua ſorte contentus viuat, deficiente ſibi Deo, qui ſors ſanctorum eſt, *Pſ. 40. a* ideoq. de peccatore dixit propheta regius: Vniuerſum ſtratũ eius verſaſti in infirmitate eius: quia quidquid peccator parauerat ad requiem, ei Deus in faſtidium conuertit. Quamuis enim de lecto in lectum mollitum transferatur infirmus non requieſcit, quia ſecum defert ſuam febrem: ſic nec peccator, quia ſecum peccati gerit infirmitatem, quod eſt ſicut mare feruens, quod quieſcere non *Iob. 7. d* poteſt. Vnde quidam infirmus dicebat: Poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis. Tunc autem ſi de cibo agendum eſt, aduerte quòd palato infecto male ſapiunt ſalutifera, noxia vero bene. Iuxta triplex animæ os, ſcilicet memoriam, intellectum, & voluntatem, pariter eſt cibus triplex: memoriæ ſermo populo exhibitus, intellectui ſacra Scriptura, voluntati ſit lacrymarum panis, palato ſaniori dulcia ſunt iſta, infecto amariſsima. Sermo eſt memoriæ cibus, quia ſi prædico, eſt, vt quæ agenda ſunt vobis & ad quæ tenemini recordatio fiat: ſtatim enim oblitus eſt peccator qualis in obligatione Dei aut profeſsione fuerit. Ideo per ſermonis comeſtionem debilis memoria recordabitur: quòd autem ſermo ſit cibus, patet per illud Euangelij: *Luc. 13. e* Manducauimus coram te, in plateis noſtris docuiſti. Hæc dicuntur de Chriſto, qui prædicans publice & manducanda, & bibenda propinabat: vbi attende quòd in ſermone de arduis, & facilibus agendum eſt, ſicut in conuiuio eſt cibus, & potus: cibus qui non tam cito traijcitur,

Cibus animæ triplex.

sed

ſed prius minutatim cōteritur grauis materia eſt, vel quæſtio aliqua aut figura, vel ſententia prægnans, quæ dentibus prædicatorum aut ſenſibus nimis debet exponi. In Canticis autem prædicatores dentes Eccleſiæ dicūtur, quia ruminare debent, quæ in ſtomachum Eccleſiæ, quæ eſt conſcientia fidelium, traijcienda ſunt: liquida autem quæ faciliter deglutimus, ſunt notiſsima vulgo exhibita. Sic ergo prædicabat Chriſtus clara & obſcura, qui ideo in columna nubis tenebroſa & lucida figuratur: & in lectione igitur deinceps prædicatores non inquirant qualiter verbum Dei proponendum ſit, cum habeant Chriſti formam: nec in ſermone male contenti ſint acutiores, quando clara propinantur, ne vulgus de arduis grauetur: quoniam concionatores oportet eſſe vt rotæ Ezechielis, quæ cum aſcendentibus eleuabuntur, & cum depreſsis deſcendebant. Ille igitur in ſermone manducat & bibit corā Deo: qui vtriſque fruitur vt reminiſcatur Dei ſui, qué obliuioni tradiderat. Tam neceſſarius eſt animæ cibus iſte vt de eo ſcriptum ſit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguiné, non habebitis vitā in vobis, & ſtatim ſequitur de infirmis dicentibus: Durus eſt hic ſermo. Illud hæretice lutherus exponit de Euchariſtia, quam ideo dicit populo tribuendam ſub utraque ſpecie & etiam infantibus: ſed Bernardus conformiter ad Auguſtinum ſic exponit ſuper pſalmum Qui habitat: Quid eſt autem manducare eius carné, & bibere ſanguinem, niſi communicare paſsionibus eius, etiam conuerſationem imitari quam geſsit in carnem: durum & aſperum igitur videtur infirmo ſi ei dicas, vt ſe minuat, ſicut Chriſtus qui exinaniuit ſe: ſi ei cōſulas, vt ieiunet ſicut Chriſtus qui ieiunauit, vel vt ſe flagellet ſicut Chriſtus qui ait: In flagella, ſcilicet plura, paratus ſum.

Prædicatores ſunt dētes. *Cant. 4. A* *Exo. 13. A* *Eze. 1. d* *Ioan. 6. f* *Bernar. ſer. 3 ſuper Qui habitat cir. med. to. 1.* *Pſ. 37. A*

Vt autem de altero cibo, ſcilicet intellectus, qui ſacræ Scripturæ lectio eſt, loquamur, aduertite quòd detractioni mandamus ſententiam dicentiū: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſsimo, cū & nos ſæpe eis ſimila faciamus. Habemus quidé ſacram paginam manna dulciſsimū, omni delectamento refertum, cuius faſtidientes lectionem cucumeres, & allia Ægypti optamus, quando litteris ſæcularibus inſiſtimus, & his quæ minus ædificant, legere vana, audire vaniora, quorum fumo caput mentis euaporatur, vt

Num. 21. b Cibus ſcripturæ abūdat.

tur, vt poſtea doleat, ſed dulce edulium, cælicum manna Scripturæ ſacræ cælitus inſpiratum, omnem habet in ſe ſaporem, quia omni ſenſu refertum eſt: de omnibus bonis loquitur, immo eadem locutione ſingulos paſcit iuxta deſiderium eorum, quod affert eis: & ideo viuimus in omni verbo quod procedit de ore dei, vbi eſt ſpiritus & paſcua oris noſtri, propinans liquidum paruulis, ideſt nouum teſtamentum: & durum doctoribus exponendum, ſcilicet vetus, de cibo ergo ſacræ Scripturæ ait Chryſoſtomus ibi: Inuenit ignorans quid diſcat, contumax quid timeat, laborans præmia, puſillanimis mediocris iuſtitiæ cibos, qui & ſi pinguem non faciunt animam, tamen mori non permittunt. Qui magni animi eſt inuenit ibi ſpirituales eſcas continentioris vitæ, quę perducunt eũ prope ad angelorum naturam: qui vulneratus eſt a diabolo ibinueniti ſpirituales medicinas, vel cibos medicinales, & ſalutem per pœnitentiam: eſt etiam pro contemplatiuis alter cibus, ſcilicet voluntatis, hic cibus lacrymæ ſunt, vbi etiam eſt quid ma-
Pſ.79.a ſticandũ: nam ideo ait Dauid: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis lacrymis in menſura. Lacrymas potabiles dicimus pueris veluti imperfectis conuenire, quando pro peccatis eas effundunt: nam pueris liquida
Pſ.118.i mandere ſolent: vnde imperfecti dicunt: Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam. Flere autem pro abſentia Dei perfectis aduenit, in quorum
Pſ.41.a perſona perhibet Dauid: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniã & apparebo ante faciem Dei: fuerunt mihi, ſcilicet iam in ſanctitate adulto, lacrymæ meæ panes die ac nocte, in proſperitate & aduerſitate Deum deſiderans: dum per omnia dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? hæ lacrymæ dulces panes ſunt & regales, ideo ſtatim ſequitur: In voce exultationis & confeſsionis ſonus epulantis. Si ergo peccator in rebus peſsimis exultauit, hunc lacrymarum cibum præbeas, nonne proijciet illum? Hi bis ſolummodo flendum ſibi putant, dum ſcilicet naſcuntur & moriuntur fractis oculis, non tamen vel tunc voluntarie flent ſed coacte: Deus autem lacrymas voluntarias optat,
Pſ.125.b vti illorum de quibus dicitur: Euntes ibant, & flebant,

bant, mittentes ſemina ſua. Euntes, inquit, ibant flendo: imus quidem omnes ſed non euntes, quia non ſponte. Ille ex toto it, qui ex neceſsitate virtutem facit, qui cibaria prędicta ſibi dulcia facit, qui ad Ieſum pro ſalute pergit ſua, per quem ſanati ſunt patres noſtri & nos ſanandi, vt in ſecunda nunc ſermonis parte videbimus.

SECVNDA PARS.

AD curandum quemlibet peccatorem, qui dicitur filius reguli, ideſt filius Adam, qui interpretatur terrenus, a quo & nos dicimur terriginæ. Ad huius filium curandum, ſcilicet genus humanum, aut quemlibet peccatorem, venit filius regis æterni, qui reguli, & filiorum eius ſimilitudinem & infirmitatem ſuſcipiens, ſanat omnes infirmitates noſtras. In præſenti Euangelio Chriſtus & Regulum, & filium eius ſanauit, Regulus etiam infirmus erat, alioquin ei non diceretur: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Defectus fidei infirmitas eius erat, quam incurriſſe videtur pater Adam, dum credidit veniale fore peccatum ſuum: nec tam dure plectendum, quamuis ei Dominus dixerit: In qua hora comederis ex eo, morte morieris: de qua ſententia dubitans Eua, diabolo reſpondit: Ne forte moriamur. Hic ſicut & Regulus erat in Capharnaum, quod interpretatur villa conſolationis, aut ager pœnitentiæ vel propritiatio pœnitentis. Villa conſolationis terreſtris paradiſus erat, vbi ex omni parte conſolatio erat homini intus & extra, propter conſolationem eius ibi ex campo damaſceno adductus eſt: vbi & manualis operatio propter eius conſolationem ei adiuncta eſt, ſicut regi Aſſuero habenti hortum manu regia conſitum. Tanta ergo ibi erat conſolatio vt locus voluptatis vocari mereretur, & villa conſolationis. Ibi infirmatus eſt vbi ſalus abundantior fuit, vbi ſanior eſſe debuit, ægrotauit: & ideo villa conſolationis in agrum pœnitentiæ verſa eſt, quia etiam ager pœnitentiæ nominatur: nam qui fuit initium peccati, & pœnitentiam ordiri cœpit, quando viderunt ſe eſſe nudos, & erubuerunt, propter quod fecerunt ſibi perizomata conſuentes folia ficus. Venit etiam rex cæli ad confeſsionem vocans; confeſsionem, immo & ſatisfactionem

Gen.2.a

Gen.3.a

Capharnaũ eſt paradiſus voluptatis.

Gen. 3. b ſactionem requirens, dum ait: Adam, Adam vbi es? quaſi dicat, reuertere ad te & ad me, attendens vbi & in quanta miſeria ſis. Simile ingerit cuidam animæ peccatrici per *Ier. 3. a* prophetam dicentem: Leua oculos tuos in directum: & vide vbi nunc proſtrata ſis. Fuit & ibi propitiatio pœnitentis, quando viſa contritione eius pepercit illi Deus, alioquin minime faceret eis tunicas pelliceas. Sed hæc propitiatio ſuper filium regis æterni cecidit, vt eam ad vnguem ſolueret, quando agnus Dei pellibus ſuis ſcoriandus erat. Hic deſcendit in Capharnaum, quando exinaniuit ſe, quando ſuſcepit humanitatem noſtram, de qua *Matt. 9. a* myſtice dicitur: Deſcendit in Capharnaum ciuitatem, ſcilicet ſuam. Cum Chriſtus conceptus ſit in Nazaret, natus *Luc. 4. e* Bethleem, ſolummodo Capharnaum ciuitatem ſuam vocari voluit, non habens vbi caput reclinaret: quoniam ſola humanitas aſſumpta ſua erat, & nihil aliud poſſedit, de qua dici poteſt: Et tu Capharnaum vſque ad cælum *Luc. 10. c* exaltata, vſque ad infernum demergeris. Vſque ad cælum deitatis natura noſtra exaltata eſt in Chriſto, quæ in paſsione vſque ad infernum deſcendit: non ſolum propterea, quia deſcendit ad inferos, ſed quia dolores inferni circumdederunt eum. Eius ergo humanitas villa conſolationis extitit propter diuinam fruitionẽ, quæ ſuprema conſolatio beatorum dignoſcitur, de qua inter- *Pſ. 118. i* rogat propheta, dicens: Quando conſolaberis me Domine Deus meus? Hac non ſolum ab vbere infans Ieſus delectatus eſt, ſed à primo inſtanti ſuæ conceptionis: nam ideo *Gen. 2. b* dicitur: Plantauerat autem Deus paradiſum voluptatis à principio. Vnde ex quo Spiritus ſancti opere Chriſti humanitas condita eſt, paradiſus fuit, & voluptatem fruitionis habuit. Sed dolendum eſt: nam cum hoc fuit *Prou. 14. b* ager pœnitentiæ, quia ex tunc impletum eſt illud: Riſus dolore miſcebitur. Nec miremini fratres propter mixturam hanc æqualis fruitionis & doloris in Chriſto, immo ſtupeſcite conſiderantes cur beati, & ſancti ſpiritus in cælo non dolent de peccatis noſtris, ſcientes Deum offenſum. Si doluiſſent iſti non tantum dolerent quantum Chriſtus tunc doluit & penituit peccatorum veſtrorum: quoniam qui magis fruitur, maiorem capacitatem habens plus dolet: & ideo ei conuenit tertia nominis interpretatio,

Capharnaũ eſt humanitas Chriſti.

terpretatio, quia & eſt propitiatio pœnitẽtis cuiuſcumque, iuxta illud Ioannis: Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Quamuis tota Chriſti vita ager plenus pœnitentiæ fuerit, noluit nobis ſalutis fructum afferre pleniorem quàm hora ſeptima, quæ & ſi totum hominem ſignet ex quattuor elementis & tribus animæ potentijs conſtantem, quem ſemper ſanum fecit Ieſus ſalutaris Dei ſeptiformi gratia Spiritus ſancti in eo commorante, tamen aduerte quòd hæc ſeptima non ſcitur an computanda ſit ſero vel mane. Hugo tamen aſſerit quòd ſit inter ſextam & nonam horam. Et tunc crucifixus eſt Ieſus, quia ſecundum horologium noſtrum poſt meridiem erat, qua hora pœnitentiam ſuſcepit Adam tunica pellicea veſtitus, quando agnus Dei ſcoriatur iuxta crucem, vbi poſt ſigna & viſa prodigia paſsionis credidit Centurio, dicens: Vere Filius Dei erat iſte. Sed dicet quiſpiam: Quid oportuit filium regis æterni, immo ſalutem æternam curari pro filio reguli? nam falſo dicitur: Munus, quod ex me eſt, tibi proderit. Attende quòd pro ægrotante paruulo mater eius curari ſolet, pharmacum accipiens, quod accepturus erat puer, non accipit ipſam infirmitatem, ſed medicamen pro quo ſalutem propinat infanti: ſic Dominus Ieſus omnia medicamina noſtræ ſalutis accepit neceſſaria. Contra febrem acutam ex charitate ſudauit in horto ſanguineum ſudorem decurrentem in terram: quia pro terreno patiebatur homine; & ſicut ad infirmum viſitandum, venit tunc ad eum angelus, confortans eum a patre de cælo miſſus, & ſi quærat ab eo quo modo valet, reſpondebit: Spiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma. Poſtea dietam accepit, quia ſumpta cœna nil amplius comedit, vt ſic ſanaretur noſtra ingluuies: ſed quoniam ſanguis peccati abundat in nobis: Sanguis enim ſanguinem tetigit: immo lateris dolorem habemus, maxime illius cui dicitur: In dolore paries filios. Hæc a latere Adæ ſumpta eſt, cuius dolor adhuc in nobis remanet: ideo decet vt ſanguis tuus a totius corporis vena effluat. Attamen quoniam intrauit mors per feneſtras quinque ſenſuum

1. Ioan. 2. a

Matt. 27. f

Matt. 15. a

Chriſtus accepit medicamina infirmitatis noſtræ.

Matt. 26. d

Oſee. 4. a

Gen. 3. a

ſuum noſtrorum, ideo non gladiolo ſed clauis & lancea per quinque loca tantus emiſſus videatur ſanguis, vt nulla in te remaneat gutta, ſed poſtremo egrediatur aqua quaſi opere ipſo, dicens: Nil ſanguinis remanet. Sed adhuc tibi pharmacum reſtat delicate Domine, non ſcammoneæ, aut reubarbari ſed improperiorũ, ac iniuriarum dicentium contra te falſa teſtimonia, & adducentium fel & acetum. Tam horrenda denique purgatio tua erit, vt dicas veluti

Mar.14.d infirmus Deo: Transfer calicem hunc a me. Euerte illud, vel proijce a me pharmacum iſtud. Non Domine

Pſ.115.a quia ſcriptum eſt: Calicem ſalutaris accipiam, quamuis amarum: ſed nomen Domini inuocabo, vt me adiuuet. Quo modo ergo vales Domine, qualiter es in le-

Ioan.19.f cto crucis, reſpondit Ieſus: Sitio, bonum ſignum ſalutis Domine. Bene purgatus es me, quia ſitis, optime feciſti noſtram euacuationem. Et ſi adhuc vultis tangere venam

Pſ.138.d eius dicentes: Vide ſi via iniquitatis in me eſt. Si aliqua remanſerit febris, reſponderi poteſt: *Hora ſeptima reliquit eum febris*. Hic aduertite fratres, quòd vt ait

Exo.15.d Scriptura, languorẽ nimiũ adduxit Dominus ſuper Ægyptum, qui captum tenebat populum Dei: pro cuius liberatione agnus iubetur occidi, in cuius morte mortua ſunt primogenita Ægypti, & ſanatus omnis Iſrael, quia non erat in tribubus eorum infirmus. Sic dum Chriſtus agnus Dei ſacrificatur in cruce, deficiunt & pereunt originalia peccata ſingulorum: nam Ægyptus peccatum eſt, peccatum primogenitum, peccatum originale eſt, quod originatur in ventre matris, non tamen mundatur de lege ordinata niſi extra vterum, ideo primogenita Ægypti moriuntur, & populus Dei ſanatur, ſi ſuper vtrumque poſtem domus ponat ſanguinem agni. Poſtes animæ ſunt intellectus & voluntas, ſuper quos per fidem collocabis ſanguinem Chriſti, qui ſuper om-

1.Pet.2.d nes eſt. O igitur Domine Ieſu confiteor, quòd liuore tuo ſanati ſumus, quod infirmum eſt Dei fit ſalus ho-

Chriſtus bonus medicus. minibus, virtus eorum in eius infirmitate perficitur. Quis vnquam talem modum curæ vidit? Quis non veniat ad te Domine Ieſu animarum ſalus? tibi omnes infirmitates

Heb.4.b notæ ſunt: Quia omnia nuda, & aperta ſunt oculis tuis. Et ſi dicatur quòd nullus eſt melior medicus quàm bene ſaucia-

ſauciatus, de Chriſto dicitur: Non enim habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Iſte medicus noſter omnes curat, omnes currunt ad eius medelam, quia omnis turba quærebat eum tangere: quoniam virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Nullum aliud pretium a nobis poſtulat medicus iſte, niſi vt fidem habeamus in illo: ait equidem beatus Petrus de Chriſto ſalutari meo: In quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum, de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ. Si hanc ſalutem patres noſtri quæſierunt toto conatu, cur nos ea neglecta ægrotamus fratres? cur tepidi ſumus? mittamus regulum, ideſt ſalutis deſiderium, ad patrem miſericordiarum filium regis æterni, vt nunc det nobis ſalutem gratiæ, & in futuro vitam gloriæ, ad quam nos perducat ipſe Dominus Ieſus, qui cum patre & Spiritu ſancto &c.

Ibidem.

Luc. 6. c

1. Pet. 1. b.

SERMO

SERMO MORALIS II.
DOMINICÆ XX.
POST PENTHECOSTEN.

Ex Euangelio.

THEMA.

Erat quidam Regulus. Ioan. 4.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT in præſenti Euangelio Ioannes narrat, anxius erat Regulus pater, ex eo quòd filius eius incipiebat mori: vnde obnixe obſecrat Dei filiũ pro filio ſuo, vt deſcenderet ad ſanandũ eum. Beata autem Maria virgo quid faceret dum vidit morientem puerum Ieſum ſuũ & Dei filium? attendit patrem deſcẽdere nolentem ad eripiendum eum, vti deſcenderat in rubum ad liberationem populi ſui: nec filium ſe liberantem de manibus contrariorum, immo libere tradentem animam ſuam in manus inimicorũ ſuorum. Conſiderat quòd Spiritus ſanctus, qui adiuuat infirmitatem noſtrã, aduertit adiutorium gladij eius, nec eſt auxiliatus ei in bello: immo ſe ipſam cõtra filium vidit, in qua defecit aſſertio illa: Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger: nã iuxta crucẽ erat mater, non tamen ad ſolatiũ vel iuuamẽ filij ſed crucis: vnde ideo Maria interpretatur myrrha, quia crux myrratha amplius cruciat Chriſtũ, & amarior eſt. Sed hæc omnia verſa ſunt in matris gaudium, quando tranſactis ſignis & prodigijs paſsionis, dictũ eſt ei: *Filius tuus viuit*. Ipſe filius eius verbo & opere ſe ei ſcitius manifeſtans, dixit: *Filius tuus viuit* in ſæcula ſæculorum. Et ſerui in limbo vſque ad horam ſeptimam, ideſt ſeptimam ætatem, detenti in octaua iam reſurrectionis per filium ſuum conſtituti, occurerunt Mariæ dicentes, quòd

Pſal. 88. f

Maria eſt iuxta crucẽ.

quòd filius eius viueret in eis vita gloriæ. Et tunc tota domus Mariæ, quæ eſt Eccleſia, credidit non ſolum quòd Ieſus eſt reſurrectio & vita. Sed quòd Maria mater eius eſt mater gratiæ, quam vt ſermoni præſenti aſſequi valeamus, ei genibus flexis, Aue præſentemus. *Ioã.11.e*

ARGVMENTVM DICENDORVM.

IN hoc Euangelio, vt optime deduxit Auguſtinus, figuratur Chriſti reditus ad iudæos, & ad patriã ſuam poſt gentium cõuerſionem, vbi maiorem fidem inuenit in vno ſcilicet Centurione quàm in tota Iſrael; ideo de penuria fidei Regulũ, qui eſt iudæorum populus, qui tandem crediturus eſt, reprehendit. Figuratur etiã primus aduentus in mundũ per incarnationem, quãdo ſcilicet ex iudæa, vbi quotidie dicitur; Sanctus, ſanctus, ſanctus, venit in Galilæã, quæ eſt rota volubilis huius mundi. Regulus obuians ei fuit pater Adam, cuius filius genus humanũ in villa cõſolationis paradiſi terreſtris, peccati infirmitate incurrit per incredulitatem: non enim crediderunt Deo dicenti; In qua hora comederis ex eo morte morieris, ideo incredula dixit mulier: Ne forte moriamur, dubitans, quod aſſertiue Deus dixerat. Figuratur tertio aduentus ad iudicium, quando totum purgatoriũ ſanabit, carpens incredulitatem noſtrã: Putas enim quòd inueniet fidem in terra? abundante iniquitate, & charitate refrigerata; fides mortua erit. Sed his neglectis modo ſolum enodabo aduentum in animam noſtram, de quo dixit Chriſtus: Vado & venio ad vos. In hoc aliqua ex prætactis inſeram. *Aug. tract. 16. in Ioan. Io. 9.* *Gen.2.c* *Gen.3.a* *Luc.18.b* *Auctoris intentio. Ioã.14.d*

PRIMA PARS.

VT Euangelij præſentis hiſtoriam ſeriatim, vti ponitur, proſequar, aduerte quòd eſt quidam regulus in homine, qui dum Chriſtum regem regum ſuſcipit, rex efficitur; & ideo opus eſt obſeruare diem & horam aduentus eius, quando enim non putatis, filius Dei venit. Liberum igitur arbitriũ in homine regulus eſt, nec diminute reſpectu inferiorum, quoniam potentior omnibus eſt, ac ſapientior: ſed quia excelſo excelſior eſt alius; & vniuerſæ *Liberum arbitrium dicitur Regulus.*

terræ rex imperat cæli: reſpectu eius regulus dicitur liberum arbitrium, non quia illud cogere poſſet, quia implicat, quòd ſit liberum & cogatur. Tamen nō ſtando in terminis ſed in re: non deſunt qui dicant liberum arbitrium
Pro.21.a non ſubterfugere imperium Dei, quia ſcriptum eſt: Cor regis, id eſt determinatio liberi arbitrij, in manu Dei: quocumque voluerit vertet illud: nec per hoc ſequitur quòd non ſit liberum reſpectu Dei, qui dat velle & perficere, tunc Deus non faciet, quòd velis quod non vis, ſed quòd velis quod vis. Tamen dicetur reſpectu Dei liberum arbitrium regulus, ob id quòd vertibilitas iſta & facultas ad vtrumque oppoſitorum in Deo ſtabilita eſt, qui malum eligere nequit vt nos: vbi aduerte, quòd liberū arbitrium noſtrum eſt vt arbiter inter duos velut diſsidentes; ſic liberum arbitrium ſtat inter bonum & malū, dans determinationem quod reſpui, quodve eligi debeat. Nam ideo
Eccli.15.d ſcriptum eſt, quòd apposuit Deus homini ignem, ſcilicet inferni, & aquam, ſcilicet ſalientem in vitam æternam, ad quod voluerit porrigat manum ſuam, id eſt liberi arbitrij
Iac.1.c executionem. Quia ergo apud Deum nō eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio, quæ peccatum denotat, qui agit malum, odit lucem, eſt tamen liberum arbitriū, ideo in illo eſt rex, in nobis regulus diminutus: nam quòd poſſis reprobare bonum & eligere malum defectus eſt, quo caret Deus, & angeli eius, & beati. Aduerte etiam quòd,
Dam. lib. 2. de orth. fide. cap. 27. teſte Damaſceno, liberum dicitur quo ad voluntatem, arbitrium quo ad intellectum, vtramque enim potentiā amplectitur, denotans illud quod optimum eſt in eis; tamen a meliori nominatur. Tria connotat liberum arbitrium
2. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. teſte Bonauentura, ſcilicet libertatem a coactione, & dignitatem: eſt enim nobiliſsimum donum Dei naturaliter in nobis plantatum, vbi ſignatur lumen vultus Dei, in quo etiam eſt facilitas ad producendum vel recipiendū actum. Iſtud liberum arbitrium dicitur pater, quia eſt plaſtes ho-
Iob 10. b minis, ei enim dicere poſſumus: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me. Quodammodo videtur, quòd omnipotens Deus nos homines incœperit, & libero reliquerit arbitrio, vt nos finiat in deos angelos, aut bruta, vel dæmones, quia vnus veſtrum diabolus eſt: immo & in nouas formas quotidie mutat nos. Dicitur pater vt rempubli-

cam

eam augeat per filiorum & bonorum operum generationem, & vt ſciat bona dare filijs ſuis,& malis moribus imperare, iuxta id: Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis: miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere: in terra ſanctorum iniqua geſsit, & non videbit gloriam Domini. Terra iſtius reguli, id eſt corpus, terra ſancta eſt vel ſanctificanda, ideo in ea mala perpetrari non libeat, quia non licet ſicut iumento, cuius corpus glorificandum non eſt. Vnde iſte regulus dicitur vt ad maiora aſpiret, & ad optima deprecetur. Dum inferiora cupit, regulus fit: dum ſuperna, rex maximus, ſi ad regem regum Chriſtum Domini ueniat: vbi aduerte, quòd tripliciter ius habet regulus iſte ad regnum cælorum, nec ſolum ius ſed adminicula multa: habet enim caſtra Dei angelos, & quendam filium ducem belli generalem, de quo infra patebit; habet etiam diuitias gratiarum Spiritus ſancti non contemnendas. Nunc ſi de tripliti iure ad æternam poteſtatem regni audire libet, aduerte quòd ius vnum dat filialis adoptio, regulus quippe iſte filius eſt regis æterni, qui a iuſtis pater agnoſci, pater vocari altiſſima prorſus & ſtupenda dignatione voluit, monuit, atque iuſsit. Et hoc non leuiter aut ſolum ad nomen ſed ad rem ipſam; quandoquidem poteſtatem dedit eis magnam filios Dei fieri: vt ad hereditatem regni valeant peruenire: nam; teſte Paulo, ſi filius & heres. Alterum ius triumphalis debellatio tribuit: nam iuſtis eſt colluctatio aduerſus aereas poteſtates, & quia vicerunt eas in ſanguine agni, victores mundi effecti regnum cælorum, quod vim patitur, acquirunt: quia teſte Gerſone, victorem cuncta ſequuntur. Tertium ius contulit eis rea damnationis viciſſitudo ad ſummum regem gloriæ. Antiquum enim eſt philoſophicę veritatis prouerbium, amicorum omnia eſſe cōmunia. Sed quoniam ius non ſemper de facto tribuit vnicuique quod ſuum eſt, quia ideo dicitur: Domine vim patior, reſponde pro me. Dominus vniuerſorum, & rex vniuerſæ creaturæ Deus, dominium etiam huic regulo contulit ſuum, primo in ſtatu innocentiæ cum dixit: Replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini &c. quod ſi decurpatum eſt per peccatum, reſtauratur per gratiam Chriſti, & ſancti Spiritus communicationem, in quo clamamus:

Iſa. 26. b — *Reguli ius triplex.* — *Matt. 6. b* — *Gal. 4. a* — *Ariſt. 9. Ethic. c. 8.* — *Iſa. 38. b* — *Gen. 1. d*

Rom. 8. c Abba pater. Pro hoc dominio reſtaurando venit Ieſus à Iudæa in Galilæam, a cæleſti curia in terram, vbi iuſtitia non erat. Sed vt clarius eluceſcat dominium iuſti, aduerte quòd quia eius titulus eſt gratia, ideo vocatur dominium gratuitum, & eſt vſus voluntatis meritorius, de condigno facultatem habens omnium rerum, vt eas immediate ad vltimum finem dirigat. Chriſtianis oculis videda ſunt iſta, ſcimus equidem omnia Deum ad ſe creaſſe, veluti media quædam ad beatitudinem conſequendam.

Dominiũ gratuitum.

Ro. 15. a Quemadmodum enim quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinam ſcripta ſunt, ſcilicet quæcumque ſunt condita, ad noſtram beatitudinem conducere poſſunt, ſi ſit qui ſu- *Deut. 32. b* gat mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſsimo. Principale igitur ad quod ſunt omnia, eſt, vt ad Deũ pro noſtra beatitudine referamus ea, & iuſtus erga omnia huius relationis habet dominium, ac ſi ſua eſſent: vnde ei dicere va- *Eſth. 13. c* leo: In ditione tua cuncta ſunt poſita: non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. In voluntate iuſti dominium iſtud eſt & poteſtas, cuius duplex eſt actio, volitio videlicet, & nolitio: volitione vult Deo vniuerſa bona quæcũque ſint diuina & humana, ac ſi mea eſſent, poteſtatem habeo ea offerre Deo, in eiſq. eum glorificare. Per nolitionem autem cuncta mala Deo negare valeo, ac ſi ipſe impedimentum præſtarem, ne ei euenirent, dominium quippe gratuitum ad bona, malaq. extenditur: Vt non ſolum in nomi- *Phil. 2. b* ne Ieſu, ſed in nomine iuſti omne genu flectatur cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum. Nonne angelici ſpiritus ad- *Heb. 1. d* miniſtratorij ſunt propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, & flectunt pro nobis coram Deo genua? Dominus *Matt. 19. d* terræ erat ille qui dixit: Ecce nos reliquimus omnia. Hic domino gratuito omnibus ac ſuis vtebatur ad vltimum finem: iuſtus ergo omnia vt ſtercora arbitrans, omnibus dominatur vt Chriſtum pro eis lucrifaciat. De inferno autem cum vtamur eo ad timorem, quid neceſſe eſt *1. Ioã. 4. d* dicere? Nam etſi perfecta charitas foras eum mittat, ni- *Pſ. 57. b* hilominus lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. In hoc dominio aduerte quòd mala non ſunt mala, quoniam iuſto omnia cooperantur in bonum, qui ex malis non malum ſed bonum elicit. Huic ergo Domino & omnis tribulatio, & rapina, & mors ipſa deſeruiũt: nam per mortem

quaſi

quaſi per militem officioſiſsimũ iuſtus adipiſcitur triumphum beatitudinis æternæ. Et ſic de fama vel infamia ac alio infortunio. Væ igitur perſequentibus iuſtum, quia putantes cudere cathenas, ei coronam fabricant, tamen ſuper dorſum dolorem inferentes non tamen ad ignominiam, quia nobis arma præſtant iuſtitiæ. Arma enim iuſti paſsiones ſunt, quibus Deus & Dei filius minutus eſt. Omnia deniq. ſeruiunt ſeruienti Deo. Cui ſeruire regnare eſt. Si autem quæras quæ ſint huius regis opes, dicimus, quòd habet diuitias gratiæ Dei, theſauros Spiritus ſancti, qui diues eſt in omnes qui inuocant eum in veritate, & dat omnibus affluenter & non improperat. Vt Guilelmus ocham innuat quàm intimius ac liberalius ſe conferat Spiritus ſanctus, ait: Res dicitur alicui dari in ſe, cum in alterius dominium, vel quaſi dominium transfertur, ita quòd illa alter vti poteſt, vt libet ad agendum: hoc modo etiam mos habet hominum, vt alter alteri ſe dare dicat: cum ad hoc ſe offert, quòd paratus eſt alterius parere voluntati, facietq. quæcumque alter rationabiliter ab eo fieri optabit. Cum ergo Spiritus ſanctus illapſu ſuo ſanctificatiuo hominem per gratiam inhabitando, paratus eſt ipſum iuuare in omni actione meritoria: & tandem eum in beatitudine ſublimare, dicitur quodammodo voluntati hominis obtemperare. Stat enim ad oſtium, & pulſat, ſi quis aperit, ingreditur: & numquam manum ſuam ſubtrahit. Sic ergo hominem acceptando per gratiam, & in actione meritoria modo ſingulari eum iuuando, dicitur ſe homini dare: poſſent ad hoc aliquo modo aptari exempla. Primum in Ioſue, quando ſol ſtetit, obedienti Deo voci hominis: ita vt nec antea, nec poſtea longior dies fuerit. Alterum eſt in Deuteronomio, quando Moyſi, quaſi eum tenenti, dixit: Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c. Cum autem Spiritus ſanctus ſic ſe homini dat veluti donum increatum, ſemper infundit etiam gratiam gratum facientem donum creatum: in qua fundatur titulus prædictæ dominationis. Hæc Gabriel. Sic ergo diuitiæ viri iuſti redemptio animæ ſuæ: vt inquit Sapiens: Nam ideo in ſiniſtra illius dicuntur eſſe diuitiæ & gloriæ, id eſt in ſiniſtris caſibus vitæ præſentis iuſtorum diuitiæ creſcunt, creſcit &

Deo ſeruienti omnia ſubſunt.

1. diſt. 18. Gab. Biel. 1. ſen. diſt. 14. q. 2. circa medium.

Apo. 3. d

Ioſ. 10. c

Deut. 28. c

Pro. 18. b

gloria, creſcente gratia, donec dentur capiti iuſti augmenta gratiarum, & corona inclyta protegatur, quia rex coronatus erit. Interea tamen peccare contingit: in peccato autem totum quod dictum eſt perditur, iuxta id: Qui peccauerit in vno factus eſt omnium reus, quia omnium Dominum perdit, & omne ius in potentia propinqua, tamen quia in potentia remota remanet ei ſalus, quamuis longe ſit ab eo, & ideo incipit Euangelium:

Iac. 2. b

Erat quidam Regulus. Ex rege iuſtus dum peccat fit regulus, & multum quidem deiectus ac ſolus: vnde ſequitur: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Filius iſte dux belli oportet quòd ſit, ſed infirmatur, ita vt incipiat mori. Liberi arbitrij filius cupido eſt ſummi boni, quæ naturaliter inſerta eſt ei, ſic vt numquam deſinat ab eo procedere. Cum enim homo ad beatitudinem immediate conditus ſit, voluit Deus eius deſiderium ei naturaliter inſerere, quo duce ad eam perueniret: nam ſcriptum eſt: Concupiſcentia ſapientiæ deducet in regnum perpetuum. Et Auguſtinus ait: Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te. Iſte ergo appetitus quamuis, teſte Scoto, non ſit ab anima diſtinctus, in ea tamen naſcitur in eaq. permanet ſemper, etiam in inferno, quamuis deordinatus ſit ibi. Eſt tamen ſecundum eundem Scotum intentior appetitus iſte in damnatis quã forte in nobis in via, licet eam appetant vt impoſsibilem eis. Hic aduerte, quòd appetitus naturalis beatitudinis in viatore incipit mori dum mortaliter peccat, quia deſideria mala occidunt pigrum & ſuffocant appetitum iuſtum ſemiuiuum relictum ex peccato: nam ideo dicitur, quòd vult & non vult piger, id eſt inefficaciter vult & tepidiſsime, quoniam ſpes illius mortua eſt, quando in peccatis ſe conſpicit totum, ſed dum ſperat ſe euaſurum peccatum, non ex toto moritur: vnde merito dicitur quòd huius increduli filius Reguli incipiebat mori, quaſi prolixitate mortis grauaretur in Capharnaum, id eſt in carne, ei nimis adhærens, quæ eſt villa conſolationis humanæ. Sed væ vobis diuitibus qui habetis hic, id eſt in carne, conſolationem veſtram. In inferno autem, vt arbitror, mortuus erit filius iſte de vtero translatus ad tumulum, & ſepultus in inferno. Solum cadauer huius filij erit ibi, vbi pro

Sap. 6. e
Aug. lib. 1. confeſ. c. 1. to. 1.
4. diſt. 49. quæſt. 9.
Appetitus beatitudinis.
Pro. 13. a
Luc. 6. d

vbi pro nullo tempore efficax deſiderium damnatus producet beatitudinis: vnde Scotus ait: Maxime delectarentur damnati in conſideratione beatitudinis, ſi dimitterentur, & in hoc forte habent maximam pœnam, quia ſic detinentur ab igne in conſideratione ſua, quòd non permittuntur conſiderare Deum, vt eſt obiectum beatitudinis. Conſideratio beatitudinis eſt gutta aquæ negata epuloni, cui non condeſcendit Deus, tibi autem o peccator vltro illam offert, qui præoccupat, qui ſe cõcupiſcunt: ideo fac vt dicatur de te id quod ſequitur in Euangelio: *Hic cum audiſſet, quia Ieſus veniret a Iudæa in Galilæam, abijt ad eum.* Iudæa interpretatur laudatio, & eſt illa vbi proclamant ſeraphim, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius. Et hoc quare? quia venit Ieſus in Galilæam, quæ dicitur tranſmigratio: nam ſcriptum eſt: Tranſmigrauit Iudas, id eſt Chriſtus, propter afflictionem, ſcilicet noſtram releuandam, & hoc fit dum per internam inſpirationem nos conſiderare facit, qualiter beati in Deum tranſlati a ſe quodammodo tranſmigrauerint: vbi ſui iuris non ſunt, ſed illius quem amant, & quo fruuntur. Sic & Paulus ait: Nos autem gloriam Domini ſpeculantes reuelata facie, in eandem imaginem transformamur tamquam a Domini ſpiritu. Hic aduerte, quòd ſicut damnati plurimam habent pœnam, in eo quòd non ſinitur eis beatitudinem cõſiderare, nec reminiſci ad plenum, ne eam valeant concupiſcere: ſic poſt illam miſeriam eſt ſecunda, dum inſpiciunt qualiter in via eam contemplari & optare potuerunt, & non concupierunt. Hoc eſt tam intolerabile malum, quòd, vt ita dicam, ipſi damnati non ſolum inuident nobis, ſed deflent obliuionem noſtram: nam ſic, vt opinor, diues ille ex inferno orauit, vt aliquis ex mortuis mitteretur ad quinque fratres, ne deſcenderent in locum tormentorum, vbi maximum eſt tormentum pœna damni, & carentia viſionis diuinæ, immo & conſiderationis beatitudinis eius, vt dixit Scotus. Quid facimus ergo fratres, nam & ipſe Deus de nobis cõqueſtus, ait: Obliuioni datus ſum tamquam mortuus a corde. Ex corde noſtro prædictus filius dux noſter naſci debet, quia inquit regius propheta: Eructauit cor meum verbum bonum: dico

4. diſt. 49. quæſt. 10.
Sap. 6. b
Iſa. 6. a
Thre. 1. a
2. Cor. 3. d
Luc. 16. g
Pſ. 30. d
Pſ. 44. a

ego opera mea regi, id eſt libero arbitrio, vt media in-
quirat inquirendæ beatitudinis, quæ ſunt illa, de qui-
Pſ.118.t bus dicitur: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtifica-
tiones tuas in omni tempore. Et quòd verbum eructatum
a corde ſit filius, de quo loquimur, patet per id quod
ſequitur: Specioſus forma præ filijs hominum: diffuſa eſt
gratia in labijs tuis. Filius iſte qui ſpecioſior eſt alijs ope-
ribus dum viuit, turpior dum moritur; patrem infidelem
facit de ſalute eius minime aut parum ſperantem: ideoq.
ſequitur in Euangelio: *Rogabat eum vt deſcenderet, &
ſanaret filium eius. Incipiebat enim mori*. Petitio quidem
bona eſt: quoniam Domini eſt ſalus: & Ieſus ſalus inter-
Pſ.34.a pretatur, cui propheta ingerit: Dic animæ meæ: Salus
tua ego ſum. Sed quid oportet Dei filium rogare, vt deſcē-
Deſcenſus Chriſti humilis. dat pro filio tuo ſanando, cum ipſe tantum ſe humiliaue-
rit, quòd veluti Eliſeus propheta ad minima quæque no-
ſtra pro puero ſuſcitando coaptauerit? Qui & exinaniuit
ſemetipſum formam etiam pueri accipiens. Et forte in il-
lo mortuo puero viduæ filio, noſtrum emortuum deſide-
4.Reg.4.f rium figuratur. Nam ſepties oſcitauit in lecto antequam
ex toto viueret: & hora ſeptima filium Reguli febris de-
reliquit. Propheta deſcendit a monte carmelo: Chriſtus
autem a cælo etiam quotidie vt ſuſcitet nos. Cor noſtrum
eſt mortis lectulus, quando filius incipit mori: & eſt al-
tare Dei, vbi reddimus vota noſtra, & victimas pro ſalute
deuouimus quando viuit; in quo ignis accenſi deſiderij ar-
dere iubetur, ſed enutriet eum ſacerdos Chriſtus, ſubij-
ciens ligna crucis ſuæ, vbi ſe humiliauit, & deſcendit
vſque ad formam noſtram, vſque ad formam latronum:
vbi & ſeptem verba loquitur, vt nos febris relinquat hora
ſeptima: nam dies Chriſti ſeptem habet horas, iuxta id:
Pſ.118.x Septies in die laudem dixi tibi. Septimum verbum velut
Ioã.19.f ſeptima diei paſsionis hora fuit illud: Conſummatum eſt.
Vſque ad hoc Chriſtus attulit deſiderium noſtræ ſalutis,
Luc.22.b de quo ipſe dixerat: Deſiderio deſideraui hoc paſcha, id
eſt, agnum paſchalem, manducare vobiſcum antequam
patiar: zelus noſter comedit cor eius in cruce vſque dum
diceret: Conſummatum eſt, & quòd zelus eius non co-
medat animum cuiuſlibet chriſtiani pro eo? Deſiderium
vitæ noſtræ illum mori fecit, vt eſſet nobiſcum: & quòd

nos

nos minime optemus eſſe cum illo? Non ergo petamus vt
filius Dei deſcẽdat, qui plus vocatur nouiſsimus virorum: *Iſa.53.a*
opprobrium hominũ & abiectio plebis, ac ſi eſſet vermis *Pſ.21.b*
& non homo. Si eũ moleſtamus vt amplius deſcendat, audiemus ab eo: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.*
Regulus iſte (vt ait Theophyl.) viderat initium ſignorum
Ieſu in Cana Galilææ, & ſi credidiſſet, maiora his videret,
immo ſi credidiſſet, videret gloriã Dei: nos autẽ de ſignis
crucis & prodigijs non dubitamus, & tamen nõ credimus
vt oportet, dum tepidi ſumus vt Regulus iſte. Et maximè
dum in peccato manemus: qua fides moritur, & cũ ea homo: nã iuſtus ex fide viuit, ex quo ſequitur quòd peccator
imaginem habet quòd viuat, & mortuus eſt. Ad fidem primo requiritur ſinceritas: quia qui ambulat ſimpliciter ambulat cõfidenter. Et Ambroſius ait: Aufer argumenta, vbi
fides quæritur. Oportet ſecundo quòd ſit magna fides, vt
placeat Chriſto ſicut fides Chananææ, & Centurionis:
immo opus eſt quòd ſit integra, iuxta illud: Si credis ex
toto corde licet. Nihil ergo credibilium omittendum eſt,
alioquin fides integra non eſſet. Oportet quarto quòd fides ſtabilis ſit: Quia, vt ait Tobias, vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab illo. Quinto autem neceſſe eſt, quòd fides iuſta ſit, vt illa de qua ſequitur: Credidit Abraam
Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Sexto conuenit,
quòd ſit operoſa ſecundum illud: Fides quæ per dilectionem operatur. Septimo autem quòd ſit feruens, nam ideo
dicitur: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis
monti huic: Tranſi hinc, & tranſibit: & nihil impoſsibile erit vobis. Hæc ſeptima conditio eſt hora ſeptima qua
reliquit eum febris, qua ſanatur non ſolum peccator, ſed
& iuſtus. Feruor in grano ſinapis figuratur, quod, teſte
Auguſtino, ſanatiuum eſt; & dum amplius contunditur,
amplius feruet & concremat. Ictibus granũ ſinapis acrius
fit ac fortius ſentitur, & ſic heroica fides tribulationibus
roboratur, quas non ad deſitionem, ſed ad incrementa
ſuſcipit. Succum ſinapis cum fletu ſolet comedi, quia
tunc fidem guſtamus & Deum, cum præ deſiderio eius
flemus, vt illi qui dicebant: Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus: dum recordaremur tui Sion.

Si hac

Fidei conditiones. *Pro.10.b* *Amb. lib. 1. de fide. c. 5. in fine. to. 4.* *Act. 8. g* *Tob. 2. e* *Gal. 3. a* *Gal. 5. a* *Matt. 17. b* *Aug. lib. 1. quaſt. Euãg. nu. 12. to. 4.* *Pſ. 136. a*

Si hac feruida inſtamus fide, audiemus quod ſequitur: *Vade, filius tuus viuit*. Vade, inquit, de virtute in virtutem, vſque dum videas Deum deorum, id eſt angelorum in Sion. Nam credidit homo ſermoni quē dixit Ieſus, & ibat. Si non credis, non is: ſi credis, pergis; motus ſignum vitæ eſt, opus autem ſignum fidei, nam ideo dicit Apoſtolus:
2. Cor. 13 b Si eſtis in fide Chriſti, vos probate, ſcilicet, per opera. Signa huius fidei ſunt opera ſpiritualia Deo nota: prodigia vero ſunt opera ad extra hominibus manifeſta, & ideo ſequitur: *Iam eo deſcendente*, ſcilicet per humilitatem ſub potenti manu Dei, *ſerui eius*, qui ſunt corporis ſenſus, *occurrerunt ei: & nunciauerunt dicentes: Quia filius eius viueret*. Dum cæleſtis boni cupido tepeſcit aut incipit mori, ſenſus non ſequuntur regulum nec obſequuntur, rebelles quippe ſunt: nam ideo dixit quidam: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Nec mirum quia deficiente duce, exercitus deficit. Hoc ſenſerat ille qui de ſeruis ſuis, hoc eſt ſenſibus dixerat: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Et nō fuit qui redimeret de manu eorum. Filius de quo prædixi vobis dux belli, & exteros debellat, & domeſticos caſtigare nō negligit, quia eſt currus Iſrael & auriga eius: currus belli ad victoriam inimicorum, & auriga ad regimen domeſticorum, & ideo vocatur zelus Dei, de quo dicitur: In igne zeli mei deuorabitur omnis terra, vt ſcilicet nihil terrenum ſit in nobis. Filius iſte contra dæmones etiā præualet, iuxta id: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. Particula cordis mei tanta virtute abundat, vt expellat etiam dæmones, quæ eſt niſi appetitus ſummi boni, qui dum feruidus eſt ad omnia valet? vir deſideriorum, quid non peraget? quis contra eum præualebit? nam ideo interrogat Petrus, dicens: Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? filius ergo iſte ad omnia valet, qui ex quo melius ſe habuit, ſeruos miſit ad patrem, dum rationi ſubiecit ſenſus, vitam eius nunciantes. Dum oculi vident quæ recta ſunt, dum vigilant ne contingat errare, dum flent perpetrata facinora, dum velut colūbæ dignoſcuntur ſimplices, & non ſublimes, vitam ducis ac deſiderij cæleſtis annunciant.

Marginal notes: *Senſus noſtri ſunt ſerui.* — *Rom. 7. d* — *Pſ. 18. c* — *Soph. 1. d* — *Tob. 6. b* — *1. Pet. 3. c*

tiant. Dum odorem bonum, exempla videlicet ſanctorum perquirit olfactus & ſequitur, & prudenter odoratur bellum procul, vt ſe patientia muniat animus, vitam denunciat ſancti appetitus. Dum etiam guſtus Deum inuenit dulcem & bene ſapit amarum pro Chriſto, ac deſipit omnis caro, denunciatio vitæ eſt. Dumq. aures omni concupiſcentia audiunt diſciplinam: & opprobrium non accipiunt aduerſus proximos ſuos, nec otioſis præſtãtur verbis, ſignũ eſt interioris vitæ. Si autem tactus mundiſsima tangit, & oneribus applicetur, ac vilibus & abiectis, ſignum magnum vitæ præſtat, vitamq. denunciat ducis ac filij optimi. Dicunt etiam ſenſus iſti, quòd *heri hora ſeptima reliquit eum febris*. Dum appetitus cæli, & ſanctum deſiderium exarſit in deſideria multa inutilia: & concupiſcit concupiſcentiam in deſerto, ollas carnium igne libidinis ſuccenſas: tunc febreſcit vſque ad ſeptimam horam, qui eſt numerus vniuerſitatis: Quoniam radix omnium malorum cupiditas: & ideo quamcumque mortalem infirmitatem comitatur febris, & innaturalis ac prauus calor: ſed calor bonus eradicat illum: nam ideo chirurgus contra ignem ſuccenſum in apoſtemate carnis ferrum ignitum bono igne defert. Et contra febrem pharmacum calidiſsimũ præſtat: vt ſic ſtomachus diſſoluatur ſalubri calore ad exterum nociuum eijciendum. Hora ergo ſeptima, quæ eſt conditio ſeptima fidei prædictæ, reliquit eum febris, quia ſcriptum eſt: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Fide feruida vti ſinapis grano omnia tela ignea a diabolo ſuccenſa extinguuntur: quia bonus calor contra malum præſtat: vt eſt exemplum in calore ſolis & ignis materialis: ſolis calor fructum arborum maturum reddit: ignis autem feruor comburit ſiluam: æſtus ſolaris ſegetes concinnat & ad meſſem bonam frugem deducit, ſed igneus eas deſtruit. Immo & in manna compertũ eſt, quòd ad ſolis calorem liqueſiebat, & ad lumen ignis feruidum induratur: ſic ergo calor febris, qui numquam dicit: Sufficit, duram reddit animam & ad mortem vſque perducit: ſed calor fidei, qui dicitur calor verbi, complens eam, viuificat, & ait: Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis: nil amplius de terrenis volo, nec de honoribus.

Iob 39. d.

1. Tim. 6. b

Eph. 6. b

Ioã. 14. a

Calor

Calor iſte, fratres, quoniam a Spiritu ſancto eſt, ſolo Deo contentus manet: vnde Cyprianus: Sufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus.

Cypr. ſer. de Aſcē. Dom. ſupra med. to. 3.

Nil aliud reſtat, niſi vt domus noſtri corporis tota credat, nullum ſit membrum quod non pareat Chriſto: nec iam regnet peccatum in mortali corpore noſtro: ſed ſicut exhibuimus membra noſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem: ſic ea demus ſeruire iuſtitiæ ad ſanctificationem. In corpore etiam reſplendeat fides, quæ aſſerit, quòd Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Pes ergo noſter viam pacis terat, genua debilia roborentur, venter eburneus ſit caſtitate, vmbilicus non indigeat poculis ebrietatis, ſtomachus vtatur modicò cibo vel parco, pectus deferat rationale iudicij, examinetq. ſe conſcientia, cor bonis cogitationibus repleatur, humeri ſubijciantur legi & cruci Dei, brachium tuum robora, manum mitte ad fortia exercitia, digiti fuſum apprehendant ſubtilioris exercitij, lingua non concinnet dolos ſed conſilia bona, & pſalmodiam iucundam; totumq. caput plenum ſit rore cæleſtis gratiæ, vt Carmelus alta cõtemplatione ad cælum erectum: vt ſic domus corporis tota credat, quia tota præmianda eſt, iuxta id: Domum maieſtatis meæ glorificabo. Et alibi: Ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum: quoniam Chriſti humanitas templum corporis noſtri adimplebit gloria, quam mihi & vobis præſtare dignetur Ieſus. Amen.

Rom 6. d
Phil. 3. d
Iſa. 60. b
Iſa. 6. a

SERMO I. DOMINICÆ XXI. POST PENTHECOSTEN.

Ex Euangelio.

THEMA.

Oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. *Matth.* 18.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

SI ſeruum oportet miſereri conſerui ſui, multo amplius oportet matrem Dei miſereri peccatorum. Diceris quippe, o Maria mater miſericordiæ, quæ miſeris præſtanda eſt. Quemadmodũ oliua eſt mater olei, ſic Maria eſt mater miſericordiæ, ipſa namque de ſe ait: Sicut oliua ſpecioſa in campis. Hæc eſt bona oliua, cui peccator oleaſter inſeri debet, vt ſaluus fiat: nec mirum quia videns Ieſus Mariam, dixit: Ecce filius tuus. In corde eius nos inſerere voluit, qui talia verba dixit. Et bene, quia eſt ſicut oliua clementiſsima. Et eſt ſpecioſa ſic, vt omnes alliciat ad ſe. Nam lætificat Deum & homines. Oleum miſericordiæ eius ardet in templo Dei pro peccatoribus intercedens. Si omnes prudentes virgines cum lampadibus accenſis ingreſſæ ſunt nuptias, quanto amplius ardet charitate Virgo virginum prudentiſsima omnium ſponſa agni? Maria igitur tam miſericors eſt, vt filio eius dicere valeamus: Domine in cælo miſericordia tua. Miſericordia filij Dei nobis exhibita mater eius eſt, nobis in matrem ab eo præſtitã, quæ non eſt minor in cælis quàm in terris. Superius enim ei inferius eſt irriguum miſericordiæ ſuæ, ideoq. dicitur ſpecioſa in campis; anguſtiam hortorum dedignatur, omnes cam-

Maria mater miſericordiæ, ſicut oliua mater olei.

Eccli. 24. *b*

Ioã. 19. *e*

Pſ. 35. *b*

nes campos adimplet eius clemens pietas, quæ ad omnia valet: omnes ſua ſpecioſitate lætificat ſanctos, de quibus dicitur: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. In ſanctis omnibus & in angelis Dei adhærentibus ſibi mater Dei miſericors eſt: nec ipſi poſſunt deſerere dulcedinem miſericordiæ virginalis, gratis dantes, quod & ipſi gratis acceperunt. Si ergo thematis verba ad quemlibet ſanctorum dirigi valent, potius conueniũt Mariæ, cui eſt amplior miſericordia exhibita, qua & ipſa poſſet miſericordes facere in cælo, vt ampliorem fiduciam tribuat ſperantibus ab ea gratiam in terris, pro qua impetranda ei offeratur. Aue Maria.

Pſ. 127. a

ARGVMENTVM DICENDORVM.

NARRAT præſens Euangelium: vbi Dominus Ieſus nos voluit præmonere qualiter iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam, quæ ſolis miſericordibus promittitur: Nam beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur a patre miſericordiarum, qui præ ceteris amplius in hac virtute vult a filijs imitari. Nam Chriſtus concluſit: *Sic pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* De cordibus iubet miſericordiam miſeris præſtari, vt vere miſericordes ſimus, miſeriam aliorum in cordibus ſentientes, potius ad condolendum & parcẽdum, quàm ad vindictam. De duobus agam in ſermone, de miſericordia Domini, & ſerui duritia.

Iac. 2. c
Matt. 5. a
Diuiſio.

PRIMA PARS.

CVM Pater, teſte Ioanne, dederit omne iudicium Filio, neceſſe eſt & hoc præſentis Euangelij iudicium ei conuenire, cui æqua eſt cum patre poteſtas, æqualisq. miſericordia. De ſe igitur dicit Chriſtus: *Simile eſt regnum cælorum homini regi.* Regnum cælorum, id eſt ſanctorum virorum, Chriſtus eſt, qui a duris quotidie aufertur, & miſericordibus tribuitur, vt faciant fructum miſericordiæ eius. Nec mirum quòd hoc regnum dicatur ſimile homini regi: quia eſt homo rex Dei filius. Dedit ei

Ioan. 5. f
Chriſtus homo rex eſt.

Dominus ſedē Dauid patris eius: ideo iuſte vocatur rex? Immo & aliqui tenent etiam temporale regnū Iſrael conuenire Chriſto tamquam legitimo ſucceſſori regum Iuda: ſed Gerſon inquirens genealogiam Ioſeph filij Dauid, aſſerit Chriſtum, etſi genere regio natum, non tamen regni temporalis Dominum fuiſſe plus in Iſrael, quàm in alijs regionibus mundi: ideoq. generaliter dici Regem regum, & Dominum dominantium, ac principem regum terræ: ſpiritualis ergo non temporalis rex iudæorum fuit, quod optime nouerat ille qui dixit: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Dixerat Dominus ipſi Pilato: Regnum meum non eſt de hoc mundo: Regnum meum non eſt hinc. Huic latro adhæſit ſententiæ, nec errore iudaico deceptus putauit Chriſtum temporaliter regnaturum ad reſtituendum regnum Iſrael. Quod arbitrati ſunt illi qui dixerunt: Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce. Ad reſtituendum Iſraeli regnum putabant iſti veniſſe Chriſtum, & ignorantes qualiter regnū cælorum Chriſtus vim patitur in cruce, deſperati dixerunt, vt deſcenderet rex de ſolio iudicij ſui, quo dſsipat omne malum intuitu ſuo. Sed ita fuit quamuis alio modo: quoniā deſcendit ad limbum, vbi ſanctis Patribus reſtituit regnum Iſrael, ſeipſum videlicet ad videndum & fruēdum. Felix ergo latro qui tali habitu cognouit regem ſuum, quando habet cruorem pro veſtimento purpureo, pro ſolio patibulum, pro corona diadema ſpineum, pro ſceptro clauos, pro cultu regali impenſum vituperium, pro curia Caluariæ locum, pro miniſtris ſatellites Pilati, pro reuerentia opprobrium hominum. Tantæ anguſtiæ expoſitum confeſſus eſt latro Chriſtum Dominum & regē eſſe: cognouitq. eum hominem & regem, id eſt hominem & Deum omnia regentem, cui rationē dedit totius vitæ ſuæ, & omne debitum dimiſit ei rex. Latro autem miſertus eſt conſerui ſui, alterius ſcilicet latronis, quem ob id ad lumen fidei nitebatur adducere. De hoc rege Chriſto dicit Euangelium: *Voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* In voluntate enim ſua cuncta ſunt poſita, cui reſiſtere poteſt nemo. Hunc ſinit peccare adhuc, illum impedit, ne poſsint implere manus eius quod ceperant. Et quare tam diuerſimode ſe habet cum peccatoribus? quia

Luc. 1. c
S. Tho. opuſ. 20. & lib. 3. de Reg. c. 12 & 13.
Vide Alphonſ. de Mendoza. in ſi. Quodl. hāc materiam exacte tractantem.
Luc. 23. d
Ioā. 18. g
Mar. 15. d

Latro quo modo cognouerit Chriſtum regem.

Latronis miſericordia erga ſocium.

quia ſic vult rationem ponere, de qua ſequitur: *Et cum cœpiſſet rationem ponere.* Nouimus quidem quòd in cælo quando angelos iudicauit Deus: quia in eis reperit prauitatem, eoſq. damnatos multo debito cõdemnauit. Tunc ergo cœpit in cælo rationem ponere, & cœpit in terra etiã quando dixit: Adam vbi es? Multis ergo retro annis cœpit rationem ponere cum omnibus creaturis: inter quas nulla eſt indonata ad vſuram, omnes multa receperunt ab hoc magnifico rege vniuerſæ creaturæ: & creſcentibus donis, rationes etiam creſcunt donorum, & villicationum. Cum ergo cœpiſſet rationem ponere, inter alios *oblatus eſt ei vnus.* Iſte nolebat venire ad rationem domini ſui: & forſan propter hoc quemlibet noſtrum ſignificat, qui nolumus nec in quadrageſima ad pœnitentiam properare coram ſcriba Dei, qui eſt ſacerdos, immo & iudex arbitrarius eſt, qui hanc rationem determinare poteſt. Eccleſia videns tædium noſtrum illo tempore, decreuit nos ad rationem venturos: Deus autem quotidie nos vocitat per conſcientiæ remorſum, vt dignoſcere nitatur quanta bona recepimus a Deo, & quanta mala commiſimus ex nobis. Vt ait Chryſoſtomus, ſaltim poſt accubitum ante dormitionem in lecto deberet chriſtianus quilibet rationem ponere cum ſua conſcientia, vt futura die rationabilius viuat. Pone igitur tu peccator cum ſeruis tuis, ſenſibus videlicet & membris rationem, vt eius moderamine viuant. Eſto rex teipſum regens, & ſede in ſolio rationis & iudicij tui, ſi vis intuitu conſiderationis omne malum diſſipare & eligere bonum. Ratio nunc incipit poni, ante tribunal Chriſti finienda: niſi velimus dicere quòd ante tribunal miſericordiæ Chriſti eſt prima ratio, & ante eius iuſtitiæ tribunal eſt altera, ideoq. nũc vocatur homo rex; quia nunc humaniſsime nos agit: poſtea autem velut auſterus rex de quo dicitur; Sicut rugitus leonis ita & regia ira. Quando nos in furore ſuo arguere voluerit, tunc rugiet leo, & quis non timebit? Nunc velut alter Adam quiſque peccator ſe abſcondit ab ira Dei ſub arbore crucis, quæritq. excuſationes in peccatis, quas admittit miſericordia Ieſu Chriſti, ſcientis quoniam puluis ſumus. Dei enim aliquo modo pœnitentis propter malum illatum verba ſunt iſta; Nequaquam vltra maledicam terræ

Gen. 3. b

Greg. hom. 9 in Euang. ij. 3.

Chryſoſt. de pæn. & conf. cur med. ho. 3.

Prou. 20. a

Amos 3. b

Gen. 8. d

terræ propter homines : ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. *Gen. 8. d*
Nunc videnda eſt differentia rationis vniuerſalis & particularis, quæ tangitur in hoc Euangelio: vbi duo iudicia Dei ponuntur: primo miſerentis: ſecundo punientis. Nunc miſeretur & cõmodat: ſed poſtea diſponet ſermones ſuos in iudicio contra nolentes miſericordiã recipere ſed abutentes ea. Prima & maxima miſericordia Dei nunc eſt ipſa peccatoris adductio & ſibi applicatio, ſeparans eum a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam: & hæc miſericordia notatur, ibi: *Oblatus eſt ei vnus.* Non dicit per quos oblatus fuerit. Forte per angelos, qui ſunt pœnitentiæ adminiſtratorij ſpiritus. Forte per prædicatores, qui offerunt & ſacrificant Deo animas hominum: cuidam enim prædicanti dicitur: Ecce do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos. Contingit enim quòd in predicatione inflammatur cor: & ſic etiam commutantur renes in melius. Et forſan homo Deo per ſacerdotem, qui in verbo virtutis Dei abſoluente, purgationem peccatorum facit: ſed nec per hos tres, quos dixi oblatos, eſt tantum quantum per Dei clementiam, de qua Paulus interrogat, dicens: An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adduxit? Quemadmodum non ſequebantur olim primum regem niſi hi quorum Deus tetigerat cor: ſic nec nunc angelum, vel ſacerdotem, vel prædicatorem ſequuntur niſi miſericordia eius præuenti. nunc ergo miſericordia ſedet in throno Dei, & dignos ſe, id eſt miſeros humiles quærit, quibus ſe tribuat, poſtea autem in vniuerſali ratione iudicij ſola erit iuſtitia: Quia & iuſtitia orietur ſimul. Hæc diſperdet impios, dicens: Ite maledicti. Rugitu leonis de tribu Iuda, quo pauebunt omnes beſtiæ agri, citabuntur damnati, atque territi erunt: quia vox Domini confringentis cedros. Nam vt apparere incipient, & tamquã puluis ante faciem venti diſperdet eos Dominus Deus noſter; ſicut ſola præſentia leonis hinc inde pecora fugat. Tunc rex erit Chriſtus: nunc autem hominis clementia vtitur, quia non deſtruit homines ab emundatione delictorum, ſed dans locum veniæ, admittit orationem dicentis: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Rationis vniuerſalis & particularis differentia.

Pſ. 111. a

Ier. 5. d

Rom. 2. a

Iſa. 45. b

Matt. 25. d

Pſ. 28. a

Non ſic in iudicio, vbi non acquieſcet precibus cuiuſquam deprecantis. Non Angelorum, non Sanctorũ, non Baptiſtę, non Mariæ matris miſericordiæ, quia tunc obliuiſcetur miſereri Deus. Nunc autem & vultum cuiuſlibet iuſti ſuſcipit, & Angelorum, & Sanctorum, & Mariæ matris eius, & confeſſoris, quin etiam & peſsimi peccatoris decem millium talentorum debito grauati: maxime ſi in poſterum meliorem vitam promittat, etiam nulla data cautione, ſed ſimplici volitione.

Pſ.76.b

Vbi nota quòd ad vniuerſalem rationem pergent nolentes & volentes, omnes primi damnabuntur, ceteri ſcilicet volentes ſaluabuntur, quia propterea dicitur: Euntes ibant & flebant &c. vſque manipulos ſuos. Hoc dicitur de ſolis electis habentibus bonum eius, qui animo volenti pergunt ad rationem iudicij: quoniam ideo non ſolum ibant, ſed euntes ibant, quia corpore pariter & animo appropinquabant. Mali autem ibant, ſed nolendo, veluti per capillos adducti, damnationem audire nolentes voce terribili. O fratres mei ſi contingat ire, volentes ite eundo: quamuis nunc ad forum miſericordiæ qualitercumque pergamus, ſalui erimus: etiamſi nolentes imus, cõpellendo rebelles volũtates noſtras, vel ſaltim attritas ſolummodo, quia tunc vi ſacramenti multum miſerentis ſaluabimur, quamuis ducenta millia talenta debeamus: nulla enim fuit cunctatio domini ad parcendum, nullas petijt inducias, nullam conditionem adiecit, ſed procidenti omne debitum dimiſit: petenti dilationem, obtulit plenariam remiſsionem decem millium talentorum. Non decem talenta, ſed decem millia dicit. Si primum dixiſſet tranſgreſſorem decem mandatorum demonſtraſſet, voluit autem tot ponere gradus numerandi, quot ſunt gradus peccandi. Ariſmetici in quinto gradu decem millia collocant, ſic vnitas decem tantum, mille decem mille, & ſic ſunt quinque peccãdi gradus. Primus in cogitatione quando curioſe aduertis materiam peccandi, vt inſpicere ratione furandi rem cum nimia concupiſcentia. Secundus in determinatione voluntatis ad male agendum. Tertius in perpetratione peccati in opus egreſsi. Quartus in repetitione operis praui paſsim peccando. Quintus in contemptu, quando iam peccator in profundum malorum deuenit:

Pſ.125.b

Boni ad iudicium eũt eundo.

Peccandi gradus quinque.

uenit: vbi & renuit correctionem, & arguentem ſe dura ceruice contẽnit. Iuxta hos quinque gradus ſunt & quinque metalla talenti pondere appenſa, ſcilicet ferri, & æris, & plũbi, & argenti, & auri: in ferro potentia, in ære imputribili naturæ donum, in plumbo diuitiæ, in argento eloquentia, in auro gratia Spiritus ſancti deſignatur. De talento æris reddent rationem Philoſophi, & alij perſpicaciſsimi viri, qui proprium ingenium aranearum telis & nugis dederunt. De talento autem ferri potentes, & bellorum actores, ſiue Romani, aut ceteri duces. De talento vero plumbi rationẽ reddituri ſunt locupletes: nec mirum quòd opes ſignentur in plumbo, maculas ingerente manibus, a quibus abſolutus dicitur: Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum, ſcilicet materiale non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris: ſed quis eſt hic & laudabimus eum? Fecit quidem mirabilia in vita ſua: quia contra curſum naturæ vixit. De talento argenti rationem reddent prædicatores, quando ei miſcent ſcoria vanitatis. De talento auri iuſti & ſancti viri, quibus dicitur: Suadeo tibi emere a me aurum ignitum & probatum.

1. Parali. vlt. b

Eccli. 31. a

Apo. 3. c

Sed nunc videamus comminationem Domini qui iubet peccatorem, vxores, & liberos vendi, hoc eſt, a ſe alienari: ne maneat peccator in domo Domini Dei ſui, ſed peius quàm Agar expelletur. Mirum quidem eſt hoc, ſi enim filius non portabit iniquitatem patris: quid nunc dicitur de filijs ducendis captiuis in legẽ peccati? Audi frater, quia hæc omnia in teipſo ſunt. In te eſt vxor caro: vir autem ſpiritus eſt. Horum filij ſunt opera, quæ carnis nominãtur. Cum ergo odio ſit Deo impius & impietas eius: omnia quæ habet, vult Deus abijcere, immo & ab ipſo peccatore, vt videat aliam legem in membris ſuis captiuantem ſe in legem peccati, vt non quod vult ſcindere, agat, ſed malis vſibus derelictus deterius viuat in dies: velut ægrotus deſperatus, qui relinquitur a medico ad libitũ viuere. Væ peccatoribus ita viuentibus acſi Deo non ſit cura de eis, acſi nullibi ſit reddẽda ratio. Exiſtens ergo in quinto gradu iniquitatis, quando peccator audire contemnit longe factus a Deo, venditur paruiſsimis delectationibus mundi, quia peccator etiam animam ſuam venalem

Eze. 18. e

Sap. 14. a

Rom. 7. d

lem habet, & minorem populum ſuum microcoſmum vẽdidit ſine pretio, pro nihilo terram deſiderabilem. Inſuper aduerte, quòd hoc peccatum fuit auaritiæ, quæ eſt infirmitas contagioſa, inficiens & vxorem & liberos, qui vtuntur male acquiſito, ideo plectuntur cum vſurario: quoniam mala fide non fit perſcriptio nec in quarta generatione. Facit vſurarius vt quidam eremita, qui timens miluum, ligauit gallinam cum pullis. Ille tamen rapto pullo omnia ſimul adduxit: ſic dæmon rapto vſurario rapit omnes cõtingentes opes eius, etiam ſeruos & ancillas. Vt tanto diſcrimini obuietur, & eluceſcat miſericordia Dei, procidat humiliter peccator, & dicat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Scrutemur hanc rogationem, qua ſeruus meruit remiſsionem, nec enim videtur habere formam orationis, ſed potius detractionis. Acſi dominus iratus eſſet, cum ſcriptum ſit: Tu autem in tranquillitate iudicas. Et ipſe Deus dicit: Ego Deus & non mutor. Scimus equidem quòd quando Deus iudicat, & diſcernit cauſam noſtram, diuiſi ſunt ab ira vultus eius: ideoq. dixit: Non mutor. Seruus iſte fecit, ſicut fieri ſolet inter Monachos, quãdo iniuſte aliquis carpitur, ægreq. fert correctionem iniquam, dicit corrector: Ne amittas patientiam tam cito. Cui reſpondendum eſſet: Ne amittas charitatem, iniuſte me carpens, & non amittam ego patientiam. Ergo ac ſi non eſſet Dominus multæ patientiæ, dicit: *Patientiam habe in me*. Aliqui aſſerunt quòd voluit dicere: Domine cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Sed attendite fratres, attendite hanc optimæ orationis formam, vt & vos ſimiliter oretis, & omnia Deo reddere valeatis, dicendo: *Et omnia reddam tibi*. *Patientiam*, inquit, *habe in me*. Ad me Domine conuerte illam patiẽtiam, quam habuiſti crucifixoribus tuis, quando patiebaris, & non comminabaris. Vbi velut agnus aut ouis eras mutus, nec aperuiſti os ad ſententiam proferendam, quamuis querelam gemitus protuliſti. Paſsio tua Domine, patientia tua eſt, hanc habe in me, quam & habuiſti erga tortores tuos, dicens: Pater ignoſce illis. O Domine quis tuam patientiam contemplaretur in cruce ex qua neminem condemnaſti, neminem damnaſti? Illam ergo *patientiam habe in me*; iterum peccatis meis

Auaritia contagioſa infirmitas.

Exemplũ de vſurario.

Sap.12.c

Mal.3.b

Abac.3.a

Chriſti patientia eius paſſio eſt.

Luc.23.e

crucifigentem filium Dei: *& omnia reddam tibi.* Si paſsionem tuam mihi applicueris, omnia reddã tibi, donec ſoluendo dicam: Conſummatum eſt. Nullum eſt in me peccatum, cui non correſpondeat in paſsione tua peculiaris ſatisfactio: ideo *omnia reddam tibi*, & omnia reddã quæ antiqui reddere ſolebant: reddam in paſsione tua bouem obediẽtiæ, turtur caſtitatis, & cetera quæ ab antiquis exigebas. Fiducialiter ergo dico ſi illam patientiam habes in animam meam, ei infundẽs meritum paſsionis tuæ, quòd *omnia reddam tibi*. Si enim pater tuus voluerit mecum rationem ponere, dicam ei, quòd hæc ratio finita eſt, quãdo dixiſti: Conſummatum eſt. Nec mirũ quia de te propheta dicit: Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & non aperuit os ſuum. Oblatus eſt patri vnus qui erat inter mortuos liber, & pro mortuis ſoluit, quæ non rapuit. Debitorem ſe fecit filius Dei non decem millium talẽtorum, ſed plurium, immo & peccatorum totius mũdi: cum omnia reddidit patri in menſa crucis vſque ad vltimũ quadrantem. Ibi eius vxor, caro videlicet, & filij qui corporis ſenſus dicuntur, & ipſemet venditus eſt, & omnia quæ habebat ablata ſunt, donec dilectam animam ſuam traderet in manus inimicorum eius: vt redderet vniuerſum debitum noſtrum, & hæc paſsio vſque hodie perſeuerat: vt non corruptibilibus auro & argento, ſed ſanguine imputribili agni immaculati omne debitũ ſoluamus Deo, & hac ſolutione miſericordiam impetrante, audiemus id quod ſequitur in Euangelio: *Miſertus autẽ dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei*. Quemadmodum Deus pater miſericordia motus eſt ſuper filium ſuum patientem, quando fecit tenebras ſuper totam terram, vt cooperiret nuditatẽ eius: ſic operit multitudinem peccatorum inuocanti eandem paſsionem, libertatiq. reſtituit eam allegantem propter crucis captiuitatem, quam ibi pertulit Chriſtus. Tria igitur dicta ſunt de Domino Deo noſtro: primũ quòd *miſertus eſt ſerui ſui*, & hoc quantum ad culpæ remiſsionem: ſecundũ quòd *dimiſit eum*, & hoc quantum ad ablationẽ culpæ: tertium quòd *omne debitum dimiſit ei*, quantũ ad pœne ſolutionem. Primum prouenit nobis ex Chriſti deitate gratiam creante: ſecundũ ex eius anima, quæ meruit nobis ablationẽ culpæ: tertium ex eius carne: Cuius liuore

Ioã. 19. f

Ibidem.

Iſa. 53. b

Miſericordia ſeruo exhibita.

Luc. 23. f

1. Pet. 2. d

Iſa. 53. b ſanati ſumus: quoniam attrita eſt propter ſcelera noſtra:
Pſ.128.a & hæc in pſalmo dicit: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. Plagæ Chriſti domus noſtræ ſunt clauis & ferro fabricatæ, vt ibi ſit requies mea in ſæculum ſæculi. Propter hanc non tradar tortoribus, quia Dominus meus Ieſus traditus eſt crucifixoribus.

SECVNDA PARS.

VISA Dei miſericordia, videamus noſtram impietatem, quilibet enim noſtrum eſt hic peccator, de quo ſequitur: *Egreſſus autem ſeruus ille.* O maximum malum: egreſſus eſt ſeruus ille, ſtatim quòd egreditur homo ab hac, quam prædiximus, conſideratione, ab hac miſericordia Dei noſtri, a memoria tanti beneficij collati, omnis decor egreditur ab anima noſtra filia Sion. Ob-
Thre.4.a ſcuratur aurum tantæ notitiæ, mutatur color optimus, quem ſanguis Chriſti dederat animabus noſtris, & animæ proximi noſtri, quem non tamquam hac miſericordia fruentem, & hoc ſanguine redemptum aſpicimus: ſed tamquam dæmonem inſequimur & perſequimur, iuxta
Pſ.108.b id: Perſecutus eſt hominem inopem & mendicum, & cõpunctum corde mortificare: namque peccator egreſſus a Deo, & a ſe, & ab omni clementia tamquam bellua inuenit vnum de conſeruis ſuis, ſeruum Dei eadem paſsione & pretio magno emptum, & etiam cõpunctum corde mortificare nititur: quem Deus viuificauit per viſcera miſericordiæ exhibitæ, ipſe autem ſuffocat eum, dicens: *Redde quod debes*, ſcilicet centum denarios. Suffocamus proximos quando non ſinimus eos miſericordiam petere, aut rogare nos, ſicut nos ipſi creditorem noſtrum Deum, qui ait: *Omne debitum dimiſi tibi: quia rogaſti me:* tu autem nec locum dediſti rogationi, quia ideo ſuffocabas eum. Ecce igitur quæ mala proueniũt ex illa egreſsione & exi-
Gen.34.a tu a Deo: nam Dina, & Cain egreſsi a Deo plurima com-
Gen.4.c miſerunt facinora: nec mirum quòd offendat iſte ad lapidem duritiæ pedem ſuum, & cadat in infernum, quo-
1.Io.2.b niam Ioannes dicit: Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Cæcus eſt non conſiderans miſeri-

miſericordiam Dei exhibitam ſibi & proximo ſuo pariter, cui & ipſe debet miſericordiam præſtare, ſicut gratis accepit eam, vt gratis daret.

Nos quidem ſumus vt agricolæ, quibus Dominus locauit vineam ſuam, quibus & petijt fructus eius: poſtea tamen occiderũt filium eius. Vinea eſt miſericordia nobis credita: fructus eius eſt pietas, quem pauperes & Chriſtus colligere volunt, ſed nos nec audire pietatem volumus, ideoq. rogantes ſuffocamus ne petant: vnde bene prophetauit de nobis Iſaias, dicens: Ecce in die iejunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Non ſic impij, non ſic: ſed dimittite eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpite. Confractus erat vir Euangelij præſentis, quando procidens conſeruum rogabat, dicens: ***Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*** Optima deprecatio. Habe in me patientiam, quam Dominus Deus noſter habuit in te, quaſi dicat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per paſsionem eius exhibitam tibi, ne deneges miſericordiam roganti: quia omnia Dominus reddet tibi, & centuplum, non perdes ſiquidem mercedem tuam. Nulla eſt inter pios chriſtianos efficacior deprecatio, quàm ſi dicas per paſsionem Dei. Sed increduli velut hebræi, quos cum Dominus eduxiſſet ab Ægyptiaca ſeruitute, quia Iacob induxerat eos in pœnam fraternæ venditionis. Iſti iam educti cum vxoribus ſuis, & liberis & omnibus quæ habebant, immo & amplioribus, cito obliti ſunt benefactorum Dei, & vexauerunt Moyſen ſanctum Domini propter aquas & carnes, non conſiderantes dona Ægypti, quæ dedit eis Deus, & mirabilia maris rubri: ſic fecit ſeruus nequam & quilibet qui nomine ſolum eſt chriſtianus, oblitus Creatoris ſui ac Redemptoris, qui tot remiſit ei peccata: illum, animam eius & corporis ſenſus a carcere inferni liberans per mare rubrum paſsionis ſuæ: vbi plurima nobis addidit merita: immemores tamen ſumus, quamuis cuilibet noſtrũ mandauit Deus de proximo, vt ei reddamus viciſsitudinem hanc, quam a Deo noſtro accepimus: proximus quidem caro noſtra, & frater noſter eſt, conciues Eccleſiæ, & coheredes

Matt. 21. d
Luc. 20. b
Iſa. 28. a
Pſal. 1. b
Iſa. 58. b
Deprecatio efficacior quæ ſit.
Pſ. 105. a
Eccli. 17. c

coheredes regni cæleſtis ſumus.

Nemo igitur dicat quòd eſt difficile roganti parcere: quia de cordibus veſtris ſolūmodo iubet Deus hæc eleemoſyna fieri, dicens: *Sic pater meus cæleſtis &c.* non de torculari, non de re familiari, non de pecunia iubet Chriſtus parcere, licet quòd omnia tibi ſalua ſint, & ius tuum manens tibi, mandat & interminat, vt parcas de corde: ne rancor maneat aduerſus proximum tuum in corde tuo, quia nec Deus, quando nobis parcit, ſeruat illum, quapropter Paulus dicit: Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit nobis. Aduerte quòd monſtratum eſt in monte crucis, quando Deus nobis donauit in Chriſto, quia ex eius corde aperto continuo exiuit ſanguis & aqua. Ne claudas, o Chriſtiane cor tuum nocenti te, ne ſerues iram ei: quia ob id lancea latus Chriſti aperuit, ne quis audeat celare cor proximo ſuo, ſed adaperiat illud continuo poſt offenſam, ſatis eſt quòd extat ſanguis alicuius ſenſus: quia impoſsibile eſt quin illatis tangamur, poſtea vero exeat aqua refrigerans æſtus iræ: quia ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna cordis, qua ex corde das bonam voluntatem, extinguit peccatum tuum, & proximum tuum, vt ſic non ad carcerem, aut tortores perueniatis, ſed nunc ad gratiam, & in futuro ad gloriam, &c. Amen.

Qualiter parcendū ſit.

Eph. 4. d

Eccli. 3. d

SERMO

SERMO II.
DOMINICÆ XXI.
POST PENTHECOSTEN.

THEMA.

Redde quod debes. *Matth.* 18.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

VT optime ex Pauli doctrina Gabriel Biel aſſerit: ſicut dominus tenetur populo ſuo fidelitatem, amorem, ac defenſionẽ: ita populus tenetur domino ſuo obedientiam, tributum, & reuerentiam exhibere. Et hæc non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam. Ex quo ſequitur quòd non coacte ſed ſponte illa debent tribui dominis terrenis, eo autem libentius conferuntur quo frequentius ac liberalius ipſi domini quæ ad eos attinent, faciunt erga ſeruos: nam eodem tenore reſpondere eſt. Nunc autem fratres virginem Deiparam ſcitis Dominam noſtram eſſe, lunam equidem ac mundi rotam ſub pedibus habet, & ait: In omni populo, in omni gente primatum tenui. Si ergo eſt Domina mundi iure dicet nobis verba thematis: *Redde quod debes.* Nos autem quid reſpondebimus, cui omnia regna dedit Deus, niſi illud quod ſcriptum eſt: Serui tui ſumus, quodcumque iuſſeris faciemus? Tamen & tu, quoniam iuſtiſsima es, redde etiam quod debes ſeruis tuis. Fidelitatem loquenti, vt ea quæ fidei ſunt fideliter loquar, amorem populo audienti, vt audita diligat, adhærens eis ex animo: vtrique autem etiam tribue defenſionem tepiditatis. Iſta tria animarum noſtrarum potentijs conuenire videntur: fidelitas intellectui, amor voluntati, defenſio memoriæ: ne in ſermone vagari contingat, vt tres actus hierarchicos tribus

Ro. 13.

Gab. Biel. 4. ſentẽ. d. 15. q. 5. artic. 2. not. 2.

Eccli. 24. a

4. Reg. 10 a

anima

animæ potentijs, impendat mater Dei. Ex tota igitur anima ſeruiendum eſt Mariæ, quæ totam protegit animam noſtram per gratiam ſupernam, quam vt aſſequi valeamus, ei demus. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

MVLTIS multa debemus fratres, & primo naturæ mortem: vti enim terra cum ſenſu tranſit ad heredem, ſic naturam humanam cum morte ad nos tranſiſſe video, cum nemo hactenus agnitus ſit, qui eam euaſerit, dici namque poteſt de quolibet homine potius quàm de Chriſto: Secundum legem debet mori: nec mirum quòd a mortalibus genitus mortem ſubire debeat. Debemus etiam maioribus noſtris obedientiam, quoniam omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe oportet, ita vt nemo ſine hoc debito ſit, quod quia varium eſt, ac ſingillatim diuerſimode aſtringit cunctos, dicitur: Sciant ſinguli cui debeant oneri mancipari. Baiulet ergo vnuſquiſque crucem ſuam, id eſt obedientiam conſentaneam, ac iniunctam ſibi, vt ſic quilibet pro captu ſuo imitetur ducem Chriſtum, obedientem vſque ad mortem crucis, id eſt obedientiæ. Debemus inſuper æqualibus noſtris amorem familiarem; nam propterea dicit Ioannes: Et nos debemus alterutrum diligere, tamen charitas numquam excidit, hoc debitum ſemper durat etiam dum perſoluitur, ideo enim dicitur: Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Debemus autem inferioribus ſuccurſum, iuxta illud: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, ſcilicet verbo, & exemplo, & ſubſidio. Debemus & errantibus diſciplinam, & diabolo impugnationem, iuxta illud: Virum, qui oppreſsit nos, delere debemus. Et nobiſipſis multa equidem cognoſcimus debuiſſe: nam qui ſibi nequam eſt, cui poterit eſſe bonus? Debemus & Deo multiplicia: tot quot attributa, bonitati amorem, iuſtitiæ timorem, & ſic de reliquis. Sileo de angelis quibus & plura debemus. Deo autem totum: nam ſi adimplere negligis paternum teſtamentum, paterna hereditate potiri non poteris: vt ergo in Iſrael herediteris, quæ eſt viſio Dei, te cognoſce eius teſtamenti debitorem

Ioã. 19. b · Debita noſtra multiplicia. · *Ro. 13. a* · *Num. 4. c* · *1. Ioã. 4. c* · *Ro. 13. b* · *Ro. 15. a* · *2. Reg. 21 b* · *Eccli. 14. a*

debitorem etiam totius: vt nec iota vnum, aut vnus apex prætereat a lege donec omnia fiant. Nam Paulus ait: Homo vniuerſæ legis debitor eſt. Cum ergo idem Apoſtolus dicat: Reddite omnibus debita: quæ multa ſunt, & multiplicia, tempus non ſuppeteret, ſi vniuerſaliter thema intelligatur, ideo ſolum de debitis Deo & proximo reddendis, agendum ſuſcipio in toto ſermone. *Matt. 5. b* *Gal. 5. a* *Ro. 13. b* Diuiſio.

PRIMA PARS.

DISSONVM videtur quòd peccata quæ fecimus dicantur debita, nec ea debuimus facere nec repetendo liberamur a debitis, ſed oneramur: nam ſi pecuniam debes, eam dando liber euadis, ſi autem peccata ſunt debita Deo, & peccata ei reddis, amplius innodaris, quòd autem dicantur debita, patet: quia vbi Matthæus: Dimitte nobis debita noſtra. Lucas dicit: Dimitte nobis peccata noſtra. Ecce igitur qualiter alter Euangeliſta alterum exponit. Sunt enim velut duo Cherubim ſe ad faciem reſpicientes. Quid per faciem niſi notitia? Facie ad faciem ſe reſpiciunt: quia notitia vnius facit ad notitiam alterius. Peccata ergo dicuntur debita, non quia ea debuimus perpetrare, aut ea reddenda ſint: ſed quia tenebamur quando deliquimus contrarium agere bonum peccato, quod commiſimus. Quod patet ſic: Viator tenetur vitia vincere ſciens: quia non coronabitur niſi qui legitime certauerit: quod Paulus in hodierna epiſtola monet. Nullo autem tempore potius tenemur vincere quàm cum tentamur, quia tunc ingruit bellum quamuis generaliter dicatur, quòd militia eſt vitia hominis ſuper terram. Tunc militare tenetur ſtrenue: quando inimicus aggreditur, ſcilicet tentationis tempore: vnde quando de furto tentaris, debes elicere volitionem firmiſsimam non furandi: ſi de adulterio, tunc teneris ad volitionem efficacem caſtitatis, & ſic de reliquis vitijs: vnde recogita cum adeſt tentatio, quòd tunc teneris ad victoriam, iuxta id: Certamen forte dedit illi, vt vinceret. Nam ideo nos Deus tentare permittit, vt vincamus. Ideo enim monet: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, illum ſcilicet, de quo dicitur: *Quo modo peccata ſint debita.* *Matt. 6. b* *Luc. 11. a* *Greg. hom. 9 in Ezech. to. 2.* *2. Tim. 2. a* *Iob 7. a* *Sap. 10. d* *Eccls. 10. a*

Vado

Ioã.14.a Vado parare vobis locũ. Quando ergo tentaris, ſignanter ad obſeruantiam teneris illius præcepti de cuius tranſ-
Pſ.34.e greſsione tentaris: ideo felix ſi facias illud: Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio &c. Alio tempore vix aut numquam teneris exire ad prœlium: nam temerarios dicit Bonauẽtura eos, qui ſe tentatori obijciunt. Ex hoc igitur patet, quòd dum facinora perpetras, dupliciter peccas & omiſsione, & commiſsione, pro quibus debitor diceris, ſemper enim teneris reus, donec Deo reddas quod debes. Alioquin & quotidie per conſcientiæ remorſum, in quadrageſima dum pœnitentiam petis, & in iudicio, & in inferno, dicet tibi: *Redde quod debes*. Non ergo dicũtur peccata debita pro materiali aut formali, ſed defectiue: quia peccatum eſt defectus a rectitudine. Di-
Peccata quare dicãtur debita. cuntur ergo debita propter virtutem quam tenebaris adimplere, quando vitium perpetraſti, quæ debuit eſſe contraria peccato quod feciſti. Ex dictis infero quòd ad obſeruantiam præcepti tenetur homo ad aliquam virtutem, quæ in eo formaliter non includitur, ſi abſque ea non poſſit illud obſeruare; ſic faciebat ille qui dixit: *Cum mihi moleſti eſſent &c.* Debita ergo ſunt peccata reſpectu eorum, quæ tunc agere tenebaris. Quomodocumque ſint debita iſta peccata, mirum videtur quòd nos Deo valea-
Scot.4.Sent. d.15. q.1. mus aliquid ſoluere: nam, vt ait Scotus, ſatisfactio eſt redditio alias indebiti. Nil autem indebitum habemus
1.Cor.4.b reſpectu Dei, quibus dicit Apoſtolus: Quid habes quòd
Ariſtot. 9. Ethic.c.7. non accepiſti? Et ſi, vt ait Ariſtoteles, ex toto nos debemus magno benefactori, Deus autem munificentiſsimus ſit, qui dat velle & perficere, ſequitur quòd reſpectu eius nil indebitum habemus. Verumetiam attende, quòd ſi Deus nihil a nobis quæreret, & ex integro ſolutos relinqueret nil præcipiendo, ad omne poſſe teneremur ei, ita vt nullum ſupererogandum maneret, quod addere velut indebitum poſſumus. Nunc autem dulcis & re-
Pſ.24.b ctus Dominus: propterea legem dedit delinquentibus in via. Legem, inquam, quæ plus deobligat quàm obliget: nam vt probaui ad omne poſsibile nobis teneremur dempta lege, quæ quia parua petit a ceteris deobligat nos: de ceteris ergo quæ vltra præcepta poſſumus facere, ſatisfiet Deo, qui ait: *Redde quod debes*. Sed quoniam

niam offenſa Dei ſi reſpectu eius attendatur ſecundum Thomam infinita eſt, noſtræ autem iuſtitiæ paruæ ſunt, immundæ & dubiæ: ideo de penuria Dauid conqueſtus ait: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? non ſolum tribuit, ſed ſæpe retribuit: ideo quid, & ego ei retribuam? Quaſi poſt nimiam conſiderationem ad ſe reuerſus, ait: Calicem ſalutaris accipiam, id eſt, paſsionem Chriſti, qua nobis ſalutem obtinuit. Hic Chriſti calix figuratur in vaſe Ioſeph, quo augurari ſolebat, ſcilicet indeuotis mala, deuotis bona: indeuotis pœnam, pijs gloriam: & ideo calix Domini etiam fæces habere dicitur, de quibus bibent omnes peccatores terræ, tantum donum negligentes. Dedit enim nobis Deus quo ei etiam ſuperabundanter quàm petit reddere valemus omne debitum: ſi tamen vel duo addimus minuta, quia ſolitaria paſsio adultis non prodeſt, niſi aliquid addant vel pilos caprarum: vnde Dauid ſtatim ſubiunxit: Vota mea Domino reddam: & nomen Domini inuocabo. Dicit Chriſtus in Euangelio, quòd ſi dederis calicem aquæ frigidæ pro eo, non perdes mercedem tuam, quæ copioſa eſt in cælis. Hoc non fiet propter calicem tuum ſolum, ſed quia ſuo calici adiungitur, qui & ſanguinis viui eſt & calidi. Hoc ſignatur in Miſſa, dum vino paruiſsimam admiſcemus aquam, vinum in ſanguine Chriſti, aqua (& vtinam munda) parua merita noſtra ſunt.

Pſ.115.a *Paſſio Chriſti ſatisfacit.* *Ibid. b* *Matt.10. d*

Inter opera ſatisfactoria poſt contritionem eſt efficacior eleemoſyna, per quam debitum reddimus Deo, ſed dicet quiſpiam: Vbi eſt ille, vt debita reddam ei? Cum nec domini temporales perſonaliter veniant receptum debita ſibi, ſed alios mittant: quid mirum ſi Deus mittat pauperes ac debitores ſuos cum ipſe dicat: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? Deferunt quidem chirographum Dei cum teſtibus præordinatis, aſſerentibus Deum dediſſe pauperibus copiam recipiendi quæ Dei ſunt: immo diuinæ perſonæ teſtes huius copiæ ſunt: Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, dicentes: Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælo. Et in dorſo ſchedulæ manu propria ſcribit Chriſtus, & recognoſcit ſe recepiſſe

Matt.25. d *1.Ioā.5.b* *Luc.12.d*

Matt.25. d cepiſſe quæ pauperibus dantur, dum ait: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere &c. dũ ergo eleemoſynã facis, Deo reddis quod debes: ideoq. figuratur eleemoſyna in debito mulieris viduæ, *4. Reg. 4. a* quæ per cõſilium prophetæ vaſa vacua non pauca duxit intra domũ ſuam, & parum olei quod habuit per ea impartita eſt: ex huius olei incremento debitum perſoluit, & ſuperfuit de quo vixit. Vidua anima peccatrix eſt, quæ & vtinam non mactauerit virum ſuum Chriſtum, iuxta *Heb. 6. a* id: Rurſus crucifigentes filium Dei, quem ſuperbi ſpinis coronant, auari manus clauis afficiunt, inuidi latus eius feriunt, pigri affigunt pedes eius, voluptuoſi totũ dilaniãt corpus, maledici dant ei bibere myrrhatũ vinum, amare contra eum loquentes. Hæc igitur anima vidua nil habet in domo ſua niſi parum olei, parum pietatis in re familiari, & poſſeſsiónibus ſuis qua vngatur: quia pietas lenem reddit animum & blandum. Creditor Deus venit contra peccatorem, in quo mortuus eſt Chriſtus, & vult eius animam & corpus perdere in gehennam, cui deſeruiunt damnati, magnificantes (velint nolint) iuſtitiam Dei. Conſilium autem de eleemoſyna datur per Spiritum ſanctum patrem orphanorum, & iudicem viduarum: vt ad pietatem te conuertas, quęrasq. vaſa vacua, quæ pauperes ſunt, rebus mundi vacui, ſed forte ſpiritu Dei repleti. Hos pietate tua repleas non diuites, aut ſemiplenos vt lautius viuant: ſed vacuos pauperes, vt poſsint agere vitam, vnde tibi dicitur: Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & proderit tibi magis quam aurum &c. ſciebat vidua hæc eleemoſynam in abſcondito faciendam, vt pater æternus, qui videt in abſcondito, eam acceptet: ideo clauſit oſtium ſupèr ſe. Ille in abſcondito eam dat, qui nollet ſciri: ille in patulo, qui laudis cupiditate abſcondit eam, vt amplius diuulgetur. Dum oleum diſtribuitur, creſcit: quia voluntas largiendi non ſufficit ad gratiam obtinendam, niſi efficax ſit ad opus. Animum quidem præſtandi multĩ habent: qui putantes ſibi defuturum, collectam habent manum, non attendentes quòd de reliquo olei vixit pia vidua: pietas enim quæ ad omnia valet promiſsionem habens

Margin notes: Chriſtus moritur vt peccator viuat. — *Pſ. 67. a* — *Eccli. 29. b* — Eleemoſynas dantiũ diuerſitas. — *1. Tim. 4. c*

habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ in poſterum merita multiplicat: & nunc in præſentiarum diuitias ipſas, quia danti dat Deus, & ſua debite diſtribuentes ditiores fiunt: ſi tamen fidem habeas vt vidua, quæ prophetico credidit conſilio. Ecce per eleemoſynam reddes quod debes, & ſupereſt. Sed pauper, inquies, ſum quod elargiar non habeo: ſi hanc eandem paupertatem voluntarie complecteris, ea debitũ perſolues, a Deo enim dicitur: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: quoniam paupertas eſt bonum ſine calumnia, vt ait Seneca: ideo a paupere voluntario nihil de rebus expoſcit Deus, quia ſcriptum eſt: Pauper fiducialiter requieſcet. Sed his aliud remanet ex quo debitum ſoluere poſsint. Nam regula iuris dicit taliter: Qui non habet in bonis, luat in corpore: poſſunt enim ieiunare, carnem macerare, flagellis cedi, nuditate & frigore comprimi. Sed inquies: Infirmus aut debilis, tener ac delicatus ſum, & ſenex, nihil moleſtum accipere valeo. Si naturæ calamitates aut aliunde prouenientes acceptes, vt ait Scotus, multum ſoluis, & tunc Deo tribuis caprarum pilos hiſpinos, quos recipi iuſsit in opera tabernaculi ſui. Et alius tibi remanet modus, quo liber a debito eſſe queas. Si petitionem Deo inferas, vt omne debitum dimittat tibi quàm incunctanter fac, quoniam & ſi longe ſit a peccatoribus Deus, ſcriptum eſt: Aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt ſententiam. Aues cæli angeli ſunt, miſsi adminiſtratorij Spiritus propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis. Miſsi inquam a Deo ad nos, & a nobis ad Deum, propterea viſi ſunt in ſcala Iacob aſcendentes, & deſcendentes. Sed quis petitionem componet? Iam equidem eſt a Dei filio in debitorum fauorem compoſita & debita, dum ait: Sic orabitis: Pater noſter qui es in cælis: patrem eum vocat, qui nouit bona dare & mala condonare filijs ſuis. Qui es in cælis loco miſericordiæ, quia dicitur: Domine in cælo miſericordia tua, vt citius deſcendat: Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum. Quod in alto eſt, impetu fluit ſi dimittatur. Dei ergo miſericordia multum prona eſt ad miſeros deprecantes, immo & ad non deprecantes: nam ideo in petitione Chriſti pro

nobis

Matt.5.a *Ad Heluiã matrẽ c.11. 12. & 13.* *Iſa.14.g* *Exo.25.a* *Eccls.10.d* *Heb.1.d* *Matt.6.b* *Pſ.35.b* *Iac.1.c*

nobis ad deprecandum compoſita inſertum eſt: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

SECVNDA PARS.

SI autem pro ſecunda parte hoc vis computare, aduerte conditionem quam Chriſtus poſuit: *Cui proprium parcere, & miſereri ſemper eſt*. O tremenda conditio. O verbum amandum pariter & timendum: ament parcentes, timeant iniurias repetentes: quoniam iudicium ſibi manducat, & bibit qui hanc Dominicam petitionem ore accedit ad orandum Deum, ſi prius non complet conditionem inſertam. Nam ſi tu debitori tuo debita remittere paratus es poſtquam eum ſuffocaueris: ferieris & ſuppeditaueris diuulſum, & dilaceratum, & dicis Deo, vt dimittat tibi ſicut tu alteri: contra te oras, moleſtus es Deo, aduerſum reſperſum, contra animã tuam petis. Quid ergo petes quod fugiendum eſſet, cur contra animam tuam iudicem irritas aduerſarium tuum? quis vnquam reus niſi deſperatus ſibi vindictam accelerari poſtulat. Ipſe dicis orans Deum: Parce, vt parco. Tu non parcis niſi prius dentibus teras, pedibus conculces, & ſic vis fieri tibi? ſtultior es puero, qui aliquomodo ſcit reprobare malum & eligere bonum. Non fiat tibi ſicut petis: quoniam verba tua, vt nunc ſunt, non ſunt vt miſericordiam prouocent ſed furorem contra te, & oratio tua fit in peccatum: quoties igitur oras oratione hac, ſi prius non parcis, enſem acutum preſtas Deo vt te ſecet, atque a ſe diuidat: ſicut tu diuiſus es a tibi nocente, ideo vt arbitror ſcriptum eſt: Gladium euaginauerunt peccatores: ſi orantes dicunt: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: quia ſi ipſi antea non pepercerint, ſenſus eſt: Non dimittas nobis debita noſtra: quia nos non dimiſimus debitoribus noſtris. Oportet denique quòd priuſquam orationem Dominicam pronuncies, dimittas fratri tuo etiam ex corde, quoniam quem oras agnitor cordis eſt, & ipſi præparantur etiam minutæ cogitationes. Si autem de tibi nocente vindicare cupis, caue ne de crudelitate noteris: nam ſi miſericordes fuere, qui a latronibus

1.Cor.11 f

Orãti Deũ, & nõ parcẽti inimico quid accidat.

Pſ.36.c Matt.6.b

nibus vulneratum repererunt, propterea quia ei nil boni fecerunt, quanto amplius immanes fuiſſent ſi ei adderent vulnus ſuper vulnera? Tu deterius facis, de tibi nocenti te vindicare niteris: quia mortuo ictum infers, & defunctum ſcindis. Vbi aduerte, quòd claui & crux dulces dicuntur: quia Chriſtum viuum vulnerarunt, mucro autem lanceæ crudelis perhibetur, quia Chriſto mortuo non pepercit: inimicus tuus mortuus animo eſt: quia qui non diligit manet in morte, & tu eum adhuc vulnerare amplius cupis? mortuo non parcis? mucronem dirum habes ſicut Longinus contra Chriſtum iam mortuum, cuius paſsionem debes & non afflictionem: vnde conquerentem audies & dicẽtem: Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum. Verba ſunt Chriſti ad ſynagogam adulteram & crudelem; in præcedentis verbi repetitione doloris non eſt ponderatio ſed crudelitatis illatæ. Vtinam reperirentur tibi oculi, vt videres quàm malum eſt inimicum odiſſe, quia ethnici hoc faciunt & non filij Dei, qui norunt dare bona pro malis, ſicut & pater cæleſtis, qui ſolem ſuum, id eſt, beneuolentiam oriri facit ſuper bonos & malos, vt boni referant gratias, & mali reſipiſcant, & conuertantur ad pacem, & ſanet eos. Si inimicum tuum odis, reſpice inſipientiam tuam, malus medicus es, & malus pugil. Vniuerſalis norma eſt medicorum, vt contraria contrarijs curentur: ſolus Deus ab hac excipitur, qui aliquando vlceribus ſanat vlcera, & ideo dicit: Percutiam, & ego ſanabo, quaſi dicat percutiendo ſanabo: ſic & Ezechiam ſanauit cataplaſmate ficorum, vulneri complexioni minime conſentaneo: vnde propterea quòd aliquibus ſe oſtendit Deus inimicum vt fiat amicus, dicit: Perfecto odio, id eſt ad perfectionem ducente, oderam illos: & inimici facti ſunt mihi ſine cauſa. Quoſdam ergo in finem diligit Deus, quibus in principio inimici opera oſtendit, ſed in fine amicitiam, vt expertus erat ille, qui dixit: Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me. Tibi autem parum perito opus eſt inimici tui languorem mederi contrario medicamine: ſi odio anima eius ægrotat, amore curandus eſt. Nec dicas: Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Namque vnicuique mandauit de proximo ſuo: & ſi te

1. Ioã. 3. g
Cant. 4. e
Matt. 5. g
Deut. 32. f
Iſa. 38. d
Pſ. 137. d
Pſ. 117. c
Gen. 4. b
Eccli. 17. b

audierit proſequens eum amore, lucratus eris fratrem tuum. De inimico fratrem efficies: quia propterea ſcri-
Pro.25.e ptum eſt: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi. Hic multi dicunt determinari ea quæ in extrema neceſsitate inimico tenemur impendere, ſcilicet cibum & aquam, quibus viuere poſsit. Sed ego illud in quocumque tempore intelligo. nam ideo dicitur: Si eſurierit, quod etiam in bona valetudine ſolet euenire. Si eſurierit ergo carnem tuam, ſi ſanguinem ſitierit, da ei aquam alicuius beneficij, quo temperetur ira eius. Si ſanguinem ſitit, non des ei languorem: quia contraria contrarijs curantur. Si mala deſideria, tu ei bona præſta: quia ſic prunas amoris Dei congregabis, quantum ex te eſt, ſuper caput frigefactum eius. Si charitas eius iam emortua & frigida eſt, tu ipſe ſatage accendere eam: quia contra frigus, igne pugnare ſolemus, & fomento caloris. Sed forte conqueſtus dices: Ille minime recognoſcit, amicitiam in rixam conuertit, renuit acquieſcere, cur inuito & renuenti bona præſtare debeo? quod emolumentum reportabo? Huic reſpondit Sapiens in reliquis verbis, dicens; quòd Dominus reddet tibi. Si autem rixæ vir noluerit reſipiſcere ira feruens, Dominus pro quo illum ſupportare debes, reddet tibi. Ille pius pater te aliquando diſipientem & furentem ſupportabit: ille reddet viciſsitudinem hanc pro benefacto inimico reſpectu eius impenſo. Væ nobis fratres mei ſi noluerimus
Rom.5.b acquieſcere, qui cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius: & nunc vt reconciliemur fratri eius animaduertentiam expectat & contritionem, cum ipſe Deus prior dilexerit nos, ex quo merito dicit nobis: *Redde quod debes*, ſcilicet, amorem inimico propter me, qui cum inimicus eſſes dilexi te, quia *oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum*.

Item redde in hoc negotio tibi ipſi quod debes. Vbi aduerte quanta dementia eſſet te gladio perforare, vt alium in veſte tangeres, ſi a tergo veniſſet tenere te. Damnificator tuus retro eſt: quia coniectare debes, quòd eum Deus permittit vt te viam perfectionis currere faciat citius. Nam & vſque hodie relinquit Deus quoſdam malos, vt

loſ, vt in eis erudiat Iſrael ac exerceat. Iam ergò ſi illud ferire cupis, te prius transfodies: quia tuam ipſius animam pertranſibit gladius perſecutionis antequam perueniat ad inimicum. Nam propterea iuſsit Deus in lege pignus reſtitui ante ſolis occaſum. Pignus, ſecundum Gregorium, eſt confeſsio reatus, quam qui extorquet & habet dimittere, tenetur iniuriam cōfitenti, alioquin ſol iuſtitiæ Deus occidet ei: ita vt in tenebris remaneat peccatorum. Dum ergo iniuriam retines, Deo cares: quia teſte Ioanne, qui odit fratrem ſuum in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcauerunt illum. Ecce igitur qualiter prius & plus noces tibi quàm inimico tuo. Te in anima, illum in veſte percutis, de qua dicitur: Pellibus & carnibus veſtiſti me. Animam in eo percutere non poteris: quia illa in manu Dei eſt, qui ſolus poteſt animam & corpus perdere in gebennam: tu autem ſolum corpus ſi detur opportunitas aut facultas, dæmoni enim & cuilibet nocenti per vim iubetur illud: Verumtamen animam eius ſerua. Si velut diabolo circa Iob tibi contra inimicū tuum tribuatur omnimoda facultas, animam eius tangere non valebis, & tuam ex toto perdes. Ergo redde tibi quod debes, & animam tuam ne deſpicias. Si enim praui homines dicunt ſe velle à ſe vnum eruere oculum vt ab alio eruantur duo: nemo ita liuore vindictæ inſanit, vt ambos vellet ſibi erui, propterea quòd alteri eruatur vnus. Animam & corpus tuum cum ceteris tuis damnabit Deus, & tu tempus nactus dementiæ non poteris niſi corpus deſtruere. Igitur vel propter hoc damnum, redde quod debes tibi, ſcilicet fugam tanti mali: quia ſcriptum eſt: Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam. Et vltimò redde quod debes tibi per amorem, quia ſuper thematis verba Chryſoſtomus dicit: Si graue videtur præceptum, cogita præmium. Si graue eſt reconciliari ei qui contriſtauit te, cōtemplare quę pręmia, victor tui, & impetus iræ, in cælo accipies. Dicitur in Exodo, quòd quanto plus hebræos opprimebant Ægyptij, tanto amplius creſcebant & multiplicabantur. Quorum incrementa nos in cælo credimus habituros, quia nec regnum noſtrum, nec augmentum de hoc mundo portamus!

Deut.24.b
Greg. lib.33 Mor. c. 11. in prin. to. 2
1. Ioā. 2. b
Iob 10. b
Matt. 5. d
Iob 2. b
Iac. 2. b
Chryſ. hom. 42 in c. 18. Matt. to. 2.
Exo. 1. d

tamus? Dum a perſecutore affligeris, memorare quòd
3.Reg. 6. a malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, ſcilicet cum ædificaretur. Sed hic dolantur omnia vel per angelos malos, aut falſos fratres, aliosq. iniuriam irrogantes, quæ eſt ictus dolandi nos.
4.Reg. 2. d Quis ergo lapis expoliri non ſuſtineat? Nam ſi Elias aſcendit per turbinem in cælum, cur ipſe non ſuſtineas turbationem vt amplius eleueris in cælum, quod nemo
Eſth. 4. d intrare poterit, niſi forte rex cæli auream virgam, ſcilicet tribulationis, ad eum extenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſsit viuere, ſcilicet in æternum? Si ergo Dominus Ieſus, quem eius inimici ſuffocare nitebantur,
Pſ.109.b tur, de torrente anguſtiæ in via hac qua ambulamus, bibit, & propterea dicitur exaltaſſe caput vſque dum amaricatus ſit venter tuus: nam & ipſe tecum eſt in tribulatione, vt hic te eripiat per gratiam, & in cælo, inquit, glorificabo eum, quod nobis præſtare dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Qui cum Patre & ſancto Spiritu viuit, & regnat, &c. Amen.

SERMO

SERMO DOMINICÆ XXII. POST PENTHECOSTEN,

Qui præcipue pertinet ad feſtum Simonis & Iudæ Apoſtolorum, & alijs binis Sanctis poteſt applicari, mutatis mutandis.

THEMA.

Portemus imaginem cæleſtis. 1. *Corinth.* 15.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN hoc vno velut in vno crine colli ſui Maria ceteros antecellit ſãctos, quòd etſi omnes Dei filio ſunt ſimiles, vt ait Apoſtolus ad Romanos. Et alibi; Cum apparuerit ſimiles ei erimus. Maria tamen præter hoc aliam habet perfectionem & gratiam, & eſt quòd ipſe filius Dei eſt Mariæ ſimillimus: nam in prima ætate fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, quæ, vt ait Sapiens, ad filium pertinet, qui eſt imago bonitatis illius. Sed in ſexta ætate eundem filium ad imaginem Mariæ fecit, quando Verbum caro factum eſt. Nec mirum quòd ad imaginem dixerim Mariæ, nam quilibet filius naturaliter ſimilis eſt matri, quoniam de quolibet parente dicitur: Similem ſibi reliquit poſt ſe. Et de hoc ipſemet filius gloriatur, dicens per Sapientem: In ventre matris meæ figuratus ſum caro, qui ab initio puriſsimus erat ſpiritus, quando venit plenitudo temporis ex Maria carnem induens, ad eius figuram corporis lineamenta ſuſcepit. Ex hoc igitur duo ſunt Mariæ collata, primum in corpore, ſecundum in anima. Corporalis enim pulchritudo ipſius ſuperegreſſa eſt vniuerſas feminarum cateruas. Decuit namque

Ro. 8. f
1. Io. 3. a
Sap. 7. d
Ioan. 1. b
Sap. 7. a
Mariæ duo beneficia collata.

& oportuit tantam eſſe, vt maior ſub Deo nequiſſet intel-
Pſ.44. a ligi. Scimus quippe vt canit Pſaltes, præ hominum filijs Dei filium ſpecioſum corpore fore, quam ſpecioſitatem ei naturalem Maria præſtitura erat. Ergo credendum eſt quòd & ipſa ſic fuerit ſpecioſiſsima inter mulieres, quia formæ ſuæ naturaliter Dei filius adaptandus erat, ideo
Iudic. 5. d dicitur: Pulcherrima feminarum eligitur ei, ſcilicet in matrem: nec mirum, quia Aſſuero ex cxxvij. prouincijs
Eſth. 8. c pulchrior eligitur Eſther. Mariam igitur hanc amauit & exquiſiuit filius Dei: & amator factus eſt formæ illius, tantum quòd formam ab ea accepit humanam, ob quam Mariæ, ſecundum quòd diximus, dedit, & eſt eam facere ſibi ſimilem in anima, ſicut ipſa eum fecit ſibi ſimilem in
Ioan. 1. b corpore. De Chriſto quippe dicitur: Vidimus gloriam eius, vſque plenum gratiæ, quòd de plenitudine eius omnes accepimus: ſic de Maria ſuo modo, quoniam ei dixit
Luc 1. e Angelus, quando vidit gloriam eius ad eam miſſus: Aue
Hom. 3. to. 1 gratia plena, & (vt ait Bernardus) de plenitudine eius
Eccli. 24. d omnes accipiunt gratiam: ideo ipſa poteſt dicere: Rigabo hortum plantationum, id eſt Eccleſiam: & inebriabo partus mei, ſcilicet Chriſti, fructus qui ſunt omnes fideles. Si ergo inebriari vultis chariſsimi gratia, humiliamini ſub potenti manu eius, quia loca humilia abundantius aquam recipiunt: ideo genibus flexis, offeramus ei. Aue Maria.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VT ait quidam: Omnia ſex diebus conſummauit Deus præter hominem, quem incoſummatum reliquit. Angelos namque ordine ſuo diſtinctos glorioſos effecit, qualiter in ſæcula permanebunt. Dæmonibus autem infernum aſsignauit in perpetuum, & de iſtis inferioribus &
Pſ. 118. m luminaribus dicitur: Ordinatione tua perſeuerat dies. Immo horæ, & menſes, & anni determinato fine natu-
Humana inſtabilitas. rali omnia concluduntur, præter te homo, de quo neſcimus, in quo greſſum ſis compreſſurus, & in quo finies, nec ad quem portum ducas cymbalũ tuum. Scimus quòd
Eccli. 15. a te fecit Deus, tamen reliquit, vt dicitur, in manu conſilij tui, vt te conſumas in manu, id eſt in opere conſulto: vnde

operibus tuis bonis te perfice, & ad finem perduc, quem qualis futurus ſit, ignoramus: vnde Salomon ait: Tria mihi ſunt difficilia, &c. & quartum, quod ſe fatetur ignorare, eſt via viri in adoleſcentia. Alia tria etſi difficulter ea ſcire poterat, quartum tamen, hoc eſt, de te adoleſcens, in quo vitam concludas, quo pergas, an viam incœptam teneas, an aliam inquiras, qualiter denique te perficias, hæc ſe fatetur ille ſapiens ignorare, *no ſabe en que as de acabar*. Et ratio eſt quoniam homo numquam in eodem ſtatu permanens, eſt velut ſpeculum, tot induens formas, quot ſunt partes quibus vertitur: ſi ad cælum apparebit ſtellatum, ſi ad obſcura apparebit fuſcum ac nigrum, ſi ad animalia apparebit veluti lucus & nemus, ea in ſe complectens: ſic tu homo cuicumque te vertas ſimilis eris & eiuſdem portabis imaginem ſicut Camaleon qui colorẽ, vt aiunt, cuiuſcumque loci vbi recedit portat in ſe. Non cælum angelos facit, ſed puritas interiorum & ſancta deſideria, non infernus dæmones ſed inueterata malitia. Non paleas edere facit beſtias ſed immũda vita vitiorum volutabro induta: igitur inſpice homo quorum imaginem portes & colorem. Et diſce a ſanctis Apoſtolis, qui ad ſeipſos, & ad te ingerunt thematis verba, dicentes: *Portemus imaginem cæleſtis*. Venit namque cæleſtis homo Chriſtus in mundum, cuius imaginem portare voluerunt iſti ſancti, & optant vt eandem nos ipſi portemus.

Pro.30. — Homo quaſi ſpeculũ in ſe cũcta reſplẽdent.

Duplicem ergo reperio imaginem Chriſti, ſcilicet viuam & ſcriptam, vtramque iſti ſancti portauerunt. In prima parte ſermonis dicetur quo modo primam pertulerunt. Et in ſecunda de cetero.

Diuiſio.

PRIMA PARS.

VITAM Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ſuper vitas omnium eſt, dicimus in præſenti eſſe imaginem non quidem mortuam ſed viuam. Viua enim imago (vt eſt filius cuiuſcũque qui dicitur imago ipſius patris) & ſe mouet, & alios mouet: ſic Chriſti vita per ſanctos & eius ſequaces ſe mouet, atque mouebit vſque ad finem ſæculi in animas ſanctas ſe transferens, & eos, ad quos peruenit, inuitat, & mouet ad Chriſti opus. Magis enim mouet cor

militum progreſſus regis ad bellum, quàm totius exercitus. Si enim arca Dei quæ eſt humanitas Chriſti habitat in papilionibus ad pugnandum, quis non animetur ad bellum vt alter Vrias? Hæc imago viua, quæ eſt Chriſti vita, numquam morietur, nec deficiet in fidelibus ſuis vſque ad conſummationem ſæculi: hæc eſt enim vita ſæculi & Eccleſiæ. Sed reſtat probandum quare vita Domini dicitur imago eius: pro quo audias diffinitionem imaginis, quam ponit Scotus in primo ſententiarum: Imago, inquit, eſt repræſentatiuum totius. vnde ad hoc quòd vita Ieſu dicatur imago viua & perfecta ipſius, oportet quòd totum repræſentet Chriſtum. Quamuis enim Chriſtus non habeat partes eum componentes, nec Theologi concedant, quòd ipſe Chriſtus eſt aliqua duo, ſiue capiatur maſculine, prout importat pluralitatem ſuppoſitorum, ſiue neutraliter, prout importat pluralitatem rerum; nam ibi denotatur quòd Chriſtus ſit duæ naturæ, conſtituiturq. res, quod non conceditur, ex eo quòd in ſic compoſitis nõ prædicatur vna pars de alia parte nec ecõtra: quod fatemur in Chriſto, quia Deus dicitur homo, & homo dicitur Deus, & etiã quælibet pars dicitur de toto Chriſto, ſcilicet hic eſt Deus, & hic eſt homo ſignando Chriſtum, ſed vt ait Ocham, Chriſtus bene poteſt dici compoſitus ad hunc ſenſum, quòd admittit in ſe plures naturas non ſtando in rigore vocabuli, & ſic loquuntur Damaſcenus & Dionyſius, ſed rectius Chriſtus dicitur conſtitutus ex duabus naturis, vt ait Bonauentura quàm cõpoſitus: iam ergo ſi Chriſti vita eſt eius perfecta imago per ſupradictam diffinitionem, oportet quòd perfecte ambas Chriſti repræſentet naturas, & ita eſt. Si enim eum contemplatus fueris in horto, pauere, & tædere amiſſo vultus ſolito colore, & inter brachia diſcipulorum ſe iacientem, quibus lacrymoſis gemitibus dixit: *Vigilate, & orate mecum.* Hucuſque ego propter vos vigilaui, & oraui, nunc autem vice impenſa, vigilate vos, & orate mecum. Volebat ſane ab eis confortari (vt mos hominum eſt vexatorum) & nullum in eis ſuccurſum intuens, ipſe ſolus ſequeſtratus orabat, ſi fieri poſſet, calicem ab eo euelli, & cum non accepiſſet reſponſum, iterum inquietus ad ſuos venit, eorum auribus ingerens non ſine magno dolore: *Spiritus*

2. Reg. 11 c

Vita Chriſti eſt imago viua.

Scot. 1. ſent. diſt. 3. q. 9.

Ocham in 3. diſt. 6.

Dam. lib. 3. de fide orth. cap. 3.

Dion. epi. 4.

Hortus Gethſemani.

quidem promptus eſt, caro autem infirma: & tam infirma, o fratres, quòd dum prolixius oraret, factus in agonia ſanguineum emiſit ſudorem ad terram totus prouolutus. *Et ecce Angelus de cælo confortans eum.* Ecce homo timet, ecce homo auxilium implorat, ecce homo proſtratus, ecce homo infirmus, ecce homo mortem renuens, ecce homo confortatione indigens, ecce homo ſanguinem ſudans. In hoc negotio nullum diuinitatis ſignum intueor, nec angelum talem exiſtimo, immo ipſe Chriſtum hominem eſſe declarauit, cum ad homines mitti ſoleat, ſed parumper attende & maiora his videbis: non enim latere potuit diuinitas nec in tam paruis. Lota facie, ſiccis oculis, ſudore exterſo, nullo triſtitiæ veſtigio remanente. *Surgite, inquit, ecce qui me tradet prope eſt:* ſatagebat vt qui viderunt in paſsionibus prædictis humanitatem timere, conſpicerent etiam diuinitatem incutere timorem, & cauſare terrorem, & ait ad cohortem: *Quem quæritis?* Hoc verbum non eſt iam timentis ſed imperterriti. Iam diuinitas adiuuat, eos interrogat, vt ſe prodeat ſponte, quoniam oblatus eſt, ſe volente. Quæſitus quærit, quem quærunt, vt oſtendatur quòd ipſe hoc ſciebat, & loquitur omnibus: vt in loquela ab omnibus cognoſcatur, quæ manifeſtum facit loquentem, nec enim Iudas, vt ait Chryſoſtomus, cognouit Chriſtum, ſed errantes erant, vt ebrij non inuenientes oſtium horti, vt ſodomitæ portam domus Loth: ideo eos interrogat primo, eos illuminans: quia nec lanternæ, nec faces eos poſſunt contra Chriſtũ illuminare. Reſpondent ergo ſe Ieſum quærere Nazarenum, qui nõ alibi quàm in florido horto quæri debet, non tamen ad crucifigendum, ſed ad inter vbera vt bonum florem collocandũ: & in hoc claret, quòd eum non agnouerunt nec prima emiſſa voce, quia ſtatim irruerent ad eum capiendum, ſed Chriſtus nõ vt homo, verum vt Deus loquens, ait: *Ego ſum.* O verbum grande, o verbum terrificum, o verbum tremendum nõ ſolum mihi, ſed omni cohorti: audito quippe nomine omnipotentis *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram:* in effectu magnitudo verbi oſtenditur. Dominus maieſtatis intonuit: aliter certe quàm in horto, vbi dixit carnem eſſe infirmã. Vbi eſt Domine timor qui te vexabat?

Chriſti timor vt homo, varie mõſtratur.

Iſa. 53. b

Chryſ. hom. 82. in c. 18. Ioan. to. 3.

Nazarenus inuenitur in horto florido.

Pſ. 28. A

vbi eſt illa triſtis vox conſolationem quærens : vbi eſt ille
Cant.2.e ſudor & agonia ? Iam vt video hiems tranſijt, imber ſanguineus abijt & receſsit Nazarenus, flores ſcilicet multos in ſe complectens : flores apparuerunt in terra noſtra, ſcilicet noſtræ mortalitatis. Floridum ſe monſtrat in di-
Pſ.76.d uinitate, qui videbatur ſiccus in humanitate. Vox tonitrui tui Domine in rota, dum armatos inimicos tuos retrorſum rotare facis in terram. Vox quidem Iacob victorioſi, qui prius vicit fratrem Eſau, coram quo poſtea humiliatus eſt nimis : ſic Dominus voce diuinitatis & nomine vicit fratrem ſuum populum Iudæorum,& Iudam, qui cum eis cecidit, tamen poſtea coram ipſis humiliatus eſt nimis. Sic ergo totam Chriſti vitam profunde contemplantibus claret, quòd in ea diuinitas pariter & humanitas reluceant ſimul etiam in quolibet opere. Immo ſi ſuperficialiter Euangelium inſpicias, hoc inuenies : nam ſi concipi in mulieris vtero ſit hominis, tamen concipi de
Luc.1.e Spiritu ſancto eſt Dei & Angelus ibi ait : Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Si naſci in ſtabulo ſit pauperis, vocari ab angelis Saluatorem mundi eſt ditiſsimi. Si circumcidi Deo non conueniat,ſatis eſt ſibi nomen Ieſus ab angelis priuſquam in vtero cõciperetur adapta-
Luc.2.e tum fuiſſe. Si offerri in templo a matre non ſibi diuinum ſit, non eſt ſibi humanum, lumen ad reuelationem gẽtium vocari. Si perditum fuiſſe templo,vt aliqui ſuſpicabantur, eſt humanum, diſputare cum templi doctoribus & eſſe in eis quæ patris ſunt, eſt diuinum. Si baptizari eſt peccatoris, vocari ab ipſo patre filium dilectum eſt Redemptoris Deifici. Quid vltra progredior ? Nam & in ipſa cruce di-
Mar. 15. d citur ei, viſis ſignis : Vere filius Dei erat iſte : quamuis vt homo vere moreretur.

De reſurrectione nil reſtat dicendum, cum ſecundum
Rom.1.a Apoſtolum ex reſurrectione mortuorum declaratus ſit filius Dei, aſcenſio autem ipſa de ſe loquatur, quoniam vi innata ipſe Chriſtus vt adamas propria & indita ſibi adeo virtute ceteros ſanctos eleuauit, qui vt ferrum erant non potentes per ſe aſcendere,niſi a Chriſto attraherẽtur, qui adamas & ſol erat, eos velut terræ vapores eleuans : vnde
Eccli.43. b in Eccleſiaſtico dicitur : Aperti ſunt theſauri, & euolauerunt nebulæ ſicut aues,in magnitudine ſua poſuit nubes : theſauri

theſauri ſunt plagæ Chriſti, ideo ad modum theſauri dicuntur fodi, ibi Pſalmiſta: Foderunt manus meas, & pedes meos: nebulæ & nubes ſunt ſancti, qui ſicut aues aquilam magnam ſequentes euolarunt in aſcenſione, & hoc in magnitudine & diuitijs merito Chriſti Dei. Hanc igitur imaginem viuam & perfectam, quæ eſt vita Chriſti portauerunt ſancti, ideo thema: *Portemus imaginem cæleſtis* Chriſti Ieſu. Sed nunc modus, quo iſta portatur imago, reſtat vidédus: portare enim laborem ſonat: Portauimus, inquiunt operarij, pondus diei & æſtus: vnde portare imaginem Chriſti, eſt in ſe laborioſe Chriſti vitam depingere, ſe ad Chriſti formitatem & mores reducendo: ſancti hi nonniſi ſtylo rationis ſe ad Chriſti ſpecimen conformarunt. Sicut enim pictor habet coram ſe imaginem quam attentiſsime intuens alibi depingit: ſic præ oculis iſti vitam Chriſti habentes, in animabus ſuis eam depinxerunt, Chriſtum contemplantes humilem, vſque ad mortem crucis humiliauerunt animas ſuas, pro eo in omnibus ad eius honorem honores fugiendo, ſectando infima, ceteris miniſtrantes, ſerui ſeruorum Dei facti, humilitatis lucrum non aſpernantes, nulli ſe præferebant, apoſtolicum nomen non honoris ſed oneris arbitrantes. Dic quod & deitatem Chriſti portant in miraculis, & ſanctitatem in moribus. Sermonem reſume, narrando eorum miracula.

Pſ.21.d

Matt.20.b

Exemplũ.

Attentius autem de ſancto Simone audite, qui vt ſimilius Chriſti imaginem portaret non ſolum in anima, ſed in corpore eam tulit. Nam ad Chriſti exemplum crucifixus fuit, & per omnia eius manus & pedes, ſequuti ſunt veſtigia Chriſti in aſperrima via crucis. Poſtquam etiam Ægyptum & alia regna circumiacentia ad Chriſti fidem non ſine maximis periculis & laboribus conuertit, reuerſus eſt Ieroſolymam ad fratres ſuos Apoſtolos non poſt quartum vel quintum annos, vt religioſi faciunt, ad viſitãdum patres ſuos, ſed poſt quadraginta annos: & cum Iacobus eiuſdem vrbis Epiſcopus per martyrium cælum petiſſet, vt iſte ſenex centum annorum iam ineptus corporali labori, conſumptis viribus, non quidem in vitijs, ſed in Chriſti & omnium fidelium ſeruitio captaſſet requiem, Apoſtoli collegerunt conſilium, vt Ieruſalem

Epiſcopus crearetur, quod & effectum eſt: irruente tamen perſecutione, tunc ſanctitatis ſpeculum Simon capitur, & quod forte ad requiem erat paratum, in improbum laborem vertitur: non fuit tamen ei labori, ſed cupienti diſſolui & eſſe cum Christo, & fratribus ſuis completa ſunt deſideria, & extollenti crucem, crux datur in Caluario fixa, vt ex ſua cruce ſaltim locum crucis Chriſti intueatur. Si ſenem pendulum ex clauis intuitus eſſes non Simonem, ſed alterum Chriſtum iudicaſſes. Stupebant enim omnes aſtantes cum iudice eius conſtantiam & animum: nam quamuis ſenex corpore, iunior videbatur in viribus, ſicut enim ſuper prunas Leuita Chriſti Laurentius iuuenis exultat: ſic centum viginti annorum ſenex, immo maiori animo & fortitudine: vt alter Andreas de cruce prædicans, pro inimicis orat vt Chriſtus, emiſſoq. ſpiritu anima volat ad aſtra. Sic ergo vt alter Eleazarus hoc modo vita deceſsit non ſolum iuuenibus, ſed vniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad extremum virtutis & fortitudinis derelinquens. Depinxerunt etiam iſti Sancti in ſe Chriſti paupertatem, pro eo pauperes effecti: non habentes niſi tegumentum vile, & cibum, cetera pauperibus erogantes, renuentes oblationes regum & populorum, vt ſimiles eſſent Chriſto, qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret: alieno loco natus, & mortuus, & ſepultus, & in tota vita hoſpitatus. Sic Sancti propter eum peregrini effecti, ſæpe repulſam patientes, latrones putati tanta eorum erat ægeſtas.

Laurentius ſuper prunas, Simon ſuper cruce exultat.

2. Mach. 6. b

Imitatio virtutum Christi.

De munditia quid dicemus? quoniam Chriſto incipiente, qui de Virgine naſci voluit, & eam Virgini diſcipulo commendauit, & virginitatem prædicauit, Apoſtoli autem poſt Chriſtum virginitatem ſeminauerunt, plura conſtruentes cœnobia, & ibi virgines collocantes. In ſe autem & conſortia vitabant mulierum, & cetera quæ ab extra apud alios poterant opinionem minuere munditiæ. Et Chriſti contemplantes charitatem abhorrebant inuidiam, multos videntes ſtatim poſt baptiſmum aſſecutos miraculorum gratiam & ſermonum, necnon linguarum. Non erant velut Cain fratri inuidens ſanctitatem & gratiam. Sed orabant dicentes: Quis nobis det, vt omnes

prophetent? & per manus impoſitionem alijs ſimilem tribuebant gratiam charitate feruidi, qua eorum verba tamquam facula ardebant, & corda ardentium inflammabant ad Chriſtum.

Et videntes Chriſti abſtinentiam ipſi parci & vino ante carnem rariſsime vtentes, corpora macerabant, ſolum ad naturę neceſsitatem, edentes ſemel in die pane & aqua contenti: ſæpe tamen in carceribus fame peribant, & in tota vita ciborum nullam habentes curam, abſtrahebant a cibis carnem ſuam, ventrem & ſtomachum fraudant, & ora macilenti & carne conſumpta per ieiunia continua, cutis oſsibus adhærebat, cibo tamen inuiſibili vtebantur in anima. De ira autem, Chriſtum videntes mitem & humilem corde, non curabant quamuis eſſent inter lupos, ſciebant enim ſe oues vocatos a Chriſto, qui agnus erat ouibus mitior. Non ſe defendentes dabant locum iræ, patientes omne contrarium, reſponſione molli eam frangentes: o quotiens in facie & corpore cæſi vitam & præmium tortoribus promiſerunt alacres, & conuerſos amplius amauerunt; o beati mites, quoniam vos poſſediſtis terram, & mortuorum & viuorum. Quid de accidia dicendum? In laboribus Chriſtum a iuuentute ſua contemplantes propter nos ſemper orare, prædicare, peditare, numquam quieſcere, gelu & æſtu vri, ſic ipſi omnino.

De Simone dictum eſt, qui cum centum viginti eſſet annorum feruentius laborabat. De Iuda vero Thadæo dicitur Meſopotamiam conuertiſſe, ibi noctu dieq. laborans, ante emiſit animam, quàm labori cederet, prædicans publice, & priuate: baptizans, ceteraq. ſacramenta, vt humilis clericus, non ceſſans miniſtrare. Vnde ſic portantes imaginem cæleſtis Chriſti, poſſunt dicere id Apoſtoli: Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. Vnde non ſunt vt multi, qui gloriam Chriſti ſpeculantes oculis, chataractas habuerunt infidelitatis, Chriſtum purum hominem contemplantes, de quibus ait Apoſtolus: Adhuc dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Sed iſti ſancti reuelata facie, id eſt, clara notitia Chriſtum cognoſcendo, in eandem vitæ imaginem

2. Cor. 3. d

Ibidem.

quo ad actiuam & contemplatiuam vitam ſe transformantes, portauerunt veram & viuam Chriſti vitam, etiam portantes crucis mortificationem in ſe & alios ſimiliter mouebant, & hortantur, dicentes: *Portemus imaginem cæleſtis:* ab imagine Chriſti tota noſtra prouenit gloria, quia ſi propter fictam ſimilitudinem quam Iacob habuit in pellibus cum Eſau fuit benedictus, quanto amplius benedicemur nos, imagine Chriſti ornantes etiam animas noſtras? ſic & Simon filius Matthatiæ honoratur, & aſſumitur in loco Iudæ, quia ei ſimilis erat. Hanc imaginem fratres portemus in pileis per contemplationē, in pectore per amorem, in manibus per operationem, etiam nos inſtantes dicamus ad inuicem, indulgentiam lucratiuam cupientes: *Portemus imaginem cæleſtis.*

Imago Chriſti quo modo portāda.

SECVNDA PARS.

IMAGO Chriſti picta eſt ſacra pagina, quæ calamo pingi ſolet; hæc etiam eſt expreſsiua ſiue repræſentiua totius Chriſti, quia non ſolum agit de capite, ſed de membris eius myſticis. Sicut enim regis cronica etiam ſeruos eius memorat, ſic ſacra Scriptura non horū oblita Apoſtolorum eos cōparat tubis argenteis, flato Dei plenis bene ſonantibus per totum fere orbem ad congregandum in vnum filios Dei qui erant diſperſi. vnde in Numeris: Fac tibi (o Chriſte) ait pater de iſtis, duas tubas argenteas ductiles, vt conuocare poſsis multitudinem. Tubæ iſtæ dicuntur de argento, quod bene ſonat propter gratiam prædicandi, & ductiles, ſcilicet martello tribulationis, & tunſionibus, & preſſuris martyrij: ductiles, inquā, vſque ad finem orbis terræ, vnde eorum exeunt verba. Iſtis ergo tubis conuocatur populorum multitudo, & excitatur ad fidem, & pœnitentiam: & vſque hodie Iacobus in ſua epiſtola ſonat idem. Et propter vindictam idolorum, & incantantium, & maleficarum gentium quam fecerunt, figurantur in duabus virgis Zachariæ, quibus Deus caſtigauit Ægyptum, vt olim in Moyſe miracula faciendo per virgæ inſtrumentum: nam Simon ad litteram prædicauit in Ægypto. Et etiam dicuntur virgæ ob corporis caſtigationem: & propter doctrinam quam populis dederunt,

Num.10.a

Duo Apoſtoli ſunt tubæ.

Virgæ. *Zac.11.b*

runt, figurantur in tabulis digito Dei ſcriptis, id eſt, Spiritu ſancto, qui eos in die Penthecoſtes docuit. Reuerſus eſt Moyſes, vſque opere Domini. Quia in eis opus Chriſti non ſuum, non ad ſuam vtilitatem erat. Et propter auxilium & fauorem per eos conuerſis populis datum figurantur per duo brachia ſuſtentantia thronum Salomonis. Et habebat brachiola duo altrinſecus. Vnde notandum quòd Eccleſia duplici eget auxilio, pariter & anima noſtra, ſcilicet in tribulatione ne deficiat, & in proſperitate ne ſuperbiat: hæc auxilia ab iſtis & per iſtos habuit, & habet Eccleſia, & habet quælibet anima eis deuota: ideo cõparantur duabus columnis fortiſsimis, quæ per ſpem & timorem ſuſtentatur. Finxit duas columnas, quas ſtatuit in porticu templi æreas. Et propter iugem conſolationem & guſtum Dei in ſe habitum, & in alijs creatum per eorum doctrinam & orationem, & manuum impoſitionem, figurantur in duabus menſis. In veſtibulo portæ duæ menſæ erant hinc, & duæ menſæ inde: in *ly duæ* & *duæ*, nota quòd in ſe eam habuerunt & in alijs quæſierunt eandem. Et propter acutiſsimam contemplationem cæleſtium, quã penetrarunt, figurantur in alis mulieris: Datæ ſunt mulieri, ſcilicet Eccleſiæ duæ alæ, & volauit per contemplationem arcanorum in ſolitudinem, quia nullus mortalium ſic Dei myſteria penetrauit, vt Apoſtoli. Et propter arrham gloriæ in ſe habitã: quia erant confirmati in gratia, comparantur anulis rationalis: Facies duos anulos aureos, & pones in ſummitate rationalis iudicij. In ſummitate rationalis ponuntur anuli aurei, quia eorum animæ pars ſuperior ſemper erat vnita Deo & iuncta, & ſic eorum iudicium non deuiabat. Et propter dæmonum caſtigationem & animarum ab eo ereptionem, figurantur in duobus gladijs Petri: Ecce duo gladij hic. Eripiũt enim ſuorum deuotorum animas in morte ab excidio, & dæmones arcent poteſtate ſibi a Chriſto tradita, & quia eas introducunt in gloriam, ideo figurantur in portis templi: Duo oſtia erant in templo. Et quia in vltimo iudicio erunt aſſeſſores iudicis vniuerſalis Chriſti ſedentes in terribilitate iudicij, ideo figurantur in duobus leonibus. In ſedili throni Salomonis duo leones iuxta thronum, & niſi quòd in ſex gradibus throni Salomonis, ſcilicet Chriſti principalis

Tabulæ. *Exo. 32. d*
Brachia. *2. Parali. 9. e*
Colũnæ. *3. Reg. 7. c*
Menſæ. *Eze. 40. f*
Alæ. *Apo. 12. e*
Anulum. *Exo. 28. d*
Gladij. *Luc. 22. d*
Portæ. *Eze. 41. d*
Leones. *2. Paral. 9. e*

principalis iudicis ponuntur, quæ ſedes ſunt gradus ad Chriſti thronum: & leones ſunt altrinſecus mutuo ſe reſpicientes, quia omnes in ſententia conuenient, & vt eos aduocatos habeamus in cælo, preces præſentemus in terra ad gratiam hic obtinēdam & ſurſum gloriam, quam mihi & vobis præſtare dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus Ieſus Chriſtus. Amen.

EVANGELII
DOMINICÆ XXII.
POST PENTHECOSTEN
LITTERALIS EXPOSITIO.

PHARISAEI portabāt laborioſe imaginem Cæſaris, dum apud eos ſemper erat aliquis locū tenens ipſius Cæſaris ad regimē Iſrael. Cæſar ergo dominabatur iudæis: cuius pōdus & grauitas ab alijs regibus nō erat aliena, in eo quod cenſum exigebat: quoniam iuſtus vir Samuel, cum iudæi peterent ſibi regem, ex parte Dei dixit
1. Reg. 7. eis: Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, &c. agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit, &c. greges quoque veſtros addecimabit, vosq. eritis ei ſerui. Et clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus. Hæc Samuel. Si ergo rex naturalis tam ponderoſus erat plebi ſuæ, vt de facto fuit rex Salomon: quid mirum quòd Cæſar dominans iudæis cenſum petat a plebe? ſed quia plebs illa multum templo exhibebat, & ſacerdotibus: nam ſecundum legem ad multa ſoluenda tenebantur; & inſuper aduenit cenſus Romanorum: vnde parum minus captiui ſunt in terra ſua quàm in Ægypto: vbi & Pharao immunem reliquit terrām ſacerdotalem. Iam ergo propter tantam grauitatem quæſtio erat ſatis ardua inter iudæos, an cenſus deberet Cæſari dari, vel non: vnde ait Beda:

Nuper

Nuper enim ſub Cæſare Auguſto Iudæa ſubiecta Romanis, quando in toto orbe eſt celebrata deſcriptio: ſtipendiaria facta fuerat, & erat in populo magna ſeditio, dicentibus pro ſecuritate & quiete: quia Romani pro omnibus militabant, debere tributa perſolui: phariſæis vero, qui ſibi applaudebant in populi iuſtitia, econtrario dicentibus non debere populum Dei, qui decimas ſoluebat, & primitiua dabat, & cetera quæ in lege ſcripta ſunt, humanis legibus ſubiacere. Cuius ſeditionis adeo fomes inualuit, vt poſt Domini reſurrectionem inſiſtentibus Romanis patriam, gentem, & regnum, auguſtum quoque illud cum ſua religione templum; inſuper ipſam lucem perdere, quàm tributa impendere maluerint. Hæc Beda. Cum ergo de tributo perſoluendo eſſet odioſa & difficilis quæſtio, & qui daret ſententiam pro Romanis incurreret odium populi: qui autem eam daret pro populo incideret in manus Romanorum: phariſæi odientes Chriſtum quotidie contra eum conſilia celebrant, vt ſaltim capiant eum in verbo, poſtquam in facto non poſſunt. Nunc autem Matthæus narrat quo modo collegerunt conſilium non minori verſutia, quàm in domo Cayphæ, vbi concluſerunt mortem eius. Nunc autem decreuerunt eum ponere in medio illius odibilis quæſtionis: vt ſi contra populum dederit Chriſtus reſponſum, ſit ei exoſus: ſi autem contra Romanos, comprehendatur. Satis eſſet, vt phariſæi oſtenderent Chriſtum fuiſſe locutum contra populum in tributo ſoluendo, vt ſic populus locum daret phariſæis, vt eum tenerent, qui ſolummodo timebant plebem, cui propitius erat Chriſtus. Iam ergo quocumque reſponſo dato arbitrantur ſe aliquid elicere poſſe contra Chriſtum: nam iſtud concluſerant in conſilio, de quo incipit Euangelium: *Beda lib. 3. in cap. 12. Marci circa med. to. 5.*

Abeuntes phariſæi conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone. Eum volunt in ſermone capere, quem ſermo Dei omnipotens captum tenebat ne poſſet errare: in cuius verbo Petrus cepit piſcium multitudinem copioſam: in cuius doctrina captus eſt totus mundus funiculis charitatis. Iſti autem Chriſtum ad mortem capere moliuntur, ideo dicuntur abeuntes, ſcilicet ab omni pietate, & a lege Dei: Quoniam alienati ſunt peccatores à vulua, *Pſ. 57. a*

errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, tamen ſequitur: Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus. De horum dentibus, quos in reſponſione Chriſtus confregit, ſequitur in Euangelio præſenti: *Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis*. Super hoc ait Beda: Herodianos dicit milites Herodis tetrarchæ, qui & ipſe tunc temporis erat Ieroſolymis, atque inſpernendo & irridendo Dominum, Pilato & Iudæis conſentiebat, vt Lucas in Euangelio teſtatur. Quærētes Dominum comprehendere ſummi ſacerdotes, ſcribæ & ſeniores timuerunt turbam. Atque ideo, quia per ſe non poterant, terrenæ poteſtatis manibus efficere tentabant: vt velut ipſi a morte eius viderentur immunes. Ecce quo modo phariſæi magnas molas habent & magnos dentes, ſcilicet, proprios diſcipulos & milites Herodis, qui ſunt contra Dominum ſemper, tamen eo acrius mordent, quo antea lenius ac dulcius lambunt, quoniam Sapiens dixit: Labijs ſuis intelligitur inimicus, &c. & ſequitur: Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio, ſcilicet Chriſti, cuius odium his verbis operiebant (vt ſequitur in Euangelio) dicentes: *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo*. Ecce quo modo vt ſecurius ac vehementius mordeant, prius lambunt Chriſtum, quem fatētur optimum magiſtrum, tamquam volentes eius eſſe diſcipulos maxime in ſolutione propoſitæ quæſtionis: propterea quòd triplici veritate fulget, ſcilicet vitæ, *quia verax es*: & doctrinæ, *quia viam Dei in veritate*, inquit, *doces*: & iuſtitiæ, *quia non eſt tibi cura de aliquo*, ſcilicet lucro. Veritas vitæ ſtat in hoc, vt omnia, quæ agitis extra, ſint conformia dictamini interiori rectæ rationis. Et hæc veritas tribuitur Patri æterno, propterea quòd omnibus creaturis rationalibus incidit quandam conformitatem, & reductionem ad ſeipſum. Veritas doctrinæ ſtat in conformitate verborum, ac ſentētiarum noſtrarum ad legem diuinam, ne quis loquatur ex proprijs, ſed ex lege Dei, & hæc veritas tribuitur Filio, qui eſt legiſlator & originale diuinum, Gloſſa, non indigens. Veritas autem iuſtitiæ ſtat in hoc, vt vnicuique reddamus quod ſuum eſt, hæc autem

Beda lib. 3. in cap. 12. Marci to. 5.

Pro. 26. d

Veritas triplex eſt.

Filius eſt legiſlator, & originale diuinum.

autem Spiritui ſancto conuenit, qui iuxta merita ſingulorum præmia confert. Iam ergo hac triplici veritate Chriſtus pollebat, de quo ſequitur: *Non reſpicis perſonam hominum*, ſcilicet, nec Cæſaris, nec Herodis, ſed ſolius Dei negotium perpendis. Super hoc ait Beda: Blanda & fraudulenta interrogatio illuc prouocat reſpondentem, vt magis Deum quàm Cæſarem timeat, & dicat non debere tributa ſolui, vt ſtatim audientes Herodiani, ſeditionis contra Romanos auctorē eum teneant. Poſt tot ergo laudes, quibus implicite fatebantur ſe diſcipulos eius fieri, aiunt: *Dic ergo nobis quid tibi videtur.* Nobis (inquiunt) familiariter dilectis, quibus poteris ſecure arcanum cordis tui aperire: *Licet cenſum dari Cæſari, an non?* Iſti Phariſæorum diſcipuli genimina viperarum ad conſcientiam reducunt quæſtionem, vt ſanctiores videantur. Non enim dicunt: Dabimus cenſum vel non, ſed an ſit licitum dari, quaſi dicant, vtrum peccemus illud dando. Aliud eſt ergo quærere, an darent, an liceret illum dare. Velut ſi quæreres, an captus ex carcere poſſet fugere: an pro conſeruanda vita teneatur fugere data opportunitate deceti. Iam ergo merito phariſæi celebrarunt concilium, vt paucis verbis callidam componerent quæſtionem non minus impiam quàm ſubtilem, de qua ſequitur: *Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait*: Matthæus vocat iſtam quæſtionem nequitiam eorum, Marcus autem verſutiam, Lucas autem vocat eam dolum. Chriſtus autem vocat eam tentationem, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ?* Dæmoni Chriſtus dixerat: Non tentabis Dominum Deum tuum, & hoc idem voluit iſtis dicere, quia non eſt verſutia neque conſilium Phariſæorum potens contra Dominū, quia & ſi oſtendebant ſe velle diſcipulos eius fieri, iam liquide oſtendit eos tentatores, diaboli officium aſſumentes, cuius ſpiritu agebantur. Dæmon autem non dicitur alienam formam vſurpaſſe dum in deſerto Chriſtum tentauit: iſti autem veniunt ad Chriſtum in veſtimentis ouium, ideoq. vocantur hypocritæ: qui vt cauſam ſimplicium hominum tueantur, ad Chriſtum ſe accedere fingunt, dicentes: *An licet cenſum dari Cæſari*. Ieſus autem vt eos vno verbo confunderet, & pariter reſponderet, ait: *Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium, &*

Beda vbi ſupra.

Matt. 3.b

Matt. 22. b

Mar. 12. b

Luc. 20. d

Matt. 4. b

ait illis: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Hoc interrogat Dominus, vt ex ore eorum iudicet eos, qui reſpondent: *Cæſaris*, ſcilicet, Tyberij ſub quo paſſus eſt Dominus. *Tunc ergo ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Super hoc ait Beda: Cæſari nummum, tributum, & pecuniam: Deo autem decimas, primitias, & oblationes, ac victimas ſentiamus. Quo modo & ipſe reddidit tributa pro ſe & Petro: & Deo reddidit quæ Dei ſunt, patris faciens voluntatem. Hæc ille. Vbi aduerte, quòd Chriſtus ad quæſtionem, & ad correctionem interrogantium reſpondit ex eorum dicto, quaſi diceret: Cum imaginem & iuriſdictionem Cæſaris habeatis ſuper vos, & ſimiliter iuriſdictionem Dei, adhuc dubitatis vos vtrique teneri? Ad tentatores autem eſt ſenſus: Vos foris Deum oſtenditis, tamen intus habetis Cæſarem: quia vultis me cædere, & necare. Quamuis ergo habeatis ſpeciem pietatis, interiora veſtra morte plena video: quia eſtis lupi rapaces. Parum habetis offerendum, multum Cæſari, ſcilicet dæmoni, qui vos in æternum cædet. Vnde concluditur: *Audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.* Tentatores mirantur euaſionem Chriſti, & quam eis dederat reprehenſionem; cum tamen credere in eum oporteret, & non mirari.

Beda lib. 3. in cap. 12. Marci to. 5. — *Matt. 17. d* — Chriſti reſponſio de tributo Cæſari dando. — *Matt. 7. c*

Nos autem fratres quid faciemus? Nonne ſub illa ſententia: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quod eſt Dei, Deo*, comprehendit nos Chriſtus? Nonne & nos habemus aliquid Cæſaris, & aliquid Dei? Vix eſt inter nos qui totum habeat Dei: nam & aliquid habemus mundi huius, quoniam ſolus Chriſtus dicere potuit: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Parum quidem eſſet, quòd nos haberemus aliquid commune cum mundo, quia cito purgari poſſet: Præterit enim figura huius mundi. Dum autem in imaginem diaboli pertranſit homo, iam mortaliter peccat, nec cito poterit ei cenſum dare pro imagine eius, quam vos, o fratres, occupatis, dum facies peccatorum ſumitis, & imaginem Dei fœdatis. Fœdatis, inquam, & ſuper carbones tantum denigratis, vt ipſe Deus iuret ſe eam minime cognoſcere, dicens: Amen, amen dico vobis, neſcio vos. Iſti ſane adnumerabuntur diabolo & angelis eius poſt mortem, quibus

Ioã. 14. d — *1. Cor. 7. f* — *Matt. 25. b*

quibus fuit ſimilis in vita, quoniam teſte Ioanne: Qui habent imaginem beſtiæ,& characterem eius ad beſtiam pertinent. In Apocalypſi fit mentio de imagine & charactere, & in præſenti Euangelio dicitur: *Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Non ſufficit tibi imago Dei, niſi & inſit ſuperſcriptio, ſcilicet imitatio Chriſti, qui in ſimilitudinem hominum factus, exegit a nobis vt ei conformes efficiamur. Imago enim Dei eſt in anima, ſuperſcriptio ſit in corpore. Imago inquam plurimum exarata; vnde ait Beda: Quemadmodum Cæſar a nobis exigit impreſsionem imaginis ſuæ, ſic & Deus: vt quemadmodum illi redditur nummus: ſic Deo reddatur anima lumine vultus eius illuſtrata; atque ſignata. Vnde Pſalmiſta: Signatum, inquit, eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Hoc quoque lumen eſt totum hominis, & verum bonum quod non oculis ſed mente conſpicitur. Signatum autem dixit in nobis, tamquam denarius ſignatur regis imagine. Felix anima quæ inſignita imagine Dei ad ipſum quotidie anhelat, quoniam Sapiens ait: Fili in manſuetudine ſerua animam tuam: & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. O ſi æqua lance perpenderes honorem animarum ſanctarum,& iſtius denarij valorem, propter quem reperiendum diuina ſapientia euertit domum, quem & beata Virgo nato Domino in Bethlehem ſoluit: quia dum Chriſtus in anima naſcitur, denarius iſte cum ſua imagine reparatur, & tūc dicit homo: *Portemus imaginem cæleſtis.* Superbia tamen videt, quòd velis eſſe ſimilis Deo, cum propter hoc Lucifer ceciderit, volens eſſe ſimilis Altiſsimo Chriſto. Et Adam & Eua ob hoc ceciderunt,quibus dicebatur: Eritis ſicut dij. Nam indecens eſt, mortales homines paria Deo ſentire. Reſpondemus quòd quādo filius Dei ſolummodo erat æqualis patri, nemo debuit eius appetere ſimilitudinem: ſed poſtquam eſt minor eo, & angelis eius, immo & hominibus, quia vermem ſe dicit: ideo habitu inuentus vt homo, cupit homines ſibi ſimiles.

Apo. 16. a

Beda vbi ſupra.

Pſal. 4. b

Eccli. 10. d

Maria ſoluit tributū, nato Domino.

Gen. 3. a

Phil. 2. a

Antea vero qui ei ſimiles eſſe cupiebant, non propter eius honorem, ſed propter commodum proprium conabantur, nunc autem pro filio Dei aſſociando in pœnis volunt ei aſsimilari, dicentes: *Portemus imaginem cæleſtis.*

reijciamus imaginem Cæſaris, qui ſolum regnat in terris. Moderni hæretici totum volunt Cæſari dari patrimonium, iuriſdictionem Chriſti ei conferre ſatagunt, imitantes Iulianum apoſtatam Chriſto aduerſatum, qui clericis ſubtraxit omnia priuilegia, & honores, quæ pijſsimi Imperatores catholici Conſtantinus, Theodoſius, Martianus, Valentinianus, & alij decreuerunt: quæ quia ſunt omnibus obuia. C. de ſacroſan. Eccl. & cleri. & epiſc. ideo referre poſtponimus. Conſtantinus Imperator in Concilio Nicæno noluit accipere libellos contra Epiſcopos, & dixit: Vos dij eſtis a vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſas diſponite, quia dignum non eſt, vt nos iudicemus deos. Hæc ille: volens, vt quæ ſunt Cæſaris darentur Cæſari, & quæ ſunt Dei, id eſt Papæ, darentur ei.

SERMO MYSTICVS
DOMINICÆ XXIII.
POST PENTHECOSTEN.

Ex Euangelio.

THEMA.

Filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam. Matth. 9.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

SACRA pagina non ſolum defunctos prædicat eos, qui audiunt verba Dei & non faciunt ea, ſed eos per beatum Iob, dicit gladio cruciandos, vbi ait: Si non audierint tranſibunt per gladium & conſumentur. Et ſequitur: Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos. Gladius dicitur verbum Dei, & etiam

Iob 36. b

etiam verbum diaboli, iuxta id: Gladium metuiſtis, gladium inducam ſuper vos. Eos igitur, qui gladio verbi Dei feriri nolunt vitia reſecanda ſibi, Deus tradet verbo diaboli, quo animas perfodit in tempeſtate ſuæ inſpirationis peſsimæ, qua ſola corporis vita relinquitur non inter belligeros viros agenda, ſed inter effeminatos conſumenda. Gladius Dei conſummat, gladius autem diaboli, id eſt, ſuggeſtio eius conſumit: ideo de conſummatione bonis auditoribus verba Dei tribuenda dicit Iob: Si audierint & obſeruaüerint, complebunt dies ſuos in bonis, & annos ſuos in gloria. Nam & gladius gloriæ dicitur verbum Dei, quo ſi a nobis reſecamus quidquid eſt ignominiæ, gloriam & regnum vim patiens obtinebimus. Et quoniam hic gladius Mariæ animam pertranſiuit, ideo doctrix verbi Dei eſt. Citiſsime pertranſit gladius quando nil reſecandum inuenit, vt ſi quis aerem verberet, & ſic propterea quòd in Mariæ corpore incoinquinato nil reſecandum erat, & pilos extraneæ cogitationis ſuborientes ſtatim eraſit tempore paſsionis filij, dicitur quòd tunc ſuam ipſius animam gladius pertranſiturus erat. Nam tunc temporis memor erat Virgo verbi Ieſu dicẽtis: Poſt tres dies reſurgam. Hoc igitur verbo velut gladio exacuto & limato mulier fortis contra aereas & incredulas poteſtates pugnauit, qui animam eius pertranſibat: quoniam hæc ſpes ſua repoſita erat illi in ſinu ſuo. Ex quo datum eſt illi, vt habeat vim verbi gratia ſua corroborandum in cordibus noſtris, quam vt aſſequamur, ei offeramus. Aue Maria.

Eze. 21. b
Iob 36. b
Verbũ Dei dicitur gladius.
Luc. 2. e
Matt. 27. g
Iob 19. b

ARGVMENTVM DICENDORVM.

CONCIONATOR, vt Chriſtus docuit, de theſauro ſuo, id eſt Euangelio, noua & vetera proferre debet, vt ſic veluti ſponſa dicere valeat Deo: Omnia poma, noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi. Seruanda quippe ſunt, memoriæq. tradenda antiquorum geſta: quoniam, ſi mala ſunt, aliena pericula nos reddent cautos, ſi autem bona ſequemur priſcorum veſtigia, quæ ſolent certiora eſſe. In præſenti ergo Euangelica lectione de duabus mulieribus antiquis mentio fit, duplicẽ antiqui ſæculi ſtatum figuran-

Matt. 13. g
Cant. 7. d
Euãgelicæ feminæ qd ſignificent.

figurantibus, iudæorum ſcilicet, & gentilium: & ambo ad Chriſtum lapidem angularem cucurrerunt: & modo itidem duo ſunt Eccleſiæ ſtatus, ſæcularium videlicet, & religioſorum, vterque ad Chriſtum pergit: quoniam vtrique ſubuenit, qui mandata dedit, & conſilia, & Apoſtolos habuit atque diſcipulos, diſtinctionem Eccleſiæ figurantes. Diuiſio. In prima ergo huius ſermonis portione de duabus mulieribus antiqui ſæculi Chriſtum apprehendentibus agam. In ſecunda autem de alijs duabus noſtra tempeſtate vigentibus, quarum ſpes etiam Chriſtus eſt, & thema de qualibet earum eſt intelligendum. *Filia mea modo defuncta eſt, &c.*

PRIMA PARS.

POSTQVAM litteram Euangelij vernaculo idiomate dixeris, ad myſticũ ſenſum reuerſus, dic quòd magnum quid præ ſe fert iſte princeps ſynagogæ, qui non ſolum vnus ſed vnicus dici poteſt. *Ioan.7.g* Numquid enim ex principibus aliquis credidit in Chriſtum, vel ex phariſæis? quoniam iſte fecit quod ceteri non fecerunt: ideoq. princeps maximus dici valet, præſertim in figura illius, de quo dicitur: *Eccli.45.a* In fide & lenitate ipſius, ſanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne. de Moyſe dicuntur iſta: cuius fidem etiam Apoſtolus extollit, dicens: *Heb.11.d* Fide Moyſes grandis factus eſt. Huius ergo typum tenet princeps iſte nomine & re: nam dicitur Iairus, qui interpretatur illuminans vel illuminatus, & vtrumque Moyſi cõtigit: nam vt illuminaretur, *Exo.3.a* apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non cõbureretur, ibi illuminatus eſt: Moyſes vbi illuminatus. quòd quemadmodũ in rubo incombuſto erat ignis montis Sinai, ſed frigidus manſit, & ſpinas peccatorum non conſumpſit: in eo ipſe pariter Moyſes illuminans fuit, quando populo retulit ſibi oſtenſa myſteria. Sed quia etiã hoc minus ſufficiens fuit, myſtice de ipſo incipit Euangelium: *Ecce princeps vnus*, ſcilicet Moyſes, *acceſſit, & adorabat Ieſum, dicens: Domine filia mea modo defuncta eſt*. Dum Moyſes de Ieſu ſcripſit, ad Ieſum acceſsit, immo & patri ſuo dixit: *Exo.4.c* Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. Filia ergo Moyſi

ſynagoga

ſynagoga dicitur, quemadmodum & lex data per eum di- *Ioan.1.b*
citur lex Moyſi. Hic filiam inſtruxit, ſynagogam erudiuit
paternalibus diſciplinis: quæ præſertim eo tempore, quo
exhibenda erat Virgo caſta, Chriſto ſponſo ſuo, in extre-
mis agens moriebatur, ideoq. dicit: *Filia mea modo de-
functa eſt*: non culpa ſui patris, alioquin nō dixiſſet Chri-
ſtus: Scrutamini ſcripturas, ſcilicet Moyſi, quia illæ te- *Ioan. 5.f*
ſtimonium perhibent de me. Pater puellæ eam de ſponſo
ſuo inſtruxerat, fuit enim & Paranymphus: ad hoc enim
venit Moyſes cum Elia ad montem Thabor, vbi Chriſtus
habuit cum eis myſterium conſilij ſui, erga puellam Moyſi
filiam aſſumendā ſibi vxorem. Vnde in illo feſto de tranſ-
figurato Chriſto canit Eccleſia:

Specioſus formæ præ natis alijs:
Veſtitus gloria fit ſponſus ſanguinis.
O res mirabilis gubernat omnia
Celſus, pauper & humilis.

Ecce igitur quo modo tempore nuptiarum puella mori-
tur: quia *modo defuncta eſt*. Quemadmodum bona for-
tuna ſi eo tempore venit quo neceſſarior eſt, gratior eſ-
ſe ſolet: ſic infortunium infelicius eſt ſi felici adueniat
tempore. Quando puella nubilis eſt, fructus ſperatur, &
vita in fœtibus: & ideo lamentabili voce, lugubriq. ſu-
ſpirio dic: *Modo defuncta eſt*, quando nuptijs eam tra-
dere oportet. Si etiam fleuit Chriſtus; fleuit ſuper Ieru- *Luc.19.f*
ſalem non cognoſcentem tempus viſitationis ſuæ. Sed
pater huius puellæ, quoniam fideliſsimus erat, non eſt *Rom.4.d*
infirmatus in fide, nec conſiderauit corpus filiæ emor-
tuum: ſicut nec Abraam emortuam vuluam Saræ. In re-
promiſsione Dei non hæſitauit aliqua diffidentia: ſed
confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, cui vt ſequitur
in Euangelio, dixit: *Sed veni, impone manum tuam ſu-
per eam, & viuet*: quaſi dicat, tu promiſiſti filiæ meæ:
Sponſabo te mihi in fide, quæ eſt vita animæ: quoniam *Oſe.2.d*
iuſtus ex fide viuit. Veni ſcilicet incarnatus, vt ait Gloſ- *Heb.10.g*
ſa, & impone manum tuam ſuper eam. Ecce inſtat iſte, vt
etiam defunctam accipiat vxorem. Nam in ſponſalibus
dantur manus ad inuicem, & in calce huius Euangelij di-
citur de Chriſto: *Tenuit manum eius*, ſcilicet puellæ. O
regem cui omnia viuunt, qui virgam ſiccam flores parere

feciſti,

feciſti, numquid perdes reliquias emortuas Iſrael? *Veni pone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Exoratus filius

Zac.2.c Dei qui non deſpicit loquelam gemitus, ait: Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. Incarnatus venit qui nuſquam deeſt ſecundum deitatem: & ideo ſequitur in præſenti Euangelio:

Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Ab æternitatis quiete dicitur ſurrexiſſe filius Dei, vt manducaret panem doloris. Et factus homo aliquandiu ſequebatur Moyſen in modo viuendi, qui non venit ſoluere legem ſed adimplere: vnde circumciſus eſt, & eſt templo præſentatus, aliaq. huiuſmodi mihi fecit, & pertulit in itinere, ferens ſecum diſcipulos ſuos, qui vel ſunt dona plurima, vel angeli comitantes eum, aut Apoſtoli, vel quilibet actus Ieſu diſcipulus eius eſt eruditione plenus. Venit ergo cum ſuis Ieſus principaliter miſſus non niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, cuius filia archiſynagogi figuram tenet: ſed quia ei non erat vox neque ſenſus, defuncta enim erat, cum ſcriptum ſit: In propria venit, & ſui eum non receperunt: ideo alia quædam mulier ſurrepit benedictionem primæ, & tenuit ſponſum eius: de qua in Euangelio ſequitur: *Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxũ patiebatur annos duodecim, acceſſit retro.* Hæc mulier populus gentium ſeu gentilitas eſt, quæ ſanguinaria dicitur non ſolum propterea quòd immolauit etiam filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, ſed quia plurimum ſanguinem martyrum vertit. Quæ duodecim annis ſanguinem fluere dicitur: vel quia, vt ait Gloſſa, temporibus duodecim Imperatorum martyrum neces exercuit, vel quia ab eo tempore quo ſynagoga nata fuerat, idolatriæ ſeruierat, ſcilicet a tempore Abraæ: nam tunc Ninus rex Aſſyriorum cœpit idolatriam. Puella ergo duodecim annorum erat, tot autem altera fluxum ſanguinis paſſa eſt, pro cuius remedio acceſſit retro. Tranſierat enim Chriſtus in cælum, quando gentilis populus acceſſit ad Chriſtum eius veſtigia inſequens. Retro ergo accedit: quoniam faciem Chriſti non videt ſicut altera: ideoq. ampliori laude reperitur digna, quæ intra ſe dicebat: *Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.* Veſtimentum Chriſti humanitas eſt: ideoq. enim dicitur habitu

Margin notes: Chriſti quilibet actus eſt eius diſcipulus. — Matt.15.c — Ioan.1.a — Pſ.105.f — Aetas mortuæ, & infirmitas ſanatæ eadẽ.

habitu inuentus vt homo, qui pelle & carnibus veſtitur. Fimbria huius veſtimenti eſt fides incarnationis, quam quilibet chriſtianus tangit ad ſalutem, vt ceſſet in eo fluxus peccati. Si quotidie ſcelera perpetras fimbriam nondum tetigiſti, quamuis forte videaris vmbram apprehendiſſe. Ideo, vt notat Gloſſa, aduertendum eſt, quòd hæc mulier acceſsit, credidit, & dixit intra ſe: quoniam vera fides in corde, ore & opere eſſe oportet. Fimbria etiam Chriſti quilibet ſectator eius eſt, a quo & fides percipitur, & ſalus acquiritur: nam dilatat fimbriam ſuam Chriſtus, vt ſit ſalus eius vſque in extrema terræ. Fimbria etiam Chriſti quodlibet ſacramentum eius eſt, quod ſi fideliter ſuſcipiendo tangas, ſaluaris. Nos ergo populus gentium huius ſanguifluæ mulieris filij ſumus, ſed iam curatæ: Vnde audiamus, quia *conuerſus Ieſus videns eam, dixit: Confide filia: fides tua te ſaluam fecit*. Conuertitur Ieſus ad eos qui conuertuntur ad ipſum, vertitur de rigore iuſtitiæ ad blanditias pietatis, immo & in ſacramentis ſuis conuertitur de cælo in terram pro filijs huius prædilectæ feminæ, quam filiam nuncupauit ad confidentiam erectam, maioraq. recepturam dona; propterea quòd fide ſaluata ſit. Hæc, vt aiunt Euangeliſtæ, cum medicis plurimum expenderat, deterius tamen ſe habebat: quia quamuis gentilitas ſecuta ſit philoſophos, qui ſe mentiebantur animarum medicos; non propterea ſanata eſt, ſed in deterius mutata: quia hos homines deos credidit, eosq. multo coluit tempore. Confidat ergo de miſericordia: quia fides non induſtriam naturalem, nec philoſophiam inquirit, ſed virtutem a Saluatore manantem. Ecce igitur qualiter vetula hæc ſponſum præripuit puellæ defunctæ, quã non eſt oblitus Dei filius: ſed ſolicitus eius etiam nunc it eam ſuſcitare, dum quotidie quoſdam de populo iudaico ad fidem conuertit, donec omnis Iſrael reſipiſcat, de qua ſequitur:

Phil. 2. a

Fimbria quid ſignificet.

Fimbria eſt ſacramẽtũ.

Mar. 5. e
Luc. 8. f

Cum veniſſet Ieſus in domum principis, id eſt populum Iudæorum in fine ſæculi, qui adhuc ſub manu Moyſi dicit ſe eſſe: nam dicit ſe habere tibicines, id eſt, prophetas & tubam doctorum ſcripturam turbãtes & populum, quibus Chriſtus dicet: *Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit:* niſi recedant illuſores, perſtrigium ceſſare non

Venit Ieſus in domum ſynagogæ.

poteſt:

Iſa.3.b potest : ideo dicit Dominus : Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Falſidicos igitur prophetas & doctores diſcedere oportet a populo iſto, vt ſibi dimiſſus, & nullo obſtante, reſipiſcat & viuat : nam Deo dormit &
Rom.4.c non eſt mortua ei, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea
Pſ.101.b quæ ſunt, expectatq. tempus miſerendi eius : quoniam veniet tempus. Sed de non ſeruantibus ſecreta Dei ſequitur : *Et deridebant eum :* hoc ſæpe in vita ſua mortali paſ-
Tibicines qui ſint. ſus eſt Christus, quem tibicines, id eſt, prædicatores iudæorum, alios more ſuo demulcentes, deridebant : vt turba iudæorum tumultu & contra Christi doctrinam recalcitrans, cuius voces ſunt quaſi plorantium. At econtra fideles lætantur: quia ſperant in te Domine. Synagoga ergo amiſit lætitiam Dominicæ inhabitationis ob demerita ſuæ infidelitatis. Et ſic velut inter flentes & eiulantes mortua iacet. Eijciet Ieſus tibicines quando ab ore perſuadentium voces auferet, ne puellam in morte detineant, quæ non eſt mortua per finalem reprobationem : ſed dormit ſopore obſtinationis ſuæ, a qua excitabitur, Deo vocante iudæos, quamuis hominibus impoſsibilis videatur conuerſio eorum, ſed poſt mortem antichriſti dum ab Eccleſia eiecerit Chriſtus omnes deriſores, intrabit ad reliquias Iſrael, quarum manum tenet, eorum acceptans opera, donec ad gratiam reſurgat, prædicans Chriſtum: ita vt fama, id eſt ſonus eorum prædicationis, exeat præ gaudio & fructu per vniuerſam terram illam. Hæc ergo erit noua nupta ſponſa agni, cuius laus in vniuerſa terra
Figura rei geſtæ in ſynagoga & Eccleſia. prædicabitur. Vidiſtis iam fratres chariſsimi qualiter Dei filius duas mulieres acceperit, cuius figuram tenuit Iacob, qui duas pariter habuit vxores ſimiles per omnem modum his, de quibus in hoc Euangelio fit mentio. Ia-
Gen.29.d cob primo intendit Rachel, quam poſtremo accepit, minoremq. fructum habuit ex ea quàm de Lya quæ ſororis maritum præripuit, quamuis lippa eſſet. Sic Dominus meus Ieſus, qui etſi primo intendit iuniorem, ſcilicet ſynagogam, eam ex toto poſtremo habuit : ſicut & Iacob qui iuniorem dilexit prius. Puella Chriſti hæc etſi venuſta & primò dilecta parui fructus extitit : quia ſynagoga donis Dei ornata non multum fructum attulit, in qua velut qui colligit racemos in autumno erat Chriſtus. Sed

Lya quæ

Lya quæ eſt gentilitas lippa in Dei cognitione, quem parum cognouit, & multum operata eſt conſilio manuum ſuarum: ſicut & Lya quæ abundauit in filiorum generatione. Conſilium inquam manuum ſuarum, quas extendit, vt Chriſtum tangat, & ab eo virtutem ſalutarem eliciat. Conſilium manuum eſt fides duplex, ſcilicet, diuinitatis, & humanitatis. Has manus extendit Lya, id eſt, Eccleſia, quando per vitam actiuam & contemplatiuam operatur. Iacob ad Meſopotamiam pergens multo labore ſudauit pro acquirendis vxoribus ſuis, & ſic filius Dei relinquens domum ſuam cæleſtem ad nos vſque perrexit, viſitans mũdum, vbi & ſanguinem ſudare non renuit pro vxoribus ſibi adhærentibus, quas acquiſiuit ſanguine ſuo, vt patri multitudinis Deo plurimam generaret prolem: nam ad hoc miſſus fuerat Chriſtus: in quibus etſi laborioſe nimis, tamen proſperatus eſt, & proſperabitur in fine ſeculorum. Amen.

Pro.31.b

SECVNDA PARS.

NVNC pro parte ſecunda notabis, quòd quemadmodum in principio Euangelij dicitur: *Loquente Ieſu ad turbas, princeps vnus acceſſit, adorans eum.* Mirum quidem quòd quietiſsimus Ieſus qui ſapientiam loquitur etiam inter angelos ad quaſcumque turbas loqui vſque hodie dignetur: nam & ipſe & ſui quotidie prædicat Euangelium omni creaturæ, qui nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſæculi. De totius mundi turbis ecce princeps vnus, qui eſt pater religionis: vbi aduerte quòd quamuis multi ſint religionum ordines, & quilibet peculiarem fundatorem habeat, vnus tamen dicitur pater: quia in vno conueniunt, videlicet in trium votorum obſeruatione: immo & omnes Latini Auguſtinum maximum patrem ſequuntur: vel ſi alij ſunt, in rebus parui momenti differunt ab eo. Vnus ergo eſt cuiuſlibet religionis pater nimium vnitatis amator, quæ eſt radix omnium religionum. Hic in cælo accedit Deo per gloriam ampliorem, & eum facie ad faciem videns adorat: & pro religione ſua orans, dicit: *Domine filia mea modo defuncta eſt: ſed veni &c.*

1.Cor.2.b

Matt.28.d

Religionis fundator dicit princeps.

Auguſtinus maximus pater.

Querela

Querela videtur iſta, quam coram Chriſto iudice ponit pater aduerſus filiam ſuam: nec mirum, quia mors & vita puellæ appoſita ſunt, ad quam libuerit, manum porrigere eſt. Conqueritur ergo, dicens Deo: Filia quã olim tibi genueram, quam inſtitueram regularibus diſciplinis, quam tibi reliqui in filiam adoptandam, vt Eſther relicta eſt Mardochæo. *Filia mea*, quam adamaſti olim, *modo defuncta eſt:* quia te dereliquit fontem aquæ viuæ. Sed forte monachi aut me delatorem clamabunt, quia pater religionis eorum talia non diceret. Vtinam ego mentiar, & non ſicut pater Ioſephi de quolibet religioſo aſtrueret fundator: Tunica filij mei eſt, habitus ſcilicet exterior: ſed fera peſsima, præſumptio nequiſsima deuorauit eum, beſtia inuidiæ deuorauit Ioſeph. O ſi pater noſtræ religionis veniret, credo quòd inuentum eſſet ſimulacrum & pelles caprarum ſolummodo in lecto Dauid.

Eſth.2.b *Gen.37.g* *1.Reg.19 e*

Sed quia contriſtatio patris os triſte nõ eſt ad mortem, quia cupit vt conuertamur, & viuamus: ideo complet orationem ſuam, dicens: *Sed veni, & pone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Manus grauis impoſitio, ordinis reformatio eſt ſuper ceruicem noſtram duriſsimam per aliquam immiſſam tribulationem: nec mirum, quia ſcriptum eſt: Deus hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro, ne forte accidat nobis peſtis, aut gladius. Peſtis ſunt monachi fugitiui, gladius eſt ſeditio remanentium. Sperent igitur qui irreligioſe viuunt manus impoſitionem, vel piam vt medici, vel grauem vt militis dæmonis, qui manu armata venire ſolet, vel aliunde reformationem vẽturam: nam ſequitur in Euangelio: *Surgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius*. Ieſus non dormit ſed ſurgit, volens vt nos non iaceamus, terræ adhærentes. Sequitur Ieſus voluntatem nos reformare volentium: quia ideo veniunt cum eo diſcipuli eius, ſed antea quàm integra reformatio veniat.

Manus impoſitio q̃d. *Exo.5.a*

Ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur annis duodecim: mulier hæc mundialis ſtatus eſt, qui peccati ſanguinem manat, currens poſt peccata ſua, acſi animæ vena corrupta eſſet, & naturale eſſet ei peccatum: ſicut fons qui obſtrui non poteſt. Sed væ trahentibus reſtẽ longam, & fluxum

Status ſæculi accedit Chriſto. *Iſa.5.d*

& fluxum ſanguinis emittentibus,quia ſi nimis pro humani ſanguinis alieni effuſione punitur homo, quanto ampliori pœna dignus eſt,qui animæ propriæ ſanguinē peccando effudit? Sed nec minus ad Chriſtum accedere audet, moderate tamen & conformiter ad inueteratam malitiam duodecim annorum, conuertitur ſicut in profundum receſſerat: & ideo nimio non corporis, ſed animæ conatu accedit bonus ſæcularis ad Chriſtum retro præ verecundia culpæ. Nolite igitur peccatores recedere a tergo Domini, quia per humilitatem & fidē purgantur peccata, ſi fimbriam miſericordiæ Dei tangatis. Væ autem clero & religioſis dum ſe immundos ingerunt non retro, ſed coram Deo miniſtrando: nec ſolum tangunt, quod etiam Magdalene in orto vetitum eſt, ſed oſculantur & manducant etiam corpus ipſum, cuius fimbria mulierem ſanauit. Illa ex humili ac fideli contactu medicinam accepit, nos autem iudicium. Hic autem nil amplius monere volo niſi timorem: quia phariſæis,qui antiquitus religioſi erant, dicitur: Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. O rem timendam quòd nos in domo Dei manentes ita tepidi ſumus, vt mortui dici valeamus: ſæculares autem etiam in mundi negotia Chriſtum opprimentes, ſic ardenter vel aliqua eleemoſyna aut lacryma vel ſuſpirio eum tangunt, vt delictorum veterum ſtatim accipiant remiſsionem, cogitantes quòd quidquid boni fecerunt, viderint, aut ſuſpicauerint, vel audierint fimbria Chriſti eſt. Fimbriam Chriſti in pauperibus vident, in Eccleſijs, in habitibus fratrum, in ſermonibus, in imaginibus, & vbicumque memoria fuerit nominis eius; omnia nomine fimbriæ Chriſti accipiunt, vt mercedem fimbriȩ ſanantis accipiant. Nobis autem,quia quotidiana & præ manibus ſunt iſta, iam viluerunt: væ nobis, qui ſumus vt turba illa quæ Ieſum premebat, a quo non ipſa, ſed peregrina & infirma mulier ſalutem accepit: quamuis eſſet non familiaris, ſed extranea. Vt autem religio vel religioſa perſona ſuſcitetur, his opus eſt, quæ in calce ponuntur Euangelij præſentis ſecundum etiam alios Euangeliſtas. Et primum eſt, vt Chriſtus ingrediatur domum cordis, vt ſic luce ingreſſa, remoueantur iniquitates noſtræ, vt ab obliuionis ſomno valeamus exurgere.

Matt.21.c

Fimbria Chriſti quid.

Religio q. bus indigeat, vt ſuſcitetur.

Non

Non enim eſt mortua puella, ſed dormit ſomnum mortis: Secundo vt eijciat tibicines adulatores mendacia canentes: Et ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge, euge. Solum ea quæ apparent intuentes, religionem in viro irreligioſo laudare ſolent, cum forte in penetralibus ſuis mortuus ſit. A quo tales eijciendi ſunt, ſicut cæci quãdo de coloribus iudicare vellent. Item eijce turbam tumultuantem ſæcularium negotiorum a conſcientia tua, quæ vocem impediunt audiri Ieſu, nec deridentes timendi ſunt, quamuis voceris hypocrita: quia nec eo minus Ieſus deſtitit ab incœpto propter ineptam deriſionem, immo ſacrilegam. Deriſio inter monachos frequentior eſt quàm inter ſæculares: quæ fit in parte intellectiua, quam viuaciorem habent ad malum peruerſi ſicut & dæmones. De monachis dicitur: Viri fœderis tui alluſerunt tibi. Dum enim quis eorum ad meliorem frugem ſe accingit, ceteri vel rident, aut obſtant verbis, quod Iob conſiderans, ait: Nunc derident me iuniores tempore (quia vt plurimum iuuenes hoc faciunt) quorum non dignabar ponere patres cum canibus gregis mei: nam ij deteriores ſunt. Canes gregis, id eſt, congregationis conuentus ſunt monachi zelatores, quorum ſuggeſtione viuendum eſſet. Ceteri autem coram iſtis non audeant comparere, quia eorum portio, id eſt ſententia ad iſtos collata, pro nihilo reputabitur. Poſt omnium exterorum electionem Ieſus coram puella ſtare iuſsit patrem & matrem. Pater noſter eſt ordinis noſtri fundator, qui non parum facit ad ſubditorum reformationem: nam propterea ſcriptum eſt: Attendite ad Abraam patrem veſtrum. Mater autem noſtra regula noſtra eſt, de qua dicitur: Ne dimittas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaueris gradiatur tecum. Dum dormieris cuſtodiat te, & euigilans loquere cum ea: quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ. Ecce qualiter mater noſtra eſt neceſſaria ad ſuſcitationem noſtram: quia via vitæ increpatio diſciplinæ eius. Lex maternæ regulæ cordi ligata ſit per amorem, gutturi per locutionem: quia væ monachō nolenti de regula loqui. Cum greſsibus operis ambulas, gradire iuxta regulam, ita vt nec dormias niſi ad obſeruantiam

Pſ. 30. d — Abd. 1. e — Iob 30. a — Iſa. 51. a — Prou. 6. c

nantiam eius ; Loqui autem cum ea eſt meditari de ea , vt illuminet intellectum tuum: Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux . Per tres Apoſtolos huic miraculo admiſſos etia principalia vota deſignantur . Nec mirum quòd ſeparatim de eis mentio fiat, quamuis in regula intellecta ſint: quia dum profitemur, hæc tria exprimere ſignanter ſolemus . In Petro igitur obedientia eſt : in Iacob paupertas, nam interpretatur ſupplantator ; & verus pauper cuncta ſupplantat , dum ſub ſe tenet appetitum , ex quo ſequitur eum de omnibus viſibilibus ſcalam facere : quia ſuper omnia verus pauper ſpiritu aſcendit : & ideo eſt iuxta cælum, quia propterea dictum eſt : Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum . In Ioanne autem caſtitas intelligitur , & quæcumque munditia corporis & animæ coram teſtibus his præordinatis . Tenens Ieſus manum puellæ ait : *Tibi dico ſurge* . Tactus Chriſti diſponit corpus , & verbum eius animam noſtram per tactum . Namque & voce puellam ſuſcitauit , Sed præcipue manum appræhendit , quando nos facit manum mittere ad fortia , ita vt dicamus : Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me , & cum gloria ſuſcepiſti me , ſcilicet , in operum conſummatione , de quo ſequitur : *Confeſtim ſurrexit puella , & ambulabat* . Tenet manum Chriſtus per gratiam præuenientem , ſurrexit per concomitantem , ambulabat per gratiam ſubſequentem . Surgamus igitur animo , & de virtute in virtutem ambulemus : quia tunc fiet nobis quod ſequitur: *Et iuſſit illi dari manducare.* Anima quæ ſurgit illa debet comedere quæ Chriſtus poſt reſurrectionem comedit , ſcilicet , panem Euchariſtiæ , piſcem aſſum paſsionis Chriſti, & mel diuinæ conſolationis , vt ſic diuulgetur exemplorum fama non ſolum per terram, & homines terrenos , ſed per cælum in angelis, quibus gaudium eſt in gloria , quam mihi , & vobis præſtet Ieſus .

Amen .

Prou.6. Vota tria tres Apoſtolos ſignificant.

Matt.5.

Pſ.72.

Comedere oportet quæ Chriſtus comedit .

SERMO MORALIS II.

DOMINICÆ XXIII. POST PENTHECOSTEN.

Ex Euangelio.

THEMA.

Filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam. *Matth. 9.*

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

DVM eloquentia prædicantis defuncta eſt, non erit ei vox, neque ſenſus: veluti nec æri ſonanti, aut cymbalo tinnienti, quod non habet vocem loquendi, nec ſenſus intelligendi: ſed ſcio quid faciam, Mariam deprecabor, dicens: *Filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manũ tuam* adiutricem *ſuper eam, & viuet.* Ita vt vocem viuam emittere valeat loquentem ad cor Ieruſalem. Hoc enim efficere poterunt manus Mariæ, quæ decentius quam Paulus dicere valet: Ad ea quæ mihi opus erant: & his qui mecum ſunt, dederunt & miniſtrauerunt manus iſtæ. Operatrices quidem erant manus iſtæ. Operatrices quidem erant manus Mariæ, quæ tantis & talia miniſtrare voluerunt, omnia equidem peragere valent, omnia poſſunt: in præſentiarum autem, quo ego indigeo eſt, vt viuus & efficax ſit ſermo Dei, quod nequit fieri niſi per gratiam. Apoſtolus enim dicit: Si neſciero virtutem vocis, id eſt gratiam: ero cui loquar barbarus. Namque idem noſter Apoſtolus ait: Quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quo modo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Qualis eſt ſine arte pulſatio cuiuſcumque inſtrumenti

[Margin notes: Manus Mariæ eſt gratia ſermonis plena. — *Act. 10. d* — *1. Cor. 14 b* — *Ibidem.*]

ſtrumenti

ſtrumenti muſicalis, eſt ſine gratia ſermocinatio, & quẽadmodum in manibus citharædorum eſt pulſandi periçia, ſic in manibus Mariæ eſt gratia ſermocinandi. Cithara vero vt dulcem faciat melodiam in vtroque fine tangitur manibus: in principio manu ſiniſtra, in fine manu dextra: initium ſermonis prædicator eſt, finis auditores quibus terminatur: ego & vos egemus impoſitione vtriuſque manus Mariæ: ego ſiniſtræ, vos autem dextræ: quia mihi ſtat dictio verbi, vobis autem efficientia eius, quæ melior eſt. Vt ergo vtriſque ſuccurrat manibus ſuis gratiferis, ei genibus flexis offeramus. Aue Maria. Prædicator initium, auditores finis ſermonis.

ARGVMENTVM DICENDORVM.

VNIVERSAE infirmitatis medicus oſtẽditur Chriſtus, vbi duæ mulieres, de quibus in Euangelio fit mentio, totius hominis figuram tenent: anima enim cuiuſlibet peccatoris ſi defuncta fuerit, ita carnem ægrotare facit, vt fluxum ſanguinis indeſinenter emittat, natans in peccatis carnalibus. Videat ergo quilibet ne dicatur ei: Imaginem habes quòd viuas, & mortuus es. De ſola igitur anima in hoc ſermone agere vellem defuncta, ad quã ſi Ieſus venit, fluxus peccati ceſſabit in carne: nam eiuſdem temporis hæ duæ mulieres ſunt, ſcilicet duodecim annorũ: alterius tamen tempus eſt in ætate, alterius vero in ægrotatione: peccatum eſt in anima, opus peccati eſt in corpore, vnum præcedit, alterũ ſequitur. Secundum menſuram delicti interioris eſt executionis opus in corpore, quod etiam tendit ad mortem: Quia viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos. Vt ergo de puella ſolummodo ſit ſermo, aduerte quòd anima noſtra per quodlibet peccatũ mortale ſeparatur a Deo vita ſua, propter quod de quolibet peccatore dicitur: Homo per malitiã occidit animam ſuam. Sed dolendum eſt nè tam bonæ puellæ detrimentum patiaris, eſt enim filia archiſynagogi, id eſt Chriſti dilecti: vnde oportet vt ſimilis fias illi, de quo dicitur: Mardochæus fuit nutritius filiæ fratris ſui Eſther, quæ vtrumque parentem amiſerat: & mortuis patre eius, & matre adoptauit eam ſibi in filiam. Filia fratris noſtri, ſcilicet Chriſti, qui naturam noſtram aſſumpſit, eſt anima

Apo.3.a

Anima & caro duæ mulieres ſunt.

Pſ.54.d

Sap.16.b

Eſth.2.b

noſtra, quam ipſe in puerperio paſsionis ſuæ de latere ſuo eduxit. Hanc nutrire debemus, reuocando ad memoriam beneficia nobis exhibita, quaſi imbuendo lactis dulcedine. Et eam in filiam adoptamus, dum ei hereditatem cæleſtem prouidemus, quia ſcriptum eſt: Ad filiam eius tranſibit hereditas. Si autem interea obire contingat, eamus ad omnium viuentium patrem, & dicamus ei: *Filia mea modo &c.* quaſi dicat: Anima mea nunc in peccato eſt, veni per nouam gratiam, & impone manum tuam, id eſt, filium tuum ſuper eam, quemadmodum Eliſeum ſuper puerum mortuum: & viuet calore vitæ ſuſcepto. Totus moralis ſermo erit ad animam peccatricem iuxta ſeriem hiſtoriæ huius puellæ defunctæ.

Nu. 27. b — *4. Reg. 4. f*

Aetas puellæ qualis. *Num. 7. a*

Vt autem ab ætate huius puellæ incipiamus aduerte quòd duodenarius numerus non pauca ſignat, ait enim quædam Gloſſa ſuper numeros: Neque ſilẽdum quòd duodenarius vnumquemque hominem & temporis plenitudinem, & ſitum orbis videtur complecti. Homo enim tribus in anima, & quattuor in corpore qualitatibus conſiſtit. Si autem tria per quattuor vel econuerſo multiplices, duodenarius exhibet. Mundus quoque duodecim ventis terminatur. Et annus duodecim menſibus, & dies duodecim horis. Ex his omnibus colligimus omnem hominem in omni loco, & in omni tempore ad tabernaculum Dei cum debito obſequio properare debere. Hæc ibi. Tamen quamuis hoc ita ſit non idem numerus vbicumque eadem ſignificat, ſed iuxta rerum qualitatem. Duodecim compleuerat annos Saluator quando cum parentibus ſuis aſcendit in templum, eos ſignificans qui ab infantia etiam cum lacte Deum quærunt, antequam malitia mutet eorum intellectum. Puella vero hæc dum tali ætate moritur præſignat adoleſcentularum mẽtium peccata, quæ ab eo tempore quo Deum quærere tenebantur, ſcilicet iam exorta ratione, abnegantes pietatem in peccatis ſuis moriuntur, quando aptæ ſunt ad bonum propoſitum concipiendum, prolemq. bonorum operum præſtare: vti ſunt animæ iuuenculæ ac nouitiæ, quæ ſi prima ætate peccatis incumbunt, optime ſignantur in Rachele, quæ mortua eſt in via quæ ducit ephratam verno tempore. Ephrata interpretatur frugifera, verno ergo tempore in via ephrata moritur,

Duodenarij numeri ſignificatio. *Sap. 4. b* *Gen. 35. c*

ſitur, quæ in adoleſcentia ſua conceptionis initio ad peccatum conuertitur tempore fructus. Præter naturalem, eſt & alia aptitudo, ſcilicet artis, in qua & ſignanter debemus Domino primitias afferre, quando ſcilicet homines ſunt eruditi liberalibus aut alijs diſciplinis, quibus in Eccleſia fructum afferre poſſunt, quando hi ſtudium ſuum in malum conuertunt captantes quo modo aduocati fiant, aut ſæcularibus implicentur: moriuntur quidem tempore duodecim annorum, ſcilicet quando fructificare oportebat: contra quos prohibitum eſt in lege, ne de arboribus fructiferis machinæ fiant: quibus munitiones fortes deſtrui ſolent, altæq. turres præcipitari. Machinæ igitur aduocati ſunt, & cauſidici, aut hi qui in hæreſim dilabuntur: per quos munitiones fortes, quæ ſunt religiones, aliæve congregationes diſperguntur, quorum verſutijs lapidatur Eccleſia Chriſti. De lignis ergo pomiferis fiunt machinæ, quãdo ingenioſi viri ſe vertunt ad ſecularia negotia relicta prædicatione Dei. Eſt & alia infuſa aptitudo ad fructificandum, quam habent illi, qui adhærentes Deo (propterea quòd guſtant, & vident quam ſuauis eſt Dominus) ſuperbiunt, ex quo fructum gratiarum actionum dare tenentur, contra quos dicitur: Habens fiduciã in fortitudine tua fornicata es cum filijs Ægypti, ſcilicet dæmonibus ſuperbientibus de hoc. Hæ igitur tres aptitudines ſignantur per tres annos, quibus ſperatur arbor fici, poſt quos ſi non fecerit fructum ſuccindi iubetur, & in ignem mitti: ideoq. vnuſquiſque attendat, vt fructum faciat tempore ſuo, & folium eius non defluat: ſed proh dolor tunc moritur, tamen puella hæc non ſubito defuncta eſt, nec anima ſubito peccare ſolet. Lucas dicit quòd moriebatur id eſt, quòd grauiter infirmabatur. Marcus quòd in extremis erat. Matthæus autem quòd mortua erat: potuit autem fieri, quòd quando pater iter arripuit, vt veniret ad Ieſum, grauiter infirmabatur: quando iam pater erat in via, in extremis laborabat: quãdo peruenit ad Chriſtum, mortua fuit nunciata. Sic fit in peccatore: primo enim grauiter infirmatur, quando animam cõcupiſcentia intrat per intenſam cogitationẽ de iſta vel de illa re illicita: deinde aggrauatur, quãdo in ipſa cogitatione delectatur: & tertio moritur per decretum con-

Alia ætas ſpiritualis.

Deut. 20. d

Alia ætas.

Eze. 16. b

Qualiter mors euenit peccati.

Luc. 8. f

Mar. 5. e

Matt. 9. g

ſenſum & opus ſequens: vnde iuſte dicitur, quòd vnuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, ſcilicet in cogitatione, & illectus in delectatione, & parit peccatum per conſenſum in opere: peccatum autem conſummatum generat mortem, id eſt ſeparationem animæ a Deo, qui eſt vita ſua. Sed tu ante languorem, id eſt, formatam cogitationem, adhibe medicinam, ne tranſeas ad conſenſum: principijs igitur obſta, & conuerſus ad Deum dic: *Filia mea modo* infirmatur: *ſed veni* cum adiutorio manus grauis timoris, aut blan[illegible]moris, ne moriatur. Animam noſtram dixi Chriſti [illegible], qui velut archiſynagogus it ad magiſtrum vitæ, id eſt patrem æternum, apud quem aduocatum habemus Ieſum Chriſtum iuſtũ; qui introiuit in ipſum cælum: vt appareat vultui Dei pro nobis, & ad locum vbi eſt mortua puella deſcendere non veretur: qui vſque ad Paulum perſecutorem ſanandum a rabie ſe inclinauit. Diſcant igitur prælati, & vnuſquiſque pro anima ſua diligentiam, humilitatem, & confidentiam. Primum in hoc quòd in propria perſona acceſsit ad Dominum pater puellæ, nec ſeruum miſit, ſed ipſe locum funeris intrat. In quo noſtri prælati negligentia taxãtur, qui per vicarios ſuos ſuſcitare ſatagunt mortuos peccatores: velut Eliſeus puerum cum baculo mittens, id eſt Vicarium cum poteſtate commiſſa pro Eccleſiæ filio ſuſcitando in quauis parochia vel diœceſi, tamen Vicar[illegible] non eſt cura ſalutis animarũ, ſed extorquendi pecunias: nam Giezi ſimoniacus primus fuit, qui ponens baculum ſuper puerum plus eum vexat, & ſcandalizat, quàm ſuſcitet, aut ædificet: ideoq. non eſt vox, ſcilicet confeſsionis, neque ſenſus ſalutis. Humilitas etiam huius patris puellæ notatur in hoc, quòd cum eſſet princeps cecidit ad pedes Ieſu, nunc autem quis de epiſcopis, aut ceteris prælatis vexat in oratione Deum pro ſubdito ſanando? Multum quippe valet oratio humilis prælatorum pro ſubditis: ait enim Deus de quodam rege: Vidiſti Achab humiliatũ coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam mala in diebus eius. Sed videtur prælationi annexum, quòd impediat hominem prælatum ne humilietur coram Domino: quod non a prælatione, ſed a diabolo procurante prouenit: vnde in libro Iudicum dicitur,

Eccli. 18. c

1. Io. 2. a

4. Reg. 4. f

Giezi primus ſimoniacus.

3. Reg. 21 g

dicitur, quòd Amorrhæus arctauit filios Dan in monte, ne poſſent ad plana deſcendere. Dan interpretatur iudicium. Vnde filij Dan ſunt illi, qui habent alios iudicare, ſcilicet prælati. Amorrhæus autem diabolus eſt, qui eos monte prælationis arctat, ne ad planitiem humilitatis deſcendant. De confidentia huius principis attende, quòd vt ait Lucas: Dominum rogauit, vt intraret domum eius. Contrarium tamen legimus de Centurione dicente: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectũ meum: & ratio diſcriminis eſt, quia Centurio erat gentilis, & vt aiunt Gloſſæ, idola erant in domo ſua. Vnde merito ait: Nõ ſum dignus, &c. iſte autem princeps cultor vnius Dei erat, nec habet idola in domo, ad quam confidenter Dominum inuitat. O ſi prælati Eccleſiæ tales eſſent, nec in domo conſcientiæ idola retinerent, quàm confidenter Dominum inuitarent; ſed vt vidit Ezechiel, habent in templo cordis idola malitiæ, & reptilia immunditiæ: ideo nec accedunt ad Deum, nec impetrare pro ſubditis valent, vt ille qui cum percuſſus eſſet populus a Domino, & eos vaſtaret incendium, proferens homo ſine querela Aaron ſacerdos orationem ſcutum ſuæ ſeruitutis, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſsitati. Si autem noſtri prælati eſſent ſine querela coram Deo & hominibus ſecuri accederent, & oratione ſua iræ & plagæ reſiſterent. Poſtquam orationibus prælati, immo & Chriſti Deus venit ad animam, proiecit eos, qui eius impediunt ſuſcitationem, ſcilicet tibicines, qui ſunt tres, voluptas, vanitas, falſa ſecuritas: voluptas ſuaui carmine ſuadet carni conſentire. Sunt quidem, teſte Iſaia, ſirenæ in delubris voluptatis: quarum vna dum patri ſuo occurrit cum tympanis & choris, audiuit ab eo: Heu me filia mi decepiſti me, & ipſa decepta es.

Iudic.1.g *Luc.8.f* *Matt.8.A* *Ezec.8.d* *Num.16.f*

Impedimẽta reſurrectionis sũt voluptas, vanitas, & ſecuritas falſa.

Iſa.13.d *Iudic.11 f*

Cauete igitur fratres, quia ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Vanitas cantico ſuo ſæculi mouet honores quærere, de cuius carmine agitur in Daniele, vbi rex ſtatuam auream erexit, quam adorari iubet omni genere muſicorum. Statua eſt gloria ſæculi, quam dæmon erigit, cuius cantica & perſuaſiones ſunt, vt adoretur hæc: nam vt ait Hieronymus: Quod quiſque plus cupit & diligit, hoc illi Deus eſt. Hanc ergo adorare eſt eam pluſ-

Rom.8.c *Dan.3.a*

Act.12.c quam Deum ambire, ſed cauete: quia percuſsit Herodem Angelus, eo quòd non daret honorem Deo, & conſumptus eſt a vermibus, & expirauit. Falſa ſecuritas monet pœnitentiam differre, de cuius Cantico dicit propheta: Vox cantantis in feneſtra: coruus in ſuperliminari. Soph.2.d Coruina vox eſt iſta nigra & infernalis, de qua dixit Christus: Non ſit vobis cura de craſtino, quin & quando Paulus dixit: Chriſtus heri & hodie, noluit dicere & cras: nam vox corui procraſtinantis eſt, ſic & ſecuritatis falſæ, vox coruina eſt. Cras, id eſt, iuuenis es, nobilis es, non te decet modo in abiectione & afflictione viuere, aut miſerum eſſe, quando enim ſenueris, poteris pœnitentiam veram facere. Et neſcit miſer, quòd vt ait Sapiens, mors appropinquat: & forte in hac nocte animam ſuam repetent dæmones ab eo.

Matt.6.d Heb.13.b Eccli.12.e Luc.12.c

Nunc autem alijs reiectis de his quæ reſurrectioni ſpirituali expediunt videndum eſt, quid Petrus & Ioannes, & Iacobus, mater & pater puellæ ſignificent. Per Petrum deſignatur ſtatus ſui cognitio, quia vt aiunt, Petrus cognoſcens interpretatur: & cognitio ſui & peccati eſt prima gratia collata peccatori, vnde poſtquam tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, primũ quod fecit Deus, fuit lux; quia in tenebris peccati primũ requiritur lux propriæ infirmitatis cognitiua, quæ tria bona cauſat, ſcilicet, erubeſcentiam de qua dicitur: Poſtquam oſtendiſti mihi confuſus ſum, & erubui: quia ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ, id eſt, poſtquam cognoui mala quæ feci in adoleſcentia mea, confuſus ſum valde.

Petrus eſt diſcuſſio ſtatus ſui. Gen.1.a Ier.31.d

Secundum bonum eſt contritio de peccato: vnde ipſe Petrus recordatus verbi Ieſu fleuit amare. Tertium eſt ab actu peccati reſilitio, iuxta illud: Omnis qui viderit te, reſiliet a te, nemo enim eſt quin ſi videret enormitatẽ peccati ab eo reſipiſceret. Secundum reſurrectioni animæ expediens eſt gratiarum actio, quæ ſignatur per Ioannem, in quo eſt gratia: vnde poſtquam te cognoueris, ſi aliqua in te videris bona, gratiæ Dei tribue, iuxta illud Apoſtoli: Non ego ſed gratia Dei mecum. Dei ergo gratiæ tribue non tuæ rationi aut voluntati. nam cum Eliſabet, & Zacharias longo tempore fuiſſent ſteriles: circa finem vitæ ſuæ Eliſabet peperit filium, & vocabant eum nomine

Nah.3.b Ioannes eſt gratia. 1.Cor.15.b Luc.1.f

mine patris ſui Zachariam. Mater autem ait: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Vbi aduerte quòd Eliſabet & Zacharias, ratio & voluntas ſunt, quæ quaſi copulantur in opere bono vel malo producendo: vnde liberum arbitrium, ſecundum Auguſtinum, dicitur facultas rationis & voluntatis. Hæc duo longo tempore ſteriles a bono opere tandem generant filium, & vocant eum nomine patris ſui Zachariam, vt philoſophi & hæretici pelagiani, qui bonum opus attribuunt voluntati: ſed ratio illuminata per ſcripturas audiens id Pauli: Quid habes quod non accepiſti? dicit: Nequaquam, ſed Ionnes vocabitur gratiæ Dei, non mihi non voluntati attribuitur nec fortitudini corporali ſicut Aſſur dicens: In fortitudine manus meæ ego feci. Nam quid eſt fortitudo noſtra, vt ait Propheta, niſi fauilla ſtupæ? *1. Cor. 3. 4* *Iſa. 10. b* *Iſa. 1. g*

Tertium expediens reſurrectioni eſt repreſsio carnis per Iacobum ſignata: quia interpretatur ſupplantans feſtinantem, caro namque virum iuſtum in bonis quæ agere proponit ſupplantare feſtinat, ac impedire, & propterea oportet vt ſpiritus ſit ſupplantans feſtinantem, id eſt carnem, quam tribus modis ſupplantare eſt. Primo ſcilicet, deſideria eius cohibendo: nam in Geneſi dicitur: Protinus alter egrediens plantam fratris manu tenebat. Eſau quia ſanguineus interpretatur carnem peccatricem ſignificat, quæ prior vult de vtero exire, id eſt appetitum ſuum implere; ſed Iacob pedis plantam ne exeat prior manu tenere debet appetitum, ſcilicet carnis cohibere. namque Salomon datus eſt in reprobum ſenſum, quia non prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur. Item ſecundo debet ſupplantare ſpiritus carnem, parcitate ciborum eam ſuſtentando, cum enim eſuriret Eſau, dedit ei Iacob lenticulam, & ſic adeptus eſt primogenita: non dedit gallinam, aut alias carnes, ſed lenticulam vile genus pulmenti: in quo parcitas notatur cibi ad ſuſtentationem neceſſariam: quia, vt ait Hieronymus, humana natura modico contenta eſt, ſed voluptas multa addidit, conſuetudo plurima copulauit. Tertio ſupplantauit eum veſte eius induendo, & ſic habuit benedictionem paternam. Veſtes carnis pœnalitates ex carne prouenientes, quæ valde bonæ ſunt in patientia ſuſtinenti, vt frigus, fames, nuditates, *Iacobus eſt carnis domatio.* *Gen. 25. e* *Eccli. 2. a* *Gen. 25. d*

nuditates, infirmitates, & alia id genus: quia teſte Pau-
2.Tim. 2. e lo: Si ſuſtinebimus, conregnabimus. Gloriemur igitur in infirmitatibus noſtris, vt inhabitet in nobis virtus Chriſti, quæ eſt benedictio, & vita.

Quartum reſurrectioni expediens eſt conſideratio propriæ originis, ſignata in patre & matre, quos voluit Do-
Iob 17. d minus ſecum intrare. Hanc habuit qui ait: Putredini dixi: Pater meus es tu, mater mea, & ſoror mea vermibus. Conſidera ergo quàm vilis tua origo eſt. Quia ecce
Pſ.50.b in iniquitatibus conceptus es: & in peccatis concepit te mater tua. Quàm pœnalis, quia in volumentis nutritus &
Sap.7.a curis magnis, quod quàm generale ſit patet ibi: Quia nemo ex regibus habuit aliud natiuitatis initium. De modo reſurrectionis aduerte, quòd Dominus ingreditur, ſcilicet ad cor noſtrum, quod eſt locus funeris, & ſecundo tenet manum, id eſt opus. Et aduerte quòd manus puellæ manui iungitur Chriſti: quia noſtra opera eius operibus an-
Chriſtianus vnde dicatur. nectere oportet, quemadmodum & nomen: quia diceris Chriſtianus quaſi conformis Chriſto, qui eſt vita tua.

Signa reſurrectionis animæ. Ex prædictis reſurrectio ſpiritualis conſurgit, cuius quattuor ſunt ſigna. Matthæus enim dicit, quòd poſtquam reuerſus eſt ſpiritus in ea, reuixit. Alter Euangeliſta di-
Matt.9.c cit, quòd ambulauit. Lucas quòd comedit.
Mar. 9. d Quartum autem ſignum vitæ, alibi ponitur de adole-
Luc.8.g ſcente, qui cœpit loqui. His ergo animæ ſuſcitatio oſtenditur, quòd loquitur, quòd ſurrexit, quòd ambulat, & co-
Cõfeſſio vitam habet. medit. Per primum confeſsio, per ſecundum perfecta peccati deteſtatio, per tertium profectus bonorum operum, per quartum affectus & deſiderium æternorum.

Primum ergo locutio confeſsionis, quod ſignum vitæ
Eccli.17. d eſt: A mortuo enim quaſi nil perit confeſsio. Nam qui in mortali manet vix confitetur, ideo enim dicitur: Vi-
Iſa.38. d uens confitebitur tibi. In cuius ſignum legitur quòd puer
4.Reg.4.f ſuſcitatus ab Eliſeo ſepties oſcitauit, quia vere ſuſcitatus a morte peccati, ſepties os aperit, vt de ſeptem vitijs confiteatur, dicens: Sic per ſuperbiam peccaui, ſic per auaritiam, &c. Etiam ſi peccata iam remiſſa in contritione credantur: propterea enim Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam cicatrices oſtendit, & vulnus lateris, quamuis iam ſaniſsima eſſent.

Secundum ſignum eſt perfecta peccati deteſtatio, quod notatur in hoc, quòd ſurrexit: quidam enim in lecto voluptatis iacent, quidam ſedent, quidam omnino de lecto ſurgunt: iacet qui delectatione & conſenſu ei inhæret, iuxta id: Adhæſit pauimento anima mea. Qui autem ſedet ſecundum partem corporis eſt intra voluptatem, & ſecundum partem extra. Hi ſunt qui actu, & voluptate peccatum reliquerunt: ſed tamen in cogitatione aliquam ſeruant delectationem. Vnde ob hoc de adoleſcente ſuſcitato dicitur, quòd reſedit, qui erat mortuus: tales enim non ſemper ex toto conſurgunt inter peccata & occaſiones permanentes: qui autem omnino reliquit mala, ſurgit totaliter, ea perfecte deteſtans, veluti ille cui dicitur: Surge, tolle lectum tuum. Surgit & lectum tollit qui ſic peccatum reliquit, vt quod prius erat delectabile, iam fiat abominabile, quæ prius afficiebant, iam moleſtiã præſtent.

Secundum ſignum eſt peccati deteſtatio. *Pſ. 118.* *Luc. 5.*

Tertium ſignum eſt profectus bonorum operum in ambulatione ſignatus: ambulat enim verſus cælum qui proficit in bonis operibus, procedens ad meliora, nec enim omnis qui ſurgit ſtatim ambulat: quia Lazarus ſurrexit ligatus inſtitis. vnde quidam ſurgentes a prauis moribus omnia peccata relinquunt, ſed tamen ad opera pœnitẽtiæ vigiliarum, & abſtinentiæ inueniũtur pigri, & quaſi ligati inſtitis, & quibuſdam conſuetudinibus vitæ præteritæ. Sed quando pergunt de bono in melius euidentius ſignũ eſt ſuſcitationis: quia de quodam ſancto dicitur: Quòd ſurrexit a mortuis, & iam virtutes operantur in illo. Signum ergo magnum eſt, quòd ſecundum gratiam & virtutem in iuſtificatione acceptam operemur.

Tertium ſignum eſt profectus. *Matt. 14. a*

Quartum ſignum vitæ comeſtio eſt: quia iuſsit puellæ Chriſtus dari manducare. Sed multi ſic tepide ſurgunt, vt de ſpirituali non curent alimento ad augendam vitam gratiæ, dicunt enim: Numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue & amarũ? aut delectare poterit ſeruum tuum cibus aut potus? Sic fœtore vitiorum aliqui ſenſus animi amiſerũt, vt de ſuperna ſuauitate nil ſentiant: nec quæ ſurſum ſunt ſapiant, nec cibus ille omni dulcedine plenus delectat eos: vnde Caſsiodorus dicit: Impius non ſentit Dei dulcedinem, quia febre iniquitatis palatum cordis amiſit. Tu autem homo Dei miſerere animæ tuæ

Quartum ſignũ vitæ eſt comeſtio. *2. Reg. 19 f* *Coloſ. 3. a*

ſicut

ſicut vnicæ filiæ, vigilantiſsime nutrias illam, eiq. trade cultum muliebrem, vt eam ſibi Spiritus ſanctus cupiat in ſponſam aſſumere.

Iſa.16.a Dic pro eius alimento Deo: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Hæc oratio aut petitio dupliciter pro anima tua poteſt fieri, vel dum eſt malis moribus imbuta, vel dum eſt in ſtatu gratiæ: nam duplicem habet ſenſum. Pro primo aduerte quòd peccatum ipſum deſertum eſt: quia in eo & nos deſerimus Deum, & Deus nos. Huius deſerti petra obſtinatio eſt, in qua Chriſtum ligatum tenemus, & ſepultum, & vtinam non crucifixum: nam Crux Chriſti in quadam petra perforata fixa eſt. Ab hac obſtinatione oramus patrem, vt ſuſcitet in nobis Chriſtum ſuum, emittens eum liberum. Nam ſpiritus oris noſtri Chriſtus captus eſt in peccatis noſtris, qui vtinam liber euadat, vt aſcenſionem ſpiritualem faciat in nobis: quia ideo dicitur: Ad montem filiæ Sion, qui eſt perfectio vitæ contemplatiuæ, vbi animæ conuerſatio eſſe debet. Sed vt illa petitio intelligatur fieri pro anima tua iam ſuſcitata, notabis quòd Sion interpretatur ſpecula, & eſt meditatio, qua ipſa anima contemplatur eſcam ſuam. Anima enim iuſta eſt filia Sion, quia in ſpeculatione cæleſtium habitare debet ſicut virgo in monte Sion, vbi ad carnis agni immaculati dirigat affectionem ſuam, quia eis nutrienda eſt. Dicat ergo patri Deo: Emitte agnum tuum Domine, quia & meus eſt dominator, in me dominium magnum habet. Eum mitte de petra deſerti, de ſolida deitate tua a malis angelis deſerta. Qui ſit Deus de Deo, petra de petra, & agnus de oue matre ſua Deus & homo. Nihil ex agno iſto reijciendum eſt: ſed caput cum pedibus & inteſtinis vorandum. Immo & dedit nobis agnus iſte carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium, clauos in ſalſamentum, acetum ad irritandum appetitum, aquam lateris in balneum, ſudorem ſanguineum in medicinam teſte Bernardo. His igitur ſaginanda eſt puella recenter ſuſcitata: quia macilenta non placebit ſponſo, qui pulchritudinem diligit, maxime illam quæ ex bono conſurgit alimento, iuxta id: Similam, & mel, & oleum comediſti: & decora facta es vehementer nimis. Et profeciſti

Obſtinatio in petra.

Crux Chriſti vbi poſita.

Eſca animæ agnus Dei eſt.

Exo.12.b

Agnus qd contulerit nobis.

Eze.16.b

feciſti

ſceiſti in regnum, & egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam. Hæc puella futura eſt regina, ſi eius decor ſeruatur ei: vnde ait ei Paranymphus Dauid: Audi filia obediendo, vide memorando, inclina aurem tuam humiliter exequendo, obliuiſcere populum tuum remouendo carnalem affectum, & domum patris tui per mundi contemptum. Vt fecit illa nobilis puella Ruth antequam Booz viro iuſto deſponſaretur, quia ſic concupiſcet rex æternus decorem tuum. Quem vt amplius diligas attende, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Ex quo tibi honor dignitasq. proueniet: quia vt dixit prædictus propheta: Egreſſum erit nomen tuum in gentes dicentes: *Surrexit puella, & exijt fama hæc in vniuerſam terram illam*. Huius puellæ manum tenuit Chriſtus, acſi eam ſibi ſponſam vellet exhibere: & cunctis gentibus oſtendere pulchritudinem eius velut Aſſuerus reginæ vaſti. Anima ergo quæ perfecte educitur a delicto ſuo copulanda eſt Chriſto, ne iterum ad vomitum reuerſa cadat: propterea enim datur ei Euchariſtiæ ſacramentum, vt tali ſuffulta præſidio, ne deficiat in via Dei, donec etiam coram angelis eius diuulgetur fama hæc atque dicant: Soror noſtra es. Creſcas, ſcilicet bene operando, in mille millia, & poſsideat ſemen tuum, ſcilicet, exemplum relictum, portas inimicorum ſuorum, vt propter tuam doctrinam portas vitæ æternæ ingredientes adipiſcantur, quod dæmones inimici hominis perdiderũt.

Pſ.44.b *Ruth.1.a* *Eze.16.b* *Matt.9.d* *Gen.24.g*

Puella igitur hæc fidelis anima, fortis regina fiet: terribilis vt caſtrorum acies ordinata: quia Dominus eſt a dextris eius, cui gratias referendo in fine cantabit: Tenuiſti manum dexteram meam: & deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me, quã mihi & vobis præſtet Ieſus. *Pſ.72.d*

Amen.

SERMO

SERMO DOMINICÆ XXIIII. POST PENTHECOSTEN.

De Aduentu Chriſti ad mortem noſtram.

THEMA.

Qui legit, intelligat. *Matth.* 24.

INVOCATIO AD B. VIRGINEM.

IN tribus præcipue opus eſt intelligentia, ſcilicet, in auditu verbi Dei: vnde propterea dicit Chriſtus: Qui habet aures audiendi, audiat. Et in (Luc.8.a) lectione ſacræ Scripturæ: quoniam Phariſæis dixit Chriſtus: Quid eſt (Matt.9.b) miſericordiam volo, & non ſacrificium? Et tertio in expoſitione myſteriorum ſeu figurarum prophetiæ: vnde cum Chriſtus citaret Danielem, addidit: *Qui legit, intelligat*. Hoc dixi; ne vos comprehendat error Lutheranorum tenentium quòd ſacra Scriptura expoſitione non indiget. Ex hac praua aſſertione pullulant mala plurima: quibus obuiare cupiebat beatus Petrus, cum loquens de epiſtolis Pauli dixit: In quibus ſunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut ceteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Ecce difficultatem illarum, & quo modo viuente Paulo fuerunt deprauatæ, ſicut hodie faciunt Lutherani, propter quos dixit Chriſtus: *Qui legit, intelligat*. Apud Orthodoxos, Legere & non intelligere, negligere eſt: quia ſi non intelligunt, minime capiunt fructum: ſed apud Lutheranos, Legere & non intelligere, magnus error eſt: nam vulgus Lutheri audacter legit ſacras litteras, & velut magiſtraliter quilibet eas aptat

(Margin notes: Luc.8.a — Matt.9.b — Error Lutheri erga ſcripturā. — 2.Pet.3.d — Catonis dictum.)

aptat errori ſuo: nam intelligentes putant ſe, acſi eis diceretur: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, id eſt, ſenſum Scripturæ. Sunt enim iſti noui Apoſtoli, aut verius pſeudoapoſtoli, vnde ſecurius ego fiderem vni vetulæ chriſtianæ ipſum Euangelium Chriſti quàm Lutheranis cæcis: quia propterea Paulus dixit, quòd ſi opertũ eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum, id eſt, in hæreticis. Opertum habent Euangelium, quia illud legunt, ſed non intelligunt: ſoli enim ſancti dicunt cum Paulo: Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Hæretici moderni dicunt: Nos autem ſenſum Lutheri habemus. Dum ergo Chriſtus dicit: *Qui legit, intelligat*, monet nos adhærere intellectui vero ſacræ Scripturæ, quam vt aſſequamur, beatæ Mariæ malleo hæreticorum adhærentes, gratiam eius imploremus, quæ cunctas hæreſes interemit, ac per conſequens doctrinas fidei illuminauit iuxta nomen ſuum, quod illuminatrix interpretatur. Vt ergo gratiam intelligendi obtineamus, ei deferamus. Aue Maria.

Matt. 13. b

2. Cor. 4. a

1. Cor. 2. d

ARGVMENTVM DICENDORVM.

QVIA intelligentiæ catholici lectoris cõmiſit Chriſtus arcana præſentis Euangelij, plures etiam recte ſentientes plura dicunt: nam venerabilis Beda pro abominatione ipſum Antichriſtum intelligit: & tunc Euangelium venit intelligendum de aduentu Chriſti ad iudicium, cui facit concluſio, qua dicitur: Vbi erit corpus, ſcilicet, Chriſti in cælo: ibi congregabuntur & aquilæ, id eſt, animæ beatæ, & ſua deferent corpora Chriſti corpori conformanda. Intelligit etiam Beda illam abominationem eſſe idolum aut imaginem Imperatoris, quam Pilatus ſtatuit in loco ſancto templi: & tunc debet intelligi Euangelium hoc de aduentu, quo Chriſtus venit per Romanos, vt Ieruſalem deſtrueretur. Et hoc magis videtur ſentire narratio alterius Euangeliſtæ, ſcilicet Lucæ. Tunc autem concluſio Euangelij, ſcilicet, de corpore & aquilis congregandis intelligitur de corpore myſtico Chriſti: aquilæ vero erant aliqui doctiores ex iudæis, qui viſa punitione Ieruſalem crediderunt in Chriſtum,

Prima expoſitio.

Beda lib. 4. in cap. 24. Matt. to. 5.

Matt. 24. e

Secũda expoſitio.

Luc. 21. e

Tertia expoſitio. ſtum, qui eam prædixerat. Tertio exponitur Euangelium præſens de malo prælato, qui per prophetam vocatur ido- Zac. 11. d lum: & tunc eius concluſio indicat carnalitatem huius, dicens: *Vbi fuerit corpus*, id eſt prælatus, qui nutrit corpus ſuum, *illic aquilæ rapaces congregabuntur*: vt cum eo de- Quarta expoſitio. uorent aliquid. Quarto hæc abominatio exponitur de homine hæretico, quando ſub ouium veſte latet in Eccleſia: tamen vbi talis fuerit, velut corpus aptat ſibi membra, congregabit ſibi aquilas, id eſt, alios hæreticos ſuperbos, ſicut facit Lutherus, qui eſt caput eorum. His quattuor expoſitionibus, quas poteram ſequi, prætermiſsis, ad moralem ſenſum me omnino conuerto, dicens vnicuique veſtrum: *Qui legit*, hoc, ſcilicet Euangelium, *intelligat* quanta mala operatur in eo peccatum mortale, de quo incipit: *Cum videritis abominationem deſolationis*.

Peccator cęcus eſt. Hominis intellectus non ſufficit ad cognoſcendum totaliter abominationem peccati: quia cum omnis peccans ſit ignorans, ab ipſius paſsione cæcatur, ne videat malum ſuum: nam quidam peccator ita abominabilis, & iniquus Apo. 3. c erat, vt Deus vellet nominari: Quia diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, cæcus & nudus. Ecce quo modo non cognoſcimus malum noſtrum: vnde cum Dominus fleret Luc. 19. g ſuper ciuitatem dixit ei: Si cognouiſſes & tu. Si peccator ſuam cognoſceret abominationem, eſſet ei ſpes, nobisq. daret ſpem euaſionis ſuæ. Quod ergo per ſe non cognoſcit, ſaltim per ſacram doctrinam percipiat, vnde ait Thema: *Qui legit*, ſcilicet mala iſta, *intelligat* ea videlicet, in anima ſua. Satis eſſet quòd peccatum diceretur abominabile: ſed volens Deus oſtendere quòd nihil eſt abominabile niſi propter peccatum, vocat illud abominationem videndam in loco ſancto. Sed quia Chriſtus multo pon- Peccata omnia ſũt abominationes. dere incœpit, dicens: *Cum videritis abominationem deſolationis, &c.* Et cum varia ſit abominatio ſicut varium eſt peccatum, aduerte quòd ſuperbia eſt abominatio, iuxta Luc. 16. d id Lucæ: Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Auaritiam quoque vocat Salomon abominatio- Pro. 11. a nem, dicens: Statera doloſa abominatio eſt ante Deum. Nam dolo inſiſtit auarus. Omnes luxuriæ ſpecies vocantur etiam abominationes in Leuitico vbi concluditur:

Omnis

Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi ſui. Et in eodem capitulo dicitur, quòd propter luxuriam peſsimam euomuit terra ſuos habitatores, & euomeret filios Iſrael ſi operarētur ſimilia. Iram quoque vocat abominationē Malachias, dicens: Numquid non pater vnus omniū noſtrum? Numquid nō Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque fratrem ſuum? Abominatio facta eſt in Iſrael. Gulam etiam vocat Zacharias abominationem, dicens: Auferam ſanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius. Inuidiam quoque vocat Sapiens abominationem, dicens: Abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Cum ergo peccatum quodlibet abominatio dicatur, quilibet noſtrum poterit in ſe reperire aliquam abominationem, quā debeat execrari: quoniam vt omnes eſſemus præmuniti non alium prophetam quàm Danielem Chriſtus adduxit, qui interpretatur iudicium Dei: quoniam in iudicio Dei omnes abominationes mulctabuntur, & punientur, quamuis ad hoc nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps mundi huius, id eſt peccati, abominatio deberet foras eijci. Quoniam vt expellatur, dicitur: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat*, ſcilicet, eius electionem, quo modo eam debeat proſcribere.

Leu.18.d *Mal.2.b* *Zach.9.b* *Prou.3.d* *Ioā.12.e*

Quanta ſit peccati abominatio vix dici poteſt, niſi per ſuum oppoſitum innoteſcat nobis: nam cum Angeli vident gratiam in anima noſtra, vocant eam amicam filiam, ſponſam Altiſsimi: qui & amator ſit formæ illius, id eſt gratiæ animam informantis: & rex Dauid cum gratiam animæ contemplaretur, dixit ſtupens coram Deo: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Domus Dei eſt anima iuſti, vbi decor gratiæ reperitur qui tantus eſt, vt ibi gloria Dei eſſe dicatur. Nam in anima iuſti paradiſum abbreuiatum facit Dominus ſuper terram, eius decorans potentias, & optimis habitibus adimplens animæ vires, ita vt ſi eam videres cum Dauid exclamares: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Si autem videres abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, id eſt, in ipſa anima,

Anima amica & ſpōſa Altiſſimi. *Pſ.25.b*

quæ ſancta eſſe ſolebat: cerneres quidem eius deſolatio-
Thre. 1. d nem, qua manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabi-
Thre. 1. a lia eius: vnde cum Ieremia gemens diceres: Quo modo ſedet ſola ciuitas plena populo: princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo, ſcilicet, iterũ labendi. Facta eſt quaſi vidua &c. Abominatio peccati ſtat in loco ſancto, quo modo voluntati dominatur, vt ei ſeruiat. Aliquando ſtat in corpore tantum, & tunc non eſt deſolatio gratiæ, quia
Rom. 7. d gratia non carebat Paulus, cum dixit: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Sed cum peccatum ſtat in loco ſancto, id eſt, in voluntate libera, vbi ſanctitas oriri & ſtare ſolet, tunc eſt abominatio etiam deſolationis, qua deſolatur anima, & ſolotenus proſternitur. Tunc ſane audacter ponit Pilatus idolum Cæſaris in loco ſancto: quia dæmon ſtatuit in anima peccatoris dominium ſuum, & ſignum iuriſdictio-
Eſth. 14. d nis ſuæ, de quo dixit Eſther: Tu Domine Deus ſcis neceſsitatem meam, & quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ. Dum te mundo & vanitati oſtendis, habes quidem ſignum ſuperbiæ dæmonis & gloriæ vanæ, quia gloriatur in te, ſicut reges gloriantur in ſignis & imagi-
Beda lib. 4. in cap. 24. Matt. 10. 5. nibus ſuis. Beda exponens abominationẽ de qua in Euangelio fit mentio, ſic ait: Poteſt autem ſimpliciter aut de Antichriſto accipi, aut de imagine Cæſaris, quam Pilatus poſuit in templo, aut de Adriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo Sancto ſanctorum loco multo tempore ſtetit. Hæc
Tres modi peccandi. Beda. Vbi aduerte per hos tres viros quos nominauit, tres modos peccandi deſignari. Per Antichriſtum deſignatur peccatum, quod fit ſuggerente malitia. Per Adrianum vero deſignatur peccatum, quod fit ratione ignorantiæ. Per Pilatum quidem deſignatur peccatum, quod perpetratur fragilitate: nam timore Pilatus damnauit Chri-
Rich. de triplici peccato tract. 2. cap. 4. ſtum, ne perderet Cæſaris amicitiam. Richardus exponens illud Iſaiæ: Vulnus, liuor, & plaga tumens, ſic ait de his, quos dixi peccandi modos: Per vulnus intelligi-
Iſa. 1. b mus illud peccatum, quod committitur per ſolam infirmitatem: per liuorem, illud quod contrahitur per ſolum errorem: per plagam tumentem, illud quod conſummatur per ſolam iniquitatem malitiæ. Et vt modos iſtos dif-

ferentius

ſerentius oſtendat, adiungit: Peccata quæ per infirmitatem (quaſi inuiti) committimus, erubeſcimus, & damnamus. Quæ autem per ignorantiam magis ſolemus negare quàm accuſare, & peccata malitiæ magis conſueuimus, vel per impudentiam iactitare, vel contumaciam defendere. Hæc ergo dico fratres, vt qui legit tria quæ ſequuntur in Euangelio intelligat ea, ſic enim ſequitur:

Tunc qui in iudæa ſunt fugiant ad montes, & qui in tecto non deſcendant tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro non reuertantur tollere tunicam ſuam. Multum peccatur in agro: plus in tecto: magis tamen in iudæa. In agro peccatur per fragilitatem carnis, quam habemus cum beſtijs agri communem. In tecto peccatur per ignorantiam, quæ tegit oculos aliquando mentis noſtræ, ne videat malum. Per malitiam vero peccant in iudæa, quæ interpretatur confeſsio, qui fidentes confeſsioni faciendæ, quaſi bulla protecti, perpetrant mala dicentes: Scio peccare, & pœnitentiam agere. Volo peccare, quoniam cõfitebor deinceps, & abſoluar. Hic ceteris deterius peccat, quia in Spiritum ſanctum, cuius eſt peccata dimittere: vnde oportet eum durius pœnitentiam agere: quia hoc peccatum dimittitur iuſtitiæ, nam propterea dictum eſt: *Qui in iudæa*, id eſt in peccato ſunt, *fugiant ad montes*, id eſt ad arduos actus pœnitentiæ, vt ille qui dicebat: Feci iudicium, & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me. Montes etiam dicuntur difficiliores actus Chriſti, quoniam de eius paſsione dixit ſponſa: Vadam ad montem myrrhæ, id eſt, Chriſtum paſſum, & ad collem turis, id eſt, ad eummet, ibi ab aliquibus adoratum. Vnde ſi omnes peccatores eum fecimus laborare, magis illi, qui per malitiam peccant: quia iſti minus veniam merentur: quoniam peccatum, referente Euangeliſta, in Spiritum ſanctum non remittitur in hoc ſæculo, nec in futuro. Quod exponens Richardus, & oſtendens quo modo alijs duobus modis peccantes facilius conſequuntur veniam, ſic ait: Specialiter videtur agere contra Patrem, qui peccat per fragilitatem. Specialiter cõtra Filium agit qui per ignorantiam delinquit. Specialiter Spiritui ſancto aduerſatur, quod per malitiam committitur. Recte autem ei qui peccat in Spiritum ſanctum non remittitur

[Margin notes: Peccandi differentia in agro, tecto, & iudæa. — *Pſ. 118. q* — *Cant. 4. b* — Peccatũ in Spiritũ ſanctũ vix remittitur. — *Mar. 3. d* — *Rich. de triplici peccato tract. 2. cap. 3.*]

in hoc ſæculo, nec in futuro: quia qui per malitiam peccat, ſi in præſenti pœnitet, recte ab eo exigitur plena ſatisfactio: non pœnitenti vero debetur plena damnatio in futuro. Qui vero ex infirmitate vel ignorantia, ſicut aliquam excuſationem habent in culpa, ſic aliquid remiſſionis habere debent in pœna. Recte nihilominus qui in culpa nihil habent excuſationis, in pœna ſimiliter nihil accipiunt remiſsionis. Miro itaque modo qui de voluntarijs peccatis pœnitentiam agunt in hac vita, remiſsionem ſine remiſsione accipiunt: accipiunt namque plenam remiſsionem commiſsi criminis ſine vlla remiſsione condignæ ſatisfactionis. Hæc ille. oſtendens quo modo peccantibus per malitiam grandis reſtat via: vnde dictum eſt:

Confugiant ad montes, id eſt ad actus difficiliores pœnitentiæ ſuæ, & Chriſti. Tamen qui, dum peccatum regnat, fuerit in tecto, id eſt, per ignorantiam peccauerit, ſolum iubetur, ne deſcendat tollere aliquid de domo ſua, id eſt, ne cadat in deterius: nam patriarchæ dicitur, vt egrediatur de domo patris ſui: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam inhabitantem in eo, vt magis peccet: cuius deſiderijs non eſt acquieſcendum, nam de eis dicitur: Inimici hominis domeſtici eius. Nunc de peccantibus in agro, id eſt per fragilitatem carnis, quam cum animalibus habemus communem: aduerte quòd eis interdicitur, ne reuertantur tollere tunicam ſuam, id eſt, peccatorum excuſationem, qua tegere volunt verenda ſua, vt Adam qui latens ſub arbore, folijs eiuſdem tegebat pudenda. Et hoc idem fecit, dum dixit: Mulier, quam dediſti mihi, dedit de fructu & comedi. Ecce quo modo conſortem peccati voluit in culpæ tegumentum accipere: quia protegunt vmbræ vmbram.

Gen.12.a *Sap.9.d* *Mich.7.b* *Gen.3.c*

Ex his tribus vnum elicitur documentum, quòd ſcilicet peccator dum peccat numquam procedit, quia in peccato non eſt proceſſus, ſed retroceſsio, aut regreſsio, qua recedit ab vltimo fine Deo: ideo interdicitur ei, *ne reuertatur*, ne retrocedat, id eſt, amplius peccato inſiſtat, ne addat peccatum peccato: ſed quod in anteriora ſe extendat, & tunc peccata deſtruet, ac tollet abominationem a ſe, qua fecerat abominabilem decorem ſuum. Peccatum

Retroceſſio nō proceſſus eſt in peccato.

Eze.16.e

facit

facit abominabilem animam, & cum propter vnumquodque tale & illud magis: bene in abſtracto dicitur abominatio, præter quam nec dæmon, nec infernus eſſent abominabiles ſed valde bona. Felix ergo qui a ſe proiecerit abominationem peccati, quæ tanta eſt, vt filios Dei faciat ſtercus terræ, eosq. reddat filios diaboli. Nam tantum fœdat peccatum animam, quòd ipſe Deus non cognoſcit eam, quamuis imago eius ſit: immo nec matrem ſuam Chriſtus agnoſceret, ſi vel peccatum vnum reperiretur in ea. Inſuper adeo ingens eſt peccati abominatio, quòd ſi eam prius non auferas a te, nil tibi proderit ſanguis Chriſti, nec eiuſ gratia, quæ refugit, ac reſilit, nec vult deſcendere in corruptionem peccati tui. Eſt denique ita fœdiſsima peccati abominatio, quòd ipſe Deus, qui eſt origo munditiæ, dicat ſe pollui peccatis noſtris. Quid horribilius? Iam ergo multi ad ſe reuerſi voluerunt deſtruere regnum peccati, ne iam peccatum dominaretur eis: quoniam volunt a ſe proſcribere hanc pluſquam diabolicam abominationem, vt mundi remaneant, quoniam ſcriptum eſt: Lauamini, mundi eſtote, &c. Tamen quia hoc tepide incipiunt, ſequitur in Euangelio præſenti:

Ariſtot. 1. poſt. context. 5.

Peccati horrendũ malum.

Eze. 36. e

Iſa. 1. d

Væ autem prægnantibus & nutrientibus illis diebus. Auguſtinus: Quadruplex eſt charitas, incipiẽs quæ naſcitur, proficiens quæ nutritur, perfecta quæ roboratur, perfectiſsima quæ mortem deſiderat. Væ æternum erit duabus primis: quia imperfectis, & ideo ſtare non potentibus.

Prægnantes ſunt, qui bonum concipiunt, iuxta illud: A facie tua Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis: ſed non ipſam gratiæ ſalutem, quæ perſiſtit donec omnino peccatum expurgat, & abluat: vt ſine timore, quem perfecta charitas foras mittit, de manu inimicorum noſtrorum liberati in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, ſeruiamus illi omnibus diebus noſtris. Falſe igitur dæmon paruulos noſtros, id eſt, actus tepidos interimit, vt fecit Herodes, & Pharao: ideo actibus maturæ & prouectæ virtutis debemus operam dare, vt obſequamur Paulo dicenti: Veritatem autem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Multi chriſtiani tepidi ſunt in operibus chriſtiani, quia opera remiſſa potius impediunt, quàm iuuent eorum reformationem,

Iſa. 26. e

1. Io. 4. d

Luc. 1. g

Eph. 4. d

ed by Goog

tionem, ſicut paruuli dum ſunt in vtero, vel brachijs matrum minime adiuuant eas. Paruula opera potius impediunt profectum tuum quamuis ſint de genere bonorum; quia talia facillime dæmon extinguit. Ideo in ſubſequentibus hortatur nos Christus, dicens:

Orate autem vt non fiat fuga veſtra hieme, vel ſabbato. Reliquum vitæ noſtræ tangit Chriſtus; nequis illud attendens, differat conuerſionem ſuam: quoniam qui concipit & nutrit aliquod bonum propoſitum, non debet amplius expectare, vt illud perficiat: nam iſte quid expectabit niſi hiemem & ſabbatum, niſi quòd ex toto perdat feruorem, & veniat ſabbatum mortis, in quibus vix poterit à peccato fugere? Habes nunc tepidam voluntatem reijciendi concubinã, & reſtituendi alienum, &c. Quid vltra expectas? Attendis ne hiemem frigiditatis, quo nil præſentis feruoris, quo tale propoſitum concepiſti maneat in te? Si hoc hodie non facis, cras minus aptus eris. Si hoc ignito deſiderio vigente nihil feceris, cras erit hiems tibi, quo minime fugies à peccato, quia propter frigus piger ambulare non poteris de virtute in virtutem. Si autem expectas deinceps ſabbatum; id eſt, mortem, qua bonus latro egit pœnitentiam, tunc vix poteris, & minus poteris; quoniam qui non laborauit in vita, quo modo poterit in morte operari? Forſitan reſpondebis: Tunc ſaltim quieſcam à peccato, & rectificabo conſcientiam meam, & vno gemitu confugiam ad eum, & ad montes, id eſt, ad ſanctos eius. Hoc vix aut numquam facies, & ratio ſequitur in præſenti Euangelio, vbi dicitur:

Hiems & ſabbatum quid.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis numquam fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet. Philoſophus dicit quòd vltimum terribilium eſt mors. In mundo minori nihil eſt magis terribile neque mundo maiori; vnde iure dicitur mors tribulatio magna, cui nulla æquatur, neque pœna purgatorij, quia illa plurimum tolleratur per hoc, quòd habet certitudinem obtinendi paradiſum, ſed chriſtianus in extremis, maxime ſi vſque tunc vixit in peccatis, cum de ſua dubitet euaſione, magnam, vltra quam dici poteſt, patitur tribulationem. Quam oſtendit Scotus in illa quæſtione vbi inquirit, vtrum pœnitentia in extremis valeat ad ſalutem æternam. De hac ergo magna tribula-

Ariſtot. 3. Ethic. c. 9.

Scot 4. ſent. diſt. 20. q. vnica.

tribulatione mortis ſic ait: Quando imminet mors, ſtatim cauſatur maximus dolor in parte ſenſitiua, vel timor maximus. Et vtraque paſsio vehemens nata eſt impedire liberum vſum rationis & voluntatis: quia paſsiones cauſatæ a triſtantibus, vel a triſtibus plus mouēt, quàm paſsiones cauſatæ a delectabilibus. Paſsio autē delectationis vehemens quādoque impedit totaliter vel fere vſum rationis. Actus autē diſplicentię de peccato, ad hoc quòd ſit ſufficiens ad veram pœnitentiam ſiue intrinſecam ſolam, ſiue ad dignam ſuſceptionem ſacramenti pœnitentiæ requirit liberum vſum rationis & voluntatis. Itē Auguſtinus ait: Cum ſera venit pœnitentia, tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor ſenſum opprimit, vt vix homo aliquid cognoſcere valeat. Eſt ergo tam magna tribulatio mortis quòd ſequitur in Euangelio:

Aug. lib. 83. q. q. 36.

Aug. de vera & falſa pœnit. c. 18. to. 4.

Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Neſcio quid vobis dicam fratres de diebus mortis, cum & vos ſciatis Chriſtum ſanguinem in terra decurrentem ſudaſſe ob ſolam mortis imaginationem. Hoc vnum ſcio, quòd boni viri ſæpe deprecantur Deum, ne multis diebus agant, vel potius agantur in extremis, ſed volunt obire cito, cum tempus eorum aduenerit. Vnde quidam laicus ordinis noſtri, vir equidem iuſtus, inter alias petitiones ſuas efflagitabat, orabatq. vt paucis horis obiret, cum Deus voluiſſet. Et factum eſt vna dierum, cum Domini corpus reuerenter accepiſſet, venit ad locum infirmorum, & petijt ſibi parari lectum, cito, inquit, quia iam ſum in extremis. Denique parato lecto iacuit, & manibus iunctis illico obdormiuit in Domino. Alterum etiam ſenem ſacerdotem vidi, qui cum tribus diebus leuiter ægrotaſſet, petijt vt ante Matutinum prælatus audiret confeſsionem eius, qui renuens, vſque poſt Matutinum protrahebat rem: infirmus autem bona facie lætus dixit: Ego pater non potero tantum expectare, quia citius ſum receſſurus. Tandem confeſſus eſt, & corpus Domini accepit & ſacram vnctionem: dum autem fratres cœperunt laudes in choro, reddidit ille ſpiritum. Tandem ſcio quòd omnes iuſti deſiderant vt ſibi breuientur dies illi, & hic vidi pluries fieri. Maior cura quæ tunc temporis cor chriſtiani vrit, eſt de

Exēplum de laico mouēte.

quærendo Chriſtum. Hæc autem cura ſolum occupat viros probos & pios: quoniam ceteri occupantur in anxietate ſalutis acquirendæ corpori ſuo. Vnde Auguſtinus ait: Percutitur enim hac animaduerſione peccator, vt moriés obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus erat Dei. Nam qui remedium animæ quando potuit, noluit quærere, poſtea etſi vellet, dubium eſt vtrum mereatur accipere. Propter hanc ergo veritatem ſequitur in Euangelio præſenti:

Habetur in Milleloquio verſ. Peccator, & ibi citatur eſſe ſer. 1. de pænit.

Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere: ſurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Pſeudochriſti ſunt, qui animæ ſalutem tunc promittunt peccatori, qui eam antea numquam quæſiuit. Pſeudoprophetæ ſunt, qui ei promittunt corporis futuram valetudinem, vt pote medici, & alij qui forte obitum eius cupiunt. Iſti dant ſigna vtriuſque ſalutis. Et ſigna ſalutis animæ, ſunt aliquod bonum opus, vel aliqua eleemoſyna ſi forte fecerit ægrotus. Sin autem dant prodigia, ſcilicet illud prodigium crucis de bono latrone, & alia miracula quæ paſſim leguntur. Talibus denique verbis infirmum aliqui cófortant, vt in errorem fere inducantur etiam electi, qui a iuuentute ſua dederunt operam ſanctitati, quam iſte nec vnam horam ſuſtinens adipiſcitur: qui conſummatus in breui perdidit tamen tempora multa. Chriſtus autem, ne quis credat ſe adepturum bonam mortem poſt diuturnam vitam malam, ſubiunxit: *Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Vtinam nemo credat falſis prophetis in morte ſua, cum Chriſtus eum præmoneat in vita, dum ait: *Ecce dixi vobis*. Minus enim iacula feriunt quæ præuidentur.

Pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ qui ſint.

Greg. hom. 35. in Euangel. to. 3.

Pœnitenti ſolum in extremis duo ſolent dici. Primum quòd Chriſtus eſt in deſerto, id eſt, peccatore, qui eum deſeruit: quia iuit ad ouem, quæ perierat. Secundum, quia eſt in penetralibus, id eſt, in contritione & gemitu interiori: quia Deus intuetur cor, vbi quantalibet superueniente infirmitate poteris in ictu oculi deteſtari peccata tua. Chriſtus nobis, qui nunc valemus, prædicit, ne illis dictis credamus: ad quod valent rationes Scoti, qui

Scot. 4. ſent. d. 20. q. vnica. cir. med.

erga

erga mortem eſt verus propheta, tenet enim vbi ſupra quòd pœnitentia ſera minus valet ad animæ ſalutem.

Prima ratio, quia mors malis eſt ſicut lupus, qui naturaliter prima facie obſtupeſcere facit hominem: mors autem fere omnino alienat hominem, maxime quando in operibus manuum ſuarum comprehenditur peccator. *Pſal. 9.*

Secundo, ad hoc quòd diſplicentia valeat, & ſit ordinata, oportet quòd ſit debite circumſtantionata, & maxime circumſtantia finis, & principij actiui principalis, vt ſcilicet ſit voluntaria propter Deum, ſed difficile eſt tunc habere actum ſic circumſtantionatum: quia qui vſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere a ſeipſo diſplicentiam nouam, niſi timore pœnæ imminentis: præſumitur enim quòd ſi remotus eſſet a pœna ſicut prius, non extorqueret a ſeipſo illam diſplicentiam ſicut nec prius.

Tertia ratio, quoniam aliquid ſimpliciter inuoluntarium videtur cauſa iſtius diſplicentiæ. Nam expectatio proximæ mortis videtur cauſa huius diſplicentiæ, non illa autem eſt inuoluntaria. Et quod ſit niſi ex ſuppoſitione alicuius inuoluntarij, non eſt ſimpliciter voluntarium: ſicut non omnino voluntarie proijciet quis merces in mare, ſi non proijcit niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam periculi, quod nollet eueniſſe. Saltem illud quod eſt occaſionatum, non videtur voluntarium, nec per conſequens eſt multum acceptum alij, nec multum videtur per amorem eius factum. Hanc rationem tangit Auguſtinus in littera: Oportet ergo non timere ſolummodo iudicem, ſed amare. Arbitrij ergo libertatem quærat pœnitens, vt delere poſsit commiſſa non neceſsitatem, charitatem non timorem: Non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, ſed anxietur pro gloria. *Auguſt. vbi infra.*

Quarta ratio, quia habitus malus vſque tunc continuatus multum retrahit ab actu pœnitentiæ, & hanc rationem tangit Auguſtinus in littera, dicens: Filij, quos illicite dilexit, ſint præſentes, vxor & mundus ad ſe vocent. Multos ſolet pœnitentia ſerotina decipere. Intellige hæc delectabilia eſſe præſentia in ſe, vel in phantaſmatibus vehementer impreſsis, & ſiue ſic, ſiue ſic ex vehementia habitus continuati multum inclinant ad ſe inordinate amanda *Aug. de vera, & falſa pœnitentia, c. 17. to. 4.*

Digitized by Google

amanda, & per conſequens magnam faciunt difficultatem ad habendum magnam diſplicentiam de eis, ad hoc vt ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ.

Quinta ratio, quanto aliquis eſt minus Dominus ſui actus, tanto requiritur intenſior diſplicentia, ad hoc quòd ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ. Iſte autem minus eſt dominus, quia nullo modo eſt dominus actus exterioris ad peccandum: requiritur ergo ſecundum ſtrictam iuſtitiam intenſior motus diſplicentiæ ad iuſtificationem eius, quàm ad iuſtificationem ſani, cum vix poſſit habere æque intenſum. Et hanc rationem tangit Augustinus in littera, dicens: Age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, ſecurus es: quia pœnitentiam egiſti, quando peccare potuiſti: ſi vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes: peccata te dimittunt, non tu illa. Ad minus non tu ita libere illa dimittis, ſicut ille ſanus, & ideo quantum deeſt in te de libertate, tantum ſecundum rigorem requiritur in te motus intenſior, quem vix vel numquam poteris habere. Hæc Scotus, qui cum Chriſto ait: ***Ecce prædixi vobis***: ſcilicet ſanis, ne ſabbatum mortis expectare contingat, quando nemo poterit peccata fugere, nec Chriſtum in penetralibus pectoris ſui reperire, ſi prius non fecit pœnitentiam: alioquin ſi vſque tunc deſeruiſti Chriſtum, ipſe tunc deſeret te, & in deſerto non erit. Non ergo pſeudoprophetis credas, ſed vero Chriſto conſequenter dicenti:

Aug. lib. 50 homil. hom. 41. to. 10. Et habetur 4. ſent. diſt. 20. cap. 1.

Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vt fulgur omnia percurrens ſe teſtatur venturum ad mortem noſtram Chriſtus: quia tunc rationem exiget totius tractus vitæ noſtræ, ab illa hora qua ei oriri cœpimus vſque ad finem, ab oriente inquit vſque ad occidentem, taliter quod nec inſtans temporis prætermittat. Fulgur etiam repente apparet & ſic etiam cum dixerint peccatores: Ecce pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperueniet interitus. Fulgur illuminat tenebras noctis, & ſic in mortis aduentu Chriſtus illuminat conſcientias obſcuras peccatorum: vt ab oriente gratiæ vſque ad occidentem minimæ culpæ rationem exigat: pro maiori dictabit ſententiam, pro maiori inquam pondere vel gratiarum cum fructibus ſuis, vel culparum

1. Tim. 5.

Chriſtus qualiter venit ad morientes.

culparum cum defectibus ſuis : vnde concluditur in præſenti Euangelio :

Vbi erit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Corpus id eſt congeries meritorum vel demeritorum: nam Paulus hortatur nos, & cupit vt deſtruatur corpus peccati, id eſt congeries tota culparum. Et Chriſtus cupit, vt corpus noſtrum lucidum ſit, id eſt congeries bonarum actionum gratia illuſtretur. Iam ergo ad illam partem, qua corpus permanſerit, aquilæ, id eſt animæ, congregabuntur : quia iuxta merita vel demerita ſua reponentur : ſicut & in iudicio generali pari modo mittentur mali in ignem paratum diabolo, & angelis eius, qui diabolo adhærebant tamquam membra capiti : ſed iuſti congregabuntur capiti bonorum Chriſto, hic per gratiam & in futuro per gloriam, quam mihi & vobis præſtet Ieſus. Amen. *Rom. 6. a* *Mat. 25. d*

F I N I S.

IN ROMA

Digitized by G

INDEX SERMONVM DOMINICALIVM PRIMO TOMO contentorum.

DOminica prima Aduentus, de aduentu Chriſti ad humanitatem. pag. 1
Dominica ſecunda Aduentus, de aduentu ad iudicium. 16
Dominica tertia Aduentus, de aduentu Mariæ ad templum Ieruſalem. 46
Dominica quarta Aduentus, ad conſtruendam religionem in homine. 59
Dominica prima Aduentus, de iudicio generali, iuxta ordinarium Romanum. 71
Eiuſdem Dominicæ altera pars. 80
Dominica ſecunda Aduentus, de Chriſti ad mortem iuſti aduentu ſermo I. 85
Eiuſdem Dominicæ, de laude Ioannis ſer. II. 97
Dominica tertia Aduentus, de calceamento & eius ſolutione. 111
Eiuſdem Dominicæ, ſecunda pars, de expoſitione Euangelij. 116
Dominica quarta Aduentus, de Chriſti in mentem, & in carnem aduentu. 122
Eiuſdem Dominicæ ſecunda pars. 130
Dominica infra octauam Epiphaniæ. 204
Dominica ſecunda poſt Epiph. de matrimonio chriſtiano ſermo I. 214

Eiuſdem

Eiuſdem Dominicæ ſermo II. pag. 225
Dominica tertia poſt Epiph. de peccati lepra, & eius mundatione. 236
Dominica quarta poſt Epiph. de fide Apoſtolorum. 246
Dominica in Septuageſima, de vinea animæ. 258
Eiuſdem Dominicæ ſecunda pars, de gentibus eijciendis. 264
Dominica in Sexageſima, de ſemine ac terra mala. 269
Dominica in Quinquageſima, de deſcenſu peccatoris, & aſcenſu Chriſti. 291
Feria quarta Cinerum ſermo I. 305
Eiuſdem feriæ quartæ Cinerum ſermo II. 312
Feria ſexta Cinerum, de amore inimicorũ. 321
Dominica prima Quadrageſimæ, de ignorantia praua dæmonis ſermo I. 332
Eiuſdem Dominicæ, de duabus tentationibus, ſermo II. 346
Dominica ſecunda Quadrageſimæ ſermo I. 359
Eiuſdem Dominicæ, de oratione ſermo II. 371
Eiuſdem Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ ſermo III. 381
Dominica tertia Quadrageſimæ, de loquela dæmonis ſermo I. 392
Eiuſdem Dominicæ, iuxta litteram Euangelij ſermo II. 401
Dominica quarta Quadrageſimæ, de pane diuino. 415
Dominica in Paſsione, de myſterijs Euang. 430
Dominica Palmarum, de proceſsione. 444
Feria quinta in Cœna Domini, de amore, & lotione, & noſtra imitatione. 459

Domi-

Dominica Reſurrectionis Christi, de ſole Chriſto ſermo I. 469
Eiuſdem Dominicæ ſermo II. 485
Dominica in Albis, de quinque digitis. 494
Dominica ſecunda poſt Paſcha, de paſtore. 508
Dominica tertia poſt Paſcha ſermo I. 519
Eiuſdem Dominicæ, de gaudio ſingulorum ſermo II. 533
Dominica quarta poſt Paſcha. 545
Dominica quinta poſt Paſcha, de petitione, & gaudio. 555
Dominica infra octauam Aſcenſionis, de noſtra ſpirituali aſcenſione. 596

INDEX SERMONVM DOMINICALIVM

ſecundo Tomo contentorum.

Dominica Penthecoſtes, de eiuſdem Spiritus ſancti vnitate & ſpiritualitate, & ſublitate, & operatione. 3
Dominica prima poſt Penthec. de gloria Trinitatis. 18
Dominica ſecunda poſt Penthecoſten, de Euchariſtia. 32
Dominica tertia poſt Penthec. de bono paſtore, & oue. 45
Dominica quarta poſt Penthec. 58
Dominica quinta poſt Penthec. de remittendis querelis. 69
Dominica ſexta poſt Penthec. de miſericordia Chriſti erga nos. 81

Dominica ſeptima poſt Penthec. pag. 92
Dominica octaua poſt Penthec. 103
Dominica nona poſt Penthec. 118
Dominica decima poſt Penthec. 133
Dominica vndecima poſt Penthec. 151
Dominica duodecima poſt Penthec. de amore Dei, ſui, & proximi. 167
Dominica decimatertia poſt Penthec. ſer.I. 181
Eiuſdem Dominicæ ſermo II. 192
Dominica decimaquarta poſt Penthec. 203
Dominica decimaquinta poſt Penthec. de obſequio funerali. 221
Dominica decimaſexta poſt Penthec. 231
Dominica decimaſeptima poſt Penthec. de conuiuio Chriſti. 247
Dominica decimaoctaua poſt Penthec. 266
Dominica decimanona poſt Penthec. 281
Dominica vigeſima poſt Penthec. ſer.I. 292
Eiuſdem Dominicæ ſermo II. 304
Dominica vigeſimaprima poſt Penth. ſer.I. 317
Eiuſdem Dominicæ ſermo II. 329
Dominica vigeſimaſecunda poſt Penthec. 341
Dominica vigeſimatertia poſt Penthec. 358
Dominica vigeſimaquarta poſt Penthec. de aduentu Chriſti ad mortem noſtram. 382

INDEX VERBI DEI PRÆCONIBVS

Oſtendens quid in aliquot Feſtis diebus Chriſtifidelibus proponendum ſit.

AD conſtruendam religionem in homine Chriſtiano, ad fratres, & moniales. tomo primo. pag. 59
In feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ. tomo primo. 85
Pro eodem feſto alter ſermo. tomo primo. 97. & 111.
In Incarnatione Domini. tomo primo. 1, & 122
In Natiuitate Domini, de gaudio ab Angelo Euãgelizato. tomo primo. 134
In eadem ſollemnitate ſecunda pars. tomo primo. 141
De Hiſtoria et cauſa Natiuitatis. to. primo. 143
Ad idem ſecunda pars. tomo primo. 149
In feſto ſancti Ioannis Euangeliſtæ, de ſortibus ad quas cum Chriſto aſcendit. tomo primo. 152
In Circumciſione Domini, de nominis impoſitione. tomo primo. 167
In eadem ſollemnitate ſecunda pars. tomo primo. 175
In Epiphania Domini, de eius hiſtoria ſermo I. tomo primo. 181
Pro eadem ſollemnitate ſecunda pars. tomo primo. 191
In eadem ſollemnitate ſermo II. to. primo. 195

De Chriſti Ieſu ſapientia . tomo primo .pag. 204
De matrimonio & nuptijs . tomo primo . 215
Ad velandas moniales . tomo primo . 225
De mundatione ab hæreſi. tomo primo. 236
De Apoſtolorum fide, & noſtra . to.primo. 246
De vinea animæ . tomo primo . 258
In Conceptione B.Mariæ Virginis. to. primo. 32
In Purificatione B. Mariæ ſer. I . to. primo. 281.
In eadem ſollemnitate ſer. II . to. primo. 287
In feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis . tomo ſecundo . 151
In Aſcenſione Domini, de auxilijs nobis impenſis, & de hiſtoria feſti ſer. I. to. primo. 566
In eadem ſollemnitate, de noſtra Aſcenſione ſer. II. tomo primo . 582
In feſto Pentecoſtes. tomo ſecundo . 1
In feſto Trinitatis, de eius gloria.to.ſecundo. 18
De ſacramento Euchariſtiæ . to.ſecundo. 32
De miſericordia Chriſti . to. ſecundo. 81
In combuſtione hæreticorum.to.ſecundo. 92
In feſto S.Petri ad Vincula.to.ſecundo . 118
In feſto B. Mariæ Magdalene . to.ſecundo. 133
De Amore Dei,& proximi. to.ſecundo. 167
Pro capitulo fratrum trium votorum.to.2. 203
In depoſitione defuncti.to.ſecundo. 221
In feſto ſancti Matthæi. to.ſecundo. 247
In feſto ſancti Franciſci, de meditatione paſsionis.tomo ſecundo. 266
In feſto Stigmatum Sancti Franciſci.to. 2. 266
In feſto Apoſtolorum Simonis,& Iudæ.to.2. 341
In feſto omnium ſanctorum.to.primo. 533
De nomine Ieſu.tomo primo. 375
Pro Rogationibus,& Litanijs.to. primo. 381

INDEX

INDEX LOCA OMNIA E SACRIS BIBLIIS DESVMPTA, ATQVE INTERPRETATA ob oculos ponens.

EX LIBRO GENESIS.

2 NOMEN primi fluuij phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram.to. 1.pagina. 285

3 *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes. tomo* 1. 296

Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.tomo 1. 305. & 312.

4 *Egrediamur foras.Cumq. eſſent in agro, interfecit fratrem.to.* 1. 272

Genuitq. Adam Iabel,qui fuit pater habitãtium in tentorijs.to. 1. 510

8 *Portans ramum oliuæ virentibus folijs.to.* 1. 5

9 *Cœpitq.Noe vir agricola, &c.to.* 1. 21

14 *Egreſſus eſt rex Sodomorũ in occurſum Abrae, poſtquam reuerſus. tomo* 1. 435

18 *Loquar ad Dominũ cum ſim puluis & cinis. tomo* 1. 309

19 *Non potero facere quidquam to.* 1. 41

21 *Riſum fecit mihi Deus. to.* 1. 136

21 *Creuit igitur puer, & ablactatus eſt. to.* 2. 86

27 *Et pellibus colli nuda protexit.to.* 2. 82

32 *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. tomo* 1. 203.

41 *Tulitq. annulum de manu ſua,& dedit in manu eius. to.*1. 335

49 *Effuſus es ſicut aqua:non creſcas,quoniam aſcen-*

diſti cubile.to.2. 241
Simeon,& Leui vaſa iniquitatis bellantia. to.1. pag. 173
Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tua,& cetera.to.1. 473
50 *Pater tuus precepit nobis antequam moreretur, vt hac tibi,& cetera,tomo 1.* 331

Ex libro Exodi.

1 *Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptũ qui ignorat Ioſeph. tomo 1. pag.* 332,& 346
Venite,ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.to. 1. 355
3 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.to.2.* 25

Ex libro Leuitici.

16 *Cuius exierit ſors, Domino offeret illum pro peccato.to.1.* 160

Ex libro Numerorum.

19 *Colliget autem vir mundus cineres vacca, & effundet eos.to.1.* 315
22 *Cur tertio verberas me? tomo 1.* 9.& 10

Ex Libro Deuteronomij.

8 *Non in ſolo in pane viuit homo,ſed in omni quod egreditur to. 1.* 341
20 *Si qua autem ligna non ſunt pomifera,ſed agreſtia.to.2.* 100
21 *Si genuerit homo filium contumacem, qui non audiat patris.to.1.* 219
28 *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cælum.to.1.* 386
32 *Conſtituit ſuper excelſam terram: vt comederet fructus agrorũ. to.2.* 52
33 *Aſcenſor cæli, auxiliator tui.to.1.* 566.582.et 596

Ex Libro Iudicum.

1 *Aſcẽde mecum in ſortem meam. to. 1.* 152
7 *Cumq. per gyrum caſtrorum.to. 1.* 49
14 *Vidi mulierem de filiabus philiſtinorũ,quam quæſo.to.1.* 227

Ex ſecundo Libro Regum.

3 *Nõ deficiat de domo Ioab fluxum*

fluxum ſeminis ſuſtinens.to. 1. *pag.* 241

Ex tertio Libro Regum.

4 *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam.to.*1. 211
12 *Pater meus aggrauauit iugum veſtrum. tomo* 1. *pag.* 83
17 *Recede hinc, & vade. tomo* 1. 522

Ex ſecundo Libro Paralipomenon.

9 *Naues regis ibãt in Tharſis cum ſeruis Hiram. to.* 2. 58
26 *Cum corroboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius in interitum. to.* 1. 239

Ex libro Iudith.

10 *Vnde venis, aut quo vadis? to.*1. 66

Ex Libro Eſther.

2 *Non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit Egæus eunuchus. to.* 2. 287

Ex Libro Iob.

7 *Numquid mare ego ſum, aut cœtus. to.* 1. 86
9 *Tranſierũt ſicut naues poma portantes.to.*1. 254
13 *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum. tomo primo.* 532
14 *Lignum ſi præciſum fuerit, habet ſpem. to.* 1. *pag.* 487
15 *Quibus ſolis data eſt terra.to.* 1. 77
29 *Quis mihi det, vt ſim iuxta menſes priſtinos. to. primo.* 553
36 *Si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis, to.* 1 92
40 *Sub vmbra dormit in ſecreto calami.to.*1. 107

Ex Libro Pſalmorum.

3 *Tu es gloria mea: tu es ſuſceptor meus: tu exaltans caput meum. to. ſecundo.* 29
5 *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.to.*1. 430
18 *A ſummo cælo egreſſio eius: & occurſus eius*

vſque ad ſummũ eius. to. 1.pag. 593
21 Deus, Deus meus reſpice in me: tu autem in ſancto.to.1. 474
Deus, Deus meus quare me dereliquiſti. to. 2. 175,& 186.
25 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis to. 2. 385
26 Domin⁹ illuminatio mea, & ſalus mea.to.1. 171
33 Guſtate, & videte quoniã ſuauis.to. 2. 168
Inquire pacem, & perſequere eam.to.1. 327
34 Iudica Domine nocentes me:expugna impugnantes me.to. 1. 480
41 Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum.to.2. 298
44 Lingua mea calamus ſcribe, velociter ſcribentis. to.2. 271
Intende, proſpere procede, & regna: propter veritatem, &c.to.1. 445
Myrrha, & gutta,& Caſia a veſtimentis tuis. to.1. 147
Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato.to.2.pag. 166
Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.to. 1. 214
Filiæ Tyri in muneribus vultum deprecabãtur, omnes.to.1. 347
48 Diues cum obierit non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo.to.1. 357
56 Exurge gloria mea:exurge Pſalterium & cithara.to. 2. 29
59 Dediſti metuentibus te ſignificationem.to. 1. 73
Quis deducet me in ciuitatem munitam? etc. to. 1. 113
64 Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.to.2. 286
67 Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.to.1. pag. 480
Accepiſti dona in hominibus to. 2. 83
Regna terræ cantate Domino: pſallite Deo, qui aſcendit.to.1. 582
72 Fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. to. 1. 301
73 Signa noſtra non vidimus. to. 1. 48
74 Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.to.2. 195
75 Reddam tibi vota, quæ diſtinxerunt labia mea. to.

to. 2. pag. 205
79 *Vineam de Aegypto tranſtuliſti : eieciſti gentes, & plantaſti eam. tomo primo.* 258
80 *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. to. 2. pagina.* 284
87 *Longe feciſti notos meos a me: poſuerunt me abominationem ſibi. tomo primo.* 300
88 *Ponam in mari manum eius, & in fluminibus, &c. to. 1.* 429
90 *Nõ accedet ad te malum. to. 1.* 32
91 *Bene patientes erunt, vt annuncient: multiplicabuntur. to. 1.* 324
93 *Numquid adhaeret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem. to 2.* 252
96 *Alluxerunt fulgura eius orbi terrae: vidit, & commota eſt terra. to. 1.* 127
103 *Qui ponis nubem aſcenſum tuum; qui ambulas. to. 1.* 354
Exibit homo ad opus ſuũ. tomo 1. 89
109 *Dixit Dominus Domino meo : ſede a dextris meis. to. 2. pag.* 260
Dixit Dominus Domino meo : ſede a dextris meis, donec ponam. tomo 1. 536
111 *Diſperſit dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſaeculũ ſaeculi. t. 2.* 193
115 *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? to. 2.* 333
125 *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. to. 2.* 299
138 *Domine tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. tomo primo.* 454
143 *Emitte manum tuam de alto: eripe me de aquis multis. to. 2.* 236

Ex Libro Prouerbiorum.

13 *Lignum vitae deſiderium veniens. to. 1.* 544
24 *Septies enim cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent. to. 1.* 362
25 *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit da ei aquam bibere. tomo ſecundo.* 338
30 *Tria mihi ſunt difficilia. to. 2.* 151. & 203
Tria ſunt mihi difficilia, & quartũ penitus ignoro. to. 1. 159

Ex Libro Eccleſiaſtes.

1 *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. to. 1. pag.* 469

Ex Libro Canticorum.

2 *Sub vmbra illius quē deſideraueram ſedi, & fructus eius to. 1.* 55
Iam enim hiems tranſijt, imber abijt. to. 1. 545
3 *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, et cetera. to. 1.* 489
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula? to. 1. 393
4 *Veni coronaberis de cubilibus leonum, et de montibus pardorum. to. 1. pag.* 112
Surge aquilo, veni auſter, perſla hortum meum. to. 1. 537
5 *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum to. 1.* 549
Veniat dilectus meus in hortum ſuum, quia poma noua. to. 1. 48
6 *Quæ eſt iſta quæ progreditur. to. 2.* 150
7 *Dixi: Aſcendā in palmā et apprehēdam fructus. to. 1.* 438
8 *Ego murus, & vbera mea ſicut turris ex quo facta ſum. to. 1.* 34

Ex Libro Sapientiæ.

1 *In maleuolā animam non introibit ſapientia, nec habitabit to. 1.* 177
2 *Non ſit pratum per quod nō tranſeat luxuria noſtra. to. 1.* 103
8 *Cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. to. 1.* 64
18 *Cum quietum ſilentiū contineret omnia, & nox in ſuo curſu. to. 1.* 410
In veſte enim poderis quā habebat ſummus ſacerdos. to. 1. 210

Ex Libro Eccleſiaſtici.

15 *Qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam. tomo 1.* 165
18 *Cum conſummauerit homo, tunc incipiet. tomo primo.* 173
24 *Ego quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam. to. 2.* 144
Ego quaſi fluuius dorix, & quaſi

& quaſi aquaductus. tomo. 1. 164
In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.to.2. 92
27 Qui in altum mittit lapidem, ſuper eius caput cadet.to.1. 430
28 Homo homini reſeruat iram, & a Deo quærit medelam? to. 1. 330
34 Oculi Domini in diligentes ſe.to. 1. 321
Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ.to.1. 570

Ex Libro Iſaiæ.

1 Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.to. 1. 308
2 Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mōs domus Domini.to.1. 236
4 In ſpiritu iudicij, & in ſpiritu ardoris.to.2. 117
7 Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, in profundum inferni.to.1. 405
9 Lætabuntur coram te, ſicut qui lætātur in meſſe.to.2. 50
Paruulus natus eſt nobis. to. 1. 143
14 In Cælum aſcendam, & ſuper aſtra Dei exalta-bo ſolium meum. tomo primo pag. 433
Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo. tomo 1. 399
Paſcētur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent. to. 1. 62
16 Emitte agnum Domine dominatorem terræ. tomo 2. 380
22 Et erit in die illa, vocabo ſeruum Eliakim, &c. to. 2. 123
30 Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. to.1. 151
Erit lux Lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſemptempliciter. tomo primo. 460
Pauebit Aſſur virga percuſſus.to.1. 392
32 Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium. to.1. 396
38 Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas, &c. to. 1. 92
40 Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur. tomo primo. 122
41 Semē Abraam amici mei, in quo

in quo apprehendi te. tomo 2. pag. 238
42 *Dominus ſicut fortis egredietur. to. 1.* 21
46 *Confundamini, redite prævaricatores ad cor: recordamini prioris ſæculi to. 1.* 452
49 *Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ. to. 1.* 109
50 *Mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. to. 1.* 507

Ex Libro Ieremiæ.

6 *Extendam manum ſuper habitantes terram dicit Dominus. to. 2.* 178
8 *Pax, pax, et non erat pax. to. 2.* 194
15 *Si ſeparaueris pretioſum a vili. to. 1.* 36
17 *Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias, & cet. to. 1.* 336

Ex Libro Threnorum.

2 *In principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum. to. 2.* 140
3 *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt. to. 1.* 187
Noui diluculo, multa eſt fides tua. to. 1. 387

Ex Libro Baruch.

5 *Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes. to. 1.* 128
6 *Videte ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis. to. 1.* 497

Ex Libro Ezechielis.

17 *Aquila grandis magnarum alarũ, longo membrorum ductu. tomo 2. pag.* 159
22 *Inter ſanctum & prophanum nõ habuerunt diſtantiam. to. 1.* 460

Ex Libro Danielis.

2 *Videbas ita, donec abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus. to. 1.* 125
Cuius caput aureum, pectus argenteum, venter æneus. to. 2. 157

Ex Libro Oſee.

1 *Quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem*

guinẽ Iezrael ſuper domum Iehu.to.1. 525
10 *Diuiſum eſt cor eorũ, propterea interierunt. tomo* 1.*pag.* 154

Ex Libro Michææ.

2 *Congregatione congregabo Iacob. to.*1. 13
4 *Veniet poteſtas prima regnum filiæ. to.* 1. 1

Ex Libro Abacuc.

3 *Domine opus tuum in medio annorum. to.* 1. 52
Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus. tomo 1. 140

Ex Libro Sophoniæ.

1 *Et erit in tempore illo, & cet. to.* 1. 19

Ex Libro Aggæi.

2 *Hæc dixit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum. to.* 1. 524

Ex Libro Zachariæ.

9 *Exulta ſatis filia Sion: iubila filia Ieruſalem. to.* 1.*pag.* 139
13 *Quæ ſunt plagæ iſtæ, & cet.to.*1. 15

Ex Libro Melachiæ.

3 *Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam. tomo* 1. 108

Ex Libro Machabæorum primo.

4 *Aſcendamus nunc mundare ſancta. to.* 1. 71

Ex Libro Machabæorum ſecundo.

3 *Ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe. tomo* 1. 400

Ex Euangelio Matthæi.

2 *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.to.*1. 181
4 *Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum.to.* 1. 337
5 *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Diliges, & cet. Ego autem, & cet. tomo* 1.*pag.* 323

6 Nemo

6 *Nemo poteſt duobus domi nis ſeruire.to.2.pag.216*
7 *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autē ſunt lupi rapaces.to.2.* 92
8 *Quid timidi eſtis modicæ fidei? to.1.* 246
Ecce leproſus veniens adorabat eum.to.1. 238
9 *Filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam. tomo.2. pag.* 358,& 370
11 *Cum audiſſet in vinculis Ioannes opera Chriſti: mittens duos. to.1.* 85
Tu es qui venturus es, an alium expectamus? tomo 1. 97
15 *Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis. to.1.* 359
16 *Tibi dabo claues regni cælorum.to.2.* 18
18 *Oportuit et te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum.to.2.* 317
Redde quod debes. tomo 2.pag. 329
21 *Ecce Rex tuus venit tibi. tomo 1. 1.& 16.& 31. 46,& 59.*
Ecce rex tuus venit tibi. tomo 1. 444
22 *Ecce prādium meum parani, venite.to. 2.* 32
Ecce prādium meum parani.to.2. 281
24 *Qui legit, intelligat. tomo 2. pag.* 382
26 *Vigilate, & orate mecum: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.to.2.* 344

Ex Euangelio Marci.

8 *Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me.to.2.* 81
15 *Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus.to. 1.* 439
16 *Veniunt ad monumentum orto iam ſole. to.1.* 469
Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis Ieſus.to.1. 600

Ex Euangelio Lucæ.

1 *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.to. 1.* 534
Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem. to.1. 403
2 *Euangelizo vobis gaudiū magnum, quod erit omni populo.to.1.* 134
Poſtquā conſummati ſunt dies

dies octo.to.1.pag. 167
Nunc dimittis ſeruum tuũ Domine ſecundum verbum tuum.to.1. 287
Ieſus proficiebat ſapientia. to.1. 204
5 Duc in altum.to.2. 58
Fecit ei conuiuium magnum in domo ſua. tomo 2. pag. 247
7 Ecce defunctus efferebatur.to.2. 221
Cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Phariſæi. tomo 2. 133
8 Exijt qui ſeminat ſeminare. to. 1. 269
Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui corde bono.to. 1. 281
Coſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas.to.1. 291
10 Diliges dominum Deum, & proximum tuum ſicut teipſum.to.2. 167
11 Propter improbitatem tamen eius ſurget, &cet. to. 1. 371
Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis. to.1. 381
Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.to.1. 392
Loquente Ieſu ad turbas extollens vocẽ quædam mulier.to.1.pag. 365
Beatus venter qui te portauit. to.1. 401
14 Apprehenſum ſanauit eũ, ac dimiſit.to.2. 231
15 Imponit in humeros ſuos gaudens.to.2. 45
16 Erat diues qui habebat villicum.to.2. 103
17 Nõne decẽ mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? tomo 2. 281
Hic erat Samaritanus.tomo 2. 192
21 Erunt ſigna in ſole. tomo 1. pag. 71

Ex Euangelio Ioannis.

1 Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.to. 1. 111
2 Vocatus eſt Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. tomo 1. 214. & 225
4 Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. tomo 2. pag. 292. & 304
6 Hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundũ to. 1. 415
8 Suſtulerunt lapides Iudæi, vt iacerẽt in Chriſtum. tomo 1. 431.

10 *Ego ſum paſtor bonus. tomo 1. pag.* 508
16 *Expedit vobis vt ego vadam. to. 1.* 545
Modicum & iam non videbitis me. to. 1. 519
Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum, to. 1. 555
Gaudebit cor veſtrum. tomo 1. 533
18 *Quem quaritis? to. 2.* 345
20 *Noli me tangere. tomo 1. pag.* 251
Oſtendit eis manus. tomo 1. pag. 494

Ex Actibus Apoſtolorum.

15 *Cum autem veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia. to. 1.* 121

Ex Epiſtolis B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

4 *Chriſtus mortuus eſt propter peccata noſtra. to. 1. pag.* 491. & 584
6 *Stipendia peccati mors. tomo 1.* 443

Ex Epiſtolis. 1. Corinth. 1.

12 *Operatur vnus atque idẽ ſpiritus. to. 2.* 3
15 *Portemus imaginem cæleſtis. to. 2. pag.* 341

Ex Epiſtolis ad Galatas.

6 *Mihi mundus crucifixus eſt. to. 2.* 266

Ex Epiſtolis ad Epheſios.

3 *Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabũdanter. to. 2.* 89

Ex Epiſtolis ad Philippen.

2 *Humiliauit ſemetipsũ Dominus Ieſus Chriſtus. to. 2.* 207

Ex Epiſtolis ad Coloſſen.

3 *Si conſurrexiſtis cũ Chriſto. to. 1.* 485

Ex Epiſtolis ad Timoth.

4 *Pietas ad omnia valet. tomo 1.* 321

Ex Epiſtolis ad Hebræos.

5 *Et quidem cum eſſet Filius Dei didicit ex his quæ paſſus eſt. tomo 1. pag.* 212

6 *Chri-*

6 *Christus heri, & hodie: to.2. pag.* 376

Ex Epiſtolis B. Iacobi.

5 *Patientes igitur eſtote vos, & confortate corda veſtra.to. 1.* 91

Ex Libro Apocalypſis B. Ioannis.

1 *Dilexit nos, & lauit nos. to. 1.* 459

3 *Ecce dedi coram te oſtium apertum to.1.* 42

Ego ſto ad oſtium, & pulſo.to.1. 90

Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, & cetera. to. 1. 364

8 *Factum eſt ſilentium in cælo quaſi dimidia hora.to. 1.* 397

18 *Sedeo regina, & vidua non ſum: luctum non video.to. 1.* 444

22 *Oſtendit mihi angelus fluuium aquæ viuæ, ſplendidum.to.2.* 12

INDEX

INDEX RES INSIGNIORES, ET NOTATV DIGNAS

In duobus Tomis contentas complectens.

A

ABNER quid. to. 1. pag. 241
Abraam dum onerat filium, Chriſtum onerádũ ſua cruce ſignificat. to. 1. 56
Abſolutio quibus detur. to. 1. pag. 504
Abſtinentia moderata iuuat, immoderata nocet. to. 1. 340
Accidia eſt lepra. to. 1. 241
Accipit Deus dona, quæ dat. to. 2. 83
Actus exterior nihil addit ad actum interiorem. to. 2. 170
Adam quid. to. 1. 511
Adam & Chriſtus cur prius de gula tentati. to. 1. 356
Adam noluit panem ſed pomum. to. 1. 420
Adimpletio legis eſt quarta ratio circumciſionis. tomo 1. pag. 172
Adoleſcens qui dicatur. tomo 2. pag. 227
Adorare plus eſt quàm laudare. to. 1. 474
Adoratio eſt cultus ſoli Deo debitus. to. 1. 194
Adoratio eſt aſcenſio mentis in Deum. to. 1. 354
Adulatio quibus ſe veſtiat. tomo 1. 108
Adulatores vbi maneant, & quare ſic dicti. to. 1. 108
Auditus quo modo fiat. to. 1. pag. 279
Aduentus primus in carnem. to. 1. 2
Aduentus quattuor iuxta quattuor Dominicas. to. 1. 2
Aduẽtus regis Dei multiplex. to. 1. 18
Aduentus Chriſti in mundum duplex. to. 1. 86
Aduentus Chriſti quintuplex. to. 1. 115
Aduentus in anima duplex. to. 1. 131
Aduentus expectatio. to. 1. 546
Ægrotus nimis timet ſolis occaſum. to. 1. 584
Ægyptus interpretatur tenebræ. to. 1. 177
Ætas Chriſti in deſcenſu ad inferos. to. 1. 337
Affectus noſter eſt vinculum. to. 1. 88
Ager Spiritus ſancti eſt Maria. to. 1. 269
Agnus Dei Deum ſatiat. to. 2. pag. 35

Aioth

Aioth quid.to. 1.pag. 490
Alæ duæ.to. 1. 64
Alexander quare noluerit videre filias Darij.to.1. 351
Alexandri magni liberalitas. to. 1. 555
Aliquid quæritur tripliciter. to. 1. 383
Aliquis quot modis mundetur a peccato.to. 2. 189
Alphabeticum panegyricū B. Mariæ.to. 1. 129
Altercatio fingitur vbi non eſt. to. 1. 227
Altitudo filij eſt æqualitas paterna.to. 1. 432
Amara ſicut dulcia ſunt communia inter amicos. to. 1. pag. 161
Amare Deum in ſe eſt amare ſe.to. 2. 173
Amare præſtat amari.to.1. 558
Amanti nihil difficile.tomo 1. pag. 324
Amantium gradus.to.1. 598
Ambitionis mala.to.1. 591
Amici nomen conualeſcere facit infirmum.to.1. 179
Amici de quo ſint faciendi.tomo 2. 112
Amicorum omnia communia. to.1.153.& to. 2. 307
Amphora eſt auaritia. tomo 2. pag. 251
Amorrhæus quid.to.1. 266
Amor maior maiora facit conferre dona.to.1. 1
Amor gloriam diſponit. to.1. pag. 193
Amor nolendo vult. to.1. 226
Amor inimicorum difficilior omnibus.to.1. 322
Amor inimicorum eſt iuſtitia apud Deum.to.1. 330
Amor deſidiam neſcit. to. 1. pag. 362
Amor ſolus recte reſpondet.tomo.1. 365
Amor Dei qualis ſit.to 1. 185
Amor omnia perficit & complet.to. 2. 8
Amor eſt reſpiratio noſtra. tomo 2. 9
Amor & opus amoris idem. to.2. 170
Amor eſt velle alicui bonum. to. 2. 170
Amor complacentiæ & deſiderij.to. 2. 171
Amor exhibitus animæ Chriſti. to. 2. 285
Amor Chriſti omnes præuenit to. 2. 289
Amoris veri qualis proprietas. to. 1. 151
Amoris ſtella melior ſtella Magorum.to.1. 192
Amoris ſol eſt oculus Dei. tomo 1. 327
Amoris diffinitio.to.1. 326
Amoris beneficia.to.2. 245
Angeli quare miſsi in Sodomam.to. 1. 65
Angeli adorabantur ab hominibus ante aduentum Chriſti, ſed non poſtea.to.1.229
Angeli ſunt ignis.to. 1. 307
Angeli carent lingua. tomo 1. pag. 398
Angeli hominibus parent. tomo

mo I. pag. 559
Angeli nō ſentiunt abſentiam Chriſti. to. 2. 39
Angelorum miniſteria. tomo I. pag. 353
Angelorum cœtus, & beatorum ſunt duo diſcipuli. tomo I. 26
Angelus eſt nomen naturæ. tomo I. 109
Animalia quattuor in nocte gaudentia. to. I. 561
Animalia per Franciſcum libertati reddita. to. 2. 274
Animalium vita cur non dicatur via. to. 2. 88
Anima humilis eſt aſina. tomo I. 68
Anima & ſpiritus Mariæ in quo gaudeant. to. I. 140
Anima Chriſti habet pro ſpeculo Verbum Dei. to. I. 208
Anima quare vnita corpori. tomo I. 309
Anima ſine Deo eſt ignis ſine calore. to. I. 309
Anima eſt filia Sion. to. I. 455
Anima plus eſt vbi amat, quàm vbi animat. to. I. 576
Anima dicitur cælum. tomo I. pag. 605
Anima & caro ſunt duo mulieres. to. 2. 371
Anima amica, & ſponſa altiſsimi. to. 2. 385
Animæ omnium Chriſto ſunt præſentandæ. to. I. 91
Animæ tripartitum regnum. tomo I. 198
Animæ egreſſus duplex. tomo I. pag. 365
Animæ Chriſti gaudium. tomo I. 537
Animæ medium ſolum Deus tranſit. to. 2. 196
Animæ lingua duplex. tomo 2. pag. 167
Animæ fluctuatio quadruplex. to. 2. 223
Animum nullus hominum impedire poteſt. to. I. 98
Annus niuium annus fertilis. to. I. 17
Apoſtoli miſsi ſunt Elias, & Enoch. to. I. 25
Apoſtoli in iudicio erunt aſſeſſores. to. I. 29
Apoſtoli in iudicio quo modo ſedebunt ſuper totum mundum. to. I 29
Apoſtoli ſunt barba Chriſti. to. I. 178
Apoſtoli cur non capiant Chriſtum de morte loquentem. tomo I. 292
Apoſtoli mittūtur ſicut vulpes Samſonis. to. I. 323
Apoſtoli hæreticorum punitores. to. 2. 101
Apoſtoli aſtant funeri Mariæ. to. 2. 162
Apoſtolorum dignitas. tomo 2. pag. 17
Apoſtolorum gaudiū vnde cauſetur. to. I. 504
Apoſtolorum metus. to. I. 584
Apoſtolorū præparatio ad Spiritum ſanctum. to. 2. 15
Aqua tranſiēs per Chriſti vulnera valde vtilis. to. I. 317

Aquarius quid.to.1. 84
Aquarius ideſt mundator. tomo 1. 484
Aquila inferior homine,& acutius videt.to.1. 212
Arca deifera dicitur Maria. tomo.1. 44
Arcam tranſire per ſiccũ quid. to.1. 122
Architriclinus tenet figuram Patris æterni. to.1. 223
Ariel interpretatur altare. tomo 1. 486
Aries quo modo ſit Chriſtus. tó.1. 80
Aries dicitur mitis dux. to.1. pag. 472
Arrogãtium ſpecies quattuor. tomo 2. 147
Arundo eſt proſperitas mundi. tomo 1. 107
Aſcende calue quid contineat. to.1. 249
Aſcenſio eſt ineffabilis.tomo 1. pag. 580
Aſcenſionis impedimenta. tomo 1. 592
Aſcenſionis hiſtoria.to. 1. 577
Aſella eſt quærenda ad iter agendum.to.1. 15
Aſſertiua locutio qualis ſit. tomo 1. 102
Aſina dicitur pluſquam propheta.to.1. 9
Aſina dicitur humanitas Chriſti. to. 1. 10
Aſina quare dicatur ligata. tomo 1. 11
Aſina ligata quæ ſit.to. 1. 27
Aſina cauet nociuis, quibus nõ cauet peccator.to. 1. 452
Aſina, & pullus quid. tomo 1. pag. 67
Aſina eſt anima peccatoris. tomo 1. 452
Aſini non comederent, niſi boues ararent. to.1. 420
Aſſuerus quid.to. 2. 287
Aſſumptio ſoli conuenit Mariæ.to. 2. 164
Aſſumpſit eum diabolus quo modo legendum.to. 1. 348
Aſſur quid. to.1. 392
Attendite quæſo quis dolor, ſic legendum eſt.to.1. 145
Auaritia eſt lepra. to. 1. 240
Auaritia eſt ſpinoſa.to. 1. 278. & eius remedia. 279
Auaritia cõtagioſa infirmitas. to.2. 324
Auari derident paupertatem Chriſti.to. 2. 22
Auari impietas triplex. tomo 2.pag. 251
Auarorum cupiditas omnibus deterior.to.1. 265
Audientes vocem, & nihil videntes, quid dicant. tomo 1. pag. 54
Auditores quibus ſint ſimiles. to. 1. 280
Auditus bonus dijudicat falſum.to. 2. 94
Aues & turturæ oblatæ quid ſignificent.to.1. 287
Auguſtinus trahitur per ſapientiam.to.1. 182
Auguſtinus maximus pater. tomo 2. 365
Auicenna dixit,in ſe & in amico

co eſſe vnam animam. tomo 1.pag. 154
Aures habentes, nec audientes ſunt ſimiles canibus. tomo 1. 279
Aureola in virginibus in quo fundetur. to. 2. 51
Aurum optimum quale ſit. tomo 1. 310
Auxilia Chriſti duodecim. tomo 1. 571

B

BAbilon quid. to. 1. 3
Balaam interpretatur inueteratus. to. 1. 10
Balthaſar tertius rex, eſt memoria. to. 1. 200
Baptiſma duplex. to. 1. 131
Baptiſmi aqua fit vinum. tomo 1. 223
Baptiſmus triplex. to. 1. 603
Baptiſmus quotuplex. tomo 1. pag. 603
Baptiſta originaliter tantum creditur peccaſſe. to. 1. 118.
Beati cur non triſtentur ex peccato. to. 1. 563, & 564
Beatitudinis duplex pars. tomo 1. pag. 397
Beatitudinis exclamatio. tomo 1. pag. 565
Beatitudinis appetitus naturalis. to. 2. 310
Benedictio Sem, & Iaphet expreſsit benedictionem Chriſti. to. 1. 23
Benedictio Ioannis, & maledictio qualis. to. 1. 108
Benedictionis differentia inter Iacob, & Eſau. to. 1. 240
Beſtia quando ſit inſipientibus ſapientior. to. 1. 10
Bethlehem duplex. to. 1. 198
Bethlehem dicitur domus panis. to. 1. 426
Bethania dicitur domus Cantici. to. 1. 17
Bethaniæ interpretatio. tomo 1. pag. 2
Betphage dicitur vetus teſtamentum. to. 1. 6
Blanditijs capiuntur homines & aues. to. 1. 7
Boni a malis quo modo cognoſcantur. to. 1. 185
Boni ad iudicium eunt eundo. to. 2. 322
Bonitas Spiritus ſancti quibus communicetur. to. 1. 409
Bonus quocumque tendat, ad Patrem vadit. to. 1. 551
Bos & aſina ſignant extrema prudentiæ. to. 1. 500
Bos in homine ſignificat animam. to. 2. 237
Brauium, ſignum, & vexillum eſt Chriſtus. to. 1. 290
Butyri & mellis mentio quare fiat in incarnatione. tomo 1. pag. 210
Butyrum & lac quid notent. tomo 2. 56

C

CAlceamenta Filij Dei quæ ſint. to. 1. 113
Calceamenta quid ſignificent. tomo

tomo 1. pag. 121
Calceamenti ſolutio cui conueniat. to. 1. 116
Calceamentum quotuplex tomo 1. 115
Calix eſt potior antiquis ſacramentis. to. 2. 37
Calix in manu Domini triplex. to. 2. 195
Cana interpretatur zelus. tomo 1. 216
Cancer erit Chriſtus ſegregatus a peccatoribus. to. 1. 81
Cancer ideſt retroceſsio. to. 1. pag. 473
Canis & catelli differentia. tomo. 1. 369
Canis habet gratiam inueniendi. to. 1. 386
Capharnaum eſt paradiſus voluptatis. tomo 2. pag. 299. & eſt humanitas Chriſti. tomo, 2. 300
Capilli Magdalene quibus proficiant. to. 1. 242
Capilli Marię Magdalene quales. to. 2. 143
Capricornus erit in Chriſto per imperialem potentiam. to. 1. 84
Capricornus, ideſt luxuriæ deditus. to. 1. 483
Caput eſt mentis intentio. tomo 1. 318
Carcer iuſtum non opprimit. to. 1. 98
Caro eſt aſina, & pullus anima. to. 1. 38
Carith quid. to. 1. 522
Caſia ſignificat humilitatem. tomo 1. 147
Caſtitas deſtruitur, ſi pœnitentia non munitur. tomo 2. pag. 205
Caſtitas religioſi quæ ſit. to. 2. pag. 218
Caſtitas quo modo acquiratur. to. 1. 276
Caſtellum eſt Crux. to. 2. 185
Caſtri officium multiplex. tomo. 1. 8
Caſtrum ex quattuor mirabile apparet. to. 1. 8
Caſtrũ exponitur triplici periculo. to. 1. 8
Caſtrum poteſt capi triplici via. to. 1. 8
Caſtrum habet tria mala. tomo 1. 27
Caſtrum fuit Ioachin & Anna. to. 1. 38
Caſtrum triplex. to. 2. 196
Cauſidici ſunt ſimiles piſcatoribus. to. 1. 557
Caſus eſt magis in proſperis, quàm in aduerſis. to. 1. 7
Catena vitiorum. to. 1. 176
Catena quid. to. 1. 92
Catonis dictum de ira. tomo 1. pag. 241
Chaldæi quid. to. 2. 177
Chanaam ſecundum Iſidorum quid. to. 1. 22
Chananæus quid to. 1. 265
Charitas eſt ſignum diſcipulorum Chriſti. to. 1. 105
Charitas ſubuenit ſermoni Mariæ. to. 1. 291
Charitatis, ignisq. comparatio. to. 1. 567

Cæcitas intellectus eſt primũ vinculum.to.1.pag. 87
Cæcus multa vidit in Chriſto. to. 1. 293
Cedrinum lignum adducitur in combuſtione vaccæ. tomo 1. pag. 163
Cedrinum lignum ſpem reſurrectionis denotat.to.1. 245
Cæli locutio quæ ſit.to.1. 91
Cęlum quare dicatur diuinitas.to. 1. 568
Cælum dicitur diuinitas. tomo primo. 433
Cæſar vnde dicatur.to.1. 130
Cæſaris ſub imperio cur numerentur tot principes. tomo 1. 131
Cherub aptior ad videndum Deum quàm Seraph. tomo 1.pag. 157
Cherubim accendentes, & incendentes dicuntur. tomo 1. pag. 119
Chriſtiani nomen quis fruſtra ſortiatur.to.1. 180
Chriſtianus in anguſtijs, manens Chriſtianus, ſemper vincit.to.1. 30
Chriſtianus dum concionatur, eſt propheta.to.1. 415
Chriſtianus malus eſt hypocrita.to.1. 412
Chriſtianus quæ debeat facere.to.2. 320
Chriſtianus vnde dicatur. tomo 2. 378
Chriſti altitudo quadruplex. to. 1. 431
Chriſti nomina. to.1. 441
Chriſti reſponſio ad diſcipulos Ioannis.to.1. 94
Chriſti pondus vulnerat animam, & coronat.to. 1. 69
Chriſti oblatio munda eſt. tomo 1. 456
Chriſti ætas cum deſcendit ad inferos.to.1. 337
Chriſti ratio pro accipienda vxore.to. 1. 228
Chriſti aduentus in mundum duplex.to.1. 86
Chriſti oratio in horto erat portionis ſuperioris.tomo 1. pag. 378
Chriſti ſextum opus quale. tomo 1. 92
Chriſti ſanguis quinquies effuſus.to.1. 289
Chriſti fortitudo cruce claret. tomo 1. 475
Chriſto nato omnia deferunt gloriam.to.1. 148
Chriſtum ante Ioannem factum quo modo intelligatur.to.1. 2
Chriſtum ire ad crucem expedit omnibus.to.1. 554
Chriſtus ex quo loco aſcenderit.to. 1. 24
Chriſtus ex multis facit vnum cor.to.1. 154
Chriſtus ſi nõ eſſet Filius Dei, ex modo conceptionis eſſet mundus.to. 1. 460
Chriſtus ſuper cor, & lumen ſuper lucernam. to. 1. 600
Chriſtus eſt columba.to.1. 5
Chriſtus multipliciter ſtat in medio.to.1. 501

Chriſtus quare non conuerterit lapides in panem. tomo 1.pag. 344
Chriſtus cur ſero apparuerit Apoſtolis.to.1. 498
Chriſtus in cruce omnia depredatur.to.1. 479
Chriſtus eſt arca Dei. tomo 1. pag. 437
Chriſtus propter matrem omnes ſalutat.to.1. 402
Chriſtus duplici iure habet regnum Dei.to.1. 414
Chriſtus gladio euaginato inferos confregit.to.1. 481
Chriſtus ditat pauperem. tomo 1. 228
Chriſtus an deſcendet ad terram in iudicio.to. 1. 23
Chriſtus quo modo ducatur in pinnaculum.tō.1. 349
Chriſtus numquam auertit faciem.to. 1. 302
Chriſtus honorat nuptias ſuorum.to.1. 215
Chriſtus an eſſet mortuus morte naturali.to. 1. 407
Chriſtus ſoli peccatori naſcitur.to.1. 150
Chriſtus quare iacuerit in ſepulchro vno die, & duabus noctibus.to.1. 113
Chriſtus quare circumcidatur. to.1. 170
Chriſtus rex fortior dæmone. to.1. 410
Chriſtus eſt nomen ſacramenti.to. 1. 178
Chriſtus in ſe non eſt propheta.to. 1. 415
Chriſtus quando ceſſat loqui. to.2. 66
Chriſtus vtitur dæmone aliquando in conuerſione peccatoris.to. 1. 66
Chriſtus latet ſub forma leproſi.to.1. 523
Chriſtus interpretatur vnctus. to.1. 65
Chriſtus natus eſt, & non infans.to. 1. 13
Chriſtus ſuperior Patriarchis. to. 1. 434
Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit comprehenſor. tomo 1. 13
Chriſtus rector ſtellæ. tomo 1. pag. 188
Chriſtus cur primo venit ad Mariam.to.1. 49
Chriſtus aſſumit infirmitates, vt gallina.to.1. 213
Chriſtus eſt catulus, lææna & leo.to.1. 477
Chriſtus cur venerit ſedens. tomo 1. 12
Chriſtus poteſt vocari Iudas. tomo 1. 474
Chriſtus quare tentari voluerit.to. 1. 347
Chriſtus cur noluerit lapidari. to.1. 435
Chriſtus multoties a ſe exiuit. tomo 1. 271
Chriſtus eſt aquila fortis. tomo 1. 574
Chriſtus quibus naſcatur. tomo 1. 151
Chriſtus naſcens & moriens eſt rex. to.1. 333

Digitized by Google

Chriſtus accepit medicamina noſtræ infirmitatis. tomo 2. pag. 300
Chriſtus moritur, vt peccator viuat.to.2. 334
Chriſtus quo modo dicatur hoſtia & peccator. to.2. 51
Chriſtus qualiter venit ad morientes.to.2. 394
Chriſtus operit peccatoris nuditatem. to.2. 47
Chriſtus tranſit vt medicus, ſponſus, paſtor & magiſter. to. 2. 250
Chriſtus eſt petra ſuper quam ignoratur via colubri. to. 2. pag. 155
Chriſtus velum & Eccleſiæ malum. to. 2. 60
Chriſtus dicitur regnum cælorum.to.2. 119
Cibus grandium eſt Deus. tomo 2. 86
Cibus animæ eſt Chriſtus. tomo 2. pag.284. & eſt triplex. pag. 296
Cineres ſunt gloria Chriſti. tomo 1. 305
Cineres quare non fiant ex omni ligno.to. 1. 312
Cineris & pulueris differentia. tomo 1. 306
Cinis ſignificat pœnitentiam. tomo 1. 318
Cinis bonus & malus.to.1.314
Cinis ad quid valeat.to.1.311
Circumciſio erat ſignum quòd circumciſus neceſſe habuit mundari.to. 1. 172
Circumciſio Chriſti quadruplex.to. 1. pag. 173
Circumciſio eſt contra luxuriam. to. 1. 174
Circumciſionis dies tria continet.to. 1. 168
Cithara, vbi tangatur, vt dulcem faciat ſonum.to.2. 371
Clamor turbarum qualis fuerit.to. 1. 56
Claritas Saluatoris in quibus reſplenduerit. to.1. 51
Clauigero tria neceſſaria. tomo 2. 125
Clericorum notitia in quo notetur to. 2. 178
Cogitatio nulla amarior quàm inimicorum.to.1. 328
Cognoſcendi modus quintuplex.to. 2. 136
Colles ſunt Angeli in circuitu montium.to.1. 126
Color vilior qui fit.to.1. 310
Coluber eſt luxuria.to.2. 204
Columba eſt Chriſtus.to.1. 5
Comedere oportet quæ comedit Chriſtus.to.2. 369
Comedias noluit videre quidam niſi in ſpeculo.tomo 1. pag. 208
Comeſtio indigentiæ, & potentiæ.to.1. 527
Communicatio Dei ad animá. tomo 1. 156
Communionis præparatio. tomo 2. 39
Comparatio mortis Chriſti. to. 1. 525
Conceptio parturit miſericordiam.to.1. 32
Concioni inuoluntarie aſsiſtẽs quid

quid faciat.to. 1. 161
Concionator euangelicus qualis.to. 1. 606
Conditiones boni nuncij. tomo 1. 135
Confeſsio cui ſit facienda. tomo 1. 449
Confeſsio lacrymis indiget. to. 1. 449
Confeſsionis diffinitio. tomo 1.pag. 449
Confeſſor quare ſic dictus. tomo 1. 96
Conformitas prima ratio circumciſionis. to. 1. 169
Confuſio quid faciat in fratre. to. 2. 214
Conſolatio Chriſti ad Ioannẽ Baptiſtam.to.1. 95
Conſuetudo habet vim legis. to. 2. 97
Conſummatio matrimonij eſt mors. to. 1. 231
Contritio dicitur vox turturis, & columbæ. to. 2. 201
Contumelia illata probat virum.to.2. 53
Conuiuis nulla eſt cura de potu.to.1. 219
Conuiuium multiplex.tomo 2. pag. 254
Cophini ſignificant dona. tomo 1. 429
Correctio fraterna quo modo facienda.to.2. 73
Corigiæ ſolutio, & apertio cui reſeruetur.to. 1. 120
Corpus dicitur carcer.tomo 1. pag. 87
Corpus ſine anima, & mundus ſine Deo moritur. tomo 1. pag. 422
Coruina vox eſt nigra & infernalis.to.2. 376
Creans te ſine te, non ſaluabit te ſine te.to.2. 280
Creatio tribuitur Patri. tomo 2. pag. 20
Creatura quo maior plus indiget Deo.to.1. 560
Creaturæ omnes sũt verba quæ ad Deum loquuntur. tomo 1.pag. 90
Crucis altitudo qualis. tomo 1. pag. 438
Crucis via expedit ob multa. to. 1. 554
Crucis ſignum quorum ſit diſtinctio.to. 2. 89
Crucis clauis datur Petro. tomo 2. 124
Crux eſt ſors hircorum. to. 1. pag. 160
Crux non tenet Chriſtum, ſed econtra.to. 1. 475
Crux triplex.to.2. 80
Crux & claui dulces, & mucro crudelis quare dicantur. tomo 2. 337
Crux Chriſti vbi poſita. tomo 2.pag. 380

D

DAlida dicitur ſitula. tomo 1.pag. 59
Daniel interpretatur iudicium Dei.to. 2. 385
Danielis ſtatua Lutherus. tomo 1. 125

Dare

Digitized by Google

Dare libertas, accipere ſeruitus eſt.to.1. pag. 557
Dare melius quàm accipere. to.1. 558
Datio Dei duplex. to.2. 234
Dauid interpretatur dilectus. to. 1. 191
Demoniacus triplex.to.1. 405
Dæmones cur non ſanentur. to. 2. 239
Dæmonis mala conſequentia in tentatione Chriſti. tomo 1.pag. 338
Dæmon capit peccatores triplici modo.to.1. 8
Dæmon caſtigatur pœna talionis.to.1. 475
Dæmon poteſt perſuadere, ſed non præcipitare.to. 1. 350
Dæmon quare dixit: Mitte te deorſum, & non: Aſcende cælum. to. 1. 350
Dæmon tentat occaſione accepta.to.1. 337
Dæmon eſt loquax.to.1. 195
Dæmon quare ſit mutus, aperitur.to.1. 399
Dęmon an Chriſtum cognouerit.to.1. 341
Dæmon eleuat, vt deijciat. tomo 1. 592
Dæmon ac Deus piſcantur in mundo.to. 2. 67
De diuiſis ad coniuncta peſsimus arguẽdi modus.to.2. 9
Debitores ſunt intellectus & voluntas. to.2. 116
Debita noſtra multiplicia. tomo 2. 330
Debitores duo qui ſint.tomo 2. pag. 135. & 148
Deceptio ex quibus proueniat. to.1. 107
Deitas & humanitas vnum ſuppoſitum. to.1. 4
Dei improbatio eſt ipſius laudatio.to. 1. 311
Dei mobilitas & noſtra. tomo 1.pag. 362
Dei amor inextinguibilis.to.1. pag. 327
Dei ad animam communicatio.to. 1. 156
Dei labia ſunt eſſentia & intellectus.to.1. 3
Dei aduentus ad humanitatẽ. to.1. 1
Dei egreſſus duplex.to.1. 361
Dei firmitas ex quo cognoſcatur.to. 2. 6
Dei ſubſtitutio dæmonum eſt vita.to. 2. 29
Dei & mundi differentia in præmiando. to. 2. 105
Deo viuunt animata, & inanimata.to. 1. 197
Deo ſeruiendum eſt vtroque humero. to. 1. 70
Deo ſeruienti omnia ſubſunt. to.2. 309
Deum eſſe eſt vox naturæ. tomo 2. 7
Deus cur ſe det hominibus. tomo 1. 543
Deus quo modo deſcendat ad animas iuſtificandas. to. 1. pag. 445
Deus quo modo videat bonos & malos.to.1. 20
Deus quo modo loquatur creaturis

turis,& alijs rebus. tomo 1. pag. 220
Deus opus habet noſtra miſeria. to.1. 52
Deus ante incarnationem quo modo in ſe tenebat pacem. tomo 1. 3
Deus quando ſe incuruauit. tomo 1. 11
Deus etiam non orantes exaudit. to.1. 374
Deus dedit membra ad ſeruiendum inimicis. to. 1. 325
Deus plus eſt hominis quàm alia res. to.1. 542
Deus ſolus deſideratur in extremis. to 1. 93
Deus tria legitur feciſſe iudicia. to.1. 26
Deus ſufficit tibi, ſufficias tu Deo. to. 1. 590
Deus quando non reſpondeat. to.1. 368
Deus quibus modis acquiratur per Mariam. to.1. 33
Deus in creatione rerum a ſe exceſsit. to. 1. 360
Deus duobus modis agit. tomo 1. pag. 17
Deus quare comparetur Soli. to. 1. 327
Deus ante præmium punit. tomo 1. 34
Deus ante incarnationem tenebat oculos clauſos. to.1. 423
Deus eſt omnia. to. 2. 38
Deus facit omnia inquantum vnus. to.2. 22
Deus quo modo ſit in hoſtia. to. 2. 39
Deus quo modo ſit vbique. tomo 2. pag. 27
Deus ſufficiat tibi, & ſufficias tu Deo. to. 2. 316
Deus quare dicatur Phares. tomo 2. 133
Deus eſt extra omnia, et non excluſus. to.2. 28
Deus delectatur in miſericordia. to. 2. 82
Deus creans nos, explicuit ſe. to.2. 23
Delbora docebat populū quia prophetiſſa. to.1. 141
Delectatio peccati modica. tomo 1. 529
Denarius numerus quid deſignet. to.2. 198
Deprecatio efficacior quæ ſit. to. 2. 327
Deſcenſio, & aſcenſio aquæ æqualis. to.2. 12
Deſcenſus ad inferos duplex. to. 1. 101
Deſcenſus Chriſti humilis. tomo 2. 312
Deſperatio cadit in tentatos. to. 1. 369
Deſtro brachio miranda peragimus. to.1. 105
Deuotio deſignatur in auro. to.1. 200
Deuotio eſt feruor bonæ volūtatis. to.1. 200
Dextera Dei duplex. to.2. 261
Diaboli ſpolia quæ ſint. tomo 1. pag. 411
Diabolus plus peccauit tentando Chriſtum quàm in cælo. to. 1. 352

Diabolus vide, Dæmon & Lucifer.
Diffamatio ſit per peccatum. to. 2. 108
Differentia inuitantium. tomo 2. 42
Digiti Dei plures. to. 2. 262
Digitorum numerus & virtus. to. 1. 497
Digitus Dei eſt Spiritus ſanctus. to. 2. 7
Dilectio inimicorum eſt genus martyrij. to. 1. 329
Dilectionis inimicorum præmium. to. 1. 325
Diligendi inimicos ratio. tomo 1. 323
Diſcipuli miſsi amor & timor. to. 1. 451
& duæ alæ, & duo leones, & duo gladij. ibid.
Diſcipuli duo miſsi qui fuerint. to. 1. 6
Diſcipuli miſsi qui fuerint. tomo 1. 51
Diſcipuli duo miſsi ſignant zelum, & clementiam. tomo 1. pag. 26
Diſcipulorum de Chriſto opinio, & aliorum reſponſio. to. 2. 126
Diſſenſio in quo fundetur. tomo 1. 61
Diſtantia eſt cauſa erroris. tomo 1. 421
Diſtantia loci eſt vltimũ ſponſæ impedimentum. to. 1. 334
Diuerſitas auditorum in concione. to. 1. 280
Diuinitas Chriſti eſt liberatrix noſtra. to. 1. 251
Diuinitas venit ad nos calceata. to. 1. 113
Diuinitas dicitur cælum. tomo 1. 568
Diuinitatem ſuam comprobat Chriſtus. to. 1. 104
Diuitiæ Chriſti. to. 2. 105
Diuiſio eſt cauſa deſolationis. to. 1. 407
Diuiſio bona & mala. to. 1. 408
Diuiſio maris rubri ad duo ſeruiuit. to. 1. 16
Diuitiæ pauperum quæ ſint. tomo 1. 61
Diuitiæ quare dicantur ſpinæ. to. 1. 278
Diuitiæ quare dicãtur iniquæ. to. 2. 111
Diuitum opes ſunt pauperum labores. to. 1. 78
Doctrina Lutheri eſt furtiua. to. 2. 65
Documentũ ex Maria eliciendum. to. 1. 7
Dominicalis oratio non vere dicitur a timente mortem. to. 1. 251
Dominica Quinquageſimæ magna continet myſteria. to. 1. pag. 304
Dominica Quinquageſimæ qd notet. to. 1. 304
Domus oris vallium quid. tomo 1. 6
Domus eſt in habitatore quo modo intelligatur. tomo 1. pag. 80
Domus Dei multiplex. to. 1. 20
Donec eſt æternum. to. 2. 264

Dormire

Dormire in vita contingit dupliciter.to.1.pag. 265
Dormitio varia Chriſti & Apoſtolorum.to.1. 256
Duodenarij numeri ſignificatio.to. 2. 372
Dulcedo Dei non ſentitur ab impio, quia febre iniquitatis palatum cordis amiſit. to.2. 379
Durandi opinio refellitur de matrimonio.to. 1. 221
Dux orationis eſt Maria. tomo 1. 371

E

EAdem res contraria repreſentat.to.2. 153
Echo eſt concluſio vocis prioris.to.2. 295
Eccleſia militans & triumphãs duo cæli.to.1. 583
Eccleſia dicitur aſina.to.1. 27
Eccleſia eſt ſub calcaneo Mariæ.to. 1. 112
Eccleſia militans eſt exemplũ Eccleſiæ triumphantis. to.1. pag. 519
Eccleſia quare gaudeat nato Domino.to.1. 138
Eccleſia eſt domus orationis. to.2. 132
Eccleſia diuerſo ordine regitur a cælo. to.2. 248
Eccleſiæ primus ſtatus ſtat in matrimonio.to.1. 224
Eglon quid.to. 1. 490
Egreditur, vertitur in ly, procedit. to. 1. 342
Egreſsio Dei varia. tomo 1. pag. 271
Electi diſtinguuntur a vocatis. to.1. 259
Elementa in ſua regione carẽt grauitate.to. 1. 443
Eleemoſyna vnde dicatur. tomo 2. 113
Eleemoſyna pro neceſsitate quærenda.to. 2. 214
Eleemoſynæ commendatio.tomo 2. 113
Eleemoſynarum diſtributio varia.to.2. 334
Eliſei hoſpita eſt anima. to.2. pag. 257
Emanuel nobiſcum Deus. tomo 1. 183
Ephrata interpretatur frugifera.to. 2. 372
Epiſcopi vtuntur armis, & nutriunt milites.to.1. 239
Error circa Spiritum ſanctum cauendus.to. 2. 8
Eſca animæ eſt agnus Dei. tomo 2. 380
Eſſe triplex reperitur.to.1. 217
Eſſentia communicatur a Deo in primo ſigno.to.1. 11
Eſſentia diuina eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ.to.1. 246
Eſſentiam Dei quis viderit. to. 1. 159
Eſther quid. to.2. 287
Euchariſtiæ inſtitutio. tomo 1. pag. 464
Euangeliſtæ ſunt portitores fideles.to. 2. 279
Euangelium prædicare ſibi.tomo 1. 602

Euange-

Euangeliũ quid.to.1.pag. 603
Euchariſtia eſt finis amoris. to.1. 463
Euilath terra prima laudatur in Scriptura. to.1. 285
Excommunicatis loquela negatur.to. 2. 77
Exemplum de obedientia. tomo 1. 450
Exemplũ de arbore tranſplantanda.to. 1. 161
Exemplum de matrimonio iunctis.to.1. 222
Exemplum de falcone nobili, & ignobili.to.1. 185
Exemplum de quodam aſcendente equum.to. 1. 65
Exemplum de aquilone contra pauperem.to. 1. 542
Exemplum de Dei miſericordia, & hominum miſeria.tomo 1. 73
Exemplum de ferro in communicatione.to.1. 156
Exemplum de mulis domandis.to.1. 95
Exemplum citharæ percutientis ſeruum.to.2. 107
Exemplum de vetula. tomo 2. pag. 110
Exemplum de laico moriente. to.2. 391
Exercitia corporalia ad quid vtilia.to. 1. 194
Exire circa horã nonam quid ſit.to. 1. 261
Expedit interpretatur diuerſimode.to. 1. 549
Exultare eſt extra ſaltare. tomo 1. 538

F

Fabricare mala & prophetare falſum idem ſunt. tomo 2. pag. 95
Facies denotat notitiam. tomo 1. 109
Facies dicitur ſicut piſcis maris.to. 1. 484
Fatui viſcera dicuntur quaſi rota carri.to.1. 297
Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. tomo 2. 310
Fel cur aliquando ſit in aure. to.1. 266
Felicitas inuidiæ materia. tomo 2. 47
Feminę aſsiſtunt coram Deo loco angelorum.to.1. 128
Feminæ Euangelicæ quid ſignificent.to. 2. 359
Feſta antiquorum tria.tomo 2. pag. 19
Feſtinatio ad bonitatẽ eſt frui ſeipſo.to.1. 531
Ficte ſatisfaciens reſurgit cum Samuele.to. 1. 491
Fidei conditiones.to.2. 313
Fidelitatis bonum duplex. tomo 1. 221
Fidelium & infidelium differentia.to.1. 250
Fides non ſufficit ad ſaluandũ. to. 1. 603
Fides vera quæ ſit.to.1. 248
Fides & deſiderium diſcipulorum Ioannis.to. 1. 93

Fides eſt ſacrificium. tomo 2. pag. 20
Figuli domus eſt humilitas. to. 1. 319
Figura præſeruationis Mariæ. to. 1. 41
Figura Spiritus ſancti in fluuio. to. 2. 12
Figuræ Aſcenſionis Chriſti. to. 1. 595
Filio incarnato Pater & Spiritus ſanctus eſt nobiſcum. tomo 1. 127
Filius Dei quo modo venerit ad ſuam humanitatem. tomo 1. 1
Filius Dei quare, & ad quid portauerit calceamenta. tomo 1. 115
Filius Dei dicitur mons. tomo 1. 124
Filius eſt portio viſcerum maternorum. to. 1. 11
Filius Dei dicitur paſtor ob tria. to. 1. 514
Filius quærit ſpem. to. 1. 389
Filius legiſlator, & originale diuinum. to. 2. 354
Filius & Spiritus ſanctus repreſentantur per Iſaac, & Iacob. to. 2. 25
Fimbria quid ſignificet. to. 2. pag. 363, & 367
Finis operũ Dei ad extra fuit incarnatio. to. 2. 263
Fiſcella quare fuerit ſcirpea. to. 2. 158
Flagella mundi ſentire & non Dei, malum eſt. to. 1. 257
Flatus ab anima & corpore procedit. to. 2. pag. 10
Fluuius ſicut Spiritus ſanctus non relinquit originem. tomo 2. 13
Fragilitates humanæ ſunt valles. to. 1. 132
Franciſci exemplum pro eleemoſyna. to. 1. 62
Franciſci deuotio ad crucifixum. to. 2. 273
Franciſci tranſitus incomparabilis. to. 2. 213
Franciſci vxor quæ fuerit. tomo 2. 220
Franciſcus eſt mundus maior. to. 2. 277
Franciſcus mundana deteſtatur. to. 2. 267
Frater debet contemnere cupiditatem. to. 2. 216
Fratres quare non laborent. to. 2. 217
Fratrum liber eſt Chriſtus. tomo 2. 270
Fratrum portio vacuitas & nihil. to. 2. 209
Fratrum ſpina eſt matutina ſurrectio. to. 2. pag. 205
Fratrum ſpina quæ ſit. tomo 2. pag. 205
Frequentia peccatorum eſt maximum vinculum. to. 1. 89
Frõdes Dei ſunt eius attributa to. 2. 160
Fraudulentia Herodis reprehenditur. to. 1. 190
Fulguris velocitas quanta ſit. to. 2. 394
Fundatores religionum reducuntur ad vnũ, nempe B. Auguſtinum.

gustinum.to.2. pag. 365

G

Gabriel vnus ex diſcipulis miſsis.to.1. 6
Galilæa quid. to.1. 216
Gaſpar ſecundus rex,eſt volun tas.to. 1. 199
Gaudere de Creatore eſt verum gaudium.to. 1. 146
Gaudij duratio quanta ſit. tomo 1. 137
Gaudium malum quadruplex. to. 1. 561
Gaudium duplex.to. 1. 139
Gaudium Euangelicũ eſt Chriſtus.to.1. 136
Gaudium conſcientiæ bonæ. to.1. 50
Gemini erit Criſtus in punitione malorum.to. 1. 81
Gemini ideſt natura duplex. to. 1. 472
Gemini Caſtor, & Pollux. tomo 1. 473
Gemitus pro quo fundendus. to.2. 165
Gemmæ filo mandãtur ne perdantur.to.1. 270
Generatio Chriſti duplex. tomo. 2. 261
Generatiua vis ad quid data. to. 1. 217
Geneſareth quid.to. 2. 62
Gentiles & Iudæi ſunt lapides varij.to. 1. 436
Gẽtilitas dicitur gens ſanguinaria ob neces martyrum. to. 2. 362
Gergezæus quid.to.1.pag.264
Geſta antiquorum quare ſeruanda.to.1. 359
Giezi eſt vallis pectoris. tomo 1.pag. 240
Giezi primus ſimoniacus. tomo 2. 374
Gigantes obſident terram promiſsionis.to. 1. 592
Gloria duplex.to. 1. 194
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, quando dicatur.to.2. 22
Gloria Dei eſt eius eſſentia. to. 2. 24
Gloriæ dotes quattuor. to. 1. pag. 492
Gloriæ abſconſio inferni tormenta ſuperat.to.2. 31
Gratia ſine gratia eſt Ioan. in vinculis.to. 1. 85
Gratia dicitur ſtella. tomo 1. pag. 203
Gratia datur in matrimonio. to.1. 221
Gratia auditoribus neceſſaria. to. 2. 192
Gratia triplex ſermoni neceſſaria.to. 2. 181
Gratiæ indigentia.to.1. 85
Gratitudo eſt via proficiendi. to. 2. 202
Gula eſt minoris delectationis, & maioris nocumenti. to. 1. 356
Gula facit guttur quaſi ſepulchrum. to. 1. 243
Guloſi derident inſipida cibaria.to.1. 22

Harpa-

H

Harpaſten famula vxoris Senecæ, exiſtens cæca, dixit domum eſſe tenebroſam. Senec. epiſt. 50. tomo I. pag. 406
Hebræis tria beneficia collata. to. 2. 211
Hereditas ſalutis eſt denarius diurnus. to. 2. 263
Hæretici arborũ cortices manducant. to. I. 55
Hæretici ſunt Theologi atramentales. to. 2. 96
Hæretico percontanti de coniunctione Chriſti cum humana natura, quid reſpondendum. to. I. 11
Hæreticorum oblatio quæ ſit. to. I. 245
Hæreticorum opinio de iudicio. to. I. 28
Hæreticorum augumentatio. to. 2. 93
Herodes quid. to. I. 187
Herodes triplici fune tenebatur cum femina. to. I. 99
Herodis turbatio fit ab intus. to. I. 187
Hethæus dicitur ſtupor. tomo I. pag. 267
Heuæus quid. to. I. 266
Hiems & ſabbatum quid. tomo 2. 390
Homines quotidie minus viuunt. to. I. 424
Homines triplici modo peccant. to. 2. 40
Homini tria bona neceſſaria. tomo I. 386
Hominis deſiderium de aſcenſione. to. I. 592
Homo quater circumciditur ſicut Chriſtus. to. I. 174
Homo eſt maior mundus. tomo I. 602
Homo comparatur naui. tomo I. pag. 257
Homo dicitur Ciuitas. to. I. pag. 54
Homo per malitiam occidit animam ſuam. to. 2. 371
Homo eſt veluti ſpeculum. tomo 2. 343
Homo rex eſt Deus. to. 2. 34
Homo eſt Deus, & Deus eſt homo. to. 2. 344
Homo eſt maior angelis. tomo 2. 52
Honor in quo conſiſtat. to. I. 73
Hora miſerẽdi Chriſti eſt obedientia. to. I. 219
Hora tertia quæ ſit. to. I. 260
Hora miſerendi quæ ſit. tomo I. pag. 227
Humanitas Chriſti quid. tomo I. 10
Humanitas ſecunda ratio circumciſionis. to. I. 170
Humeri Chriſti diuinitas, & humanitas. to. 2. 52
Humilitas ſine virtutibus eſt confuſio. to. I. 68
Humilitas, & humiliatio quid. to. I. 67
Humilitas eſt quinta ratio circumciſionis. to. I. 172
Humilitas obedientiæ annexa.

Digitized by Google

tomo 1. pag. 63
Humilitas dixit: Vinum non habent. to. 1. 321
Humilitas eſt cuſtos virtutum. to. 1. 319
Humilitas exaltat etiam Deũ. tomo 2. 278
Humilitatis exemplũ eſt Chriſtus to. 1. 466
Humilitatis præconia. tomo 1. pag. 319
Hydria quadruplex. to. 1. 220
Hydria eſt fragilitas carnis. tomo 1. 49
Hydrias implere aqua quid. to. 1. 223
Hydropici octo vitia. tomo 2. pag. 240

I

IAbel interpretatio. tomo 1. pag. 511
Iabes quid. to. 1. 449
Iacob cur dilectus, & Eſau odio habitus. to. 1. 211
Iacob quare etiam vocetur Iſrael. to. 1. 14
Iacobus eſt carnis domatio. tomo 2. 377
Iacula minus feriunt, ſi præuidentur. to. 2. 392
Iahel dicitur aſcendens. to. 1. pag. 44
Ianitor Mariæ eſt Deus. tomo 1. pag. 45
Ianua donorum eſt fides. tomo 1. 551
Ianuarius myſterijs plenus. tomo 2. pag. 288
Iazer quid. to. 1. 296
Iebuſæus quid. to. 1. 266
Ieremias quid. to. 1. 49
Ieroſolyma quid. to. 1. pag. 61 & 294 & to. 2. 21.
Ieroſolyma dicitur filia Trinitatis. to. 1. 30
Ieruſalem quid. to. 1. 19
Ieruſalem & Sion filia Eccleſiæ. to. 1. 139
Ieſuitæ dicuntur ſaluati. tomo 1. pag. 168
Ieſſe dicitur incendium. to. 2. pag. 204
Ieſum qui vocent ad matrimonium. to. 1. 226
Ieſus quo modo naſcatur angelis. to. 1. 141
Ieſus eſt ſalutare Dei. tomo 1. pag. 133
Ieſus quo modo proficiebat coram Deo. to. 1. 212
Ieſus iacit lapidem, & abſcondit manum. to. 1. 249
Ieſus quare voluerit tot pati. to. 1. 303
Ieſus quid ſignificet. to. 1. 50
Ieſus perditur, vt perditum requirat. to. 2. 49
Iezrael quid. to. 1. 525
Illuſio Chriſti multiplex. tomo 1. 301
Illuſio eſt ſecundus gradus deſcenſionis. to. 1. 295
Illuſtrium peccata nõ puniuntur. to. 2. 146
Imago Chriſti quo modo portanda. to. 2. 350
Imago eſt quid repræſentatiuum totius. to. 2. 344

Imago

Imago eſt in anima, ſuperſcriptio in corpore. tomo 2. pag. 357
Imitatio virtutum Chriſti. tomo 2. 348
Immunditia dupliciter cõtrahitur. to. 1. 318
Immunitas Mariæ ex ſuppoſitione neceſſaria. to. 1. 41
Immutabilitas Chriſti & Mariæ. to. 2. 247
Immutabilitatis exemplum. tomo 2. 6
Imperfectio eſt non amare inimicos. to. 1. 323
Impius non ſentit dulcedinem Dei. to. 2. 379
Incarnatio quid. to. 1. 123
Incarnatio eſt initium amoris. tomo 1. 463
Incarnatio & natiuitas difficilis. to. 1. 160
Incarnatio feſtinanter, & in inſtanti facta. to. 1. 42
Incarnationis figura. to. 1. 227
Incarnationis vnio. to. 2. 286
Incarnationis opus non cadit ſub merito. to. 1. 4
Infamia eſt quartum ſponſæ vitium. to. 1. 231
Infidelitas eſt maximum peccatum. to. 1. 550
Ingratitudo hominis & duritia increpatur. to. 1. 151
Inimici hominis domeſtici eius. to. 2. 388
Inimico ſigna ſunt amicitiæ monſtranda. to. 2. 76
Inimicorum amor omnibus difficilior. to. 1. 322
Inimicorum amor triplex. tomo 1. 324
Inopia noſtra nimia eſt. to. 1. pag. 282
Inquietudo peccatoris. to. 2. pag. 296
Inſpiratio dicitur vocatio. tomo 2. 109
Intelligentia in quibus ſit neceſſaria. to. 2. 382
Intellectus hebetudo in conſideratione diuinæ eſſentiæ oſtenditur ex Cypriano. to. 1. pag. 206
Intentio nubentium qualis. tomo 1. 216
Interrogatio Antonij facta Deo poſt inimicum deuictum. tomo 1. 256
Interrogatio Ioannis an fuerit dubia. to. 1. 102
Intimatio intima eſt ſeptima ratio circumciſionis. tomo 1. pag. 173
Introductio circumciſionis eſt octaua dies. to. 1. 173
Inuaſor poteſt conueniri. tomo 2. 78
Inuitatio ad vulnera. to. 1. 428
Inuitatorium mortuorum canunt Magi. to. 1. 196
Inuitatorum differentia. tomo 2. 40
Ioab & Amaſa quid. tomo 1. pag. 295
Ioannes eſt filius Mariæ ſpecialis. to. 1. 163
Ioannes habet affectus filiales Mariæ. to. 1. 164
Ioannes infuſam habuit noti-

tiam Christi.to. 1. 109
Ioãnes Baptiſta,& Simeon fuerunt diſcipuli miſsi. to.1. 51
Ioannes qualiter aſtat cruci.tomo 1. 61
Ioannes quare miſerit diſcipulos ad Chriſtum.to. 1. 99
Ioannes eſt aquila. to.1. 604
Ioannes an adimpleuerit officium ſuum.to. 1. 110
Ioannes ſecundum Chryſoſtomum eſt glorioſior Angelis. to.1. 109
Ioannes alte aſcẽdit in pectus Chriſti.to. 1. 158
Ioannes ob quattuor laudabilis.to. 1. 96
Ioãnes volebat nunciare Chriſtum ad interna.to.1. 100
Ioannes vbi audiuerit opera Chriſti.to.1. 97
Ioannes quare carceri mancipetur.to. 1. 104
Ioannes quo modo dixit Chriſtum factũ ante ipſum.to.1.2
Ioanni quæ euenerint in obiurgatione Herodis. to.1.99
Ioannis dubitatio de deſcenſu Chriſti qualis.to. 1. 101
Ioãnis diſcipuli miſsi ad Chriſtum qui fuerint.to.1. 93
Iordanis quid.to.1. 87
Iordanis & eius aqua quid. tomo 1.pag. 122
& quare multiplicat aquam tempore meſsis.to. 1. 123
Ioſeph dicitur ſaluator. tomo 1. 334
Ioſeph & Chriſti comparatio. to.1. 335
Ira & inuidia ſunt lepra. tomo 1. 241
Iſaac in vinculis offerri quid ſit.to. 1. 106
Iſaias interpretatur ſalus Domini.to.1. 174
Iſrael ideſt videns Deum. tomo 1. 526
Iubilus eſt gaudium cordis.tomo 1. 570
Iudas & Simon ſunt duæ tabulæ,& duæ menſæ. to.2. 351
Iudæa interpretatur laudatio. to.2. 311
Iudæi tenebãtur credere Chriſtum Deum.tõ.1. 339
Iudæi templum Dei deſtruunt. to.1. 439
Iudæorum ſcelera quattuor. to.1. 121
Iudæorum ira eſt torrens. tomo 1. 522
Iudæorum error qualis fuerit. to. 1. 54
Iudæorum opinio in die Penteceſtes.to.2. 16
Iudex in Eccleſia eſt Chriſtus. to. 2. 96
Iudicia tria facienda. to. 1. 76
Iudicij vniuerſalis rationes. to.1. 28
Iudicij vniuerſalis ſigna. tomo 1. pag. 72
Iudicij tria loca ſecundum Scotum.to.1. 24
Iudicium Dei triplici claritate decorandum.to. 1. 25
Iudicium non eſt reuelabile de lege.to.1. 18
Iudicium generale ignoratur

magis

magis quàm reſurrectio. tomo I. 18
Iuraméti obiurgatio.to.2. 200
Iuſti anima eſt ignis.to.I. 308
Iuſti via eſt oratio. to. I. 384
Iuſtitia noſtra eſt amor. tomo I.pag. 329
Iuſtitia originalis quo modo reſpiciat Deum.to.I. 39
Iuſtorum eripimur meritis. tomo I. 65
Iuſtorũ gaudiũ quale.to.I.541
Iuſtorum fortitudo eſt carnem vincere.to. I. 267

L

Labia Dei quæ ſint.to.I. 3
Labor improbus omnia vincit.to. I. 282
Laborare die ac nocte quis dicatur. to.2. 67
Lacrymis baptizatur Magdalena.to. 2. 137
Lagenæ & tubæ quid ſignificent.to. I. 51
Lapides ſunt malæ cogitationes.to. I. 441
Lapidum duo genera. to. I.437
Lapis ſecundus eſt diaboli pertinacia to. I. 342
Lapis ſepulchri ſignatur,& venter Mariæ.to.I. 171
Lactãtius peſsime ſenſit de Spiritu ſancto.to. 2. 9
Latro cognouit Chriſtum regem.to.2. 319
Latro bonus omnium conuerſorum figura. to. 2. 187
Latrones triplices. to. 2. 177
Latronis miſericordia erga ſocium.to.2. 319
Laurentius ſuper prunas, Simon ſuper crucem.to.2. 348
Lectio libri in crucis arcanis. to.2. 272
Lectulus eſt voluptas.to. I. 453
Leo eſt rex animaliũ. to. I. 476
Leo dicitur reſurrectio. tomo I.pag. 473
Leo erit Chriſtus in valle Ioſaphat. to.I. 81
Lepræ decem ſpecies.to.2. 183
Lepræ curatio eſt confeſsio.tomo 2. 188
Leproſi ſignant humanum genus.to.2. 183
Leproſorum obuiatio gratiſsima. to. 2. 197
Leproſus Euangelicus omnes peccatores deſignat.to.I.238
Lex duplex ĩ Ægypto.to.I.332
Lex punitiua nõ eſt reclamanda.to.2. 71
Libertas populi Chriſtiani.tomo 2.pag. 244
Libertas ſpiritus in quo conſiſtat.to. 2. 219
Liberum arbitrium dicitur regulus.to.2. 305
Libra dicitur ſatisfactio. tomo I. 483
Libra erit in Chriſto in põderatione meritorum. to. I. 82
Ligatio non ſequitur ex quocumque fune. to.I. 40
Limbi depredatio. to.I. 480
Limbi deſiderium de Chriſto. to. I. 524
Lingua ſeruiens loquacitati eſt

rana, tomo 1. 58
Lingua ignea Deum explicat. to. 2. 23
Litteræ quo modo ſcribantur, ne appareat ſcriptura.to.2. 7
Lyſtris interpretatur diſſolutus.to. 1. 89
Loculus peccati eſt conſcientia peccatoris.to.2. 226
Locus parum prodeſt ſanctitati.to.1. 264
Loquacitas eſt cauſa omnis mali.to.1. 396
Loquela inimicis non neganda to. 2. 75
Loth quid to.1. 41
Lotio mala quæ ſit.to.1. 461
Lucas quare deſcripſerit principes prauos.to.1. 130
Lucifer malus paſtor. to.1. 512
Lucifer maior malitia.tomo 1. pag. 334
Lucifer fuit ſemibeatus. tomo 1.pag. 397
Luciferi pœna quæ ſit.to.1. 434
Lumen tãtum educitur a Deo, quanta erit capacitas contuentis.to.1. 157
Lupi vox non eſt intelligibilis. to. 1. 399
Lutherana hæreſis de communione reprobatur.to.1. 261
Lutherani ſunt lupi.to. 2. 54
Lutherani negant arbitrij libertatem.to.1. 111
Lutheri error circa Scripturam.to.2. 382
Lutherus vetat Aue Maria.tomo 1. 401
Lux facit cognoſcere rem ſicuti eſt. to.2. 126
Luxuria eſt lepra.to. 1. 240
Luxuria & malitia duo maxima vitia to.1. 177
Luxuria latiſsima via. tomo 1. pag. 275
Luxuriæ mala quæ ſint. tomo 1. pag. 103
Luxuriæ remedia, to.1. 367

M

Machinæ contra pauperes ſunt aduocati, & cauſidici.to. 2. 373
Magdalena varium habet ſpeculum.to. 2. 141
Magdalena habet intus quæ dat extra. to.1. 139
Magdalene fides & baptiſmus. to. 2. 136
Magi prius viderant Chriſtum quàm ſtellam.to. 1. 186
Magiſtri operum qui ſint. tomo 1. 355
Magnates certant donis, & Deus pariter.to 2. 14
Magnetis cõparatio ad Ieſum. to. 1. 255
Magnitudo triplex.to.1. 198
Magno nihil magnũ.to.1. 520
Magorum munera cõmendantur.to. 1. 189
Mala quæ nos hic præmunt ad Deum ire cõpellũt. to.1. 250
Mala veniunt propter bonum. to.2. 132
Mali relinquuntur ad libitũ ſicut oues macelli.to.1. 513
Malitia & gula cauſant omne malum.

malum.to. 1. 176
Malorũ gaudiũ quale.to.1.541
Malorum excuſatio.to. 2. 75
Mammona quid.to.2. 111
Manum & pedem non mouere quid ſit.to.1. 37
Manus a rapina non ceſſans eſt ſine Salutare Dei. to.1. 137
Manus & pedes habere ligatos quid.to.2. 43
Manus impoſitio quid. tomo 2. pag. 366
Mare vomitum, & confeſsio peccata.to. 1. 255
Mareſa quid. to. 1. 138
Maria an incurrerit peccati mortem.to.1. 34
Maria nos perdit in Chriſtum, qui per eam inuenitur. tomo 1. 205
Maria eſt ſedes miſericordiæ. to.1. 495
Maria alit & nutrit aſellam & pullum.to. 1. 9
Maria eſt ager Spiritus ſancti. to. 1. 269
Maria eſt nix liquefacta. tomo 1. pag. 17
Maria de non hora fecit horam. to.1. 226
Maria citius ceteris ſanctis ſe contulit Chriſto.to.1. 2
Maria an fuerit ligata peccato.to. 1. 39
Maria eſt terra bona.to. 1. 282
Maria primum Chriſti regnũ. to. 1. 1
Maria angelorum Euangeliſta. to.1. 135,& 141
Maria eſt gratia præueniens. to. 1. 229
Maria immunis ab omni peccato.to. 1. 444
Maria omnibus relinquitur mater.to. 1. 567
Maria virtus & fortitudo Eccleſiæ.to.1. 583
Maria eſt filia Sion.to.1. 11
Maria dicitur caſtrum Domini.to. 1. 7
Maria coniungit pauperes nubentes.to. 1. 214
Maria domus gratiæ Dei dicitur. to.1. 47
Maria dicitur illuminatrix.tomo 1.pag. 8
Maria eſt ſcutũ noſtrũ.to.1.430
Maria quando fuerit nubes lucida & obumbrata. to.1. 7
Maria eijcit dæmonem, & eſt virga fumi.to.1. 393
Maria ſicut triſtitiæ,ſic & gloriæ eſt Chriſti conſors. tomo 1. 469
Maria dicitur & ſit Sion. tomo 1.pag. 43
Maria caruit triplici bello. tomo 1. 37
Maria ſenem hortatur vt viuat. to. 1. 288
Maria cõparatur luci.to. 1. 44
Maria cur Chriſto non parauit funerale beneficiũ.to.2.221
Maria veſtigia mortis non habet.to. 2. 161
Maria nauis onuſta. to. 2. 58
Maria eſt inter cælum, & terrã velut inter extrema. to.2. 4
Maria quare teneat medium. tomo 2. 3

Maria eſt arca Dei angelicis delata humeris .to.2. 45
Maria Trinitatis ſpeculatrix. tomo 2. 18
Maria eſt nauis qua venit Chriſtus.to.2. 157
Maria accipit nomen ſerpentis ſicut victor nomen victi. to. 2.pag. 155
Maria cur potius exaudiatur, quàm ceteri ſancti.to.1. 48
Mariam eſſe cōceptam ſine peccato originali ex neceſsitate probatur.to.1.pag. 40
Mariã vocamus matrẽ noſtrã, ſed Ioannis meam.to.1.164
Mariæ traduntur omnia bona ſingulis Patriarchis tradita. to.1. 165, & 166
Mariæ terra nulla tenetur vinculo.to 1. 333
Mariæ fructus triplex.to.1.284
Mariæ puritas. to. 1. 35
Maris rubri diuiſio duo fecit. to.1. 16
Martha & Maria quid ſignificent.to.1. 66
Martyrum neces ſunt ſacrificia populi.to.2. 37
Matrimonij bonum triplex. tomo 1. 221
Matrimonij onus importabile. to. 1. 218
Matrimonium Chriſtianum in quo debeat cōtrahi.to.1.216
Matrimoniũ carnale diſſoluitur ĩ morte, & ſpirituale per mortem perficitur. to.1.231
Matrimonium contrahens an deſcendat ad minorem ſtatum.to. 1. 221
Matthæus peccatoris figuram tenet. to. 2. 250
Medici peritia perficitur in infirmitate.to.1. 497
Medici infirmi compaſsio ad infirmos. 212
Melchior primus rex, eſt intellectus.to.1. 199
Mẽbra Chriſto aptãda.to.2. 85
Membrana eſt veſtis & lana. to. 2. pag. 95
Membrum Chriſti multiplex. to.2. 239
Memoria requiritur ad amorem.to.1. 464
Mentiri quid.to.2. 194
Meſopotamia dicitur coniunctio.to.1. 14, & 15
Metalla vniuntur igne.to.2. 14
Meum & Tuum omnia mala parturiunt.to.1. 61
Miraculum primum cur Chriſtus fecerit in matrimonio. to.1. 227
Miſericordia tegit iuſtitiam. tomo 1. 594
Miſericordia duplex .to.1. 79
Miſericordia magna, maior & maxima.to.1. 446
Miſericordia antiquitus erat ligata.to.1. 456
Miſericordia maior quæ ſit. tomo 1. 4
Miſericordia quare comparetur oleo.to. 1. 4
Miſericordia ſeruo exhibita. to.2. 325
Miſericordia quid.to.1. 444
Miſericordia iudicio neceſſaria.

ria. to. 1. 25
Miſericordiæ gradus. to. 2. 90
Miſericordiæ opera Deum con ternunt. to. 2. 81
Miſeriæ Ioſeph & Mariæ recenſentur. to. 1. 145
Miſſæ an ſint celebrandæ pro ſecundo aduentu. to. 1. 75
Miſsio ſignificat duplicem gratiam. to. 1. 37
Miſsio viſibilis ſit ſine inuiſibili. to. 2. 4
Myrrha duplex. to. 1. 201
Modicam fidem habentes timent mortem. to. 1. pag. 251
Modicæ fidei varie explicatur. to. 1. 250
Mollities animi eſt adulatio. to. 1. 107
Monialis etiam ſuſcitata religioni tenetur. to. 1. 232
Mons domus Domini eſt Maria. to. 1. 237
Mons denotat iuſtitiã. to. 1. 24
Mons Oliueti eſt Maria. tomo 1. pag. 26
Montes in iudicio illuminabuntur a tribus luminibus. to. 1. pag. 25
Montes dicuntur difficiliores actus Chriſti. to. 2. 387
Mors peccati qualiter eueniat. to. 2. 373
Mors quare dicatur tribulatio magna to. 2. 390
Morte imminente dolor cauſatur in parte ſenſitiua. to. 2. pag. 391
Mortis imaginatio ſudare fecit Chriſtum. to. 2. 391
Mortui a Chriſto ſuſcitati qđ ſignificent. to. 2. 222
Moyſes moriturus aſcendit montem Nebo. to. 1. 351
Moyſes vbi illuminatus. to. 2. pag. 360
Mulier prægnãs gaudet in acetoſis. to. 1. 540
Mulier eſt inferior pars rationis. Iſta auctoritas tribuitur Auguſtino de Trinitate: ſed habetur in tractatu 15. ſuper 4. caput. Ioannis. to. 9. to. 2. pag. 226
Mulieres quid nobis portent. to. 1. 134
Mundandi antiquitus vbi mittebantur. to. 1. 313
Mundi res quattuor modis acquiruntur. to. 1. 33
Mundi damnatio. to. 1. 552
Mundi ætas dicitur vnus dies. to. 1. 301
Mundi ſtatus decem, & qui ſint to. 2. 198
Munditia quot modis fiat. tomo 1. 230
Mundus dicitur carcer. to. 1. 86
Mundus & Chriſtus opponuntur. to. 1. 588
Mundus quare dicatur caſtellum to. 1. 26
Mũdus nauigat cum pari vento. to. 1. 252
Mundus in ſex tribulationibus liberatur. to. 1. 103
Mundus eſt rota a mutatione dictus. to. 1. 208
Mundus primo dat gaudia, & & poſtea dolores. to. 1. 234

Digitized by Google

Mundus duodecim ventis terminatur.to. 2. 372
Munera corrumpunt iudices. to.1. 557
Mũdus maior triplex.to.2.268
Mundus qualiter crucifixus. tomo 2. 269
Mũdus vnde dicatur.to.2. 162
Murmuratio prælatorũ eſt conſolatio ſubditorũ. to.1. 562
Murmuratio in prælatos eſt mala. to.2. 215
Murmuratio contra condonãtes. to.2.pag. 79
Mutabilitas variat eſſe rei. tomo 2. 5
Mutationis exemplum.to.2. 6
Mutus dicitur qui non vult loqui.to. 1. 401
Mutus dixit: *Beatus venter qui te portauit*. to.1. 403
Munus manum facit leproſam. to.2. 199

N

NAas quid. to.1. 499
Natura humana modico contẽtatur, ſed voluptas non ita.to. 2. 377
NaturaleDei eſt dare.to.1.153
Naturalia in dæmonibus integra.to.1. 334
Natiuitatis gaudium eſt pluſquam gaudium. to. 1. 137
Naues & nauiculę Chriſti quę ſint.to. 1. 254
Naues duæ, ſunt duæ Eccleſiæ. to. 2. 62
Nauis eſt Euchariſtia.to.2. 34
Nauis felicitas vbi ſit.to.2. 59
Nazarenus inuenitur in horto florido.to.2. 345
Nebula tenet figuram Dei. to. 2. pag. 28
Nemo fit amicus niſi per Chriſtum.to.1. 137
Nemo reſpiciens ad malũ agit quod agit.to. 1. 530
Nigredo amabilis eſt humilitas.to. 1. 320
Nix dicitur cauſare abundantiam.to.1. 17
Noe interpretatur requies. tomo 1.pag. 21
Noe arca fuit tricamerata. tomo 1. 198
Notitia comparatiua præſupponit cognitionẽ vtriuſque extremi.to.1. 185
Nouem eſt numerus a denario deficiens. to. 2. 182
Nox ignorantiam ſignificat. tomo 1. 361
Nubes lucida vel obumbrata quando fuerit Maria.to.1. 7
Nubes dicitur ſuſcipiens filiũ. to.1. 575
Numer⁹ 30.60.& 100. ad quos pertineat.to.1. 280
Nuncius bonus in quibus cognoſcatur. to. 1. 135
Nuptiarum defectus quattuor. to.1. 235

O

OBedientia eſt domus noſtra. to.1. 63
Obedientia parit ſubiectionẽ dilectionem, parilitatem, & æquali-

æqualitatem.to. 1. 168
Obedientia matrimonio annexa.to.1. 219
Obedientia debet eſſe miſericors.to. 1. 450
Obedientia religioſi eſt nauis. to. 2. 206
Obediens quæ debeat eligere. to.1. 64
Obedientis conditiones quæ ſint. to.1. 63
Oblatio Mariæ ditior oblatione Magorum.to.1. 195
Obliuionis magis quàm memorationis ars quærenda. to. 1. 363
Obſeruantia eſt lapis pretioſus.to.2. 211
Obſtetrices duæ, duo ſunt teſtamenta.to.1. 358
Octo dies circumciſionis reſpondent creationi.to.1.175
Octo dies præuenientes circũciſionem quid.to. 1. 169
Oculi noſtri debent eſſe diſcipuli Ieſu.to.1. 255
Oculi Dei duo. to. 1. 423
Oculi inſpiciunt amantes. tomo 1. 321
Odium & amor repugnantia ſunt.to.1. 322
Odolla dicitur teſtimonium. to.1. 138
Officiales Chriſti qui ſint. tomo 2. 120
Officiũ Spiritus ſancti.to.2.13
Olfactus non diſcernit niſi extremos odores.to.2. 144
Oliua quare fuerit ore, & non pedibus allata.to.1. 5
Oliua mater Dei,& Maria mater miſericordiæ.to.2. 317
Opera remiſſa potius impediunt, quàm iuuẽt.to.2. 389
Opinionũ diuerſitas circa orationem.to.1. 373
Ora veſtimenti vltimos figurat iuſtos.to. 1. 178
Oratio pro alio facilius impetrat.to. 1. 167
Oratio in ture deſignatur. tomo 1. 199
Oratio eſt donum naturæ. tomo 1.pag. 372
Oratio dicitur cauſa ſecunda. to. 1. 375
Oratio naſcitur in corde. tomo 1. 379
Orationem quarè inſtituerit Deus.to.1. 378
Orationis neceſsitas & eius inſtitutio.to. 1. 377
Orationis præconia.to.1. 380
Orationis conditiones duæ.tomo 1. 381
Orationis tempus eſt placationis non furoris.to.2. 72
Orantes ſemper obtinent. tomo 1. 559
Orãs pro inimicis magis exauditur.to.2. 72
Orans contra inimicos transfigit ſe lancea.to.1. 72
Ordeum eſt paſsio Chriſti. tomo 1. 427
Ordo reperitur inter attributa Dei. to.1. 26
Ordo quilibet eſt mons. tomo 1.pag. 261
Ordinis reformatio.to.2. 78

Organorum magiſter indiget adiutorio.to.1. 287
Originale peccatum eſt debitum.to.1. 38
Originale peccatum quid faciat.to. 1. 42
Originale, Chriſto, Mariaq. exceptis, ceteri contraxere. to. 2. 156
Os loquitur ex abundantia cordis.to.2. 16
Oſanna in altiſsimis, ideſt ſalua in cælis.to. 1. 255
Otioſi derident laborioſa opera.to.1. pag. 22
Oſculum oris eſt verbum Verbi.to.2. 62
Oua recẽtia aſsimilantur mulieri.to.2. 192
Oues ſunt mixtæ in præſenti ſæculo. to.1. 517
Ouis ex Plinio habet duos ventres. to.1. 517
Ouis vtilitates plurimæ. to. 2. pag. 55
Ouis bonæ proprietates. to.2. pag. 53
Ouiũ veſtes ſunt rationes præviſæ. to. 2. 97
Oziæ lepra eſt ſuperbia. to.1. pag. 239

P

Palatũ cordis amittens non ſentit dulcedinem Dei. to. 2. pag. 379
Panes quare quinque.to.1.428
Panes ſeptem quid.to.2. 89
Panis eſt conſolatio ſpiritus.tomo 1. 369
Panis dicitur totum.to.1. 417
Panis eſt Deus to. 1. 418
Panis odor omnes trahit. tomo 1. pag. 426
Panis cõuiuij triplex.to.2.156
Papa poteſt dare præcepta. tomo 2. 66
Parentes Chriſti qui ſint.tomo 1.pag. 205
Paruulus natus eſt nobis omnia continet.to.1. 144
Paſcuæ locus eſt Eccleſia. to.1. pag. 517
Paſſeres duo, mors & reſurrectio Chriſti.to.1. 244
Paſſer Chriſtum ſignificat. tomo 1. 243
Paſſer & turtur, anima & corpus.to.1. 428
Paſsio Chriſti an volita a ſanctis.to.1. 101
Paſsio Chriſti eſt domus luctus to. 1. 445
Paſsio Chriſti cur modica. tomo 1. 520
Paſsio cauſatur ex impotentia. tomo 1. 537
Paſsio intenſa alios trahit. tomo 1. 547
Paſsionis meditationes. tomo 2.pag. 275
Paſtores dicũtur reges.to.2.64
Paſtoris parabola frequens eſt to. 1.pag. 510. & eius bonitas ſtat in amore Chriſti. ibid.
Paſtoris prima conditio qualis.to 1. 515
Paſtorum vitia.to. 1. 509
Pater creat, Filius alit, Spiritus ſanctus protegit.to.1. 31

Pater plus amat filium quàm econtra.to.2. 174
Pater petit fidem. to.1. 387
Pater mittit Chriſtum, & ipſe ſuos.to.1. 503
Patientia dicitur martyrium. to.2. 80
Patientia Chriſti eſt eius paſſio.to.2. 324
Paulo viuente, ſcripta eius deprauantur.to. 2. 382
Pauper cũ omnibus pacem habet to.1. 61
Pauperes ſpiritu duplices. tomo 1. pag. 201
Pauperes propter diuites facti. to. 2. 212
Pauperum, & plagatorum alacritas vnde cauſetur. to. 1. pag. 281
Pauperum iniuria. to.2. 85
Paupertas Euangelica eſt radix pacis. to.1. 61
Paupertas noſtra patrimonium Chriſti. to.1. 150
Paupertas eſt aquila.to.2. 208
Paupertas religioſa in quo cõſiſtat.to.2. 209
Pax gaudet vnitate. to. 1. 4
Pax quo modo fiat viſibilis. tomo 1. 4
Pax eſt prima petitio Mariæ. to. 1. 35
Pax triplex. to. 1. 36
Pax bona vnde oriatur. tomo 1. 50
Pax, pax eſt imperfecta locutio. to 1. 501
Pax triplex, ad Deum, ad ſe, & ad proximum. to. 1. 501
Pax Chriſti eſt oliua miſſa. ſtomo 1. 502
Phariſæi dicũtur diuiſi.to.1.95
Peccata omnia ſunt abominationes. to. 2. 384
Peccata quo modo ſint debita. to. 2. 331
Et quare dicantur debita. ibidem. 332
Peccatores ſunt martyres diaboli. to.1. 299
Peccatores quare non exaudiantur. to. 1. 391
Peccatori tria perneceſſaria. tomo 2. 49
Peccatoris ſtudia dicuntur tortuoſa. to.1. 132
Peccatoris a Deo diſtantia. tomo 1. 421
Peccatoris gaudium ſemiplenum eſt. to.1. 561
Peccatorum locus vbi ſit, & vbi erit. to.2. 191
Peccatoribus Maria cupit coronari. to. 1. 112
Peccandi gradus quinque. tomo. 2. 322
Peccandi tres modi. to.2. 386
Peccandi differentia in agro, tecto, & Iudæa. to. 2. 387
Peccans Chriſtum occidit. tomo 1. 272
Peccati diuiſio. to. 1. 176
Peccati horrendum malum. tomo 2. 389
Peccantiũ tria genera. to.1.411
Peccator ligatur triplici fune. tomo 1. 452
Peccator quilibet eſt Cain. tomo 1. 272

Peccator fugiens Deum dormit. to.1. 364
Peccator pro lenticula perdit hereditatem. to. 1. 298
Peccator eſt malus canis in venatione. to. 1. 248
Peccator quo modo annihilatur. to.1. 27
Peccator tria debet facere circa peccata. to.1. 442
Peccator habet regnum diuiſum. to. 1. 407
Peccator an poſsit vitare omnia peccata. tomo 2. 294
Peccator quare vocetur amicus. to. 2. 43
Peccator quæ debeat facere. tomo 2. 141
Peccator in inferno caret ſolutione. to. 2. 43
Peccator ſtatua eſt morte contrita. to.2. 156
Peccatum eſt præuaricatio rectitudinis.to.1. 132
Peccatum eſt pura priuatio recti. to. 1. 298
Peccatum in Spiritumſanctum vix remittitur. to. 2. 387
Peccatum eſt deſertum, & obſtinatio.to.2. 380
Pectora Chriſti ardua. tomo 1. pagina. 158
Pedes animæ ſunt boni effectus. to.1. 370
Pedes ſunt affectus.to.1. 493
Pedes Chriſti ſunt Apoſtoli. tomo 1. 536
Pedes & manus habere ſolutas quid, to.2. 43
Pedes Chriſti. to. 2. 262
Pes cui adhæret calceamentum qualis. to. 1. 114
Perditio qualis per adulteriũ peccati.to.1. 233
Perdix fouet aliena oua. tomo 1. 336
Perſeuerantia miſericordiæ Chriſti. to. 2. 291
Perſona vna eſt alterius gloria. to. 2. 29
Perſonæ diuinæ ſunt montes. to. 1. 126
Perſonæ cũ Chriſto paſſæ quæ fuerint. tomo 1. 316
Perſonæ lapſus non tollit poteſtatem. to.2. 128
Petere, quærere, & pulſare quid. to. 1. 387
Petri mirabilia. to. 2. 66
Petri os debet interrogari. tomo 2. 122
Petri caſus eſt ad meliorem reſurrectionem. to. 2. 128
Petrus eſt ſummus ſacerdos. tomo 2. 121
Petrus ceteris diſertior. tomo 2. 126
Petrus eſt petra in Lutherum. to. 2. 127
Petrus eſt diſcuſsio ſtatus ſui. to. 2. 376
Pherezæus quid. to.1. 265
Philoſophi notabile dictum. to. 1. 363
Philoſophi per digitum intellexerunt Spiritum ſanctum. tomo 2. 8
Phiſon interpretatur multitudo. to.1. 286
Phiton interpretatur oris perſuaſio.

ſuaſio. to. 1. 356
Phœnicis vitæ renouatio. tomo 2. 128
Phua dicitur apparẽs. to. 1. 358
Pignus eſt confeſsio reatus. tomo 2. 339
Pilatus qua de cauſa poſuit titulum ſupra Crucẽ. to. 1. 57
Piſces deitas & humanitas. tomo 1. 429
Piſces quid. to. 2. 89
Piſcis erit in Chriſto per fiduciæ ſubtractionem. to. 1. 83
Piſcis ideſt inquiſitor. to. 1. 484
Pluuia donorum ſuper iniuſtos. to. 1. 328
Plus eſt a peccato quàm ab infirmitate ſurgere. to. 2. 280
Pœnitentia ſerotina multos decipit. to. 2. 393
Pœnitentiam agens quando nõ poteſt peccare, peccata illum dimittunt, non ille peccata. tomo 2. 394
Pœnitentiæ neceſsitas dat locũ inſpirationibus. to. 1. 454
Poma Chriſti ſunt opera eius. tomo 1. 549
Pondus meum, amor meus. tomo 1. 191
Pondus peccati deiecit Chriſtum. to. 1. 442
Pontifex loquens excommunicato, eum abſoluit. to. 1. 232
Populo lapis & panis propinandi. to. 1. 345
Populus honorificatus quis ſit. tomo 2. 61
Portæ inferi qui fuerint. tomo 2. 130
Portitores ſunt occaſiones peccati. to. 2. 227
Poteſtas Petri eſt abſoluta. tomo 2. 123
Prandium virtutum eſt ſermo prædicantis. to. 2. 32
Praua dicitur ſuperbia, & luxuria. to. 1. 133
Preces non ſunt faciendæ pro ſecundo aduentu. to. 1. 74
Præconia Magdalene per Alphabetum. to. 2. 149
Præconis ſtultitia cõtra reum. tomo 2. pag. 75
Præceptorum impoſitio eſt leue onus. to. 2. 252
Præceptum amoris datur ob Chriſtum. to. 2. 265
Prædeſtinatio eſt in Verbo. tomo 2. 61
Prædicandi dignitas. to. 1. 117
Prędicator placẽs populo deorſum ſe mittit. to. 1. 350
Prædicator initium, auditores finis ſermonis. to. 2. 371
Prædicatores mali annunciant populo ſolã miſericordiam. tomo 1. 187
Prædicatores ſunt dentes. tomo 2. 297
Prælati vxor eſt Eccleſia. tomo 1. 167
Prælati ſunt ob ſubditos, & non econtra. to. 2. 87
Prælati defectus cum charitate manifeſtandi. to. 2. 215
Prælatus debet eſſe etiam ouis. to. 1. 512
Prælatus malus eſt abominatio, ſicut hæreticus. to. 2. 384

Prælatorum negligentia taxatur. to. 2. 374

Præmium dilectionis inimicorum. to. 1. 325

Præſepe Chriſti quale. to. 1. 147

Præſſura duplex. to. 1. 77

Præuentio Dei in omni bono. to. 1. 60

Primatus Chriſti. to. 2. 263

Principes ſæculi dicuntur philoſophi. to. 2. 7

Prodigia, & ſigna pſeudoprophetæ quæ ſint. to. 2. 292

Prœlium Dei cum dracone fuit triplici conditione. to. 1. 229

Proles duplex, & duplex bonum eius. to. 1. 221

Propheta dicitur, quia procul fatur. to. 1. 96

Propheta quaſi procul fans. tomo 1. 415

Propheta falſus quis dicatur. tomo 2. 95

Pronitas ad malum eſt graue iugum. to. 1. 316

Propitius idem eſt quod prope citius. to. 2. 148

Proximi amoris perfectio. tomo 2. 78

Pſeudochiſti, & pſeudoprophetæ qui ſint. to. 2. 392

Puella eſt fidelis anima, & fiet regina. to. 2. 381

Puella macilenta non placet ſponſo. to. 2. 380

Puellæ ætas qualis. to. 2. 372

Puer ſecundum Hieronymum dicitur diabolus. to. 1. 354

Puerorum laus fuit perfectior laude angelorum. to. 1. 57

Pullus aſinæ eſt populus Dei. to. 1. 9

Pullus ſolutus quid. to. 1. 27

Q

Quartus lapis eſt cor peccatoris. to. 1. 343

Quaſi quomodo capiatur. tomo 1. 428

Quaſi facit mendicũ. to. 1. 562.

Quattuor virtutes cardinales fuerunt in Ioan. to. 1. 97

Quæ ſunt de fide dicuntur ardua. to. 2. 6

Quærere aliquid poteſt eſſe tripliciter. to. 1. 383

Quærere, petere, & pulſare quid. to. 1. 387

Quæſtio quæſtionem, & lectio lectionem aperit. to. 2. 258

Quæſtio de ſubueniẽtibus pauperi re ipſa, & corde tantum. to. 2. 170

Quæſtio de amore filij erga patrem, & patris erga filium. tomo 2. 174

Quæſtio cur Chriſtus non expectauit in ſepulchro Magdalenam. to. 2. 145

Quæſtio de debente centummille, an poſsit reſtituere diuerſis vicibus. to. 2. 111

Quieſcere a tempeſtate quomodo poſsimus. to. 1. 5

Quilibet per illud quod amat, trahitur. tomo 1. 182

Quilibet loquitur de quibus eſt. to. 1. 416

Quinque verbis perſtringitur tota

tota paſsio. to.1. 292
Quintum Chriſti opus eſt aduentatio.to.1. 90
Quintus lapis eſt gula. tomo 1. 344
Quod non intelligitur, impoſſibile exiſtimatur. to.2. 88

R

Rachel interpretatur ouis. tomo 2. 46
Rameſſes quid. to.1. 356
Rancor duplex. to. 2. 74
Rancoris ſigna. to.2. 75
Redemptio non ſeruabatur, ideo dixit: Non ſum dignus, vt ſoluam.to.1. 118
Redemptio in Leuitico non intelligebatur de Chriſto. tomo 1. 289
Redemptionis initium eſt ſexta ratio circumciſionis. tomo 1. 173
Redemptoris miſericordia viridis dicitur. to.1. 5
Regnum prius adeptum multum diligitur. to.1. 1
Regnum quo antiquius eo melius. to.1. 333
Regnum cælorum quale ſit. tomo 2. 33
Religio eſt caſtrum. to.1. 66
Religio totalem reformationem intendit. to. 1. 71
Religio eſt oppoſita mundo. tomo 2. 216
Religio quibus ſuſcitetur. tomo 2. 367
Religionis fundator dicitur princeps.to 2. 365
Remedia luxuriæ. to. 1. 276
Reprehenſio Iudæorum contra Magos. to.1. 184
Res non ab vmbra, ſed vmbra a re. to. 2. 38
Reſponſio Chriſti de Ioanne Baptiſta. to. 1. 94
Reſponſio Chriſti de tributo Cæſari dando. to. 2. 356
Reſurrectio Chriſti videtur modica. to. 1. 526
Reſurrectio non fit viribus animæ. tomo 2. pag. 163
Reſurrectionis moralis ſigna. to. 1. 492
Reſurrectionis prima nuncia Magdalena.to.2. 138
Reſurrectio per gloriam. tomo 2. 230
Reſurrectionis impedimenta quæ ſint. to.2. 375
Rex cur venit beatæ Mariæ. tomo 1. 11
Rex pro diuerſis venit ad ciuitatem, & Deus ad hominem. to.1. 18
Rex regum quando dicatur Deus.to.1. 46
Richardi deſcriptio de aſina & pullo. to. 1. 67
Rubus quid ſignificet.to.2. 25

S

Sacerdos induit ſe omnium neceſsitates. to. 2. 34
Sacerdos cur debeat ordinari. tomo 2. 127
Sacerdotes exhortantur ad ſuſcipien-

ſcipiendũ Chriſtũ.to.1. 149
Sacerdotes ſunt confeſſores.tomo 2. 189
Sacerdotis dignitas eſt mons. tomo 2. 36
Sagena eſt cor feminæ.to.2. 63
Sagittarius erit in Chriſto in pronunciatione ſententiæ. tomo 1. 83
Sagittarius dicitur cauſidicus. tomo 1. 483
Salomon vbi ædificauit delubra. tomo 1. pag. 24
Salomon quid intelligat per tria difficilia. to.1. 159
Saltare eſt extra ſaltare. tomo 1. 489
Saluatoris duo ſunt principalia nomina. to. 1. 176
Saluari & non ſaluari contradictoria ſunt, & quo modo reperiantur in Deo.to.2. 5
Salutatio inimici eſt Dei adoratio. to.1. 331
Samaria quid, to.1.261, to.2. 185. & 195
Sancti vento contrario peruenerunt ad portum.to.1. 253
Sancti habent Deum ſuper ſe, & ſuper caput. to.1. 254
Sancti ſunt cauſæ ſecundæ in oratione. to. 1. 375
Sancti quare precentur calamitates. to. 2. 72
Sancti præmiantur vltra condignum.to.2. 105
Sancti occiduntur in ſalutem populi.to.2. 282
Sanctorum ſigna.to.1. 604
Sanctus quilibet reſpectu Mariæ eſt ſterilis.to.1. 286
Sanguis Chriſti an realiter deſcenderit ad inferos, vel virtualiter. to. 1. 101
Sanguis Chriſti quinquies effuſus. to. 1. 289
Sapientia Chriſti animæ infuſa. to. 1. 209
Sapientia duobus modis acquiri poteſt. to. 1. 211
Sapientia Chriſti acquiſita. tomo 1. 211
Sapientia Dei circa creata. tomo 1. 207
Sapientis & ſimplicis deguſtatio in ſacramento.to.1. 420
Sapientibus huius ſæculi non naſcitur Chriſtus.to.1. 152
Sara dicitur Eccleſia.to.1. 136
Satanæ angelus lutherus. tomo 2. 131
Satisfactio eſt miſericors. tomo 1. 450
Satisfactio eſt redditio æquiualẽtis alias indebiti.to.2. 252
Scabellũ pedũ Chriſti. to.2. 264
Scandulum a cruce ſublatum per ſex miracula. to. 1. 105
Scientia Chriſti quadruplex. tomo 1. 206
Scintilla fidei debet ardere in filio. tomo 1. 217
Scoti ratio de incarnatione Verbi. tomo 1. 142
Scoti opinio de viſione Dei. tomo 1. 185
Scorpio erit in Chriſto per acriorem ſtimulationem, to.1. 83
Scorpio ſignificat perſecutionem. tomo 1. 483

Scriptura ſacra eſt arbor.to.1.55
Scriptura a Deo poteſt collocari in grano ſinapis. to.1. 107
Scripturæ non adimplentur ſine charitate. tomo 1. 291
Scripturæ ſenſus quattuor. tomo 2. 56
Sæculi deſcriptio. to.1. 333
Securitas falſa monet pœnitentiam differre.to.2. 376
Sedes quo modo ſedebunt in iudicio. to.1. 29
Segor interpretatur parua. tomo 1. 43
Semen cur ſit Verbum Dei. tomo 1. 273
Semen purgat agrum.to.1.273
Semina vbi fructificent. tomo 1. 274
Seminis ſex partes.to.1. 270
Seminũ tres excellentiæ. tomo 1. 285
Semiplenum gaudium quale. tomo 1. 159
Sephora quid. to.1. 358
Sermoni tria bona neceſſaria. tomo 2. 151
Sero cur Chriſtus apparuit Apoſtolis. to. 1. 498
Seruitus eſt quintum ſponſæ imperfectum.to.1. 232
Seſſo triplex. to. 2. 251
Sextus lapis eſt aggregatio dæmonum. to. 1. 344
Si,quandoque capitur pro ideſt. tomo 1. 409
Si vere diuites fratres eſſe cupitis,veras diuitias amate. Non eſt in Biblijs; ſed eſt in antiph. Nonæ in Dominica Sexageſimæ. to. 1. 92
Signa præcedentia reſurrectionem moralem. to.1. 491
Silentiũ eſt fons boni. to.1.396
Silentis & muti differentia. tomo 1. 399
Simeon fuit vnus ex diſcipulis miſsis.to.1 51
Simon quid. to.1. 455
Simõ Cyrenæus quid.to.1.532
Simon & Iudas ſunt duæ tubæ, & duæ virgæ. to.2. 350
Sinagoga eſt aſina. to. 1. 51
Sion diligitur a Dauid plus ceteris. to. 1. 1
Sion dicitur ſpecula. to.1. 8
Sion filia quæ ſit to. 1. 11
Sion dicitur ſpecula.to 1. 52
Sion ſiccitas interpretatur. tomo 1. 69
Syriæ interpretatio. to 2. 177
Situla ad quid ſit bona.to.1. 59
Societas Ieſu felix. to.2. 84
Sociorum diuerſitas. to.1. 202
Sol eſt viuacitas rationis humanæ.to.1. 98
Sol amoris amara facit dulcia. tomo 1. 327
Sol ne videatur, tria impediunt. tomo 1. 484
Solis exemplum de duobus cõtrarijs.to.1. 17
Solis locutio ad homines. tomo 1. 91
Soluere corigiam. quid. tomo 1. pag. 117
Somnus duplex. to. 1. 53
Sonus Apoſtolis factus muſicus,& non terrificus fuit. tomo 2. 15
Sonus Spiritus ſancti optimus. tomo 2. 29

Sordes in niue ſunt menſtrua in iuſtitia. to.1. 90
Sors triplex.to 1. 155
Spinæ & tribuli dicuntur hæretici. to. 2. 99
Spinæ, petra,& via quid notent. tomo 1. 274
Spinas, ictus, & fel patiebatur Ioannes. to. 1. 162
Spiratio Dei cor vaporat. tomo 2. 10
Spiritus eſt nomen naturæ. tomo 1. 307
Spiritus dicitur de tribus. tomo 2. 9
Spiritus de Deo dicitur duobus modis. to.2. 10
Spiritus Dei facit nobiſcum ſicut chirurgus cum filio. tomo 2. 6
Spiritus habet adiunctam veritatem. tomo 2. pag. 259
Spiritus ſancti bonitas quibus communicetur. to.1. 409
Spiritus ſancti gaudium quale. tomo 1. 537
Spiritus ſancti & iudicis differentia. to. 1. 550
Spiritus ſanctus fuit vnus ex duobus diſcipulis. to.1. 7
Spiritus ſanctus dicitur nauis. tomo 1. 159
Spiritus ſanctus eſt pluuia voluntaria.to.1. 326
Spiritus ſanctus quare dicatur digitus. to.2. 7.& 8
Spiritus ſanctus cur non mittatur ante aſcenſioné.to.1. 547
Spiritus ſanctus dicitur vmbraculum diei. to. 2. 21
Spiritus ſanctus via, veritas, & vita. to. 2. 13
Spiritus ſanctus amorem pulſat. tomo 1. 390
Spirituum gradus quinque. tomo 2. 11
Spolia Chriſti quę ſint.to.1 412
Spolia partitur Chriſtus cum matre. to.1. 495
Sponſæ conditiones.to.1. 216
Sponſi de virgine faciunt corruptam. to.1. 231
Sponſus nuptiarum quis. tomo 1. 224
Sponſus quinque modis mundat ſponſam. to. 1 230
Sputum ieiuni hominis nocet ſerpenti.to.1. 62
Stabulum dicitur locus beſtiarum non hominum.to.1. 148
Stabulum dicitur domus miſericordiæ. to.2. 179
Stare qui dicantur. to. 2. 200
Statua eſt gloria ſæculi. tomo 2. pag. 375
Statua Danielis eſt lutherus. tomo 1. 125
Statuæ varietas varietatem callidioris ſerpentis deſignat. tomo 1. 125
Stella eſt Maria intus habens ſolem. to.1. 181
Stella natiuitatis dicitur radius ſpiritualis. to.1. 186
Stella Magorum ad duo ducit. tomo 1. 203
Stellæ apparitio cauſat in Magos quadruplicem lætitiam. tomo 1. 188
Stellarum caſus quid ſignificet, tomo 1. 77
Stigmata Ieſu quæ ſint. to. 1. 69

Structio ſignificat peccatorem. tomo 2. 242
Stupor & admiratio Magorum. tomo 1. 189
Suſcitatus ſepties oſcitat, vt puer Eliſæi. to.2. 378
Sumere duodecim eſt ſumere omnes prædeſtinatos. to. 1. pag. 299
Super & ſupra in quo differant. tomo 1 188
Superbia eſt petroſa. to. 1. 277
Superbia, auaritia & obſtinatio aduerſantur Trinitati. to. 1. 26
Superbia duplex. to. 1. 239
Superbia noſtra confunditur. tomo 1. 466
Superbia eſt ciuitas ſolis. tomo 1. 357
Superbia eſt abominatio, tomo 2. pag. 384
Superbus deridet humilitatem Chriſti. tomo 1. 22
Suſan diligitur ab Aſſuero, & quare tomo 1. 1
Sutor humanitatis quis fuerit. tomo 1. 114

T

Tactus Chriſti diſponit corpus, & verbum animam. tomo 1. 369
Tauri & altilia ſunt martyres & confeſſores. tomo 1. 37
Taurus an Chriſtus erit. to. 1. pag. 80
Taurus alligatus ficui, manſueſcit. to. 1. 471
Taurus dicitur ferox. to. 1. 472
Tharſis quid. to. 2. 58
Tentatio quid. to. 1. 334
Tentationis vtilitas. to. 2. 220
Terra mala triplex. to. 1. 274
Terra bona & mala. to. 1. 270
Terræ bonæ conditiones. to. 1. pag. 283. & 284
Tertius lapis eſt deſperatio. tomo 1. 343
Teſtimonium mẽdax vnde proueniat. tomo 1. 107
Theſaurizantes digito numerant nummos. to. 2. 8
Thomas Apoſtolos reprehendit. tomo 1. 505
Thomæ auris aperitur. tomo 1. pag. 506
Thymiama quid. tomo 1. 315
Tibicines qui ſint. to. 2 364
Timor & triſtitia oriuntur ab amore. to. 1. 585
Timor Chriſti varie monſtratur. tomo 2. 345
Torcular triplex in anima, tomo 1. 563
Traditio Chriſti. to. 1. 300
Tria agenda pro Chriſto ſuſcipiendo. tomo 1. 455
Tria facienda in excitatione adoleſcentis. to. 2. 226
Tribulationis fructus. to. 1. 389
Tributum ſoluit Maria nato Domino. tomo 2. 357
Triduum Chriſti quale ſit. tomo 2. 87
Trinitas non eſt diuiſa. tomo 1. pag. 407
Trinitas eſt arbor in anima. tomo 2. 159
Trinitatis petitio ab animæ trinitate. tomo 1. 387
Trinitatis proceſſio & comparatio.

ratio. tomo 2. 160
Turbæ differentia in viſione Dei. tomo 1. 14
Turbæ quæ ſint. to. 1. 15
Turbæ præcedentes & ſequentes quæ fuerint. to. 1. 14
Turbæ ſunt memoria, & voluntas. to. 1. 365
Turbæ dixerunt: *Beatus venter qui te portauit.* to. 1. 405
Turbæ cibatæ quæ & quot fuerint. tomo 1. 91
Turbarum clamor qualis fuerit. to. 1. 56
Turpitudo eſt tertium ſponſæ vitium. to. 1. 230
Tus vnde dicatur. to. 1. 199
Tyrus quid. to. 1. 215
Tyrus anguſtia interpretatur. tomo 1. 363

V

VAccæ immolatio quomodo fiebat. to. 1. 316
Vallium laus. to. 1. 129
Vanitas cantico ſuo mouet honores quærere. to. 2. 375
Venialium frequentia quid cauſet. to. 1. 90
Venientium ad Eccleſiam diuerſa intentio. to. 1. 203
Vento contrario itur ad portum gloriæ. to. 1. 252
Verbi oſtia duo. to. 2. 164
Verbum Dei dicitur gladius. to. 2. 359
Verbum Dei eſt ſpeculum voluntarium. to. 1. 209
Verbum Dei non eſt ſeminatum opere humano. to. 1. 269
Verbum ſine tempore per quod facta ſunt tempora. to. 2. 271
Verecundia bona vnde proueniat. to. 2. 188
Verenda quæ ſint. to. 1. 22
Veritas Dei oſtendit pacem noſtram fictam. to. 1. 446
Veritas triplex. to. 2. 354
Veſtes angeli, & Spiritus ſancti vbi ſint. to. 1. 12
Veſtes Mariæ & noſtræ vbi ſternantur. to. 1. 12
Veſtigia peccati habent mali. to. 2. 158
Vetantes ſolutionem aſinæ vetant pœnitentiam. to. 1. 453
Vexatio contritionis bona, & carnis mala. to. 1. 366
Via eſt vita hominis. to. 2. 42
Via aduerſa & proſpera. to. 1. pag. 528
Via Chriſti duplex. to. 1. 520
Via Dei eſt amor. to. 1. 132
Via quando ſit imparata. to. 1. pag. 131
Viam Domino præparare quorum ſit. to. 1. 110
Viæ Dei quæ ſint. to. 1. 132
Victorem cuncta ſequuntur. tomo 2. 307
Victoria quo modo acquirenda. to. 1. 30
Victoria contra carnem. to. 1. pag. 370
Vidua eſt anima peccatrix. to. 2. pag. 334
Vigiles requirit ſapientia inquiſitores. to. 1. 270
Villæ bona quæ ſint. to. 2. 115
Villicus eſt mercator. tomo 2. pag. 106

Villicus

Villicus cur non reſpondeat domino. to.2. 110
Vincula ſex, & totidem opera Chriſti.to.1. 87
Vinculatio coniugatorum quomodo intelligatur.to.1. 222
Vinea animæ in quo differat ab aliis. to. 1. 264
Vineæ vbi ſint plantandæ. to.1. pag. 262
Vineæ odor fugat dæmones. tomo 1. 263
Vineæ varia hora, eſt varius profectus. to.1. 268
Vinearum pericula. to.1. 262
Vino carere bonum eſt. to. 1. pag. 218
Vinum conuiuij triplex. to. 2. pag. 256
Vir indigens eſt miſericors.tomo 2. 178
Vir diuinus habet Deũ a dextris. to. 1. 605
Virgo ideſt mater Dei Maria. tomo 1. 482
Virgo olim non tranſibat ad regis cubiculum niſi vncta. to.1. 65
Virgo Maria dicitur timuiſſe Dei aduentum. to.1. 94
Virgo eſt vinea Ieſu, to.1. 258
Virgo quo modo erit in Chriſto. to.1. 82
Viri ſumus ad peccandum, ſed effeminati ad pœnitendum. to. 1. 459
Virtus noſtra modica eſt. to.1. pag. 529
Virtus eſt emanatio bonitatis. tomo 2. 173
Virtus videtur facilis aſſuetis. tomo 1. 132
Virtutes dicuntur plumæ.to.2. pag. 160
Virtutis cauſa apud Deum habet mercedem. to.1. 331
Viſio quomodo cauſetur. to. 1. pag. 157
Viſus fit duplici lumine. to.1. pag. 279
Vita animæ eſt in operationibus.to.1. 192
Vita Chriſti eſt viua imago. to. 2. 344
Vitioſorum diſcurſus. to.1.297
Vitula eſt caro noſtra.to.1. 315
Vndenarius quid oſtendat. tomo 1. 600
Viuẽs ſi obliuiſceris Dei, Deus moriens obliuiſcitur tui. tomo 2. 392
Vngere caput cinere quid. tomo 1. 311
Vnicum dicitur quod omnibus præcellit. to. 2. 11
Vnio Chriſti & Eccleſiæ. tomo 2. 175
Vniones in Chriſto tres. to.1. pag. 489
Vnionis ſuſceptio eſt tertia ratio circumciſionis. to.1. 171
Vnitas fidelium in quo ſignetur. to.2. 190
Vniuerſale iudicium quare faciendum. to. 1. 28
Vocatorum & electorum diſtinctio.to.1. 259
Vocem non habere in tormento magnum malum. tomo 2. pag. 110

Volitio

Digitized by Google

Volitio Dei vnica. to. 2. 5
Voluntas eſt mulier de turba. tomo 1. 365
Voluntas Patris, & Filij vnica in productione Spiritus ſancti.to.2. 11
Voluntatis & intellectus nocumentum. to. 1. 601
Voluptatem ſumere de vxore, eſt bibere aquam de ſua ciſterna.to.2. 219
Vota tria tres Apoſtolos ſignificant. to. 2. 369
Vox clamantis Chriſti erat Ioannes. to. 1. 119
Vox Verbi non explicans myſteria, quis ea explicare poterit? to. 1. 120
Vox operis efficacior voce ſermonis. to. 2. 41
Vulnera quo modo non vulnerent. to.1. 15
Vulnera Franciſcum liberant. to.2. 276
Vulnerum diſtributio.to.1.427
Vulnus, liuor, & plaga tumens quo modo intelligatur. to.2. pag. 386
Vulpes ſunt in matrimonio cum igne. to.1. 262

Z

Zacharias, & Eliſabet ſunt ratio & voluntas. to. 2. pag. 379
Zachariæ vinculum quando ſolutum.to.1. 85
Zelatores monachi ſunt canes gregis. to. 2. 368
Zelus quo modo ex bono fiat malus. to.2. 242
Zodiaci ſigna quo modo ſint in Chriſto. to. 1. 8[illegible]

FINIS.

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-
1974

Digitized by Google

Digitized by Google